This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 469348 DUPL

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

879.8
M975
1789

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANTONII MURETI

OPERA OMNIA,

Ex MSS. *aucta & emendata,*
cum brevi annotatione

DAVIDIS RUHNKENII.

TOMUS III.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUEL. ET JOHANNEM LUCHTMANS,
M D C C L X X X I X.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONTINENTUR

VOLUMINE III.

Scholia in Senecam. 1—134.

Commentarius in Aristotelis Ethica. 137—466.

——— in ejusdem Oeconomica. 469—482.

Interpretatio Topicorum Libri VII. & in eundem Alexandri Aphrod. Commentarii. 485—514.

Commentarius in I. & II. Librum Platonis de Republica. 517—586.

Notae in Xenophontem. 589—614.

Aristotelis Rhetoricorum Libri duo, Mureto interprete. 617—730.

Scholia in Librum I. & II. Rhetoricorum Aristotelis. 733—778.

——— in primam Ciceronis Tusculanam. 779—799.

——— in Ciceronis Officia. 800—823.

——— ——— Libros V. de Finibus. 824—857.

——— ——— in Or. pro Dejotaro, 858—860.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANTONII MURETI

IN

SENECAM

SCHOLIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Bates
Parrella
8-22-24
10698

M. ANTONII MURETI

IN

PRIMUM LIBRUM

DE BENEFICIIS SCHOLIA. (*)

INTER *varios*] Magna hominum pars casu potius, quam ratione aut consilio vivere videtur, &, nullo certo fine sibi proposito, huc atque illuc vagari: cum tamen & res ipsa clamet, & sapientissimi homines, Isocrates in epistola ad Jasonis liberos, Aristoteles libro primo ad Nicomachum, & alii jam pridem monuerint, vitam plenam errorum ac perturbationum fore, nisi habeamus certum aliquid quo tendamus, & ad quod omnia dirigamus. Et hoc est quod poëta satyricus exclamat:

Est aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum:
An passim sequeris corvos, testaque lutoque?

Non igitur mirum est, vitam temere inconsulteque viventium multis ac variis erroribus agitari: quorum nullum nocentiorem esse ait Seneca, quam quod beneficia neque dare scimus, neque accipere. Beneficiorum enim vicissitudine vita maxime continetur.

Ista enim perierunt] Qui Latini sermonis periti intelligentesque sunt, quos quotidie pauciores esse quam credideram animadverto, facile sentiunt, vocem *ista* huic loco

(*) Horum Scholiorum Editionem, post Mureti mortem, curavit elegantissimus ejus discipulus, Franciscus Beucus, Romae 1585. fol. Vide Fabricium Bibl. Lat. T. II. p. 112.

Digitized by Google

loco non convenire. Vetus liber meus habet, *istum enim.* Lego, *Jam tum enim*

Nomina facturi] Pecuniam foeneraturi.

Vasa] τὰ σκεύη ita vocantur bona omnia quae non sunt soli.

Inquirimus] Melius in quibusdam veterib. libris, *anquirimus.*

De quo queri revera] Jam pridem docui legendum, *Decoquere vero*

Reddit enim beneficium qui libenter debet] Id est, qui cum alia ratione gratiam referre non possit, voluntate saltem & confessione gratus est. Pertinet huc nobilis ille Ciceronis locus ex oratione pro Plancio: *Dissimilis est pecuniae debitio & gratiae Nam qui pecuniam dissolvit, statim non habet id quod reddidit: qui autem debet, aes retinet alienum. Gratiam autem, & qui refert, habet: & qui habet, eo ipso quod habet, refert.* De quo disputantur quaedam apud Agellium capite quarto libri primi.

Multos experimur ingratos] Deprehendimus, cum tamen ejus rei nulla in nobis culpa sit. Sed plures facimus ipsi.

Exprobratores exactoresque] Beneficium autem qui sine caussa exprobrat, quod beneficium fuerat, injuriam facit: qui exigit, ostendit, non beneficium fuisse, sed creditum.

Alias leves] Et sic ostendimus, nos, id quod fecimus, fecisse ἀπροβουλεύτως.

Alias queruli] φιλαίτιοι, μεμψίμοιροι, & statim quiritantes atque ingratum vocantes, si is qui nobis gratiam debet, ullam vel levissimam bene de nobis merendi occasionem praetermiserit.

Aut leviter rogari aut semel] Vetus autem dictum est, *nihil carius emi quam quod precibus emendum est.*

Suspicatus est] Eleganter in hoc hominum genus Martialis:

Durum est Sexte negare cum rogeris:
Quanto durius antequam rogeris.

Aut distulit, aut timide negavit] Legendum e libro vetere, *Aut distulit, id est, timide negavit.* Etenim qui differt, genere quodam negat, sed aperte negare non audet. Saepe autem ingenui homines aperte ac simpliciter negantem facilius ferunt. Martialis:

Mutua

Digitized by Google

Mutua te centum ſeſtertia, Phoebe, rogavi.
Cum mihi dixiſſes: Exigis ergo nihil.
Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus
Teque decem crucias. Jam roga, Phoebe, nega.

Idem.

Primum eſt, ut praeſtes ſi quid te Cinna rogabo:
Illud deinde ſequens, ut cito Cinna neges.
Diligo praeſtantem: non odi Cinna negantem.
Sed tu nec praeſtas, nec cito Cinna negas.

A nolente] Legendum, *a negligente.*

Ab hac tam effuſa liberalitate] Liber vetus, *benignitate.*

Cunctanteque illos ipſos] Ineptus aliquis locum hunc de induſtria depravarit neceſſe eſt. Rectiſſime enim erat in aliis: *Et cuncta interque illa ipſos.*

Quibus turpe eſt] Emenda ex vetere libro: *Quibus ita demum turpe eſt non reddere, ſi & licet*

Ipſosque qui non fuiſſe mallent, eſſe patitur] Puto, ſublata negatione, legendum, *ipſosque qui fuiſſe mallent. Fuiſſe* autem eſt, amplius non eſſe, periiſſe, ut in illo, *fuimus Troes, fuit Ilium*, & in illo Plautino, *Ita fuit pene Phroneſium.* Sic quos ſignificare volebant mortuos, *vixiſſe* dicebant.

Tunc eſt virtus] Alii, *Nunc eſt virtus*, quod non damno. Meus liber vetus habet, *Haec eſt virtus.*

Qui beneficium non reddit, non magis peccat quam qui non dat citius.] Vox *citius* redundat, & ſententiam corrumpit. Neque enim hic de beneficio citius aut ſerius dando, ſed ſimpliciter de dando reddendoque agitur. Aut igitur delenda eſt, aut, quod magis puto, pro *citius* legendum, *Attius:* ut duos verſus, quos ſtatim ſubjicit, Attii eſſe intelligamus.

In priore verſu] Ariſtoteles libro primo Rhetoricorum de ſententiarum uſu diſputans, tradit, nobiles & vulgo celebratas ſententias interdum evertendas & confutandas eſſe: quod veteres & ſaepe & eleganter factitarunt: noſtra aetas, ut alia, ita hoc quoque vel exercitationis vel ornamenti genus neglexit: poſtquam, ut bene vivendi, ſic bene dicendi praecepta tenere quam exercere maluimus. Sic Cicero reprehendit verſum illum Euripidis,

quo vitam humanam fortuna, non sapientia, regi dixerat: sic praeceptum Biantis, ut ita amaremus tanquam osuri: ita odissemus tanquam amaturi. Sic Sophocles principio Trachiniarum illam Solonis sententiam, non posse ante mortem cujusque de felicitate ipsius liquido judicari. Sic Plutarchus illam Epicuri, ita vivendum esse sapienti, ut lateret: aliasque permultas. Sic Seneca plurimas: ut hoc loco versus, ut mea quidem opinio fert, Attii, qui tamen ad beneficentiam cohortari videbantur.

Illud enim] Legendum ex vetere libro, *Illud etiam.*

Tantum eroga] Ex eodem, *Tantum eroga tu:* unde alii fecerant *erogatur.*

Creditorem appellat] Jam pridem monui, capite primo libri duodecimi Variarum lectionum, legendum hic *debitorem.* neque cuiquam dubium puto esse, quin ita legendum sit.

Alioqui formam] Liber vetus, *Alioquin in formam*, quae recta scriptura est.

Salutaribus] Idem liber, *salubribus.* Sed haec, quae neque de sententia, neque de orationis elegantia quidquam mutant, multa me de industria omissurum esse profiteor. Persequantur haec qui grandes libros conscribere amant. Ego mea omnia cuperem in unam paginam posse concludere.

Memoriam suam fugiens] Idem liber, *memoriam tui.*

Virgines] Alia olim ratione jocans dixi, apud quendam, qui nemini unquam gratiam reddebat, vere virgines esse Gratias: nihil enim parere:

Παρθένοι αἱ παρὰ σοὶ Χάριτες. τίκτουσι γὰρ οὐδέν.
Αὐτὰρ ἐγὼ στείρας σὺν ἄγαμαι Χάριτας.

Et spissis prodeant] Legendum, *Et spissis auro Phrygianis prodeant*, monui pridem capite 1. lib. 12. Variarum lectionum.

Non quia beneficia ratio commendat vel oratio] Legendum, *Non quia beneficia oratio commendat.* cetera delenda. Error natus aut ex varietate scripturae, aut ex haesitantia librarii. Consimilia multa indicavi cap. 16. lib 15. Variar. lectionum.

Si aliquid in censum detulerunt] Lege, *si aliud quid.*

De-

Deferre autem *in censum*, idem est quod *deducere in censum*, apud juris auctores l. 64. D. de acquir. rer. dominio.

Ad hanc honestissimam contentionem] Respexerit fortasse ad illud Hesiodi, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.

Parum se grate] Vide quae scripsi libro 12. Var. lectionum.

Beneficiorum novas tabulas] Ut quicunque beneficia quamlibet magna ac multa acceperunt, nihil debere se putent.

Hoc primum nobis esse discendum] Totum illud, *nobis esse discendum*, delendum videtur. In aliis, *dicendum*, aeque male.

Non potest beneficium manu tangi, sed animo geritur] Lege. *Non potest beneficium manu tangi: animo cernitur.*

Amisso eo per quod datum est] Articulus *per* abest a vetere libro.

Farre ac fitilla] Ita legendum, non, ut ante me, *farre ac fictili*, docui jam pridem in Variis lectionibus. & extitit tamen postea unus ex istis qui, ut scurrae olim fana, ita ipsi aliena scripta ventris caussa circumeunt, qui hoc sublegere sibique vindicare voluerit. Mirabilem & miserabilem animi & parvitatem & pravitatem.

Aeschines pauper auditor] Cujus pater botulis & isitiis faciendis victitaret.

Non quanta quaeque sunt] Lege, *non quanti quaeque sint.*

Conjugibus alienis] Non est dubium, quin hoc loco multa desint. Neque scriptor ullus est in quo plures aut foediores lacunae, quam in Seneca, reperiantur. Origo mali haec fuit. Describebatur fere ab hominibus piis & religiosis, qui ad populum sacras conciones habebant: ad quas magno eis usui erat, propter sententias crebras, acutas, efficaces, & magnam partem cum religione nostra congruentes. Ut autem aliis gravioribus studiis occupati, describebant non totos semper libros, sed excerpta potius quaedam, quae ita continuabant inter se, ac si apud ipsum quoque Senecam continuata legerentur, cum tamen multa saepe omissa essent. Hoc ego ex multorum vetustorum Senecae codicum inter se collatione ita manifesto deprehendi. ut liquido confirmare posse videar

In sella prostare] Vehebantur enim per urbem ita tenui-

nuibus ac pellucidis vestibus indutae, ut prope totae paterent. Hor. *Cois tibi cernere paene est Ut nudam.*

Ancillariolum] Ancillarum amoribus deditum. Sic apud Mart. *mulier infantaria*, quae delectatur infantibus: *Et quod mireris magis, infantaria non est.* Tale est apud Capit. *mulierarius*, apud Martial. *mulier lecticariola*, quae servis lecticariis faciebat copiam sui.

In consensu] Alii libri, *concessu.*

Non parcere] Ovid.

Quaerere ut absumant, absumpta requirere certant.
Atque ipsae vitiis sunt alimenta vices.

Habebitur aliquando ebrietati honor] Hoc quidem jam imperante Tiberio contigerat: de quo Suet. *Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam urbis confestim detulit, codicillis quoque jucundissimos & omnium horarum amicos professus.* & paulo post: *Ignotissimum quaesturae candidatum nobilissimis antepósuit, ob epotam in convivio, propinante se, vini amphoram.*

Post rem manet] Antea inepte legebatur, *post remanet.* Sed ego talia emendanda puto, ostentanda non puto. Pusilli animi est tanta in his rebus ἀκριβολογία.

Corinthii] Memoriae lapsus. Non enim hoc de *Corinthiis*, sed de Megarensibus proditum est: & ita legitur in excerptis quibusdam e Plutarcho: Ὡς φαμὲν Ἀλεξάνδρῳ πολιτείαν Μεγαρεῖς ψηφίσασθαι· τοῦ δὲ εἰς γέλωτα θεμένου τὴν σπουδὴν αὐτῶν, εἰπεῖν ἐκείνους ὅτι μόνῳ πρότερον τὴν πολιτείαν Ἡρακλεῖ, καὶ μετ' ἐκεῖνον αὐτῷ ψηφίσαιντο· τὸν δὲ θαυμάσαντα δέξασθαι, τὸ τίμιον ἐν τῷ σπανίῳ τιθέμενον.

Etiam mimicum] Ita mutare ausus sum in ambigua veteris libri scriptura: cum antea legeretur, *inimicum.*

Morbo suo morem gessit] Integer locus est: quem tamen quidam, emendandi specie, per ipsum non stetit, quin depravaret. *Morbos* vocabant vitiosas animi affectiones. Catullus:

Quod-

Quodcunque agit, renidet. hunc habet morbum.

Vide quae ſcripſi capite ſecundo lib. 12. Var. lect.

IN

SECUNDUM LIBRUM DE BENEFICIIS.

OPTIMUM *eſt*] Lego, *Primum eſt*. atque ita legendum, oſtendit id quod ſubjungitur: *Proximum ſequi.*

Os concurrat] Fruſtra quidam emendare conati, legendum putarunt, *corruat. Concurrere os*, & *confundi* pro eodem dicitur. Concurrit igitur os iis, quibus multo ſanguine concurrente ſuffunditur, quaſi natura ipſa obtendente velum quoddam pudoris.

Potes ob id ingratus eſſe?] Lego, *poteſt*, ut neget Seneca, poſſe quemquam ob tale beneficium, cujus longa expectatione tortus eſt, ingratum videri, etiam ſi nullam pro eo gratiam referat. Quis enim, quod tortus ſit, gratiam ſe debere ullam putet?

Aut gaudere beneficio ſuo tardius] Lege, *Qui aut diutius torqueri patitur, quem protinus poteſt liberare, aut gaudere tardius, beneficio ſuo manus affert. Manus* autem *beneficio ſuo afferre* eleganter dicitur is, qui ipſemet beneficii ſui gratiam extinguit.

Sed infinitum intereſt] Male antea legebatur, *in infinitum.*

A nepote M. Allio] *Nepotem* vocat decoctorem, ut in illo Horatiano, *ventres lamna candente nepotum Diceret utendos.* Quod autem hic refertur, ad id videlicet tempus pertinet, quo Tiberius paucorum ſenatorum inopiam ſublevavit. Qua de re ita Suetonius: *Paucorum ſenatorum inopia ſuſtentata, ne pluribus opem ferret, negavit ſe aliis ſubventurum, niſi ſenatui juſtas neceſſitatum cauſſas probaſſent.* Meminit & Tacitus libro ſecundo: quorum tamen neuter id quod hic de Allio dicitur, narrat.

Arceſilaus] Apellem Chium fuiſſe, quem hoc modo Arceſilaus adjuvit, e Plutarcho didicimus, qui hanc

ipsam historiolam exponit enucleatius in commentario, quo docet, quomodo quis adulatorem internoscere possit ab amico.

Quid? Ego illi] Alii, *Quidni ego illi*. quae tantula depravatio totam Senecae sententiam pervertebat.

Qui dedit beneficium, taceat: narret qui accepit] Hac de re festivissimum extat epigramma Martialis:

Quae mihi praestiteris, memini, semperque tenebo.
Cur igitur taceo, Postume, tu loqueris.
Incipie quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: Dixerat ipse mihi.
Non belle quaedam faciunt duo. sufficit unus
Huic operi si vis ut loquar, ipse tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Postume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Nec tamen tuta sunt] Alii libri: *Haec tamen irrita sunt.*

Caesar] Lege, C. *Caesar*. ita autem fere semper vocat Caligulam. & statim *Penno* legendum, non *Poeno*.

Persica servitute] Hoc enim honoris genus Persae regib. suis deferebant. Sic apud Xenoph quidam καταφιλοῦσι τῷ Κύρῳ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας.

Submissis honorib.] Inepte. Lege, ut in aliis, *summis usus honorib.*

Pigros suos] Vide Turnebum c. 30. li. 9. Adversariorum.

Ab Antigono] Aliquanto hoc venustius extulit Plutarch. in Apophthegmatis, si modo liber ille Plutarchi est: Θρασύλλου τοῦ Κυνικοῦ δραχμὴν αἰτήσαντος αὐτὸν, Ἀλλ' οὐ βασιλικὸν, εἶπε, τὸ δόμα. τοῦ δὲ εἰπόντος, Οὐκοῦν τάλαντον δός μοι, Ἀλλ' οὐ κυνικὸν, ἔφη, τὸ λῆμμα.

Ab iis quibus dedisse videamur] Legendum puto, *ab iis quibus dedisse vellemus.*

Monetque amicitia] Locus vitiatus videtur.

Tuber quidam tyranni] Cic. lib. 3. de natura deor. *Nec enim Herculi Deianira nocere voluit, cum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit: nec prodesse Pheraeo Jasoni, is qui gladio vomicam ejus aperuit, quam medici sanare non poterant.* Narrat & Valer. lib. 1.

Se gessisse] Inepte in aliis, *se egisse.*

Non

Digitized by Google

Non an ſervirent, ſed cui] Nec enim pugnabant pro libertate, cujus jam ſpes omnis praeciſa erat: ſed quod alii Pompejo, alii Caeſari ſervire mallent. Ita autem cenſui jam pridem emendandum locum, cum in vetere libro reperiſem: *non an ſervirent ſervi.* Alii poſtea eandem quidem ſententiam effecerunt, ſed nimium quantum a veteris ſcripturae veſtigiis recesſerunt.

Propinationem] Affinis enim erat illi vitio, quod in Herme quodam ſignificat Martialis his verſibus:

Quod nulli calicem tuum propinas,
Humane facis, Herme, non ſuperbe.

Antequam illum libertini pauperem facerent] Amar dictum in Claudium, ſub quo libertinorum immenſae opes fuerunt.

Bona valetudo & vitiis inexpugnabilis] Quam neque cibi ac potionis, neque rerum venerearum intemperantia expugnare poſſit. Antea ineptiſſime legebatur: *et virtus inexpugnabilis.*

Majora non cepimus] Id eſt, majorum capaces non fuimus. Venuſtiſſimam ſententiam deformarant, qui ſcripſerant, *majora non debuimus.*

Si iners ſine opera] Hanc quoque corruperant, una voce detracta, hoc modo, *ſi iners, opera.*

IN
TERTIUM LIBRUM
DE BENEFICIIS.

VITIOSI *oculi ſunt qui lucem reformidant, caeci qui non vident*] Vox *oculi* abeſt a libro vetere, & ita ſcriptum eſt *vitioſi*, ut aliquid eraſum eſſe appareat. *Caecos* quoque *oculos* nusquam alibi legi. Puto igitur totum hunc locum ita legendum eſſe: *Luſcitioſi ſunt qui lucem reformidant, caeci qui non vident.*

Ab hoſtibus tantum res repetierunt] Ineptiſſime legebant alii, *ab hoſtibus tantum aes petierunt. Res repeti* ſolitas per fetiales, antequam cuiquam populo bellum indi-

Digitized by Google

ciunt quae de eis scripsit Turnebus capite 29. libri 1. Adversariorum.

Amamur] Nemo non videt, quanto hoc melius sit, quam quod antea legebatur, *armamur*.

Quibus beneficia demus] Male alii, *debeamus*.

Praeterea quaeritis beneficium] Locus depravatus. Fortassis legendum: *praeterea quaeritis quomodo detis beneficium*.

Propter ipsum] Inepte emendarant, *propter usum*.

Turpissimum genus damni] Sic liber vetus. Insulse antea: *turpissimum genus dandi*.

Sic enim & legem dicimus] Alii, *scimus*. Utrum melius sit, dubitaturum neminem arbitror.

Suspensum amici bonis libellum dejicio] Hoc faciebant, qui a se amicum absentem defendi profitebantur. Cicero pro Quintio: *Libellos Sex. Alfenus procurator P. Quintii, familiaris & propinquus Sex. Naevii, dejicit.*

Injecta manu.] Verbum juris, quo significatur prehensio & vindicatio pro domino.

Ut libentius eum videat] Corrumpebant sententiam hujus loci, qui interjiciebant negationem.

Supervacuum est enim in quod natura imus impelli] Foede in aliis libris depravatus erat hic locus: cum ita legeretur: *Supervacuum est, inquit, in naturae jus impelli.* Haec non libens adnumero: sed interdum tamen id facere cogor, ne quis malevolus pauca me praestitisse dicat.

Vilissimus & facillimus sanguis] In vetere erat, *bilissimus*. Unde isti belli emendatores fecerant, *bellissimus*.

Projecisti ipsum extra mundum] Inepte in aliis, *extra metum*. In intermundiis deorum sedem esse dicebat Epicurus.

Et tutior est vita] Comprehensionem hanc jam ante depravatam ab aliis, magis etiam depravavit Erasmus, qui utinam a Seneca abstinuisset manus. Minore negotio pleraque restituerentur.

Ciceronem filium] Ciceronem filium cum Augusto consulem fuisse, auctor est Plutarch. ἐπεὶ μόντοι τάχιστα κατεπολέμησεν Ἀντώνιον, ὑπατεύων αὐτὸς, εἵλετο συνάρχοντα τοῦ Κικέρωνος τὸν υἱόν.

Aridaeum] Male in aliis, *Arrhidaeum*. frater fuit Alexandri magni, sed ignobili matre ortus.

Ma-

Mamercum Scaurum] Insignis & abominanda hominis turpitudo. Merito igitur Tacitus eum *opprobrium majorum* vocat.

Unde vos scitis] Vetus liber, *unde isti nos*. Delenda omnia Librarius per errorem redierat ad id quod paulo antecesit: *undi isti norunt*. Deinde animadverso errore, non delevit tamen ea quae frustra geminaverat.

Conscientia nostra] Legendum, *scientia vestra* Induceit autem, suo more, quendam adversus Stoicos loquentem.

Eadem lex] Sic melius, quam, ut antea, *eadem res*.

Aurem mihi pervellam] Ipse me admonebo, ut postea cautior sim, minusque facilis ad promittendum. Vir. — *Cynthius aurem Vellit, & admonuit* Hic ipse libro sequenti: *Sine tu, loquar mecum: & ego mihi aurem pervellam*

Linguarium dabo] Non probari mihi quod Turnebus de hac voce sensit, simulque quomodo eam intelligendam putem, scripsi capite 5. lib. 12. Variarum lectionum.

Demens est qui fidem praestat errori] Vox *fidem* abest a veteribus libris. Legendum videtur: *Demens est qui perstat in errore*.

IN

QUINTUM LIBRUM

DE BENEFICIIS.

IN *superioribus libris*] Opinor legendum, *Quatuor superioribus libris*. Sed illud *quatuor*, ita scriptum fuisse IV. unde datam errori causam.

Dependere] Solvere. Inde actio de bene depenso.

Si illa concito odisse properaveris] Nihil velim temere affirmare. Sed pro *concito*, legendum putem, *non cito*.

Aut omnino non reddidit] Alii, *aut omnia* Sed haec veterum librorum scriptura est, & quidem perspicue melior.

Si scit debere] Particulam, *si*, alii omnes omiserant, & locum male distinxerant.

Alexander Macedonum rex] Eadem gloriatio Scipionis:

— *Cui*

Digitized by Google

— *Cui nemo civis neque hostis*
Quivit pro factis reddere operae pretium.

Id ex ipso vocabulo apparet] Male alii, *idem*, pro *id ex*.

Quidni? cum inter ea] In aliis, *Quid? cum inter ea*. quo modo depravatur sententia.

Illa a stulto ac malo submoventur] Voces duas ab aliis interjectas, delevi, ut redundantes.

Commoda & expetenda] ἄχρηστα τὰ προηγμένα. Voces Stoicorum propriae.

Cui tamen etsi malus est] De hac voce scripsi cap. 18. lib. 11. Var. lect.

Ad alios spectat verum] In aliis omnibus editionibus ita deformatus erat hic locus, ut non intelligeretur.

Non ex philosophorum domo clamat] Cum in vetere libro scriptum viderem, *clamet*, ausus sum unam litteram addere, & edendum curavi, *clam set*. neque dum me illius mutationis piget.

Romana funera] Ita melius judicavi, quam ut vulgo editum erat, *Omnia funera*. Paulo post etiam, ubi legebatur *exilii*, malui, *exitii*.

Durioribus remediis quam pericula erant] Videtur respexisse ad illum apud Graecos nobilem versum,

Τὸ φάρμακον σοῦ τὴν νόσον μείζω ποιεῖ.

Ultra res proximas] Ita dicit *res*, ut cum dicimus *res prolatas*, aut *ad res redire*.

Praefato tempore] προειμαρμένῳ. ab eadem enim origine est *fatum*.

At si terram ignoto mortuo injeci] Hoc inter praecipua humanitatis officia numerabant. Virgil. — *aut tu mihi terram Injice*. Horat. *Licebit, Injecto ter pulvere, curras*.

Si malo viro dedisti, flerem] Sunt qui legant: *Si malo viro dedisti, flerem:* quo nihil stultius. Quando enim cuiquam auctor esset Seneca, ut fleret? Ego, extritis tribus litteris, lego, *Si malo viro dedisti, fer*.

Ne esset mihi opus auxilio hominis ingrati] Alii omnes omiserant vocem, *opus*.

Ne

Ne ultima quidem necessitas] Male alii, *nam ultima quoque.*

IN

SEXTUM LIBRUM

DE BENEFICIIS.

EXTRA *viam*] Ita vetus liber, non, ut vulgo, *extra vitam.*

Ne fuerint, non potest] Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς περίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα, ait Agatho.

Hoc habeo quodcunque dedi] Egregia vox: ad quam illustrandam valde pertinent ea quae Cyrus & fecisse & dixisse narratur libr. 8. Παιδείας, ut Croesum doceret, optime pecunias apud amicos deponi: neque ullos ei tutiores ac fideliores esse thesauros. sed & Alexandri Magni quiddam simile memoratur: & Alfonsus, Siciliae rex, interrogatus, quid servaret sibi, qui tam multis tam multa donaret, ea, inquit, ipsa quae dono. cetera enim in meorum numero non habeo. Extat & scitum inprimis & elegans in eandem sententiam Martialis Epigramma:

Callidus effracta numos fur auferet arca.
Prosternet patrios impia flamma Lares.
Debitor usuram pariter sortemque negabit.
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica.
Mercibus extructas obruet unda rates.
Extra fortunam est, quicquid donatur amicis.
Quas dederis solas semper habebis opes.

Qui creditor veneras] Post haec verba in aliis omnibus editionibus sequebantur haec, *Inter beneficia quoque & injurias ratio confert*: quae leviter emendata & mota loco non suo, paulo inferius in suam sedem restitui. Dici autem non potest, quam multa in optimis quibusque scriptoribus hujus generis peccata sint.

Reddere enim est rem pro re dare] Subfrigida vocabuli notatio: quales frequentissimae sunt apud Stoicos, & Stoicorum hac in re imitatores, veteres Romanos juris-

consultos. Talis est & illa Ciceronis, *fidem ex eo dictam, quia fiat quod dictum est:* illae jurisconsultorum, *testamentum, quod sit testatio mentis,* & *mutuum, quod fiat ex meo tuum:* & similes.

Delegatione] *Delegare* dicitur, qui pro se alium debitorem volenti creditori substituit. *Verbis* autem *perfectam solutionem* vocare videtur acceptilationem.

Acutae ineptiae] Inepte acutus hoc loco videri Seneca ipse posset, si haec ex persona sua diceret. Nec enim ignotum esse cuiquam qui jus civile primoribus labris attigerit, potest, aliud esse hereditatem, aliud res hereditarias: eamque non ineptam & futilem, sed veram & utilem esse distinctionem. Neque sane ejus est, qui beneficium a re quae tribuitur, tam acute distinguat, non eodem acumine videre, a rebus hereditariis differre ac distingui hereditatem. Sed Liberalem loquentem inducit, qui, ut homo neque in jure civili, neque in philosophia valde exercitatus, & hanc & illam distinctionem ut nimis subtiliter excogitatam, & in verbis tantum, ut ipse quidem putabat, positam, rejiciebat.

Contribuere] Hae sunt quae *compensationes* dicuntur. Modestin. *Compensatio est debiti & crediti inter se contributio l.* 1. *De compens.*

Vultus tuus] Eruditus aliquis hoc loco notam apposuerat ex Quintiliano his verbis: Notat hoc Quintil. quod ex consuetudine scholae declamatoriae fingimus interdum manifesto falsa. facit hoc & alias frequenter Seneca. Quam notam cum valde probarem, praetermittendam non esse ratus sum. locus Quintiliani est cap. 1. lib. 6.

Unum testem temere dimittit] i. unius testis sponte gratiam facit, causae suae nimium fidens. Pincianus locum hunc corruperat.

Quaedam homines sibi praestant, aliis imputant] Hoc est quod vere negat Pamphilus Terentianus ingenui hominis esse: ideoque id se facere nolle profitetur:

Ego, Charine, neutiquam esse id officium ingenui puto,
Cum is nil promereat, postulare id gratiae apponi sibi.

Quos perambulat] Proprie locutus est. nam & inde περιοδευταὶ dicuntur medici, qui perambulant urbem, aegro-

Digitized by Google

aegrotorum curandi gratia. Alii ſunt quos *circumforaneos* Cicero vocat.

Sed tanquam imperatorem] Putavi olim legendum, *non tanquam amicus, ſed tanquam imperator.* Nam *jubere* & *imperare* verba ſunt medicis uſitata. Terent.

Quod juſſi ei dare bibere & quantum imperavi, Date.

& paulo poſt:

Non imperabat eorum, quid facto opus eſſet puerperae.

Ubi autem aegroti medicis quorum utuntur opera, imperare dicantur, non ſane facile reperias. Unus, quod ſciam, locus eſt Alfeni, de operis libertorum, ubi ita legitur: *Medicus, quod putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum, poſtulabat, ut ſequerentur ſe, neque opus facerent.* Quo ex uno loco quod Franciſcus Duarenus colligit, invaluiſſe hanc loquendi conſuetudinem apud auctores Latinos, ut medici mei ego imperator dicar, crederem, ſi teſtes in eam rem aliquos produceret. Nunc illo tantum Alfeni loco nititur, & hoc Senecae: quem etſi homo eruditus, Pincianus affirmat in omnibus vetuſtis libris eodem modo, ut editus eſt, legi: ego tamen unum habeo, quo me donavit vir probus & eruditus, mihique inſigniter carus, Antonius Conſtantinus, in quo ſine ulla liturae ſuſpicione ita legitur: *Quia me non tanquam amicum, ſed tanquam quemlibet alium vidit.* Quae ſcriptura non ſane rejicienda eſt. *Quemlibet* enim *alium* dicit, ὁ τυχόντα, ἕνα τῶν πολλῶν.

Non ſecurus excepit] Ita idem ille liber melius, quam ut in aliis, *audivit.*

Et alia utilia] Ab aliis libris vocum ſimilitudo ultimam extriverat.

Quorum animus ſimilis eſt pravo amore flagrantibus] Tales eſſe & eos qui flagitioſo puerorum amore flagrant, oſtendit & Socrates apud Platonem in Phaedro: cupere enim, eos quos amant, & animo eſſe remiſſo ac diffluenti, atque averſo ab omni honeſtate: & corpore languido atque effeminato: & bonis externis parum commode inſtructos, ut eos ſibi obnoxios habeant. Itaque concludit, pueros non ſecus amari ab ejusmodi impuris homi-

nibus, quam agnos a lupis: ὡς λύκῳ ἄρνας φοβεῖ, ἢ ἀνδρὶ φιλῶν ἔριφος.

Ipse solvi] Male antea in aliis, *ipsum solvi*.

Cum bellum Graeciae indiceret Xerxes] Hanc historiam elegantissime exponit Herodotus libro 7.

Rectam capite tiaram gerens] Quod hic dicitur, id solis regibus licuisse, testatur & Xenophon lib. 2. Anabaseos.

Nisi qui non dicebat sibi] Fateor, me non perspicere quid sit quod Demaratus negatur sibi verum dixisse. Nam quod quidam exponunt *sibi*, id est, commodo suo, nugas agunt. In libro Constantiniano totus hic locus ita legitur: *Quam miserabilis gens, in qua vix unus inventus est, qui verum regi diceret.* Quae scriptura plane perspicua est: fortasis etiam vera.

Quotidianum ad Marsyam concursum] Marsyae statuam in foro fuisse, notum est, & haud procul ab ea agi solitas causas. Eam interdum coronabant, qui dicendo placuerant, & diserti visi, popularem plausum tuleṛant. At Julia eam coronari jubebat ab iis quos in illa nocturna palaestra valentissimos colluctatores experta esset. Eam filiae turpitudinem, aliasque ejusdem generis, Augustus epistola complexus, eam epistolam per quaestorem in senatu recitari absente se voluit. Ea de re Plinii verba sunt libri XXI. cap. 3. *Apud nos exemplum licentiae hujus non est aliud, quam filia Divi Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam, litterae illius Dei gemunt.* Quem Plinii locum emendatione egere arbitratus est Laevinus Torrentius libro secundo commentariorum in Suetonium, legendumque hoc modo: *Litterae illius describunt.* Ego autem, quod bona venia viri optimi & eruditissimi, mihique amicissimi dictum sit, vulgatam scripturam retinendam arbitror, multorum ipsam quoque veterum codicum testimonio fultam. *Deum* enim vocat Augustum ipsum, πάλαι ἀποθεωθέντα. Sic de eodem libri septimi capite 45. *In summa Deus ille, caelumque nescio adeptus magis an meritus, herede hostis sui filio excesserit.* Ejus *litteras* dicit *gemere*, quod ita dolenter scriptae erant, ut ingemiscere quodammodo viderentur.

Primi omnium C. Gracchus] In aliis omissum praenomen historiam dubiam relinquebat.

Ave] Liber vetus, *habe*. & constat ex Quintil. eam illo-

Digitized by Google

illorum temporum & ſcribendi & pronuntiandi conſuetudinem fuiſſe.

Eloquentia exceptat pretium litium numerus] Locus manifeſto corruptus. liber vetus ſic habet: *Eloquens exceptat pretium litium numeros.* Ut fortaſſe legendum ſit, *Eloquens captat pretium ex litium numero.*

Ex quo propter amicitiam rei plurimum eſt] Pincianus: *Cum quo propter rem amicitiae plurimum eſt.* Ego pro *rei*, lego *ſpei*, cetera retineo.

Quoniam utrumque ubi ex virtute fit par eſt] Stoici, ut omnia peccata, ſic omnia recte facta paria eſſe dicebant: neque majorem eſſe fortitudinem in vulneribus pro patria excipiendis, quam in morſu pulicis fortiter ferendo: neque majorem temperantiam, ſi quis a virgine formoſa, & in ipſo aetatis flore conſtituta, quam ſi ab informi & capulari vetula abſtineret: dum utrumque ex virtute fieret. Auctor Plutarchus.

IN

SEPTIMUM LIBRUM

DE BENEFICIIS.

NON *ſervet portionem ſuam*] Fortaſſis legendum, *proportionem.*

Proficientem] τὸν προκόπτοντα. propria vox Stoicae diſciplinae.

Quem deformamus] *Deformare* eſt ὑποτυπώσαι. Utitur hoc verbo & Cicero eodem ſenſu.

Inter nos convenit] Alii inepte, *inter duos convenit.*

Romanus Imperator] Vide quae ſcripſi capite 17. lib. 19. Variarum lectionum.

Equeſtria] Ita vocat quatuordecim illos gradus, in quibus ſpectandi cauſſa ſedere niſi equitibus Romanis lege Roſcia, non licebat.

Ne te traham longius] Perſpicuum eſt, multa hoc loco deeſſe: in quibus hoc diſputabatur, poſſet ne beneficium aliud alio majus eſſe. Concludit autem Seneca convenienter diſciplinae Stoicorum, beneficia quidem ipſa neque majora, neque minora eſſe poſſe: paria enim ſunt

Digitized by Google

omnia ὑποθήκας: sed materiam beneficii posse esse aut majorem aut minorem.

Athenienses Harmodium & Aristogitonem tyrannicidas vocant] Quanquam non tyrannum ipsum, sed tantum fratrem illius interfecerunt. Vide Thucydidem libro sexto.

Immo reddo illi] Locum hunc, ut alios sane quam multos, depravaverat Erasmus.

Apollodorus aut Phalaris] Hos conjungit etiam libro secundo de ira. Et *Phalaris* quidem vulgo notus est: *Apollodorus* non item. Meminit illius Plutarchus in commentario quo docet, philosophum vel maxime cum principibus viris disputare debere, his verbis: τὸν δ' Ἀπολλοδώρου τοῦ τυράννου, καὶ Φαλάριδος, καὶ Διονυσίου φίλους καὶ συνήθεις ἀποφαίνειν, ἐφιβλοῦν, καὶ ἐπιπηδᾶν. Meminit & Suidas, ubi de Hieronymo tyranno disserit, quo ait neque Phalarin, neque Apollodorum, neque alium fuisse ullum tyrannum saeviorem.

Si ara ejus est cruor & semper recenti madet] Non dubito, quin legendum sit, *Si ara ejus cruore semper recenti madet.* Sed tamen quia conjectura tantum fretus ita judico, aliorum judicium facere malui.

Cui triremes & ceratas] Ita plane legendum, non, ut antea, *ceratas.* Multis navibus de nominibus animalium imponebant nomina, *ceratas, pristes, tigres, centauros, cercuros*, alia ejusmodi.

Cubiculatas] Ita expresit *thalamegos.* Suetonius Graecam appellationem retinere maluit.

Eadem manu beneficium omnibus dabo, illi reddam] Hoc dicit: eum interficiam. Conscleratis enim hominibus duo tantum bona evenire posse docet Plato, ut aut corrigantur, aut moriantur. Illo fit, ut boni esse incipiant, hoc, ut peccare desinant.

Phaecasia] Genus calceamenti rustici. Hesychius.

Per claustrum] Per seram. *Claustrum* seu *claustrum*, a claudendo, ut *haustrum* ab hauriendo. Plaut.

Bene vale, anime mi: nam sonitum & crepitum claustrorum audio.

Virgilius:

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt.

Hoc

Hoc enim dicit, eos fremere circa ipsos obices portarum, si qua exitus detur, erumpere cupientes.

Non est ista admonitio, non, convicium est] Sic Cic. *Non sunt haec ab indulgentia nostra, non, habent radices suas.* Alii inepte scripserunt, *immo.*

Ut etiam vitiatus] Corrupta vox, quam quomodo emendem, non habeo.

Saxum aliquod] Anaxagorae ea stultitia fuit, qui dicebat solem esse μύρον. διάπυρον.

Fortuitorum ignium globum] Epicuri deliramentum, convenire ignes, & ardoris semina. *Quae faciunt solis nova semper lumina igni.* Lucret. lib. 5.

IN

EPISTOLAS.

EPISTOLAS Senecae stulta librariorum μετεχία divisserat in libros duos & viginti: quam divisionem, cum antiqui nullius codicis auctoritate ac testimonio niti, nisi illi ipsi qui eam retinuere fateantur, cur retinerem, causam nullam esse duxi. Ne epistolarum quidem aut ordo aut numerus in omnibus libris idem. quin etiam, cum quodam loco unam epistolam lacerassent in duas, auxerant earum numerum, fecerantque centum viginti quinque, quas non plus centum viginti quatuor esse, in plerisque veteribus libris diserte adnotatum est. Sed utinam non & graviora peccassent. Nam ejus quidem generis errata nihil de summa utilitate quae e Senecae libris percipi potest, imminuunt. Quod additis, omissis, mutatis multis vocibus, multas praeclaras sententias corrupissent, id vero ferendum non erat. Itaque ei malo, quantum vires tulere, mederi sedulo conatus sum. Plura fortasse sanabit alius, & hoc novo more, pauca a se reperta omnibus quae alii notaverint, anteponet: blennos, fatuos, fungos dicet fuisse prae se alios omnes, & si quid aliud mimica ista, quae nuper nata est, eloquentia suggesserit: in qua diserte dicere est contumelias dicere: & orator, non ille ex Catonis regula, vir bonus dicendi peritus, sed homo audax & impudens in maledicendo exercitatus. Serviant sane & obsequantur ingenio suo: &, dum alienam stultitiam exa-

Digitized by Google

gitare sibi videntur, ostendant suam. Nos, quicquid possumus, in commune conferamus: ne, si istorum vocibus a studio utilitatis publicae absterreamur, ipsum Senecam frustra legisse videamur.

IN EPISTOLAM I.

Ita fac, mi Lucili] Antiqui breves quasdam sententias, quibus multum sapientiae paucis verbis adstrictum contineretur, ad deum referebant auctorem. Ejusmodi fuerunt, *Nosce te ipsum: Deum sequere: Ne quid nimis:* ejusdemque generis aliae. Fuit & haec in nobilissimis atque omnium sermone celebratissimis, *Tempori parce.* Mentio ejus apud Ciceronem libro tertio de finibus: apud hunc nostrum epistola, ut a me quidem numerantur, nonagesima quarta: ut ab aliis, nonagesima quinta: apud Clementem Alexandrinum Stromate primo: apud Stobaeum λόγῳ γ. alios. Et quod ait princeps medicorum, *vitam esse brevem, artem vero longam*; non de medendi modo arte, sed & de sapientia quae vivendi ars est, multo etiam verius dici potest. Zenonis est, *nulla re ita nos egere, ut tempore.* Nos autem ridicule de vitae brevitate querimur: partem ejus multo maximam sine fructu effluere patimur & cum mortem nobis imminere sentimus, si quis se triduum aut quatriduum ad vitam nobis adjecturum profiteatur, omnia dare ac profundere parati sumus: cum saepe integros menses atque annos ita nobis eripi passi sumus, ut si ex pleno ac redundanti & superfluenti aliquid nullius pretii largiremur. At Theophrastus συνεχεῖς ἔλεγε, πολυτελὲς ἀνάλωμα εἶναι τὸν χρόνον. Hoc igitur sapientissimum praeceptum hac prima epistola pertractat & Lucilio commendat Seneca.

Aut auferebatur] Ab amicis potentioribus, qui, omnibus omissis, quasi pro imperio operam sibi dari volunt.

Aut surripiebatur] Clanculum, quasique ex insidiis.

Aut excidebat] Per incuriam ac negligentiam tuam.

Persuade tibi] Eandem sententiam mutato tantum orationis genere repetit, ut altius in animo infigat.

Male agentibus] Ut ea quae aleae, quae libidini, quae ventri atque abdomini, quae sectandis potentioribus datur.

Nihil agentibus] Ut evenit iis qui otio atque ignavia marcent.

Aliud

Aliud agentibus] Negligenter ac languide omnia tractantibus, & quidvis potius cogitantibus, quam id quod agunt.

Mortem prospicimus] Tanquam procul distantem, cum tamen illa assidue supra caput immineat.

Manum injeceris] Verbum juris: ut & id quo statim utitur, *in possessionem mittere.*

Dum differtur vita, transcurrit] Ἡμεῖς ὁπότε ἀρχόμεθα ζῆν, τότε ἀπεθνήσκομεν, dixisse fertur Theophrastus. Et hoc est quod, etsi longe alio sensu, dixit Martialis:

Sera nimis vita est crastina: vive hodie.

Horatius autem vere & serio:

— sapere aude:
Incipe. vivendi qui recte prorogat horam,
Rusticus expectat dum defluat amnis. at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis aevum.

Cum impetravere] Multo hoc melius, quam quod antea legebatur, *cum periere.*

Cui quantulumcunque superest, sat est] Quamvis igitur mihi, aetate jam ad senium inclinata, superesse non multum potest: pauper tamen mihi non videor, cum id ipsum quod superest, quantulum est, mihi satis esse ducam.

Bono tempore] Mature.

Sera parsimonia] Hesiodeum est: δειλὴ δ' ἐπὶ πυθμένι φειδώ.

Non enim tantum minimum] Citantur ex Antiphane versus quidam, quibus ait vitam nostram similem esse vini. ubi enim paulum superest, acescere:

Σφόδρ' ἐστὶν ἡμῶν ὁ βίος οἴνῳ προσφερής.
Ὅταν ᾖ τὸ λοιπὸν μικρὸν, ὄξος γίνεται.

Hic noster epistola centesima octava: *Meliora praetervolant: deteriora succedunt, quemadmodum ex amphora primum quod est sincerissimum effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit: sic in aetate nostra quod est optimum, primum est.*

IN EPISTOLAM II.

Ex iis quae mihi scribis] Quidam sunt qui uno loco

diutius consistere non possunt: & crebram locorum mutationem ad curas ac molestias animi deponendas utilem esse opinantur. Eos notat principio hujus epistolae: & Lucilio, quod ex eo numero non sit, gratulatur. Prope autem idem argumentum est epistolae 28. Tum etiam in ratione studiorum, illam per varios scriptores circumcursationem reprehendit: satiusque esse docet, paucos, sed eosdem optimos ac probatissimos deligere, quos saepe relegendo in succum ac sanguinem convertas tuum. Addit ad extremum elegans dictum Epicuri, quod eo die apud illum notaverat.

IN EPISTOLAM III.

Epistolas] Familiariter reprehendit Lucilium, quod amici nomine ita usus esset, ut vulgus solet: docetque, eum demum esse vere ac proprie amicum, quicum omnia nostra aeque ac nobiscum communicare possumus: cum tamen vulgo omnes quibuscum aliqua nobis vel levis intercedit necessitudo, amicos vocare soleamus. Hanc quoque duplicem hujus nominis acceptionem (*) Socrates notans, dicere interdum solebat, ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος.

Dominos] Usitata jam tum erat illa consuetudo *dominos* vocandi, quos colerent, aut quorum nomina non succurrerent. Idque potentiores ambiebant, ut *domini* a tenuioribus vocarentur: &, nisi id fieret, moleste ferebant. Martialis:

Mane salutavi vero te nomine, casu:
Nec dixi dominum, Caeciliane, meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
-Centum quadrantes abstulit illa mihi. Idem:
Cum te non nossem, dominum regemque vocabam. Idem:
Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere.
Saepe etiam servum sic resaluto meum.

Seneca epistola CIV. *Illud mihi in ore erat domini mei, Gallionis.* Notum est & epigramma Graecum non sane valde boni poëtae, Palladae:

H,

(*) *Acceptionem nominis*, pro significatione, dubito, an idoneus scriptor dixerit. In Siculo Flacco p. 18 ita capit W. Goesius.

Digitized by Google

Ἢν ὁ φίλος τί λάβῃ, δόμινε φράτερ αὖθις ἔειπιν.
Ἢν δὲ λάβῃ μηδὲν, τὸ φράτερ εἶπε μόνον.
Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα. αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ ἐθέλω δόμινε. οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.

Errat & ille] Usque ad illa verba, *Tu vero omnia*, delenda sunt quae interjecta sunt omnia, ut invecta huc ex Epistola XIX.

Theophrasti] Cujus est, ὅτι δεῖ κρίνοντα φιλεῖν, ἀλλ' οὐ φιλοῦντα κρίνειν.

Multi fallere docuerunt, dum timent falli] Pertinet huc illud Livianum: *Vult sibi quisque credi: & habita fides, ipsam plerumque obligat fidem.*

IN EPISTOLAM IV.

Persevera] Monet, ut urgeat studium philosophiae, assuefaciatque se ad contemptum & mortis, & rerum in vita supervacanearum

In viros] Ita legendum ex vetere libro, non, ut ante, *In virum*. *in viros* autem *transcribebantur*, qui incipiebant per se censeri, jamque res suas libere tractare atque administrare poterant. Id Athenis vocabant ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, de quo ita Harpocration: Ληξιαρχικὸν γραμματεῖον, εἰς ὃ ἐνεγράφοντο οἱ τελεσθέντες τῶν παιδῶν, οἷς ἐξῆν ἤδη τὰ πατρῷα οἰκονομεῖν.

Illi levia, hi falsa formidant: nos utraque] Lucretius:

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia caecis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdum nihilo quae sunt metuenda magis, quam
Quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.

Profice modo] προκόψον ἐπ' ἀρετῇ. Ita melius, quam, ut antea, *prospice*.

Lepidum] Qui adversus ipsum aut conjurarat, aut conjurasse insimulabatur: ut colligo ex his Suetonii verbis: *Reliquas sorores nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit: ut quas saepe exoletis suis prostravit. quo facilius eas in caussa Aemilii Lepidi condemnavit, quasi adulteras, & insidiarum adversus se conscias.*

Duci] Verbum *duci*, interdum simpliciter poni pro eo quod

quod est, ad mortem duci, jam pridem docui libro primo commentariorum in Catilinarias. Ita autem eo frequentissime utitur Seneca. Hujus igitur loci sententia est, etiam si hostis nos in suam potestatem perductos duci jubeat, non alio tamen duci jussurum, quam quo natura ipsa nos ducit. Quod in extremo hujus epistolae legebatur, *Cui cum paupertate bene convenit? divus est*, tralatum huc erat ex epistola secunda. Itaque hinc deleri jussi.

IN EPISTOLAM V.

Quod pertinaciter studes.] Reprehendit consuetudinem quorundam, qui ut se philosophiae deditos esse, vel ostenderent vel persuaderent, intonso capillo, impexa barba, adducto supercilio, incultu & sordibus, & asperitate vitae insignes esse cupiebant. Cujus generis ne nostris quidem temporibus exempla desunt. Irridet & Horatius quosdam, qui eodem prope modo poëtarum nomen aucupabantur:

Nanciscetur enim nomen pretiumque poëtae,
Si tribus Anticyris caput insanabile, nunquam
Tonsori Licino commiserit.

Addit in extremo, quasi pro corollario, elegantem sententiam Hecatonis de naturali quadam metus & spei coniunctione.

Conspici] Conspicui esse & differre a ceteris notabili aliquo discrimine. Hi sunt qui in sacris litteris dicuntur facere omnia πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις.

Cubile humi positum] χαμεύνιον.

Ambitionem perversa via sequitur] Non enim sapientia solum, sed saepius etiam ambitio sub sordido pallio latet: neque ulli homines sitientiores gloriae sunt, quam qui eam, fugientium specie, persequuntur. Inde Plato Diogeni cynico, qui se Platonis fastum calcare diceret, *Calcas*, inquit, *sed alio fastu*. Et Aristoteles sordidum, ac neglectum Lacedaemoniorum vestitum ad arrogantiam refert. De dicto Hecatonis quod sequitur, pluribus verbis disputavi cap 6. lib. 12. Variarum lectionum.

IN

IN EPISTOLAM VI.

Intelligo, Lucili,] Gratulatur sibi apud Lucilium, quod se quotidie progressus ad virtutem aliquos facere sentiat: qua de re extat perelegans commentarius Plutarchi. Tum docet, intimam & assiduam bonorum consuetudinem multo esse omnibus praeceptis efficaciorem.

Quibusdam aegris] Nonnunquam enim ita dejectae ac prostratae sunt vires, ut aegrotus ipse aegrotare se non sentiat: quo nihil letalius. Tunc igitur spes aliqua salutis affulget, cum qui ita affectus erat, morbum suum sentire incipit.

In diversum itura] *Ab eo enim proseminatae sunt philosophorum quasi familiae: & ut ex Apennini jugo fluminum, sic ex variis ejus multiplicibusque sermonibus sapientum diversia extiterunt*, ut est apud Cic. libro 3. de Oratore.

Plus ex moribus quam ex verbis Socratis] Aristides quidem vel ex ipso aspectu ac contactu Socratis mirificam se quandam utilitatem percipere solitum esse profitetur his verbis: *Ego enim, o Socrates, nihil unquam a te didici, ut & ipse nosti. proficiebam autem, quoties tecum una eram: etiam si tantum una in domo essemus, quanquam non in eodem cubiculo: magis tamen, si quando in eodem etiam cubiculo. Et tum quoque magis, si in te dicentem intuerer, quam si oculos aliam ullam in partem dirigerem: multo autem maxime ac plurimum proficiebam, si quando proxime te sederem, tangeremque te, & haererem tibi.* Haec, ut potui, expressi e Platonis Theage in extremo.

IN EPISTOLAM VII.

Quid tibi vitandum] Monet, vitandam esse turbam, vitanda spectacula, vitandam denique consuetudinem etiam singulorum, praeterquam eorum, qui nos meliores effieere, aut meliores a nobis effici possunt.

Interfectores interfectis jubentur objici] Magnum videlicet periculum erat, ne qui mane interfecti erant, meridie resurgerent, pugnaturi adversus interfectores suos. Vetus liber habebat, *interfectis*. Delevi quatuor postremas litteras, ut esset *inter se*.

Sed

Sed latrocinium fecit aliquis] Non enim fere ſolebant exhiberi, ac produci, niſi qui ſcelere aliquo mortem meriti eſſent.

Quare tam timidi] Solebat populus eos gladiatores odiſſe, eisque iraſci, qui parum animoſe ferrum reciperent, mortique parum libenter occurrerent. Cicero pro Milone: *Etenim in gladiatoriis pugnis & in infimi generis hominum conditione atque fortuna timidos & ſupplices, & ut vivere liceat obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes & animoſos & ſe acriter ipſi morti offerentes ſervare cupimus: eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant. quanto hoc magis in fortiſſimis civibus facere debemus?*

Plagis] Id eſt, ait quidam, retibus. Ineptiſſime. *Plagis* enim, id eſt, ictibus, agebantur in vulnera: cum eſſent qui timidos ac refugientes ſequerentur a tergo, ac verberarent, cogerentque etiam invitos ruere in ferrum.

Mala exempla] Principes enim talibus ſpectaculis docentur crudelitatem, quam in nos poſtea exerceant.

Eum docetis eſſe crudelem] Neronem dicere videtur, qui primis temporibus longiſſime aberat ab omni crudelitate.

Unus mihi pro populo] ὡς ἐμοὶ μύριοι.

IN EPISTOLAM VIII.

Tu me, inquis] Videri poterat Seneca diſciplinae ſuae conditoribus contraria docere, cum Lucilio auctor eſſet, ut ſe a rebus agendis abduceret, vitaretque omnium prope conſuetudinem: otiumque ac ſolitudinem amaret. Zeno enim & Chryſippus & ceteri Stoicorum duces ſuadebant, capeſſendam eſſe remp. neque ſapienti eſſe in otio conſeneſcendum. At Seneca neque ſe id ſibi conſilii capere ait, neque cuiquam dare, ut ſe deſidiae atque ignaviae tradat: tantum, ne nos improborum, quae maxima multitudo eſt, exempla transverſos agant, ſecedendum eſſe, & excolendum in otio animum, omiſſa aliarum rerum omnium cura: intereaque commendanda ac conſignanda litteris ſapientiae praecepta: quod qui faciunt, multo eorum vita humano generi fructuoſior eſt, quam ſi forenſibus negotiis intenti, levium & nihil ad bea-

Digitized by Google

beatam vitam pertinentium rerum tractatione tempus omne consumerent.

Quid? ego tibi videor interim sedere?] Inepte in aliis legebatur: *Quod ego tibi videor interim suadere.* Sed ego talia plerumque tacitus praetermitto. Quid enim lectoris interest, scire quis primus ita emendaverit? Relinquamus haec adolescentulis, qui unam aut alteram litteram corrigere, putant esse idem, quod olim vincere Olympia. Ego quae scribo, non gloriolae meae causa scribo, sed utilitatis alienae.

Posterorum negotium ago] Quibus fortasse scripta mea profutura sunt. Non minus autem, immo vero plus etiam, humano generi prosunt homines eruditi, qui in bibliothecas suas abditi, ferunt, ut ait vetus poëta, arbores quae alteri saeculo prosint, quam si, vulgi more, in tractandis haud magni momenti negotiis industriam suam exercerent. Qua de re ita scriptum est apud Veget. lib. 2. de re militari: *Cato ille major, cum & armis invictus esset, & exercitum saepe duxisset, plus se reip. credidit profuturum, si disciplinam militarem conferret in litteras Nam unius aetatis sunt quae fortiter fiunt: quae vero pro utilitate publica scribuntur, aeterna sunt.*

Suspiciosi] Sunt qui e vetere libro legant, *subsidiosi.* Cum meus aperte haberet, *suspitiosi*, nihil mutandum censui.

Insidiae sunt] Hinc fortasse sumpserit Mart.

Qui potes insidias dona vocare tuas.

Habemur] Talibus enim muneribus nos fortuna quasi quibusdam compedibus vinctos tenet.

Aut rectis saltem aut temet fruere] Ita vulgati libri, nullo, ut opinor, idoneo sensu. Unus e meis, *aut rectus stato statim aut semel fugere.* Conjeci legendum: *Aut rectus sta, aut semel fuge.*

Cernuat] Quasi ludentis in morem dejicit. In glossario est, *Cernulat*, κατακύπτει. *Cernuare* igitur, & *cernulare*, idem. Tres voces, quae paulo supra haec legebantur, *qui hoc faciunt*, non sunt in veteribus libris.

Circumagitur] Ritus quidam erat manumittendi. Persius:

Verterit hunc dominus: momento temporis exit
Marcus Dama.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM IX.

An merito] Explicat, quomodo sapiens, etiam si se ipso contentus sit, amico tamen indigeat. Pro corollario addit, ut solet, sententiam Epicuri.

ΑΠΑΘΕΙΑΝ] Vide quanto opere laboret homo disertissimus, ut unam vocem Graecam exprimat. Ἀπάθεια est status animi ad eam firmitatem ac duritiam perducti, ut ne sentiat quidem ea, quibus ceteri turbari solent. Sed si quis pro eo *impatientiam* aut *impatientem animum* dixerit, periculum est, ne is intelligatur, qui nihil ferre ac tolerare possit: quod vel maximum vitium fuerit. Sic cum *inaestimabile* usitate dicatur, quod ita magnum est, ut aestimari non queat: apud Cicer. tamen Stoicorum placita Latine interpretantem, *inaestimabile* est, *quod nulli pretii est, quod nulla aestimatione dignum est.*

Si vis amari, ama.] Videor alicubi legisse epigramma quoddam hoc argumento: cujus haec clausula est: *Marce, ut ameris ama.* Neque tamen ubi legerim, memini. Non alienus hinc est Theocriti versiculus:

Στέργειν τὰς φιλίους, ὤ ἀν φιλέῃ, φιλῆσθαι.

Quisquis amatur, amet: ut & ipse, ubi amarit, ametur.

Qui sibi aegro adsideat] His enim & similibus de causis amicos sapienti parandos monebat Epicurus. Horat.

At si aliquis casus lecto te affixit, habes qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet, ac reddat natis carisque propinquis.

Qui illam parat ad casus] Id est, qui pro varietate casuum, modo amicus esse, modo ab amicitia recedere cogitat. Ita melius, quam, ut in aliis libris, *ad bonos casus.*

Velo tibi Chrysippi] Ut quod hic ex Chrysippo adfertur, plane intelligatur, sciendum est, non idem esse apud Stoicos *egere* & *indigere*, i. δεῖσθαι & ἐνδεῖσθαι. Nam *egere* eum dicunt, qui ita caret aliqua re, ut angatur animo, & ejus desiderium ferre non possit: *indigere* autem eum modo, qui caret re aliqua, qua uti scit, quaeque utilis esse ei potest. Hoc posito, colligebant, sa-

pien-

pientem nulla re egere, quibusdam indigere: ſtultum contra, multis rebus egere, nulla indigere. Nam ſapienti quidem nihil abeſt, quod impotenter deſideret, aut cujus abſentiam non aequo animo ferat. quippe qui poſſit aequiſſimo animo etiam e vita, ſi ita res ferat, diſcedere. Indiget tamen interdum quibusdam reb. ut victu, ut veſtitu, ceterisque ejusdem generis: quibus, ſi eorum copia fuerit, recte utetur. μόνος γοῦν ἐκείνων χρείαν ἔχει. neque enim hoc Latine tam rotunde aut tam apte ad intelligendum exprimi poteſt. At ſtultus multis rebus perpetuo eget: inſatiabiles enim ſunt cupiditates: neque tamen ulla earum indiget: neque enim ulla re uti ſcit: neque quidquam ei eſt utile. Haec attigit utcunque Cic. lib. 1. Tuſculanarum, ſed, εἰ θέμις εἰπεῖν, non pro cetera ſua elegantia & perſpicuitate dicendi. Plutarchus multo melius in libro de communibus notionibus adverſus Stoicos: qui haec irridet quidem, neque fortasſis immerito, ſed efficit tamen, ut intelligantur.

Qualis eſt Jovis] Stoici Jovem, ſeu naturam ac principium aliarum omnium rerum, ignem eſſe dicebant. ejus enim partem aliquam craſſiorem effectam, verti in animalem ac ſpirabilem naturam: ex ejus porro denſioribus partibus aquam, & ex aqua effici terram, ſtatis autem temporibus omnia illa denuo inflammari & igneſcere: ita ut & animi & dii alii omnes interirent, Jupiter ſolus maneret, converſis in ſe omnibus. Hanc ἐκπύρωσιν, id eſt, *conflagrationem*, vocabant. Laërtius in Zenone, ὃς δὴ, de ſummo illo Deo loquitur, ἄφθαρτός ἐστι καὶ ἀγέννητος. δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως, ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν. Exponitur idem & irridetur a Plutarcho in libro de communibus notionibus: & ab hoc noſtro ad ipſum finem conſolationis ad Marciam. Ait igitur, ſapientem ita victurum in ſolitudine, ſi res ferat, ut Jovem exiguo illo tempore, quo converſis in ſe omnibus, pauliſper a generatione ceſſat. Hanc opinionem ab Heraclito Stoici duxerant.

Ad amicitiam] Epicurei aperte profitebantur, amicitias ſuo quemque commodo aut ſua voluptate metiri: ita ut ne filios quidem patribus caros eſſe dicerent, niſi propter voluptatem fructumve, quem ex eis aut caperent, aut ſe capturos eſſe ſperarent. Melius Stoici, non ſolum naturalem eſſe caritatem in filios, verum etiam hominem ani-

mal esse natura congregabile, & appetens societatis: esseque hominem quemlibet natura alteri carum: atque ab ipsa natura cognationem quandam esse inter omnes nos constitutam. Gratuitam itaque esse bonorum, & sapientium amicitiam, non ulla mercede evocatam. Merito igitur ait Plutarchus, ad hunc versum olim tota theatra exclamasse,

Μισθοῦ γὰρ ἄνθρωπός τις ἄνθρωπον φιλεῖ,

Hominem ut amet, mercede quisquam adducitur?

Sed, si vera fatenda sunt, laudantur in theatris, quae domi negliguntur: hominumque magna pars hac in re Stoicos laudat, Epicurum sequitur. Fuisse quosdam & e Stoicis, qui hac quidem in re ab Epicuro non abhorrerent, ostendit Cicero lib. 2. de finibus. Sed locus ille Ciceronis mirifice depravatus est: qui quomodo emendandus videatur, docui in iis quos jam pridem conscriptos propediem, si Deus volet, editurus sum, Variar. lectionum libris.

Stilpon] Quod hic de Stilpone Zenonis magistro dicitur, apud Laërtium quoque his verbis relatum est: ἀλλὰ καὶ Δημήτριος ὁ Ἀντιγόνου καταλαβὼν τὰ Μέγαρα, τήν τε οἰκίαν αὐτῷ φυλαχθῆναι, καὶ πάντα τὰ ἁρπασθέντα προσυνόησεν ἀποδοθῆναι. ὁ δὲ καὶ βουλομένῳ παρ' αὐτοῦ τῶν ἀπολωλότων ἀναγραφὴν λαβεῖν, ἔφη, μηδὲν τῶν ἰδίων ἀπολωλέναι. παιδείαν γὰρ μηδένα ἐξενηνοχέναι. τόν τε λόγον ἔχειν καὶ τὴν ἐπιστήμην.

IN EPISTOLAM X.

Sic est] Solitudinem proficientibus, neque satis adhuc confirmatis, utilem esse: stultis, ut alia omnia, noxiam Ad postremum addit pulcherrimum praeceptum, de iis quae a Deo petenda sunt.

Turpissima vota] Hanc ipsam hominum stultitiam his versibus exagitat Horatius:

Vir bonus, omne forum quem spectat, & omne tribunal.
Quandocunque deos vel porco vel bove placat:
Jane pater, clare, clare cum dixit, Apollo,
Labra movet metuens audiri. pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da sanctum justumque videri:
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

IN

IN EPISTOLAM XI.

Locutus est] De amico quodam Lucilii bene sperare se ostendit: quem tamen, ne tum quidem, cum ad sapientiam pervenerit, pudorem, qui in eo plurimus erat, depositurum esse censet: idque ei cum multis magnis viris esse commune. Addit in extremo praeceptum Epicuri longe utilissimum iis qui se ab omni turpitudine abducere cupiunt. Proponere eos sibi debere magnum aliquem & spectatum virum, de quo semper cogitent, quem sibi semper ante oculos suos subjiciant, quem interesse omnibus actionibus suis putent. ita fore, ut nihil vel in solitudine faciant, quod non eo praesente facere auderent. Simile argumentum epistolae XXV.

IN EPISTOLAM XII.

Quocunque me verti] Urbanissime narrat, quemadmodum, cum ad villam suam venisset, multa senectutis suae argumenta deprehenderit. Addit, unumquemque nostrum quotidie ad mortem paratum esse debere.

Pueritiae maximus in exitu decor est] Ideo Sappho Ovidiana ad Phaonem,

O nec adhuc juvenis, nec jam puer.

Sed & Homerus illam primae lanuginis aetatem gratissimam esse ait:

Πρῶτον ὑπηνήτη, τοῦ περ χαριεστάτη ἥβη.

Ex censu] Ex aetate. in libris enim censualibus etiam aetas cujusque notabatur. Hae sunt quas καταγραφὰς Modestinus vocat.

Syriam usu suam fecit] Cum diutissime ei praefuerit, ita volente Tiberio, qui ut quemque cuique provinciae praefecerat, ita fere ibi consenescere cogebat.

IN EPISTOLAM XIII.

Multum tibi] Multa utilia & salubria remedia proposuit, adversus metum earum rerum, quae opinione potius,

tius, quam re, formidabiles sunt, quaeque & accidere & non accidere possunt.

Sed, dii boni, vera] Ita dictum, ut ab Ovidio,

Oscula, di magni, trans mare digna peti.

Intentionem vocis] Haec quoque inter utilia exercitationis genera numeratur a medicis: de qua, ne per plures libros vagari necesse habeas, vide quae scripsit summus medicus, mihique vetere amicitia conjunctissimus, Hieronymus Mercurialis libro sexto artis gymnasticae.

Per gradus] Intelligit eam quam veteres vocabant *minuritionem*. Vide Plutarchi ὑγιεινά.

Babae & Ixionis] Homines fuisse dicuntur illis temporibus notae fatuitatis.

Si quid satis esse posset] Respexerit fortassis ad hos versus Lucilii:

Nam si quod satis est homini, id satis esse potesset:
Hoc sat erat. nunc, cum hoc non est, qui credimus porro
Divitias ullas animum mi explere potesse?

Cum aspexeris quot te antecedant] Hoc quoque reprehendit Horat. quod nemo avarus fortunas suas per se aestimet, *neque se majori pauperiorum*

Turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret.

Sapientissime autem praecipiebat Phavorinus, homini de bonis suis cogitanti, inspiciendos eos qui minus bonorum haberent: de malis, eos quos plura & graviora premerent: ita facile fore quemque sua sorte contentum. Verba ipsius haec sunt: τὸ Ἀθυμεῖσθαι θέλοντα χρὴ ἐν μὲν τοῖς ἀγαθοῖς ἀφορᾷν εἰς τοὺς ἐλάττω ἀγαθὰ κεκτημένους· ἐν δὲ τοῖς κακοῖς, εἰς τοὺς μᾶλλον δυστυχοῦντας.

IN EPISTOLAM XVI.

Liquere tibi] Animum non leviter tingendum philosophiae praeceptis, sed penitus imbuendum. Dissolvit deinde argumentum, quo quidam contendebant, sive fato administrarentur omnia, ut Stoici, seu casu ac temere eve-

evenirent, ut Epicurei tradebant, inutilem esse philosophiam. Postremo exponitur egregium dictum Epicuri de cupiditatibus terminandis.

IN EPISTOLAM. XVII.

Projice omnia ista] Nihil esse cur philosophandi tempus differat paupertatis metu, quae non modo incommodi nihil affert, sed etiam commoda plerumque est vere atque ex animo philosophari cupientibus.

IN EPISTOLAM XVIII.

December] Quomodo sapientiae studio deditus gerere se debeat, certis quibusdam diebus, quibus totae civitates, quasi laxandorum animorum causa, publice insaniunt: ut fiebat olim Romae mense Decembri: nunc parte quadam mensis Februarii. Addit, certos quosdam dies sumendos esse, quibus experiamur quomodo paupertatem ferre possimus. Concludit postremo epistolam dicto quodam Epicuri de vicinitate irae & insaniae.

Ducere te ad modicas coenas] Ita quidam veteres libri. Meus, *ducere ad moneas coenas*. Dubitavi num legendum sit, *ad Timoneas coenas*. ut hoc nomine significaret durum, asperum, & solitarium victum, qualis fuisse dicitur Timonis, cum e maximis opibus ad summam inopiam redactus, & ab omnibus destitutus esset.

Charino magistratu] Χαρίνου ἄρχοντος. Ita enim significabant annum Athenienses, ex nomine ἐπωνύμου, ut Romani ex nomine consulum ordinariorum.

Servum & inimicum] Hae voces mihi suspectae sunt.

IN EPISTOLAM XIX.

Exulto] Lucilio suadet, non ut in latebras & solitudinem, sed ut, relictis curis & inanibus honorum titulis, in otium se conferat.

In ipso equuleo] Id est, ut opinor, cum ipsa sua felicitate torqueretur. Fortasis etiam *in equuleo* eum fuisse dicit toto illo triennio ante mortem, quo dormire nunquam potuit.

In aspero & probo] *Asperi* numi sunt recentes. ve-

Digitized by Google

teres enim longo usu deteri ac levari solent. Urbane igitur dictum Maecenatis, quod modo attulerat, quasi numum asperum ac probum esse ait: quem tamen non sperat fore, ut Lucilius in solutum accipiat: sed aliquam verustiorem sententiam postulet pro solito epistolae epimetro. Subjicit igitur aliam ab Epicuro. Quod hic somniavit Erasmus de Aspero & Probo grammaticis, ita ineptum est, ut laboraturus sit, si quis velit quidquam ineptius excogitare.

IN EPISTOLAM XX.

Si vales] Re & vita, non verbis philosophandum: & contemnendam paupertatem ei qui serio philosophari velit.

Juvenem otiosorum aures] Quis putasset quenquam usque eo stultum fore, ut hoc loco, pro *otiosorum*, legeret *occisorum*? & tamen ea scriptura omnes libros occuparat.

IN EPISTOLAM XXI.

Cum istis] Non esse timendam obscuritatem iis qui relictis speciosis honorum titulis, ad philosophandum se conferunt. Famam enim & duraturam ad posteros gloriam nulla re magis, quam scriptis & familiaritate eruditorum hominum comparari. Adjicit ex Epicuro, quanti momenti sit in omnem vitam terminatas habere cupiditates.

Si vis Pythoclea] Ipsa Epicuri verba haec sunt: Εἰ βούλῃ πλούσιον ποιῆσαι, μὴ χρημάτων αὔξησιν, ἀλλὰ ἐπιθυμίας ἀφαίρει.

IN EPISTOLAM XXII.

Jam intelligis] Quomodo expedire & explicare se debeat is qui multorum negotiorum procuratione districtus est, cum se ad philosophiam conferre meditatur.

IN EPISTOLAM XXIII.

Putas me tibi scripturum] Solum sapientem vero ac solido gaudio frui. Plerosque homines ante vivere desinere, quam inceperint.

IN

Digitized by Google

IN EPISTOLAM XXIV.

Sollicitum te esse scribis] Praeclara epistola, qua Lucilio eventum judicii cujusdam metuenti, primum ostendit, quam stultum sit, torquere se expectatione ejus rei, quae an eventura sit nescias. Deinde ostendit efficacissima remedia adversus ea omnia, quorum expectatione homines perterrefieri solent.

Timorem tuum taxa] Aestima, adhibito judicio, quanti sit id quod metuis.

Quam ut pereat?] Hic oscitantia(*) librariorum, omissae sunt aliquot voces. Legendum enim hoc modo: *quam ut uratur? quam ut pendeat?*

Excarnificandi particulatim hominis?] In aliis quibusdam libris, *artículatim*. Utra verior scriptura sit, haud facile dixerim.

Levis est, si ferre possum] E nartheciis Epicuri sumptum: *Si gravis, brevis; longus, si levis.* Epicurus autem ex illo Aeschyli sumpserat:

Θάρσει· πόνου γὰρ ἄκρον, οὐκ ἴσχει χρόνον.

Confide: summus non habet tempus dolor.

Quotidie morimur] Saepe tractatur hic locus a Seneca. Tractatur & a Plutarcho pereleganter in libro τῷ Ε τῷ ἐν Δελφοῖς: cujus verba adscribam: Ἀλλ' ἡμεῖς ἵνα φοβούμεθα γιλοίως ἀποθανεῖν, ἂν πανύστατος πνευσόμενος, τὴν ἡμέραν πᾶσαν. ὁ γὰρ χρόνος, ὡς Ἡράκλειτος ἔλεγε, παῖς ἐστὶν, παίζων, ἀεὶ χρώμενος, τὴν βασιλείαν ἔχων· ἀλλ' ἐν ἀνθρώποις ἄλλος ἄλλου φαίνεται μὲν ἀμφίζων, γενόμενος γέρων. ἐφθὲς δὲ ὁ νέος ὡς τὸν ἀμφίζωνα· τὴν δ' ὁ παῖς ὡς τὸν νέον, ὡς δὲ τὸν παῖδα τὸ βρέφος· ὃ, τι χθὲς ὡς τὸν σήμερον πέπνυται, ὁ δὲ σήμερον ὡς τὸν αὔριον ἀνοήτους.

Mors non una venit] Alii, *Mors non ultima venit:* quo modo & sententia corrumpebatur, & versus.

Objurgat Epicurus] Ab hac disciplina fortasis duxit Mart. hoc praeceptum:

Summum ne metuas diem, nec optes.

Timore mortis cogantur ad mortem] Idem Mart.

Ho-

(*) *Oscitantia* vocabulum Latinis haud usitatum.

Digitized by Google

Hostem dum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic rogo, non furor est ne moriare, mori?

Quosque eadem?] Hanc ipse alibi *vocem rabidarum deliciarum* vocat. *Sunt quos vitae taedium ac fastidium capiat: cum omnia perpetuo tanquam in orbem volvi, & alia aliis succedere videant. Varietatem requirere se ajunt: sine qua molesta & insuavia sunt omnia.* Extat inter τοὺς νεκρικοὺς Samosatensis sophistae, dialogus quidam Chironis & Menippi, qui mihi valde videtur huc pertinere.

Diem nox premit] Horat.

Truditur dies die:
Novaeque pergunt interire lunae.

IN EPISTOLAM XXV.

Quod ad duos amicos] Duorum Lucilii amicorum, unius adolescentis, alterius senioris, non idem ingenium esse ait, neque eandem rationem utriusque corrigendi. Tum ex Epicuri schola sumit, quo cohortetur Lucilium, ut naturae praescripto parens, assuescat paulo esse contentus. Addit ex eodem, omnia proficienti, tanquam sub oculis gravis alicujus & severi viri, agenda esse.

Tenera finguntur] Horat.

Fingit equum tenera docilem cervice magister.

& Plato ait juvenes κηρίνους εἶναι.

Panem & aquam] Euripides:

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς πώματος θ' ὑδρηχόου;

Cum ipso Jove] Sic epistola 110. *Habeamus aquam, habeamus polentam. Jove ipsi de felicitate controversiam faciamus.* Epicurus ipse apud Laërtium: καὶ μόζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν. Stobaeus: Ἐπίκουρος ὁ Γαργήττιος κέκραγε λέγων, Ὧι ὀλίγον οὐχ ἱκανὸν, τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν. ἔλεγε δὲ ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διὶ ὑπὲρ εὐδαιμονίας ἀγωνίζεσθαι, μάζαν ἔχων καὶ ὕδωρ.

IN

IN EPISTOLAM XXVI.

Modo dicebam tibi] Decrepitum jam esse se, non senem: & vigere tamen animo, neque ullo mortis metu teneri.

IN EPISTOLAM XXVII.

Tu me, inquis, mones.] Ferendus non videtur, qui ea vitia in aliis reprehendit, quibus & ipse obnoxius est: & ut Graeci proverbio dicunt, *Aliis medetur, ulceribus ipsus scatens.* Ne igitur in hanc reprehensionem incurrat Seneca, neve nimium sibi sumat, si se jam a vitiis liberum profiteatur: ait se non ut medicum agere cum Lucilio, sed cum eo de communibus morbis loqui, & remedia, si qua habet, cum illo communicare. Inserit historiam longe jucundissimam de Calvisio quodam Sabino: & ad finem addit ex more dictum Epicuri.

Quam paedagogos nostros novimus) Nos; qui jam senes sumus, quibus omnis paedagogorum memoria excidit.

IN EPISTOLAM XXVIII.

Hoc tibi soli] Nihil adjuvari mutatione regionum eos, qui secum vitia sua circumferunt. Hoc praeceptum saepe inculcat Horat. Addit in fine egregiam Epicuri sententiam.

Animum debes mutare, non caelum] Horat.

Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Graeci hoc suavius: τὸν τόπον, ἀ τὸν αχέτον.

Bene vivere omni loco positum] Horat.

navibus atque
Quadrigis petimus bene vivere. quod petis, hic est,
Est Ulubris. animus si te non deficit aequus.

IN EPISTOLAM XXIX.

De Marcellino nostro] Marcellinum, hominem ingeniosum & urbanum, non esse quidem facilem ad corrigendum: neque dum tamen se de illo omnem spem abjecisse, & tentaturum omnia. Addit ad finem dictum Epi-

Digitized by Google

curi, non esse optandum philosophanti, ut populo placeat.

Ad edendas operas] Quasi de liberto, auctoratove aliquo locutus est.

Et acerrime rabere] Ita plane legendum, non, ut Erasmus inepte voluerat, *rudere*. De hoc autem verbo dixi cap. 19. lib. 9. Variarum lectionum.

Unde quo] ἐξ οἵων εἰς οἷα, ut dicebat Iphicrates.

Popularis favor] Etiam in levioribus artificiis, placere populo, signum olim habitum esse κακοτεχνίας, scribit Athenaeus.

IN EPISTOLAM XXX.

Bassum Aufidium] Bassum scribit, quasso quidem corpore, sed firmo tamen animo, mortis appropinquantis metu nullo affici. Inde sumpta occasione, de contemptu mortis, & quomodo se quisque ad eam parare debeat, disserit.

Et componere] Verbum usitatum in mortuis. Horat.

Omnes composui felices. nunc ego resto. Confice.

Septimo spatio] Septies enim currebant. Propert.

Septima quam metam triverit ante rota.

IN EPISTOLAM XXXI.

Agnosco Lucilium meum] Solam virtutem bonum esse.

Vinci ac strigare] *Strigare* est dare aliquid spatii equis in superando clivo ad interquiescendum ac recipiendum spiritum.

Nihil sine aëre frigidum] Haec sententia Stoicorum erat, omnium corporum aëra frigidissimum esse. Vide Plutarchum περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ. Balbus apud Ciceronem secundo de natura deorum: *ipse vero aër, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris.* Quo in loco operae pretium est cognoscere Lambini temeritatem, vel exempli caussa, ut intelligatur, quantum ei fidei haberi debeat. Qui, cum in omnibus libris constantissime ita scriptum videret, ignoraretque illam quam dico, Stoicorum sententiam, deleta voce *frigidus*, substituit *humidus*, & in notis suis ita scripsit: *Sic legendum est, vel li-*

libris omnibus invitis (mirum quin dixerit, ipso Cicerone invito: aut, ipsa veritate reclamante) *non ut habent, frigidus* Eant (*) nunc qui negant, multum huic homini debere Ciceronem. Non enim hoc tantum loco, sed innumerabilibus aliis eandem illi operam invitis omnibus libris praestitit.

Laborem si non recuses, parum est. posce] Mirifici homines sumus, quicunque corrigendis veterum libris operam damus. Quod damnamus in aliis, ipsi saepe numero admittimus Ne longius abeamus: ego ipse qui modo correctorem Ciceronis reprehendebam, eidem culpae affinis deprehendor. Certe enim in omnibus, quos vidi, libris, scriptum erat, *Laborem si non recuses, parum est posse.* Vapulemus igitur ambo, si ambo deliquimus.

Deus ille maximus potentissimusque ipse vehit omnia] Licas, hunc hominem legisse id quod de Deo in sacris litteris scriptum est, *Portans omnia verbo virtutis suae.*

IN EPISTOLAM XXXIII.

Odorifera] Est qui legat, *oculifera*: idque se ex libro vetere facere dicat Non damno.

IN EPISTOLAM XXXV.

Propera ad me] In aliis, *propterea ad me.* Conjecturam meam veterem libri veteris auctoritas comprobavit.

IN EPISTOLAM XXXVI.

Amicum tuum] Adolescens quidam, Lucilii, ut videtur, hortatu, sese ad philosophiae studium contulerat: quo nomine reprehendebatur a multis: ut semper optima quaeque plurimis displicent. Monet Lucilium, quemadmodum illum adducere debeat ad contemnendas ejusmodi stultas reprehensiones, & ad id quod suscepit, urgendum. *Ari-*

(*) Vide, livor & odium quantam caliginem hominum animis offundant. Nostra aetate qui hac de re judicare possent, Faccioladus & Ernestus, non solum Lambinianam Ciceronis Editionem unice probarunt, sed praeterea sic statuerunt, doctam & sollertem Lambini audaciam plus, quam aliorum inertem modestiam, Ciceroni profuisse.

Digitized by Google

Ariſton ajebat] Simillimum huïc Attii poëtae dictum extat libro 12. noctium Atticarum, cap 11.

Perbibere] Verbum Horatianum: *Nunc perbibe puro*

Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.

Veniet iterum qui nos in lucem reponat dies] Stulta opinio, quae tamen illis temporibus multorum animos occuparat. Saepe fuisſe nos in hac vita: ſed oblitos eſſe: redituros eosdem poſt aliquot annorum millia: ſed rurſus omnium oblitos: idque ſaepius factum eſſe: ſaepius factum iri. Haec admonere nos debent, quantopere avii ferantur a vero homines ſummis ingeniis praediti, niſi aura eis divinae lucis affulſerit. Magna gratia praepotenti Deo, qui nos a talium errorum caligine per filium liberavit.

IN EPISTOLAM XXXVII.

Uri virgis, ferroque necari] Verba erant eorum qui in magiſtrorum, id eſt, laniſtarum verba jurabant, ſeque eis auctorabant. Horatius:

Quid refert, uri virgis, ferroque necari?
Auctoratus eas.

IN EPISTOLAM XXXIX.

Qui notorem dat] *Notorem* dicit, quem uſitatius dicimus *cognitorem*. Petronius: *At ego ne mea quidem veſtimenta ab officio recepiſſem, niſi notorem dediſſem.*

IN EPISTOLAM XL.

Quod frequenter] De Serapione quodam pſeudophiloſopho ſcribit: qui quaſi conciones habebat ad populum, in quibus nihil aeque cavebat, quam ne usquam haeſitare atque inſiſtere videretur. Provolvebat verba nusquam interrupto impetu, non illud laborans, ut qui audiebant, meliores fierent, ſed ut ipſe promptus in dicendo ac copioſus haberetur. Tale diſputandi genus ait circulatoribus magis quam philoſophis convenire. Hujus ipſius vitii exempla, vel maxime illuſtria, notavi in quibusdam maximarum rerum ad populum interpretibus: quorum oratio

Digitized by Google

tio, quae, non compta ac calamiſtrata, ſed gravitatis, auctoritatis, majeſtatis ac ſanctimoniae plena eſſe deberet, tota papavere ac ſeſamo ſparſa eſt, & ex mellitis verborum contexta globulis: ita ut ad eos, non tanquam ad vitae magiſtros, aut vitiorum correctores, ſed tanquam ad comoedos aut hiſtriones eatur. Stant illi: & cum frontem bis terve perfricuerunt, barbamque permulſerunt, hiante & mirificum aliquid ac θεσπίσιον expectante plebe; plebis autem nomine etiam quosdam ex optime veſtitis comprehendo; laxant habenas linguae, & ſimiliter cadentia, ſimiliterque deſinentia coacervantes, paria paribus, contraria contrariis opponentes, multa etiam ſemel ſuo ordine dicta, ſurſum verſum aut alias (*) variato ordine repetentes: eaque in re memoriam pueriliter oſtentantes, atque haec ſaltatricularum in morem, geſticulatoriis neque unquam quietis manibus adjuvantes, argute multa, multa quibus riſum excutiant, dicunt: nunquam interim aut ſibi aut auditoribus reſpirandi facultate permiſſa: quibus omnibus rebus admirationem imperitis, cordatis & intelligentibus, nauſeam ac ſtomachum commovent. Hos igitur novos Serapiones cuperem hanc epiſtolam cum cura legere, & inſpicere, num cui vitio affines ſint eorum quae hic a Seneca reprehenduntur. Profuerit eisdem legere & ea, quae ſuper eadem re, apud ſcriptorem Noctium Atticarum a Muſonio diſputantur: quae & ipſa ſubjiciam. *Muſonium*, inquit, *philoſophum ſolitum dicere accepimus: Cum philoſophus hortatur, monet, ſuadet, objurgat, aliudve quid diſciplinarum diſſerit: tum qui audiunt, ſi de ſummo & ſoluto pectore obvias vulgatasque laudes effutiunt, ſi clamitant etiam, ſi geſtiunt, ſi vocum ejus feſtivitatibus, ſi modulis verborum, ſi quibusdam quaſi frequentamentis orationis moventur, exagitantur, & geſtiunt: tum ſcias, & qui dicit, & qui audit, fruſtra eſſe: neque illic philoſophum loqui, ſed tibicinem canere. Animus, inquit, audientis philoſophum, ſi, quae dicuntur, utilia ac ſalubria ſunt, quaeque & errorum atque vitiorum medicinas ferunt, laxamentum atque otium prolixe laudandi non habet. Quisquis ille eſt qui audit, niſi ille eſt plane deperditus, inter ipſam philoſophi orationem & perhorreſcat neceſſe eſt, & pudeat tacitus,*

(*) *Alias* apud bonos ſcriptores pro alio tempore dicitur, non pro alio modo, vel aliter.

tus, & poeniteat, & gaudeat, & admiretur: varios adeo vultus diſparilesque ſenſus gerat, perinde ut eum conſcientiamque ejus affecerit utrarumque animi partium aut ſincerarum aut aegrarum philoſophi pertractatio.

Namque echerii] Emendavi, *Nam Q. Haterii.* De hoc autem vide praefationem patris Senecae in quartum librum declamationum.

Nos etiam cum ſcribimus] Omnia ſcribebant veteres iis litterarum formis, quas hodie majuſculas vocamus. Neque ulla fere erant inter ſingulas voces intervalla. Punctis interjectis vocem a voce diſtinguebant, hoc modo: QUAMQUAM. TE. MARCE FILI.

IN EPISTOLAM XLI.

Facis rem optimam] In omnibus bonis viris quiddam ineſſe divini. Hominem ſuis ac propriis bonis, non externis, aeſtimandum eſſe.

Quam ſtultum eſt optare] Impietatis & ſtultitiae plena haec ſententia Stoicorum fuit. Audiebant ſummo omnium gentium conſenſu deos bonorum datores vocari. Ipſi autem praeter virtutem, bonam mentem, rationem perfectam, & talia, nihil in bonis habendum eſſe ducebant: & ea divinitus dari negabant. ſibi ea quemque ſuis viribus parare dicebant. Itaque ſi ſibi conſtare vellent, deos nullius boni datores eſſe dicerent, neceſſe erat. Dari quidem ab eis ea quae ipſi praepoſita aut producta vocarent; opes, imperia, vires corporis, & ſimilia: vera bona non dari. Hac ſtultitia imbutus Horatius, ita cecinit:

Haec ſatis eſt orare Jovem, qui donat & aufert:
Det vitam, det opes: aequum mi animum ipſe parabo.

Immo vero, nugator, iſte aequus animus vel maximum Dei donum eſt: neque obtingere tibi, niſi divino beneficio, poteſt. Nobis certum atque exploratum eſt, fontem eſſe omnium bonorum Deum. Hic ipſe philoſophus, tanta vis veritatis eſt, fatetur paulo poſt, a Deo dari magnifica & erecta conſilia: neque poſſe quenquam, niſi ab eo adjutum, ſupra fortunam exſurgere.

Quis Deus incertum eſt] Verſus e Metamorphoſi Ovidiana.

IN EPISTOLAM XLII.

Jam tibi] Non facile credendum, quenquam virum bo-

Digitized by Google

bonum esse. Multis ad malefaciendum non animum deesse, sed vires.

IN EPISTOLAM XLV.

Librorum] Libris non multis opus esse, sed bonis: & in studiis non subtilia quaerenda esse, sed utilia.

Praestigiatorum acetabula & calculi] Hi sunt quos Graeci *psephopaectas* vocant, frequentissimum etiam hodie circulatorum genus, qui celeritate quadam ac dexteritate manuum, e pluribus acetabulis, quae in mensa exponunt, efficiunt, ut quos calculos sub uno ab eis conditos putares, eos statim sub alio ostendant: ita ut calculi illi ex uno acetabulo in aliud transisse videantur. Quod autem Seneca cum eorum ludo dialecticorum argutas ineptias comparat, Arcesilai est. Is enim dicebat, τὰς διαλεκτικὰς ἐοικέναι τοῖς ψηφοπαίκταις, οἵτινες ζαρεύοντας παραλογίζονται. Stobaeus λόγα π'.

Perdidi usum] Neque enim amplius delectat, cum, quomodo fiat, intelligimus.

Et hoc solum curantibus, non & hoc] Id est, nihil fere aliud curantibus, quam molestissimos & spinosissimos syllogismos ex repugnantibus: qui fere ita conformari solent: Non & hoc & illud. Hoc autem est. Non igitur illud.

IN EPISTOLAM XLVII.

Libenter] Reprehendit quorundam superbiam in servos: & Lucilium laudat, quod cum suis familiariter vivat. Multa ex hac epistola impudenter compilavit Macrobius libro primo Saturnaliorum. Quanto autem majore odio digni sunt, qui hodie ingenuis hominibus non aliter utuntur ac servis?

Sic fit, ut isti de domino loquantur] Neque ullam majorem voluptatem capiant, quam cum eis absentibus aut male dicunt, aut male precantur. ut ille in vetere comoedia:

— μάλα γ' ἐποπτεύειν δοκῶ,
Ὅταν καταράσωμαι λάθρα τῷ δεσπότῃ.

Totidem esse hostes quot servos] Catonis est.

Cal-

Digitized by Google

Callisti] Hic Claudii libertus erat. *Dominum* autem dicit, non Claudium, sed priorem.

IN EPISTOLAM XLVIII.

Ad epistolam] Hanc epistolam lacerarant in duas, & posterioris principium fecerant ab illis verbis: *Mus syllaba est*. ego rursus membra divulsa conjunxi.

Alium paupertas urit] In aliis, *Alium mors vocat, alium paupertas urit*. Inepte. neque enim quidquam est, quod respondeat illi membro, *Alium mors vocat*: neque vero esse quidquam potest. Non enim vocat mors τὸ μὲν, τὸ δ' οὔ: sed omnes ex aequo. Est autem operae scire, quomodo locus hic corruptus fuerit: ut si qua similia inciderint, facilius animadvertantur. Librarius, aliud agens, ita scripserat; *Alium mors, alium paupertas urit*. deinde cum videret, duas illas voces, *Alium mors*, vacare: neque tamen eas delere vellet: sedulo enim cavebant, nè quid, quod scripsissent, delerent: addidit notulam, & ad marginem scripsit, *Vacat*. quo significaret, illud *Alium mors*, vacare ac redundare. Secuti alii stultiores librarii non tantum duas illas supervacaneas voces retinuerunt, sed ex illo *Vacat*, quod erat ad marginem, fecerunt *Vocat*. Ita duplicatus & propagatus error. Peccata in hoc genere in scriptis veterum multa reperiet, si quis paulo attentius considerabit.

IN EPISTOLAM XLIX.

Est quidem] In tanta brevitate vitae, totum tempus, omissis inutilibus, ad utilia conferendum.

Admoveri lineas] Id est, me ad finem ipsum propius accedere, sumptum a ludo duodecim sive scriptorum sive scruporum. ubi enim alter collusorum ad ultimam lineam, quae & *hiera*, id est, sacra dicebatur, calculos suos promoverat, necesse erat ludum finiri, & eum vinci, cui jam quo proferret ulterius non erat. Quodsi idem utrique contigerat, dicebatur *hieran facere*: & tunc neutrius victoria erat. Ab eodem ludo sumptum est illud Horatii,

Mors ultima linea rerum est.

Plu-

Plutarchus: τελευταίαν ὥσπερ τὴν ἀφ' ἱερᾶς, ἐπάγουσιν ἡμῖν τὸ γῆρας. intelligit enim τὴν ψῆφον τὴν ἀφ' ἱερᾶς γραμμῆς. In ludo astragalorum ἱερὰ γραμμὴ vocabatur media ex quinque: qua de re vide Pollucem lib. 9.

Veritatis simplex oratio est] Euripideum:

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.

IN EPISTOLAM L.

Epistolam tuam] Peccare in eo plerosque homines, quod vitia sua rebus adscribunt. Tenera facilius quidem corrigi: sed tamen inveterata quoque pertinaci studio emendari: juxta illud Horatii:

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
Si modo culturae patientem commodet aurem.

Harpasten] Simile quiddam notavi in amico quodam meo, homine eruditissimo: qui cum aetate, est enim octogenario major, surdaster effectus sit: hoc tamen in se vitium non agnoscit: sed vere ac serio conqueritur, pessimam consuetudinem invaluisse: homines multo summissius loqui, quam solebant, ita ut videantur vereri, ne intelligantur.

Non dediscitur virtus] Dogma Stoicum, virtutem non amitti: de quo, alio loco fortassis pluribus disseremus.

IN EPISTOLAM LI.

Quomodo] Vitanda esse ea loca in quibus periculum est, ne animi enerventur, & effeminentur.

Canopum] Et tota Aegyptus, & in ea praecipue Canopus, omnium libidinum atque impuritatum domicilium fuit. Audiebantur illic noctes & dies turpissimi & obscaenissimi cantus virorum & mulierum, qui quasi initiandi caussa, eo ex Alexandrea per fossam lintribus vehebantur. Strabo: Ἀντὶ πάντων δ' ἐστὶν ὁ τῶν πανηγυριστῶν ὄχλος, τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας κατιόντων τῇ διώρυγι. πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ πᾶσα νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων ἀνέδην μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. *Canopum*, an *Canobum* dicas, nihil interest.

Vim Hannibalis hibernæ fregerunt] Ita conjeci legendum, cum in aliis esset, *vina Hannibalem hyberna fregerunt*.

Philetas] Quasi tu dicas, bafiatores. Male alii, *Philistas*.

IN EPISTOLAM LIIII.

Memor artificii mei veteris] Solebat enim frigida lavari: & alicubi ait, se quotannis Kalendis Januarii ipsis solere in aquam virginem desilire.

Est aliquid quo sapiens antecedat deum] Impia & intolerabilis arrogantia Stoicorum: qui non satis esse ducebant, sapientem suum cum Deo ex aequo componere, nisi etiam anteponerent.

IN EPISTOLAM LV.

Longum mihi] Ait se asthmate, quo crebro laborabat, mortis admoneri: eam autem a se negligi.

Antequam nascerer] Sic & Seneca tragicus:

> *Quaeris, quo jaceas post obitum loco?*
> *Quo non natus jacent.*

Sed multo satius est timere mortem, quam tam impia opinione metum ipsius discutere. Quid autem est, quod se hic Seneca innixi putare, nihil ex homine superesse post mortem: cum alibi tam aperte profiteatur, bonorum virorum animos, morte obita, in caelum ferri, atque illic beatissime vivere? Nimirum certum ac stabile esse nihil potest, nisi quod vero ac solido fundamento nititur: ideoque semper veterum philosophorum, de Deo, de animorum immortalitate, & similibus judicia fluctuarunt. Socrates ipse, paulo post moriturus, de animorum immortalitate dubitabat. Magnum igitur in nos ac singulare beneficium Dei, qui harum rerum veritatem ipsius aeternae veritatis voce nobis patefacere dignatus est.

Illum tu lauda] Haec non cohaerent cum superioribus: ita ut multa deesse constet.

IN

IN EPISTOLAM LVII.

Peream] Nimis delicatos esse, qui, nisi in altissimo silentio, operam studiis posse a se duri negant. Interdum autem non tam externa nobis, quam ipsum sibi animum obstrepere, cui nisi placato ac composito, vera contingere tranquillitas non potest.

Pilicrepus] Qui pilas crepan, aut crepante pila lusitat: quod facere solebant paulo ante balneum, vel dum hypocausta & sudationes calescerent: qui si plures quam essent manus & vices numerarat, maximus excitabatur clamor ab adversariis. Ita Turnebus cap. 4. lib. 7. Adversariorum. At Mercurialis *pilicrepos* fuisse ait, qui sphaeris pice oblitis curabant, ne ignis balneorum extingueretur. *inica.*

Scordalum] Vide Turnebum eo ipso, quem modo citavi, loco.

Furem] Balnearium.

Alipilum] Eum qui alas vellit ac depilat.

Alium pro se] Eum cui vellit alas.

Cum Chrysippum nostrum] Tales videlicet salutatores fuisse oportet, quales Sebosum & Arrium describit Cicero libro secundo epistolarum ad Atticum.

Cuidam genti] Vide hunc ipsum cap. 2. lib. 4. Naturalium quaestionum.

Metam sudantem] In decima regione Urbis erat: quam vocabant *templum Pacis*.

IN EPISTOLAM LVIII.

A ceromate nos haphe excepit] Utrumque ab athletis sumpsit. *Cerema* unguentum est e cera. *haphe*, pulvis quo inspergebantur luctaturi.

IN EPISTOLAM LIX.

Quanta verborum] Primum ostendit, magnam esse Latini sermonis egestatem. Deinde docet, bona inepte facere, qui linguam per se inopem contrahere potius, quam amplificare, nituntur. Tum ingreditur ad id ex quo ei hujus conquestionis nata occasio est: & Platonica quaedam de ente, de essentia, de genere, ac specie & idea expli-

cans, oſtendit, multa nova vocabula neceſsario procudenda eſſe ei qui de philoſophia Latine diſſerere inſtituit. Poſtremo demonſtrat, ex iis quoque diſputationibus, quae non alio referri ac dirigi quam ad acuendum & exercendum ingenium videntur, aliquid tamen, quod ad inſtituendam vitam moresque formandos pertineat, elici poſſe.

Paupertas, immo egeſtas] Plus eſt *egeſtas*, quam *paupertas*. Sic epiſtola 17. *Non eſt quod paupertas nos a philoſophia revocet: ne egeſtas quidem.* Martialis:

Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

Lucretius:

Propter egeſtatem linguae & rerum novitatem.

Et cernere ferro] Hanc ſcripturam & agnoſcit & confirmat Servius. Sunt tamen qui ex veteribus libris contendant legendum *decernere*. At Servius poſteritatem hoc modo legere coepiſſe ait. Et deſipit, ſi quis plus tribuit ulli libro, qui hodie reperiatur, quam aut Servii teſtimonio, aut Senecae.

Eſſentiam dicere] Primus, ut opinor, hunc locum emendavi: cum ante me alii omnes nullo ſenſu legerent: *quid ſentiam dicere*. Vide quae ſcripſi capite ultimo lib. XV. Variarum lectionum.

Etiam ad noſtrum faſtidium] Jam enim plerique nonnulla Ciceronis, ut parum nitida & parum expolita, faſtidiebant. idque & ex multis Senecae locis, & ex dialogo de oratoribus, qui Tacito tribuitur, facile perſpici poteſt.

Uſia] Stulte putavit Perionius, pro *uſia* dici poſſe *natura*. Neque nego eſſe quaedam, in quibus huic interpretationi locus eſſe poſſit. Sed certe aliter dicenda eſt in diſputationibus philoſophicis οὐσία, & aliter φύσις. Neque ſatis aptum eſt, quod in ſcholis tritum eſt, *ſubſtantia*. Ubi enim haec fabriliter diſtinguenda ſunt, aliud eſt ὑπόστασις, & aliud οὐσία: aliud οὐσία, aliud ὑπάρχον. *Subſtantia* autem eſt ὑπόστασις. Denique οὐσία nullo modo melius Latine dici poteſt quam *eſſentia*.

Τὸ ὄν] Ut *eſſentiae*, ſic *entis* nomine uti neceſſe habent, qui Latine philoſophari volunt. Neque vero ita de-

defungi queunt, ut pro *ente* dicant *id quod est:* alioqui in magnas saepenumero se induent difficultates. Idem accidit iis qui *possibile* & *impossibile* dicere, saltem in disputationibus philosophicis, reformidant: cum Plato, Aristoteles, Epicurus, Zeno in lingua infinitis partibus copiosiore innumerabilia tamen vocabula fingere necesse habuerint. Equidem, ut de meo sensu libere atque ingenue fatear, multa puto ab istis delicatis in S. Thoma, in Johanne Scoto, aliisque ejusmodi eruditissimis hominibus irrideri, quae & necessaria sunt, & talia, ut si quis ea vetustis illis temporibus protulisset, magnam ei gratiam omnes philosophiae studiosi habituri fuisse videantur. Nos dum teneris auribus videri volumus, tenera nobis ac puerilia esse ingenia, neque verae ac solidae eruditionis capacia, ostendimus.

Illud cui nomen] Facit *ens* genus, quod dividatur in corporale & incorporale. Accipit igitur *ens* pro *essentia*. Nam *entis* quidem longe aliae sunt & apud Platonem & apud Aristotelem divisiones.

Hoc ergo genus est primum] Γενικώτατον. at speciale, ὁ γένος ὄν, εἶδος εἶναι δύναται. ὑπάλληλον Peripatetici vocant.

Homo genus est] Immo vero εἶδος εἰδικώτατον. Neque sunt hae diversae hominum species, Graecus, Romanus, Parthus: aut albus, niger, flavus, neque singuli homines specie, sed numero tantum, differunt. Ac fatendum est, esse in his Senecam paulo crassiorem. Nondum valde manibus hominum terebantur Aristotelis scripta, e quibus solis accurata & exquisita harum rerum tractatio peti poterat.

Stoici volunt superponere] Notandum est voluisse Stoicos, esse aliud quoddam genus ipso ente superius.

Primum genus Stoicis quibusdam videtur. sed quare videatur subjiciam] Post verbum *videtur*, deest nomen ejus generis, quod quidam e Stoicis ipso ente superius esse volebant. Quodnam autem id fuisse dicemus? Divinare difficile est. Neque sane ejusmodi res est, in qua pervestiganda torquere se quisquam diutius debeat. Proponam tamen conjecturam meam: ut de ea ab aliis judicetur. Suspicor igitur, genus illud ente superius fuisse τὸ τί: id est, *aliquid:* atque ita Stoicos illos dixisse: esse aliquid ὄντως ὄν, id est, quod re vera esset: aliquid autem, quod re vera quidem non esset, sed animo tamen ac co-

gitatione informaretur: quales sunt centauri, tragelaphi, chimaerae, & similia. Dividi igitur τὸ τι καὶ εἰς τὸ ὂν καὶ εἰς τὸ μὴ ὄν: atque ita esse superius: quoniam & entia complectitur & non entia. In hanc suspicionem adducor ex loco quodam Platonis in Sophista, ubi quiddam ab hoc non valde abhorrens dicere videtur. Sed haec conjectura modo est: de qua quisque, ut volet, judicabit.

Commodum haec scripseram, cum ad me, tanquam caelo delapsus, homo & nobilitate generis, & multarum rerum cognitione, & virtute praestans, Antonius Franciscus Neapolites Panormitanus, summus amicus meus, venit: quem ego hos totos octo annos non videram. Is post illa communia, quae in amicis, quos longo intervallo videmus, usitata sunt, Affero, inquit, tibi libros veteres duos, in quibus pleraque Senecae scripta sunt: quibus tu, cui ejus scriptoris editionem jam in manibus esse audio, arbitratu tuo utaris licet. Tu vero, inquam, etsi adventus tuus mihi per se jucundissimus est, nihil, quo is gratior ac jucundior fieret, adferre potuisti. Sed sunt ne in eis epistolae ad Lucilium? Sunt, inquit. Quaeso igitur, inspiciamus, ecquid tuus iste liber adimere mihi molestissimum scrupulum, quo nunc cum maxime torqueor, possit. Nec mora: hunc ipsum locum inspeximus: eumque in veteribus illis membranis ita scriptum deprehendimus: *Primum genus Stoicis quibusdam videtur quiddam. quare videatur subjiciam.* quae scriptura & perspicue vera est, & conjecturam illam meam non absurdam neque alienam fuisse demonstrat.

Nunc ad id] Ait, apud Platonem *ens* sex modis dici. Uno modo ens est τὰ κρατεῖν. id est, quod sub sensum non cadit, sed mente tantum ac cogitatione comprehenditur. Secundo ens vocatur id quod supra alia omnia entia est, ἐπέκεινα τοῦ ὄντος, οὐσίαν αὐτὸ τἄλλα πάντα, i. Deus. Solus enim Deus vere est πηγὴ πάσης τῆς οὐσίας. Itaque ipse de se in libris divinis: *Ego sum qui sum.* Tertio entia vocantur Ideae. Quarto τὰ εἴδη. Quinto ea quae etiam vulgo esse dicuntur: id est, ea quae cernimus ac tangimus. Sexto ea quae non sunt, sed quasi sunt, ut inane, ut tempus, ut motus. Haec duo postrema genera non satis proprie esse dicuntur.

Videtur autem species ejus] Immo ne equus quidem, aut canis videtur, sed hic equus, & hic canis.

Poëta]

Poëta] Εἰωθώτων τῶν ἀνθρώπων, ait Galenus, τὰ πρωτεύοντα τῶν ἐν τῷ γένει, τῷ τοῦ γένους προσαγορεύειν ὀνόματι. Cicero in Topicis: *Homerus, propter excellentiam, commune poëtarum nomen effecit apud Graecos suum.* Plutarchus in Symposiacis: πολλῶν ὄντων ποιητῶν, ἕνα τὸν κράτιστον ἐξαιρέτως ποιητὴν καλοῦμεν.

Quae proprie sunt] Plato in Timaeo ait, ideas nunquam fieri, semper esse: corporea autem omnia nunquam esse, semper fieri.

Omnia quae fiunt] Liber vetus Siculus, *omnia quae videmus fiunt.*

Quodcunque fieri] Idem liber, *quicquid fieri.*

Ante opus] Idea est, τὸ καθόλου τὸ πρὸ τῶν πολλῶν. εἶδος τὸ καθόλου τὸ ἐπὶ πολλῶν.

In idem flumen] Plato Cratylo: Λέγει ποῦ Ἡράκλειτος, ὅτι πάντα ῥεῖ, καὶ οὐδὲν μένει. καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα, λέγει, ὡς δὶς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης.

Vis tu timere] Liber Siculus, *vis tu non timere:* quod mihi melius & bene Latine loquentium consuetudini congruentius videtur.

Invenies] Liber Siculus, *sumes.*

Ex omni vacatione] Puto legendum, *ex omni tractatione.*

A philosophia] Morali. hanc enim ἐξαιρέτως philosophiam vocant.

Nihil horum stabile, nec solidum] Idem liber, *nihil horum stabile, nihil solidum.*

In sublime] Idem, *in sublimi.*

Quia materia prohibebat] Impie stulta veterum opinio, Deum voluisse quidem a primo omnia immortalia facere, sed non potuisse, propter materiae vitium. Quasi non, ut cetera omnia, ita materiam condiderit ac procrearit Deus. Recte Lactantius: *Idem materiae fictor est, qui & rerum materia constantium.*

Contemnamus omnia] Primum praeceptum, quod e superiori disputatione ducitur. Ea quibus homines vulgo superbiunt, aurum, gemmae, possessiones, non modo magni pretii non sunt, sed ne sunt quidem: ut Platoni videtur. Contemnenda igitur sunt: solaque immortalia & aeterna curanda.

Illud simul cogitemus] Alterum praeceptum. Mundus per se caducus est: sed Dei providentia conservatur. Ergo

IN EPISTOLAM LXVI.

Claranum] Primum Clarani exemplo, qui & senex erat & deformi ac distorto corpore, docet, satis magnum esse ipsius per se virtutis decorem: neque eam aut pulchritudine corporis cohonestari, aut deformitate foedari. Deinde exponit sermonem quendam a se cum Clarano habitum: quomodo, cum triplex quaedam bonorum distinctio sit, bona tamen omnia sint paria. Ad postremum, bona quaedam, quae vulgo minus optabilia videntur, sibi ait visum iri omnium maxime optabilia, si tale ullum in bonis discrimen esse posset.

Ut adjiciam senem] Hoc enim satis vel ex eo intelligi potest, quod condiscipuli fuimus.

Male collocavit] Ita dictum, ut, *Galbae ingenium male habitare*.

Quomodo possint paria bona esse] In aliis, *tria bona esse*. Sed res ipsa clamat legendum esse, *paria*.

Ergo virtutes inter se pares sunt] Virtus rectum est. Rectum non recipit incrementum. Ergo ne virtus quidem. Si virtus incrementum non recipit, ne ea quidem quae a virtute manant. Est autem illud: & hoc igitur. Quo fit ut recte facta omnia paria sint. Stoica sunt haec: ut &, Peccata omnia paria esse.

In equuleo taceat] Non indicet conscios: nihil eorum prodat, propter quae torquetur. Melius haud dubie, quam, ut in aliis, *jaceat*.

In perfectum itura] Liber Siciliensis, *per rectum itura*. quod melius puto.

In quo bonum illud existit] Idem liber, *consistit*.

Cum alicujus in Senatu sententiam sequimur] Idem liber, *Cum alicujus Senatus sententiam sequitur*. melius videtur.

IN EPISTOLAM LXVII.

Ut a communibus] Paucis quibusdam de senectutis suae imbecillitate praemissis, explicat quaestionem, sint ne bona omnia optabilia: & ea etiam quae talia non videntur, talia tamen esse concludit.

Quod me lectulo affixit] Sic apud Horatium:

Aut

Aut alius casus lecto te affixit.

Ubi cum quidam contra omnium librorum fidem, legere vellet, *affixit*: objecto sibi a me hoc Senecae loco, respondere ausus est, Senecam apud se tanti non esse. Ego hominis stultitiam risu & silentio excepi.

Distingue, mi Lucili, ista] Brevis & expedita mihi distinctio videtur ea, quae traditur ab Aristotele, libro septimo Politicorum: bona quaedam simpliciter optabilia esse, quaedam ἐξ ὑποθέσεως. Bonum & optabile simpliciter est, nullum facinorosum esse in civitate: sed si qui sint; hoc posito, bonum & optabile est: poenas ab eis exigi. Sic non aegrotare, simpliciter bonum & optabile est: sin aliter evenerit, morbum magno & forti animo ferre. Eadem ceterorum omnium ratio est.

Vellem quae velles] De hoc loco tradidi quaedam jam pridem capite 8. lib. 9. Variarum lectionum: quae alii postea, credo, ut sibi probari ostenderent, venditarunt pro suis.

IN EPISTOLAM LXVIII.

Consilio tuo] Sectandum quidem otium, sed non ostentandum.

Etiam si non praecepto, at exemplo] Stoicorum enim principes, etsi remp. sapienti capessendam esse dicebant, ipsi tamen ad eam nunquam accesserunt. Atque hoc nomine inprimis eos reprehendit Plutarchus, quod eorum cum vita pugnet oratio.

Nec ad omnem] Non enim ad eam quae ita depravata est, ut neque sanari, neque corrigi queat.

Nec semper] Dandum enim temporis aliquid etiam quieti & studiis.

Nec sine ullo fine] ὡς γὰρ ἀθλητικῆς, οὕτω καὶ πολιτικῆς περιόδου καταλύσεις τις ἐστί. Romae Senator a sexagesimo anno cogebatur, a septuagesimo ne citabatur quidem. Et tum Plato, tum Aristoteles valde senibus mandanda sacerdotia dicunt, ut non satis jam idoneis ad aliorum munerum procurationem. qua de re celebratus est apud Graecos versiculus:

Ἔργα νέων, βουλαὶ δ' ἀνδρῶν, αἰχαὶ δὲ γερόντων.

Prae-

Praeterea] Sapiens mundum ipsum sibi patriam esse ducit. Ergo ne tunc quidem cum in rerum caelestium contemplatione defixus est, a re sua recedit: sed tunc denique partem illius optimam & nobilissimam tractat.

Recesserit] Liber vetus, *secesserit*.

Quam humili loco sederit] Descendere videtur sapiens, cum sellam curulem conscendit. omissa enim rerum sublimium tractatione, se ad inferiora demittere cogitur. Hac de re extat pulcherrimum nobilissimi philosophi, Themistii epigramma, quod cum consul ab impio Juliano creatus esset, cohortatur se ipsum, ut relictis vanis illis honorum insignibus, conscendat denuo ad studium sapientiae. Descendisse enim se, cum in sellam & tribunal conscendisse visus est:

Ἄστυρος μὲν ἐγὼ ὑπερμενέος· οὐκ, πάρος ἄλλης
Ἀστυρος ἄρχμενος· αὖτις ἀπείριτον.
Ἦλθον κοσμον ἐρωήσων· αἰσαῖς δ' ἐγένετο μέγα χείρων.
Διὸς αἰσαῖς κοσμον. νῦν γὰρ ἄνω κρατέω.

Hoc tam pulchrum epigramma, qui tribuerunt Palladae, nimis honorifice de insulsi hominis ingenio judicarunt.

Quasi caussariae partes] Ita dictum, ut *caussarios milites* dixit Livius.

IN EPISTOLAM LXX.

Post longum intervallum] Effluere vitam nobis non sentientibus. Stultum esse, de vitae brevitate conqueri. Mortem expectandam quidem aequo animo: sed, si res ita postulet, adsciscendam: & interdum eligendum mollissimum illius genus: interdum quodcunque se obtulerit occupandum. Hoc postremum ex illa stulta Stoicorum sapientia est, qua putabant multa evenire posse, propter quae sapiens mortem sibi consciscere deberet. Vellem, Seneca aut ab illa insania abfuisset, aut saltem in ea commendanda parcior ac moderatior fuisset.

Praenavigamus] In quibusdam veteribus, *praeternavigamus*. quod mihi quidem magis arridet.

Abscondimus] Nauticum verbum hoc quoque. Virgilius:

Protinus aerias Phaeacum abscondimus arces.

Emit-

Digitized by Google

Emittit se] Stoicum loquendi genus, ἐξάγειν ἑαυτόν. ἄλογος ἐξαγωγή.

Stultitia est] Martialis: *Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?*

Scribonia] Hanc historiam accurate explicat Tacitus libro secundo Annalium ab excessu D. Augusti.

IN EPISTOLAM LXXI.

Subinde me] A certo judicio de fine bonorum nasci certam regulam judicandi in rebus singulis, quid petendum fugiendumve sit. Virtutes omnes, itemque omnes actiones quae cum virtute conjunctae sunt, inter se pares esse, aeque laudabiles, aeque expetendas: summi enim nullam esse accessionem: nec summum esse quod accessionem ullam recipiat.

Non semper tenebit hunc ordinem] Plato in Politico ait, caelum, solem, sidera, non semper eodem modo, sed interdum in has, interdum in contrarias partes moveri: atque adeo, ubi nunc occidit sol, inde olim ortum esse; & unde nunc oritur, ibi occidisse. Haec opinio & Hipparchi, nobilis mathematici, fuit.

Omnes hos fertiles campos] Hoc Aristoteleum est: ubi nunc est mare, aliquando continentem & fuisse & fore: ipsiusque terrae faciem ac situm in temporis diuturnitate mutari. Et certe multa talium mutationum vestigia extant.

IN EPISTOLAM LXXVII.

S. V. B. Hodie nobis] Antea male legebatur, *subito*: cujusmodi vitio etiam duo loci in epistolis ad Atticum laborabant, jam pridem correcti ab Jacobo Bonafide Tolosate: quamvis eam gloriolam alii sibi postea injuste & inepte vindicarunt. His autem notis significabant id quod plerumque in principio epistolarum ponebatur, *Si vales, bene est.*

Tunc familiam periculum adire] Id est, servos qui sub eodem tecto fuissent: ex senatusconsulto Silaniano.

Nestoris] Qui vixit ad nonaginta annos: non, ut Latini putarunt, ad trecentos. γενεὰ interdum est annorum triginta.

Statiliae] Vide Plin. lib. 7. cap. 84.

IN

IN EPISTOLAM LXXVIII.

Vermiculatio] Ita vocant primum quasi morsum exorientis doloris

Nam ut Posidonius ait] Ex hoc dicto Posidonii est, ut puto, quod ait Cicero quinto Tusculanarum, unum diem bene & ex philosophiae praeceptis actum, esse paene toti immortalitati anteponendum. Verius multo ante illos & magnificentius dixerat vates divino spiritu afflatus: *Melior est dies una in atriis tuis super millia.*

IN EPISTOLAM LXXIX.

Ad sphaeromachian] De hoc ludo Statius in praefatione quarti Silvarum: *Sed & sphaeromachias spectamus, & pilaris lusio admittitur.* Videat, qui volet, Pollucem libro nono, aut potius Mercurialem.

Non allevatur velum] *Velum* dicit, quod cubiculorum foribus praetendi solet. Levatur autem, cum omnibus patet aditus ad dominum. Inde est in libris juris, *levato velo*, quod ineptissimus quidam paroemiographus ut proverbium accepit.

Uni vadere] Ceteri libri veteres habent *uno*. sed ego neutrum satis intelligo.

Suppurata] *Tumor.*

En impero Argis] Atreus, ut opinor, in vetere tragoedia ita loquens inducebatur. Versum autem hunc emendavi ex vetere libro Siculo. nam in ceteris erat acephalus.

Quinque modios accepit, & quinque denarios] Puto hoc servorum menstruum demensum fuisse.

In coenaculo] Ibi enim habitabant pauperes. Sic jocans Plautinus Jupiter ita de se ait:

In superiore qui habito coenaculo.

Equum empturus solvi jubes stratum] Si quis equum emptutus, eum infrenatum tantum inspiciat, numos suos profundere, seque ipse in laqueos induere velle videatur. Diligenter enim inspiciendae sunt singulae partes, ne quid vitii lateat. Ideoque ita cecinit Horat.

Re-

Digitized by Google

Regibus hic mos est, ubi equos mercantur, apertos Inspiciunt.

At quidam, qui quasi artem faciebat recta depravandi, *apertos*, non *apertos*, legere voluit: ut ostenderet, nihil esse tam stultum, quod ipse, si semel adamasset, non pro recto ac vero defendere auderet.

IN EPISTOLAM LXXXI.

Decoctor] Ita unus vetus liber, melius, opinor, quam, ut alii, *coactor*.

Utique dum prope est ab accepto] Ita emendavi, auctoribus duobus vetustis libris.

Ignorat autem quantum debeat] Ita liber Antonii Constantini. at Siculus, *ignorat autem quantum pro eo debeatur*.

IN EPISTOLAM LXXXII.

Male mihi esse malo quam molliter] Liber Siculus, *male tibi*. quod verius puto.

Hoc dicunt, malus est] Ita veteres libri, quibus usus sum: non, ut alii, *mollis*.

Utraque res letalis est] Alii, *detestabilis*. Secutus sum librum Constantini.

Hic est enim Brutus] Ad D. Brutum haec pertinere arbitror, *qui*, ut ait Vellejus, *fugiens in hospitis cujusdam nobilis viri, nomine Capeni, domo, ab iis quos miserat Antonius, jugulatus est*. ad M. quidem Brutum pertinere nullo modo possunt.

Multorum ingeniis] Plato quoque lib. 3. de Rep. graviter reprehendit poëtas, quod talibus commentis mortem, satis suapte sponte terribilem, terribiliorem etiam effecerint.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito] Addiderant quidam hemistichium, *Quam tua te fortuna sinet*. Sed hoc neque apud Virgilium, neque in veteribus Senecae libris legitur, & plane ineptum est.

IN EPISTOLAM LXXXIII.

Progymnaſios] Liber vetus meus, *progymnaſtos*. Utraque vox mihi aeque incognita. ſed legendum, *progymnaſtas*. Ita enim a Platone & Xenophonte vocari ſyngymnaſtas, id eſt, eos qui una cum aliquo exercentur, auctor eſt Pollux.

Pſychrolutes] Ita vocantur, qui frigida corpus abluunt.

Kalendis Januariis] Quo tempore frigus maxime viget. Sed Kalendis Januarii, quod reliquo anno facere meditabantur, id, quaſi ominis cauſſa, delibabant. Ovidius:

Quisque ſuas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam ſolitum teſtificatur opus.

Ad Tiberim] Tanquam paulo minus frigidum, quam eſt aqua virgo.

Interjungo] Ita veteres libri, non, ut vulgati, *intervigilo*. *Interjungere* autem dicuntur, qui ſub meridiem equos ſolvunt, ut interquieſcant. Horatius pro eodem dicit *iter dividere*:

Hoc iter ignavi diviſimus, altius ac nos
Praecinctis, unum.

& ab eadem metaphora Varro *diem dividere*. Seneca libr. 1. de tranquillitate vitae: *Quidam medio die interjunxerunt, & in pomeridianas horas aliquid levioris operis diſtulerunt*. Martialis:

Interjungere quaeris ad Camoenas.

Hieran fecimus] Ad mediam in ſtadio lineam, quae *hiera* dicebatur, ambo aeque feſſi pervenimus: & ita neuter vicit.

Tillio Cimbro.] Ita plane legendum, non, ut in aliis, *Illi Cimbro*.

Scordalus] Hic locus manifeſto confutat allatam a Turnebo hujus vocis expoſitionem.

L. Piſo] Suetonius in Tiberio: *Poſtea princeps in ipſa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco & L. Piſone noctem continuumque biduum epulando potando-*

que

Digitized by Google

que consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam urbis confestim detulit. De Thracia ab eo domita & diligentia in custodienda urbe Vellejus libro secundo: *Atrox in Thracia bellum ortum, omnibus ejus gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque eundem lenissimum securitatis urbanae custodem habemus, virtus compressit.*

Certe debuit] Male in aliis, *erüit.*

IN EPISTOLAM LXXXV.

Peperceram] Multa colligit, quibus Stoici probabant, virtutem solam satis esse ad bene beateque vivendum: & aliter sentientium opiniones breviter refutat. Multa de hac Stoicorum sententia apud Ciceronem in libris de finibus & quinto Tusculanarum leguntur. Sed extat & summi peripatetici, Alexandri Aphrodisiensis eruditissimus commentariolus, in quo accurate adversus hanc gloriosam & magnificam Stoicorum sententiam disputatur.

Gustum dare] Loquendi genus eorum proprium, qui quae esui ac bibitui (*) sunt, venalia habent. ea enim licitatoribus gustanda dare consueverunt. Euripides, γεῦμα τὸν ἀνὴν κτλεῖ.

Quicquid est interrogationum] Id est, syllogismorum. Qui enim ἐπιχειρηματικῶς disputabant, ut mathematici, quasi pro suo jure sumebant ea ex quibus efficerent quod volebant: nihil laborantes, concederentur sibi ab adversario, an minus. At qui dialectice, interrogabant, & ita utebantur quae sibi concessa essent: ut perpetuo facit apud Platonem Socrates. Hodie, cum verus dialectices usus ab iis maxime ignoratur, qui eam docent, consuetudo illa sublata est. Sed ex eo *interrogationes* vocabant syllogismos dialecticos. Itaque Lucianus fallere, ut solet, irridens philosophastrum quendam, qui aggressus historiam scribere, omnia syllogismis intexuerat, ita scribit: ὁ μὲν ἀρχὴν μὲν γὰρ ἔδωκε τῇ πρώτῃ πεμπάδι συναιρεῖσθαι τὰς ἀναιρουμένους. & paulo post: εἶτα μετὰ μικρὸν ἅπας συλλογισμός, εἶτα ἄλλος, ἡ ὅλως ὁ ἅπαντα σχήματα συνηρτήκει μιᾷ τῇ ἐπιχειρήσει.

Qui

(*) Substantivum *bibitus* inauditum.

Qui prudens est, & temperans est] Hujusmodi sunt, quae *brevia* & *consectaria Stoicorum* Cicero vocat.

Huic collectioni] Ad verbum expressit nomen συλλογισμῷ.

Ladas] Ineptissime alii, *laudans*. Ladae pernicitas celebrior est, quam ut de ea plura huc congeri debeant.

Apyrina] Vide Plinium capite 6. lib. 23. sic & *apoda* dicuntur, non quod nullos omnino habeant pedes, sed quod insigniter parvos.

Sed omnis plus potest, quamvis mediocrium turba] Otiosae voces, *sed omnis*. Itaque eas delevi. In vetere libro erat, *sed omnia*. Error librarii fuit, praepropere respicientis ad id quod paulo post sequitur, *leviora quidem, sed omnia*. Sic erratum est apud Ciceronem libro quinto de finibus, in extremo: ubi vulgo ita legitur: *Quid ergo? aliter homines, aliter philosophos loqui putas oportere? quanti quidque sit, aliter doctos & indoctos? Sed cum constiterit inter doctos, quanti res quaeque sit*, & cetera. Omnino enim verba illa, *quanti quidque sit*, per errorem tralata sunt in locum superiorem ex iis quae paulo post sequuntur, *quanti res quaeque sit*. Itaque delenda sunt.

Plus potest quamvis mediocrium turba] Convenit cum illo Homerico:

Σοφὸς δ' ἀρετὴ πολὺ ἀνδρῶν ἠὲ μάλα λυγρῶν.

Aegra corpora minima interdum mergit accessio] Non absimile est, quod dixit Sophocles de corporibus fenum:

Σμικρὸν πιλαστὸν σῶμ' ἀνύσαι μοχθεῖ

Retexit] Texturam illius dissolvit.

Itaque in aequo est & longa & brevis] Tam enim felix est, qui punctum temporis felix est, quam qui saeculum. τὸ γὰρ ἀγαθὸν ἐ χρόνῳ αὔξει σοφιζόμενος, ἀλλὰ καὶ ἐν ὀλίγοις τις ὥρας γένῃ φρόνιμος, ἱκανὸς ἐκεῖνος ἀνὴρ φύσει· ἴσ τὰ αὐτὰ χαμαίπιτυς τῇ ἀρετῇ, ἢ μακρότης ὁ αὐτὴ ἀμπελίτης.

Neptune] Verba sunt gubernatoris Rhodii, fatentis, navim quidem, cui ipse praeerat, a Neptuno posse mergi: sed se tamen utique praestiturum, ne id culpa sua contigisse videatur.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM LXXXVI.

Aut Romae libertas] Videbatur enim Romae non esse ἰσονομία, si Scipio, propter rerum gestarum magnitudinem, ne adduci quidem posset ad caussam dicendam, neque accusantibus tribunis respondere dignaretur, sed ab eis impune populum ad grates diis agendas avocaret, ut fecerat.

Viridibus] Ita vocabant prata & arboreta.

Ad balnea libertinorum] Salse & aculeate dictum. Ad tantas enim opes libertini sub Claudio pervenerant, ut prae eis ipsi principes civitatis egeni viderentur.

Pisatione] Et *pinso* & *piso* pro eodem dicebant: ut *mensam* & *mesam*: *mensem* & *mesem*: *Hortensium* & *Hortesium*.

IN EPISTOLAM LXXXVII.

Non magis hora] Quid haec verba sibi velint, plane non assequor. In uno librorum meorum est, *sine magis hira*. Cogitabam, si forte legendum esset, *sine magiro*. ut prandium dicat coqui opera nihil eguisse: coquum autem ipsum Graeco nomine appellaverit. Nam & fere Graeci erant.

Annum novum] Kalendis enim Januarii, ut alia, sic caricas inter se missitabant, easque ominis caussa esitabant. Ovidius primo Fastorum:

Quid vult palma sibi, rugosaque carica, dixi,
Et data sub niveo condita mella cado?
Omen, ait, caussa est: ut res sapor ille sequatur,
Et peragat coeptum dulcis ut annus iter.

Utrum se ad gladium] Ad pugnandum inter gladiatores, an inter bestiarios. Nam eo corruptelae ventum erat, ut multi tunc etiam honesto loco nati, adesis patrimoniis, operas ad talia suas locarent.

Defrictum] Libri veteres partim *defrictum* habent, partim *destrictum*. Neutram scripturam damnare ausim.

Cui contigit habere rem non quamlibet] Id est, rem minime vulgarem: πρᾶγμά τι οὐ τῶν τυχόντων. *Hunc non quemlibet*. Id est, scito, eum quoque ipsum minime vulgarem esse, οὐ τῶν τυχόντων.

IN EPISTOLAM LXXXVIII.

De liberalibus studiis] Liberalia studia vocabantur Romae, quae apud Graecos ἐγκύκλια μαθήματα, id est, certa quaedam, quae omnes fere ingenui & honesto loco nati, non illi quidem accurate & exquisite perdiscere, sed delibare tamen modice ac degustare consueverant. Nam & grammaticis operam dabant, a quibus rectam orationis structuram & syllabarum modum cognoscerent, historicorumque ac poëtarum intelligentia imbuerentur: & geometriam, musicen, arithmeticenque: quidam & picturam discebant: & praeterea luctandi, equitandi, aliarumque corporis exercitationum magistros habebant. De illis igitur studiis universe pronuntiat Seneca, nihil esse in eis suapte vi expetendum: eatenus tantum utilia esse, quatenus juvenes nondum graviorum ac solidiorum capaces praeparant, & instruunt ad studium sapientiae. quod vere ac merito unum ex omnibus *liberale* vocari potest: cum eo in uno ea vis sit, ut homines a teterrima vitiorum ac cupiditatum servitute eximat.

Quod ad aes exit] Fateor, me ex his verbis nullam idoneam & huic loco congruentem sententiam elicere posse. Sed & pro eo quod statim sequitur *meritoria*, libentius legerim *militaria*.

Nisi forte tibi Homerum] Plerique veterum videri volebant omnem philosophiam, omnesque philosophorum disciplinas ab Homero, tanquam a fonte fluxisse. At Seneca hoc ipsum argumento esse ait, eum philosophum non fuisse, quod apud eum diversarum maximeque inter se dissidentium opinionum semina reperiuntur.

Virtutem solam] Nam quod Ulixes patriam illam suam tanquam nidulum, in asperrimis saxis positam, tanti facit, ut ab ejus studio ac cupiditate ne immortalitate quidem a Circe & a Calypsone proposita avocari queat, id ita interpretantur: ut Ithacae nomine virtutem accipiant, prae qua una sapienti viro alia omnia contemnenda sint.

Modo Epicureum] Ut cum Ulixem ita loquentem facit:

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ
Ἡμένοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι

Σίτου

Σίτε τῷ περιῶν, μήθ' ὡς τὸν κεφαλῆς ἀφύσσων
Οἰνοχόον φορίῃσι, τῷ ἰγχείῃ δυπάσσει.
Τῶν τί μοι κάλλιον ἐπὶ φρεσὶν εἴδος εἴναι.

Modo peripatetieum] Ut cum saepe opes & prosperos successus in bonis numerat, deosque ipsos vocat δυνάμεις ἀίδιον.

Utrum major aetate fuerit Homerus, an Hesiodus] Alii enim aequales fuisse, alii hunc, illum alii antiquiorem esse dicunt. Vide Agellium lib. 3. cap. 11. lib. 17. cap. 21.

An minor Hecuba fuerit, quam Helena] Natu grandiorem fuisse Helenam puto. Sed, ut quae Jovis filia esset, melius ferebat aetatem.

Patrocli & Achillis] Vulgo putant juniorem fuisse Patroclum. Sed vide quae super hac re collegit Politianus cap. 45. Miscellaneorum.

Utrum inter Italiam] Certum est, tam diu errare non potuisse in hoc nobis cognito mari. Dicebant igitur quidam, eum errasse in mari Atlantico. Sed quid opus est, ea quae ficta & fabulosa esse constat, tam anxie ac tam scrupulose quaerere? Ad hanc quaestionem respexit Agellius cap. 6. lib. 14. cum ait, disputatum a familiari quodam suo, erraverit ne Ulixes ἐν τῇ ἴσῃ θαλάσσῃ καὶ Ἀεί-πεχον, an ἐν τῇ ἔξω καὶ Κέλτικα.

Ulixis mala] Simile Diogenis dictum refertur grammaticos reprehendentis, quod Ulixis mala solicite anquirerent, negligerent sua.

An Penelopa impudica fuerit?] Sunt enim qui dicant, eam omnibus procis fecisse copiam sui, atque ex illo promiscuo coitu natum Pana. At alii hunc ipsum capripedem deum natum ex Penelopa & Mercurio in hircum converso. Egregiam mulieris pudicitiam, quae cum se a virorum consortio puram integramque servaret, ab hirci, belli videlicet & suaveolentis animalis, concubitu non abhorruerit.

Ad musicam transeo] Diogenis hoc est: τὰς μουσικὰς τὰς μὲν ἐν τῇ λύρᾳ χορδὰς ἁρμόττουσι, ἀνάρμοστα δὲ ἔχει τὰ τῆς ψυχῆς πάθη.

Oleo ac luto] Ceromate & haphe, ut in superioribus dixit.

Jejuni vomitores] Vide epist. 122.

Pegmata per se surgentia] De pegmatis vide Philandrum in nonum Vitruvii, & qui ab eo citantur: de coc-

Digitized by Google

nationibus autem aliisque aedificiis verſatilibus Suetonium in Nerone, & hunc noſtrum epiſtola 50.

Artes quas ἐκδόσεις] Neſcio hic mea, an operarum negligentia peccatum ſit. Legendum certe eſt, *ἐγκυκλίους*: atque ita libri veteres habent.

Neſcio an certior memoria ſit] Litteras memoriae officere potius, quam prodeſſe, multi ex veteribus judicabant. earum enim fiducia minus plerumque diligentes in iis quae diſcimus in memoria infigendis ſumus Itaque Thamus Aegyptiorum rex apud Platonem in Phaedro, cum Theuth inventor litterarum vocaſſet eas *memoriae medicamentum*, ita eum refellit: ὁ μὲν γὰρ τὸ πρᾶγμα ἐν χερσὶν ἔχων, δι' ἄσκησιν τεχνικὸν εἶναι, ἐ δύναται. τῷ δὲ τῶν μαθόντων λήθην ἐν ψυχαῖς παρέξει, μνήμης ἀμελετησίᾳ, ἅτε διὰ πίστιν γεγραφότος ἔξωθεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων, οὐκ ἐνδοθεν αὐτὸς ἐφ' αὑτοῦ ἀναμιμνησκομένους. οὐκοῦν μνήμης, ἀλλ' ὑπομνήσεως φάρμακον εὗρες. Simile quiddam & Caeſar libro 6. de bello Gallico.

Duas litteras in primo verſu] Nam M & H, quae ſunt primae litterae Iliados, ſignificant XLVIII.

Eretrici] Hi ita vocati ſunt a patria Menedemi, conditoris ſui. Inepte antea legebatur *Cretici*. & ineptius ex eo fecerat Pincianus *Critici*.

IN EPISTOLAM LXXXIX.

De judicio & regula] Jusſeram ſcribi, *De judicio, & regulam*. Sed mihi obtemperatum non eſt. σὺ κριτήριον, καὶ κανόνα. Κριτήριον non ſatis apte vertitur *judicium*: hoc enim perinde eſt, ac ſi quis αἰσθητήριον vocaret *ſenſum*. Sed in Latinae linguae inopia talia multa devoranda ſunt.

Hanc ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΗΝ, *illam* ΡΗΤΟΡΙΚΗΝ] Hujus ſcripturae veritatem & libri veteres, & ſententia ipſa confirmat. Alii inepte, *Hanc* ΑΝΑΛΥΤΙΚΗΝ, *illam* ΤΟΠΙΚΗΝ.

IN EPISTOLAM XC.

Illo, inquit, ſpoliſos & caſulis tectos] E Poſidonio nimirum hauſerat Seneca, cum illa de philoſophia ſcriberet: *Tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tum litterarum & vocum communione junxiſti.*

Ut & Diogenem moveris & Talum?] Alii, *& Daedalum*. Et certe Plinius ſerrae inventorem Daedalum facit.

cit. Ejus verba sunt e capite 56. lib. 7. *Fabricam materiariam Daedalus, & in ea serram, asciam, perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollam.* At Ovidius Perdicem Daedali sororis filium. Ita enim de eo scribit octavo Metamorphoseon:

Ille etiam medio spinas in pisce notatas
Traxit in exemplum: ferroque incidit acuto
Perpetuos dentes: & serra repperit usum Primus.

At Diodorus Siculus *Talum*, his verbis ex quarto bibliothecae: τῆς ἀδελφῆς τῆ Δαιδάλῳ γενόμενος υἱὸς Τάλως, ἐπαιδεύετο παρὰ Δαιδάλῳ, παῖς ὢν τὴν ἡλικίαν· ὀξυνίστερος δὲ ὢν τῆ διανοίᾳ, τὸν μὲν κεραμεικὸν τροχὸν ἄρι, τῷ σανίδι περιτυχὼν ὄφεως, τῆ πάντη ξυλίφιον μικρὸν διαπρίσας, ἐμιμήσατο τὸν τροχίτην τῶν ὀδόντων· δύο γὰρ σιδηρία κατασκευάσας· ἐν μὲν μέρει πρίονα, τῆ δὲ τούτου πρίζων τὸν ὸν τοῖς ἔργοις ξυλίνην, ὕδεξεν ὄχρησεν ὀρθόνας μίαν ἀφ' ἑκατέρου τὸν πλευρικόν. Hanc igitur scripturam in vetere etiam libro meo repertam sequi visum est.

Anacharsis] At Diodorus, ut vidimus, hoc quoque inventum tribuit Talo: alii, ut ait Plinius, *Hyperbio Corinthio.*

IN EPISTOLAM XCI.

Timagenes] Hunc locum, ita ut edidi, emendandum esse, primus me per litteras monuit vir clarissimus, optimus, eruditissimus, Nicolaus Faber, Parisiensis, consiliarius regius.

Siremps lex esto] Vetus verbum in legibus senatique consultis usitatum. Est autem idem, ac si diceret: Similis lex omnibus posita esto. Hanc emendationem debemus summo J. C. Jacobo Cujacio.

IN EPISTOLAM XCII.

Partes ministras] Id est, quae famulentur ancillenturque rationi. Inepte autem alii, *partes mistas*. Quod nos reposuimus, veteres libros adstipulatores habet.

Propterque ipsum principale] Ita vocat τὸ ἡγεμονικόν.

Quam hesychian vocant Graeci] Imperite alii, contra veterum librorum fidem scripserant, ΠΑΥΣΟΛΗΝ.

Digitized by Google

Irrationalis pars animi duas habet partes] τὸ θυμοειδὲς, καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν.

Enervem & abjectam] ita scribi jussi, librum Siculum secutus, cum in aliis male, ut opinor, *inermem* scriptum esset.

Huic malitiae vis] Videntur haec non satis cohaerere cum superioribus.

Ille agit carens malitia] Liber Siculus: *Illum agit haerens malitia*. quod fortasse verius sit.

Quam secundas ad editum infantem] *Secundas* dicit τὰς ὑστεραίας, quae editum infantem sequuntur

Alte cinctum] Militarem, patientem laboris. Horat.

Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos

Praecinctis, unum. Discinxisset autem, est enervasset, effeminasset.

IN EPISTOLAM XCIV.

Eam partem philosophiae] Duorum generum sunt ea quae in philosophia traduntur: dogmata seu decreta, & praecepta. Dogmata sunt ratae quaedam sententiae, quibus de fine bonorum, de sapientia, de statu sapientis, aliisque ejusmodi non vere tantum, sed & firme ac constanter judicamus. Ejusmodi sunt, beatam vitam in sola virtute consistere: divitias, firmitatem valetudinis, bonam existimationem, & talia, praeponenda quidem esse contrariis, si nobis detur electio: neque tamen bona esse: cum hoc nomen in virtutem tantum, & ea quae a virtute manant, conveniat: neque qui eis omnibus careat, omnibus prematur adversis, dum virtute praeditus sit, iccirco minus beatum fore. Sapientem semper quietum esse, semper placidum, semper sibi similem sui, neque unquam eorum quae extra se posita sunt, aut adeptione laetari, aut amissione torqueri. Haec igitur & hujusmodi sunt Dogmata: quae non ad hanc aut illam vitae partem diriguntur, sed ad omnem vitam pertinent, & universe hominis animum informant. At Praecepta sunt, quae ad singulas vitae partes pertinent: ut cum praecipimus, quomodo vir cum uxore, pater cum liberis, civis cum civibus gerere se debeat. Haec quidam sola recipiebant: ge-

Digitized by Google

generales illas disputationes, ut inutiles & supervacaneas, contemnebant. Aristo contra, decreta amplexabatur, magnique faciebat: praecepta minime necessaria esse dicebat. Nam neque profutura iis qui non ante decretis confirmati essent, eaque penitus perbibisset: & illa qui cognossent, ipsos sibi praecipere quid faciendum sit, neque monitore ad singula indigere. Seneca rationes quibus Aristo nitebatur exponit, easque confutat. Addit praeterea, in ea quae proxime sequitur, epistola, quae hujus quasi quaedam appendix est, non praecepta modo utilissima esse, sed etiam descriptiones quasdam tum vitiosorum, tum virtute praeditorum hominum, quibus veteres philosophi ad res tanquam oculis subjiciendas utebantur: quales sunt Characteres qui tribuuntur Theophrasto, neque sane illius philosophi elegantia indigni videntur. Sciendum autem est, ex accurata hujus epistolae lectione petendam esse intelligentiam loci cujusdam obscurissimi e primo libro Ciceronis de Officiis: cujus hoc principium est, *Omnis de officio duplex est quaestio.* de cujus vera sententia quotquot usque in hunc diem commenta sunt ad libros illos illustrandos contulerunt, ne per somnium quidem cogitarunt.

Aut vacantem quidem] Id est, nullis pravis opinionibus occupatam. Male in aliis libris legebatur, *vagantem.*

Inter insaniam publicam] Qua omnes, praeter sapientem, insani sunt; neque tamen elleborum potant, neque curatorem accipiunt. De hac insania intelligendus Horatius, cum ita scribit:

Insanire putas solemnia me: neque rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere.

Ad videndum] Male in aliis, *ad vivendum.* de oculis enim sermo est.

Non probo quod Platonis legibus adjecta principia sint] Ut Senecae a Posidonio licuit, sic mihi hoc loco a Seneca dissentire liceat. Mihi quidem prooemia illa legum Platonicarum plane admirabilia videntur. Prius enim amore honestatis, quod in illis prooemiis fit: tum, si id parum proficiat, propositis poenis, quod praestant subjectae prooemiis sanctiones, animi civium ab improbitate & a turpitudine sunt avocandi. Sed suum cuique judicium.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM XCV.

Petis a me] Haec, ut dixi, appendix quaedam est superioris epistolae. Docet autem, ut neque dogmata, ita neque praecepta per se ad sapientiam sufficere: utilia tamen esse non praecepta modo, sed & eas, quas dixi, descriptiones, sive characteras, quos ipse alio nomine ὑποτυπώσεις vocat.

Si negavero] Si noluero repraesentare quod petis, sed in diem suam illud distulero.

Eo magis promitto] Quia negare etiam liberum est.

Aliud optamus] A diis petimus, ἀνάμεθα.

Aut non exaudiunt aut miserentur] Si enim annuerent, mala nobis saepe maxima & ea quae minime vellemus, impingerent.

Etiam si recte faciunt, nesciunt facere se recte] Neque enim caussam tenent, cur quidque fieri debeat. Atque hoc quidem recte & vere a Stoicis dicebatur; illud absurde, quod dicebant, ex miserrimo beatum posse fieri aliquem, qui tamen nullum prorsus sensum haberet tantae illius mutationis suae. Plutarchus οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθ' ἡ ἀρετὴ τῇ τῆ διδασκαλίας παραγενομένης, καθάπερ ἐπὶ τὰ ἀγάλματα τὸ ἀνδριαντοποιὸν εἶδος, διαλελοιπὸς ἢ ἑαυτὴν, ὅτι μικρὰ σφόδρα ἐβλαπτόμεθ' ἂν τῇ ἀφροσύνῃ τῇ, νῦν ὁμοῦ φρονίμῳ τῇ μανίᾳ γίγνεται.

Vis scire quam dissimilis] Locus hic erudite ab Aristotele tractatur libro secundo Ethicorum.

Qui mera praecepta] Id est, nihil praeter praecepta. Inepte alii, *qui in re praecepta*

Feminis nec capillos defluere, nec pedes laborare] Hippocrates libro sexto Definitionum, ait, eunuchos neque recalvastros fieri, neque podagra laborare: quod eis usu venire Galenus ait, quia feminarum similes sunt, quae utroque incommodo carent. Subjicit autem Hippocrates ipse, mulieres immunes esse a podagra, nisi quas purgationes illae menstruae defecerint. Sed addit Galenus, id verum fuisse temporibus Hippocratis, cum utrique temperatius moderatiusque vivebant. At suo tempore, propter intemperantiam victus & eunuchos & feminas saepe podagra laborare. Quod & ante Galenum, ut videmus, prodiderat Seneca.

Vinum omne vomitu remetiuntur] Sic Martialis: *Data vina*

Digitized by Google

vina remensus. Ubi enim se virorum more in palaestra exercuerant, bibebant ante coenam quod statim vomerent. Martialis:

Nec coenat prius, aut recumbit ante,
Quam septem vomuit meri deuces.

Juvenalis:

— — tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum fitiens, plena quod tenditur urna
Admotum pedibus: de quo sexagarius alter
Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexin.
Dum redit, & loto terram ferit intestino,
Marmoribus rivi properant, aut lata Falerno
Pelvis olet. nam sic tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit, & vomit. ergo maritus
Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis.

Sunt autem haec propomata, quae Plutarchus quoque inter praecipuas causas numerat, ex quibus novi & veteribus incogniti morbi extiterunt. Vide eum problemate nono libri octavi συμποσιακῶν.

Vino fulcire venas cadentes] Ovid.

Ut solet infuso vena redire mero.

Non furant] Ita legendum: non, ut alii, *fuerant.*

Sociorum garum] Ita emendandum putavi: cum veteres quoque libri haberent, *Sajorum.* De *sociorum garo* vide Plin. capit. VIII. libri XXXI.

Nobilem patinam] *Patinam Aufpi* dicit: de qua vide Plinium capit. LI. libri X.

Veneriae spondylique] Vide Rondeletium libro II. de testaceis, cap. XXXIV.

ΠΕΡΙ ΚΑΘΗΚΟΝΤΟΣ] Hunc librum Cicero vocat *De virtute*, Priscianus *De officio.*

Et cum esurienti panem suum dividat] Quantulum abest ab eo quod in divinis litteris legitur? *Frange esurienti panem tuum.*

Aetiologiam] Stulte alii, *etymologiam.*

Tuberonis ligneos lectos] Vide Ciceronem pro Murena.

IN

IN EPISTOLAM XCVII.

Erras] Multa vitia, quae nata saeculo nostro videntur, priscis temporibus eadem fuisse. Homines facilius vitia, quam recte facta imitari. Sceleratis nunquam contingere securitatem: quam sententiam & alibi repetit, & epistola CV. Vide autem de ea Ciceronem primo & secundo de finibus.

Quae objicit suis quisque temporibus] Nam etiam Hesiodus, quem illius de quatuor aetatibus figmenti antiquissimum auctorem habemus, ferrea se aetate natum esse conqueritur:

Μηκέτ' ἔπειτ' ὤφελλον ἐγὼ πέμπτοισι μετεῖναι
Ἀνδράσιν, ἀλλ' ἢ πρόσθε θανεῖν, ἢ ἔπειτα γενέσθαι.
Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον.

Verba Ciceronis] E primo libro epistolarum ad Attic.

Conciliaturas] Honesto nomine vocavit lenocinia. *Conciliandi* enim verbum proprie in matrimonio dicitur. Ovid.

Non me nupsisti conciliante seni.

IN EPISTOLAM XCVIII.

Mortale est mortalium bonum] Ab Euripide hoc Metrodorus sumpserat: Θνητῶν δὲ θνητὸς ὄλβος.

Honores repulit pater Sextius] Hic cum honores repudiasset, seque ad philosophiae studium contulisset, sub principium tantam e suo illo consilio molestiam sensit, ut parum afuerit, quin mortem sibi ipse consciscceret. Plutarchus: καθάπερ φασὶ Σέξτιον τὸν Ῥωμαῖον ἀφεικότα τὰς ἐν τῇ πόλει τιμὰς καὶ ἀρχὰς διὰ φιλοσοφίαν, ἐν δὲ τῷ φιλοσοφεῖν αὖ πάλιν δυσπαθοῦντα καὶ χρώμενον τῷ λόγῳ χαλεπαῖς, τοσῶτον ὀλίγου δεῖσαι καταβαλεῖν ἑαυτὸν ἔκ τινος διήρους.

Quibus senex egregius eripitur] Cum hujus senis nullam in superioribus mentionem fecerit, facile adducor, ut putem, multa hujus epistolae principio desiderari.

IN EPISTOLAM XCIX.

Clarius cum audiuntur gemunt] Ut Gelliam facere ait Martialis:

Amisſum non flet, cum ſola eſt, Gellia, patrem.
Si quis adeſt, jusſae proſiliunt lacrymae.

Verum autem eſt quod ſubjicitur:

Ille dolet vere, qui ſine teſte dolet.

Eſſe aliquam cognatam triſtitiae voluptatem] Ovid.

— eſt quaedam flere voluptas.
Expletur lacrymis egeriturque dolor.

Ipſa Metrodori verba ſubſcripſi] Deſiderari hoc loco Graeca verba Metrodori, etiam lacuna, quae in vetere libro eſt, indicat.

IN EPISTOLAM C.

Pauperis cella] Multos alios locos in hac epiſtola reſtitui: in hoc labor omnis meus irritus fuit.

IN EPISTOLAM CI.

Primam moram] Inepte in aliis, *plurimum amorem*. Quod autem hic ait Seneca, difficillimam eſſe luctationem iis qui ex paupertate conantur emergere: ubi autem ex ea erepſerunt, faciliores eis & expeditiores eſſe progreſſus: idem olim nobilem quendam nauclerum, Lampin nomine, dixiſſe tradunt. Interrogatum enim, quomodo tantas opes ſibi comparaſſet, reſpondiſſe, parvas quidem magno, magnas autem parvo labore. Plutarchus ἐν τῷ, εἰ γέροντι πολιτευτέον. Proculus in Heſiodum.

Oram caſus incidit] *Oram* vocat funem nauticum. Male autem alii, *horam*.

IN EPISTOLAM CIV.

Cum Catonibus vive, cum Laelio, cum Scipione] Sumptum eſt hoc praeceptum ex eo quod Zenoni quaeren-

ti,

Digitized by Google

ti, quomodo optime victurus esset, responsum oraculo dicitur, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, quo ille accepto, totum se ad legendos veterum libros contulit.

IN EPISTOLAM CVI.

Tardius rescribo] Stoicorum multae graves sententiae erant: multae etiam insigniter fatuae. Hujus secundi generis est ea, quae hic a Seneca molli, ut ajunt, brachio tractatur: Bonum omne esse corpus. Id ita se probare putabant. Quicquid agit, tangendo agit. Tangere autem, aut tangi nisi corpus, non potest. Quicquid igitur agit, corpus est. Bonum autem & in corpus & in animum agit. Bonum igitur quicquid est, corpus est Nam & animus ipse quodam corporis genere continetur. Ab hoc principio profecti, ut, ubi falsi aliquid pro vero positum est, necessario multa consimilia consequuntur, eo progrediebantur, ut & virtutes & vitia, & omnes animi motus non corpora modo, sed & animalia esse dicerent. De qua stultitiae plena opinione plura dicentur epistola CXIII.

IN EPISTOLAM CVIII.

In Tiberii Caesaris principatum] Vel unus hic locus manifesto convincit, non esse eundem Senecam qui epistolas scripsit, & qui declamationes. Nam hic adolescens erat Tiberio imperante: ille alter narrat, audiri a se potuisse Ciceronem. Sed declamatorem illum hujus, qui nunc in manibus est, patrem fuisse, & lippis jam, ut ajunt, & tonsoribus notum est.

Provocationem ad populum etiam a regibus fuisse] Hac de re ita M Fabius apud Livium libro octavo: *Videro, cessurus ne provocationi sis, cui rex Romanus Tullus Hostilius cessit*

Reapse] Totus hic locus mirandum in modum in aliis libris depravatus legebatur. Sed quid ego me in talibus, quae innumerabilia sunt, venditem? Emendatio ad legentium utilitatem pertinet: putida eorum quae emendata sunt enumeratio, ad scribentium ostentationem. Mihi autem alienae utilitati servire consilium est: ostentationem illis relinquo, qui cum unam aut alteram litterulam corrigunt, prae-

praedicant αὐτοχίαν suam, Musarum fidem implorant, seque tam perspicaces fuisse mirantur.

Hanc quam nunc in circo metam] Cum in uno libro vetere ita scriptum reperissem, notaram illam varietatem ad marginem libri mei, non tamen ut eam probarem. At postea incuria quadam, fatendum enim est, mea factum est, ut, expuncta vetere, nova haec in illius se locum insinuaverit. Omnino tamen judico, rectius esse *cretam*, quam *metam*. *Creta* enim notabatur circus ad victoriae notam. Plinius lib. 25. cap. 17. *Est & vilissima* (de *creta* loquitur) *qua circum praeducere ad victoriae notam, pedesque venalium trans mare advectorum denotare instituerunt majores*. Isidorus libro 18. Originum cap. 34. *Septem spatia quadrigae currunt, quorum finis est creta.*

IN EPISTOLAM CIX.

An sapiens] Prodesse dicitur, qui bene alicui facit. Videtur igitur nemo prodesse posse ei, qui bona in se habet omnia. Talis autem est sapiens. Sapienti ergo non magis prodesse quisquam potest, quam ignem calefacere. Et Stoici tamen sapientem alium alii prodesse dicebant. Hunc igitur nodum, a Lucilio rogatus, hac epistola solvit & expedit Seneca.

Objicies] Alii, *Hoc scias*. Liquere omnibus puto, utra verior scriptura sit: ut & paulo infra hunc locum, melius legatur, *uno modo*, an, ut nos, *isto modo*.

Nam ille ipse qui est] Qui melle vescitur, qui mel comest. Alii, detracto verbo *est*, mancam & mutilam sententiam reddiderant. Id autem quod sequitur plane perverterant, cum legerent, *Ut ille tali sapore non capiatur, sed offendatur*. cum legendum sit, ut nos emendavimus, *capiatur, non offendatur*. Sed discedo a consuetudine mea. Non enim is sum qui velim agitandis aut reprehendendis aliis crescere. Itaque talia quamlibet multa sciens omitto.

Ad haec respondeo] Haec verba locum mutaverant, seque altius, quam par erat, sustulerant. Nos ea in suum locum reposuimus.

Digitized by Google

IN EPISTOLAM CX.

Unicuique noſtrum paedagogum] Extant & Menandri verſus qui eandem ſententiam continent: unicuique noſtrum naſcenti genium dari totius vitae ducem. Inde illud in comoedia:

Memini relinqui me deo irato meo.

Illos autem & nativos & mortales eſſe putabant. Horatius:

Scit genius, natale deus qui temperat aſtrum,
Naturae deus humanae, mortalis in unum
Quodque caput.

Et genium & Junonem] Magis tamen *genium* viris, *Junonem* mulieribus. Itaque apud Tibullum mulier amatorem alloquens:

Perque tuos, inquit, *oculos, per geniumque rogo.*

Ille contra, *Haec per ſancta tuae Junonis numina juro.* & turpis muliercula apud Petronium: *Junonem meam iratam habeam, ſi me unquam virginem fuiſſe memini.*

Adſignati] Verbum juris. *De adſignandis libertis.*

Linguas phoenicopterorum] Quarum praecipuum ſaporem eſſe gulae & nequitiae magiſter docuerat Apicius.

IN EPISTOLAM CXI.

Cavillationes vocat] In aliquo videlicet libro eorum qui deſiderantur. nam in iis qui extant, nunquam ita *cavillationis* nomen accipi puto. Ita eo uſus eſt Calliſtratus in l. *ea eſt natura*, D. de diverſis regulis juris antiqui.

IN EPISTOLAM CXIII.

Deſideras] Niſi certa & manifeſta veterum teſtimonia extarent, vix crederemus, ſententiam, quae hic a Seneca confutatur & irridetur, cuiquam excordi ac delirae aniculae in mentem venire potuiſſe. Quid enim abſurdius aut magis ridiculum cogitari poteſt, quam non modo animum ipſum animal eſſe: quod ſi eſt, certe animum ali-

Digitized by Google

alium habet: quo fit, ut sit animal: atque ille rursus animus alium: neque res unquam exitum repertura est. non eum tantum igitur, sed & omnes virtutes, omnia vitia, omnes motus animorum, ipsas denique cogitationes nostras esse animalia? Et hoc tamen severi illi Stoicae disciplinae principes, illi barbati magistri, illa sapientiae columina, pro vero ac serio tradiderunt Neque vero hic substiterunt: sed eo progressi sunt amentiae, ut & qualitatem, & magnitudinem, & figuram, & omnia denique accidentia, quidni enim utamur verbo in scholis usitato, cum melius non suppetat? corpora esse contenderent. Et hi sunt, qui se communes notiones in animis nostris a natura impressas defendere, neque ab eis latum unguem discedere profitebantur. Hujus igitur opinionis stultitiam hac epistola exagitat Seneca: & postremo addit, tempus in talibus ineptiis conterendum non esse. Extat & commentariolus inter νοθευόμενα Galeni, quo haec ipsa opinio irridetur & refutatur. Ejus inscriptio est: ὅτι αἱ πειότητες ἀσώματοι.

O *tristes ineptias*] Martialis:

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

IN EPISTOLAM CXIV.

Quare quibusdam temporibus] E corrupta ratione vivendi corruptum dicendi genus plerumque & publice & privatim provenire Esse etiam nonnullos quos stultum imitandi studium eodem perducat.

Ut ea quae cludere solent coenam, primo ponantur] Hoc lactucae evenisse scribit Martialis:

Claudere quae mensas lactuca solebat avorum,
Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

Plutarchus quoque inter caussas, e quibus nova morborum genera exorta sunt, & hanc non in postremis esse ait, quod quae claudere coenam solebant, ad principium illius tralata sint. Sed Plutarchi verba vulgo male leguntur, hoc modo: τὴν δὲ τάξιν αὐτῶν ἐδεστῶν καὶ μετακόσμησιν οὐ μικρὰν ἔχειν διαφοράν. ubi pro αὐτῶν legendum est αὐτῶν. Sequi-

tur; αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι, πρότερον ὀστρέων ἔχει ὠμῶν λαχάνων. Legendum, πρότερον ὀστρέων, ἐχίνων, ὠῶν, λαχάνων. Sequitur: ἅπερ ἐλαφρῶν ὁ Πλάτων ἀπ' ὀρᾷς ἐπὶ στόμα μεταχθεῖσαι, τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς ἐσχάτης τάξιν ἔχουσιν. Sed magnum fecerit qui repererit, quid illic inter ova & olera, faciat Plato. Legendum autem, ὥσπερ ἐλαφρῶν ὁπλιτῶν. Haec & ejusdem generis alia plurima jam pridem in Plutarcho emendavi: quae, si Deus volet, suo tempore edentur.

IN EPISTOLAM CXV.

Et veluti signes] Veluti signa quaedam eorum in animo tuo imprimas, ne deleantur. Sic & Graeci dicunt ἐνσημαίνειν. Basilius: ἀμετάστατα πέφυκεν εἶναι τὰ τῶν τοιούτων μαθήματα δι' ἀπαλότητα τῶν ψυχῶν εἰς βαθὸς ἐνσημαινόμενα. Latini, *ponere signa*. Horatius:

— non est mihi tempus aventi
Ponere signa novis praeceptis.

Ut fas sit vidisse] Fuit haec vetus omnium gentium opinio, fas homini non esse, deum videre: & qui vidisset, praesens ei mortis periculum imminere.

Obstringillant] Obstant, remorantur. vide Nonium.

Ad mercedem impii] Inepte in aliis, *ad misericordiam impii*. Hoc enim dicit, nos & mercede adduci ad ea quae honesta sunt, & ad turpia. Nam neque fere quisquam gratis honestatem colit: & nihil tam impium est, quod non interdum homines mercede adducti suscipiant.

Sine me vocari] Horum Euripideorum versuum extremi leguntur apud Stobaeum:

ὦ χρυσὸ, δεξίωμα κάλλιστον βροτεῖς.
ὡς οὐδὲ μήτηρ ἡδονὰς τοίας ἔχει,
οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, οὐ φίλος πατήρ.
εἰ δ' ἡ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν τρέφειν.

Sunt autem a Seneca liberius illi quidem conversi: sed ita, ut ne Graecis quidem elegantia cedere videantur.

Et summum adeptis dignitatis statum] Haec verba in locum suum restitui, quo temere ab aliis mota erant.

IN

IN EPISTOLAM CXVII.

Multum mihi tibique] Haec quoque epistola meras prope Stoicorum ineptias continet; nisi quod fere sub medium, cum quaerenti haec Lucilio satisfecisset, ipse quoque talium rerum studium damnat, ostenditque alia potiora, quae ex philosophia peti debeant.

Adexpetendum] *Expetendum* vocat αἱρετόν: *adexpetendum* nova voce προσαιρετόν: id est, quandam προσθήκην τῷ αἱρετῷ. Talia multa Stoici sine ulla necessitate fingebant.

Praesumptioni] Anticipatae opinioni, προλήψει.

Hac detestatione] Est qui legat *destinatione*. Ego veterem librum meum sequi malui.

IN EPISTOLAM CXIX.

In commune] Ita dicebant, cum e pluribus, qui una iter facerent, unus boni aliquid in via jacens repererat: cum significarent, id cum ceteris quoque commune esse debere. Graeci pro eodem dicebant, κοινὸς Ἑρμῆς. Nam Mercurius & viis praeesse putabatur & lucro. & insperantibus objecta lucra vocabant ἑρμαῖα.

IN EPISTOLAM CXX.

Epistola tua] Verbi boni cognitionem ad homines per analogiam, id est, collationem rationis, pervenisse ait. idque ipsum dilucide explicat. Eadem de re Cato apud Ciceronem libro tertio de Finibus: *Cumque rerum notiones in animis fiant, si aut usu cognitum sit, aut conjunctione, aut similitudine, aut collatione rationis: hoc quarto, quod extremum posui, bonorum notitia facta est.* Quinque autem modis fieri rerum notitias dicebat Zeno, ut est apud Laërtium: κατὰ πτῶσιν, καθ' ὁμοιότητα, κατ' ἀναλογίαν, κατὰ σύνθεσιν, ἢ κατ' ἐναντίωσιν.

Magnam rem puta, unum hominem agere] Id est, constare sibi, neque mutari ac fluctuare. Itaque de Helcana patre Samuelis, principio Regum dicitur, *Fuit unus vir.* Et hoc ita interpretatur S. Hieronymus principio commentariorum in Job: *Fuit unus vir. Non enim per diversa mobilis & instabilis ferebatur, sed firmus atque inconcussus persistens, vir unus erat.*

Digitized by Google

IN EPISTOLAM CXXI.

Litigabis] Esse unicuique animali constitutionis suae sensum: eamque esse primam naturae conciliationem. Laërtius: τὴν δὲ πρώτην ὁρμὴν φασὶ τὸ ζῶον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτὸ, οἰκειούσης αὐτὸ ἑαυτῷ τῆς φύσεως ἀπ' ἀρχῆς, καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τέλους, πρῶτον οἰκεῖον λέγων εἶναι παντὶ ζώῳ τὴν αὐτοῦ σύστασιν, καὶ τὴν ταύτης συνείδησιν. Hinc sunt illa Ciceronis e primo de Officiis: *Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur*. & quae sequuntur. & illa Catonis e tertio de Finibus: *Placet iis*, inquit, *quorum ratio mihi probatur, simul atque natum sit animal, ipsum sibi conciliari & commendari ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea quae conservantia sunt ejus status diligenda*. Sed & in quinto de Finibus idem locus a Pisone tractatur, & saepe alias.

Judicium accipient] Litem tecum contestabuntur.

Sensum autem esse] Unumquodque animal sentire vim suam, probat ex eo, quod suapte sponte, etiam cum adhuc tenerum & infirmum est, secundum naturam movetur. Qua de re ita Cicero: *Serpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti videmus boves, vespas aculeis: suam denique cuique naturam esse ad vivendum ducem.*

Omnia animalia dialectica] Qui constitutionis suae sensum inesse a natura in animalibus a primo satu negabant, hoc argumento nitebantur. Ne homines quidem, nisi perquam pauci, quidnam illa constitutio sit, intelligunt. Multo minus igitur bestiae. Respondet Seneca, id tum demum processurum, si de exquisita illius cognitione loqueremur. Nunc de crassa quadam & confusa cognitione sermo est, qualis etiam in bestias cadit. Nam si nullius rei notitiam habere diceremur, nisi cujus vim ac naturam definiendo explicare possemus, non multarum sane rerum cognitione gloriari nobis liceret. Equidem quid lapis sit, quid aurum, quid argentum, quid equus, quid bos, scire utcunque videor: quorum tamen, ut aliarum innumerabilium rerum in quotidiano usu positarum, si quis a me definitionem requirat, tempus mihi ad cogitandum postulabo: fortassis etiam, cum bene ac diu cogitaro, non habebo quod respondeam. Ne bene quidem va-

valere, aut aegrotare me ſentiam: cum inter ipſos quoque medicos de ſanitatis ac morbi definitione ambigatur. *Obmuteſcendum nobis fuerit*, ait Galenus, *ſi ea tantum noſſe dicamur, quorum definitiones tenemus.* Hac de re operae fuerit videre, quae is quem modo laudavi, medicus ſcripſit, in commentario, quo reſpondet ad ea quae in Aphorismis Hippocratis reprehenderat Julianus.

IN EPISTOLAM CXXII.

Et amicitia Tiberii notus & frigore] Quod cum apud Tiberium aliquando plurimum potuiſſet, ab eo poſtea neglectus eſt. Ita dixit *frigore*, ut Horatius,

— *& majorum ne quis amicus frigore te feriat.*

Sic Terentius:

Nimirum hic homines frigent.

IN EPISTOLAM CXXIII.

Octavam prohibent] Non ſinunt eos hora octava coenare. Ab illa enim incipiebant, qui genio liberius indulgebant. Haec erant quae vocabant *tempeſtiva convivia*: quod de die fierent, & tempeſtivius, quam frugi homines epulandi cauſſa diſcumbere ſolerent. Catullus:

Vos convivia ſumptuoſiora
De die facitis.

Juvenalis:

Exul ab octava Marius bibit, & fruitur diis
Iratis: at tu victrix provincia ploras.

Plerumque tamen expectabant nonam. Cicero: *Accubueram hora nona.* Martialis:

Imperat extructos frangere nona thoros.

In ſequentibus multa, ut & in ſuperioribus, emendavi. quae ex collatione cognoſci ac dijudicari, quam a me appendi annumerarique malo.

Digitized by Google

IN LIBRUM DE PROVIDENTIA.

VERA hujus libri inscriptio haec est: *Quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia.* Ea non tantum in libro Siculo totidem litteris legitur, sed, quod pluris est, apud Lactantium in libro de Justitia.

Quid ita si providentia] Ita impius quidam philosophus apud Plutarchum; si is liber Plutarchi est, quod non credo: neque me a sententia aut Stobaei, aut Eusebii demovet auctoritas: libro primo περὶ τῶν δρτιπόνων τοῖς φιλοσόφοις· Πῶς δὲ εἶπε ὁ θεὸς ἐν, καὶ τῇ τοῦτο φησι. εἰδὶ τὰ τῶν ἀνθρώπων οἰκονομεῖται, τὸ μὲν κίβδηλον ἀνέχει, τὸ δ' ἀγαθὸν παντάπασι πάσχει; Ἀγαμέμνων τε γὰρ, Ἀμφίτρυων, βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητὴς, υἱὸν μείζω καὶ μοιχαλίδης ἐτέθειτο ἰδιοφονήτη. καὶ ὁ τοῦτο δὲ συγγενὴς Ἡρακλῆς παλαὶ τῶν ἐπιλυμαινομένων τὸν ἀνθρώπινον βίον κωλύσας, ὑπὸ Δηϊανείρας φαρμακοδοθεὶς ἰδιοφονήθη. Et Cynicus Jovem alloquens, Διὶ ἀλεξικάκῳ· Οὐκοῦν μικὸν ἔκεινο ὑμῖν ἔμελεν, εἰ τι καὶ τὸν σοφώτατον, καὶ τὸν εἰμαρμένην, τί δήποτε Φωκίων μὲν ὁ χρηστὸς ὧν τοσαύτη πενίᾳ καὶ σπάνει τῶν ἀναγκαίων ἐκπίπτει, καὶ Ἀρισείδης ὡσαύτως. Κλεάνδρος δὲ καὶ Ἀλκιβιάδης ἀνέλαττε μεταφέρεται ὑπερπλήττουν, καὶ Μιλτιάδης ὁ ὑβρισθεὶς, καὶ Χάρων ὁ Αἰγινήτης, κίνδυνος ἀνδρώπος, τὸν μεγίστου λιμοῦ ἀπαντήσας, καὶ πάλιν Σωκράτης μὲν παρεδόθη τοῖς ἰδίοις, Μίλητος δὲ ὁ παραδόθη. καὶ Σαρδανάπαλλον μὲν ἐβασίλευσαν, ἦλυς ἂν· Περσῶν δὲ πολλοὶ καὶ ἀγαθοὶ ἄνδρες ἀνεσκολοπίζοντο ὑπὸ αὐτῶν, διότι μὴ ἐρίσκοντο τοῖς γεγονόσιν. ἵνα ὑμῖν μηδὲ τὸ νῦν λέγω, καθ' ἕκαστον ἐπιξιὼν, τοὺς μὲν πονηροὺς εὐδαιμονοῦντας, καὶ τοὺς πλουσίους· ἀγαθοὺς δὲ καὶ φιλομένους τοὺς χρηστοὺς, ὑπὸ πενίας καὶ νόσους καὶ μυρίοις κακοῖς πιεζομένους.

Si providentia] *Pronoean* aut *providentiam* cum dicebant Stoici, nullo addito, divinam providentiam intelligebant. Cicero II. de Natura deorum: *Ut si quis dicat, Atheniensium remp. consilio regi: desit illud, Areopagi: sic cum dicimus, providentia mundum administrari, deesse arbitrator, Deorum, plane autem & perfecte sic dici existimato, providentia deorum mundum administrari.*

In contextu operis] Quod non extat. Significat autem magnum illud opus, quo universam moralem philosophiam complexus erat: cujus crebra in epistolis mentio.

Ma-

Manente lite integra] De providentia: non quidem tecum: sed cum iis qui eam negant.

Supervacuum est] Tum quia per se notum est: tum quia tu id non negas. Breviter tamen tangit, quasi praeteriens, multa argumenta, quibus divinum esse aliquod numen, quod huic rerum universitati praesideat, intelligatur. quorum primum est, mundi ipsius magnitudo, quae carere custode non potest. Sic apud Ciceronem Balbus: *An vero*, inquit, *si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut, etsi dominum non videas, muribus illam & mustelis aedificatam putes: tantum vero ornatum mundi, tantam varietatem, pulchritudinemque rerum caelestium, tantam vim & magnitudinem maris atque terrarum, si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, non plane desipere videare?* Sed haec argumenta & in secundo de Natura deorum, & a Lactantio in lib. de ira dei, & a Theodoreto, decem aureolis orationibus divinitus explicata sunt.

Et quae casu] In iis quae casu aguntur, nullus ordo, nulla constantia est. In mundo omnia ordinatim constanterque fiunt. Non igitur casu aguntur. Quod si est, sequitur, ut mente ac consilio regantur.

Aeterna legis] ita vocabant mentem, ac consilium divinum: sive, ut Cicero lib. 11. de Legibus loquitur, *rationem rectam summi Jovis*. & eo sensu dixerat Pindarus, νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς, θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, ut est apud Platonem in Gorgia. quod etiam a Pind. sumptum posuerat Chrysippus lib. primo περὶ νόμου, ut est in l. 2. D. de legibus. Et apud Hecubam Eurip. (*) ait, legi illi etiam deos parere ac subesse:

Ἡμεῖς μὲν οὖν θεοὶ τὸ μὴ ἀσθενεῖς ἴσως.
Ἀλλ' οἱ θεοὶ σθένουσι, καὶ κείνων κρατεῖ
Νόμος.

Fortasis etiam fatalem quandam necessitatem, qua somniabant & homines & deos teneri: de qua alio loco dicturi sumus.

Non esse materiae errantis hunc ordinem] Adversus Epicureos, qui haec omnia temerario atomorum concursu fieri ac constare dicebant.

Mol.

(*) Scribe, *apud Euripidem Hecuba.*

Molliant terras] Suapte sponte aridissimas, ideoque durissimas.

Nec ullum incrementum] *Omnia flumina intrant in mare: & mare non redundat* Ecclesiastae cap. 1.

Ex minimis seminibus] Cicero: *Seminis enim vim esse tantam, ut id, quanquam sit perexiguum, tamen, si inciderit in concipientem comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, quâ ali augerique possit, ita fingat & efficiat in suo quidque genere.* Utitur eodem argumento ad ostendendam providentiam & Simplicius in Epictetum.

Ne illa quidem] Non tantum ea, quae ita certa sunt & composita, ut in eis manifesto vis consilii & rationis appareat, sed ea etiam quae videntur incerta & temeraria, certo tamen consilio administrantur.

Nova insularum in vasto exilientium mari spatia] Exemplum hujus rei est apud Livium ad finem libri xxxix. Vide Plinium capite xcvii. libri secundi.

Ut bona bonis noceant] Hac de re copiose dixi secundo commentariorum in libros Platonis de Rep.

Inter bonos viros ac deum amicitia est] Unde colligebat Diogenes Cynicus, omnia bonorum virorum esse: quod & deorum omnia essent, & amicis omnia inter ipsos communia.

Conciliante virtute] Quam eandem esse dicebant in homine & in deo. Cicero primo de Legibus.

Bonus ipse tempore tantum a deo differt] Itaque dicebant, hominem esse mortalem deum: deum vero hominem immortalem. Sed hoc multo quam par est audacius ac superbius dictum est.

Discipulus ejus] Ἔστε οὖν πάντες θεοδίδακτοι.

Aemulatione] Estote imitatores dei.

Et vera progenies] Erunt filii Dei. dicas interdum hunc hominem litteras sacras attigisse ac degustasse.

Nec hoc dico, non sentit illa] Nam ἀναισθησία vitium potius esset. Notum est, quid Plato dixerit in Diogenem: eum is, ostentandae patientiae caussa, columnam marmoream nudus media hieme amplecteretur: *Si sentis, stulte facis: si non sentis, nihil magni facis.*

Exercitationes] Recte Sunt enim aut γυμνάσιαι ἐπιτάσεις, aut ὑγιεινάσιαι χρήσεις Simplicius in Epictetum.

Ecce par deo dignum] Usitato in gladiatoribus verbo usus est, ut & statim, *compositus*. Lucilius: *Cum Placide*,

dejano hic componitur. & in hoc ipso libro: *Ignominiam judicat gladiator cum inferiore componi.*

Jam Petrejus & Juba concurrerunt, jacentque alter alterius manu caesi] Mirabilis in horum morte narranda historicorum dissensio est. Hic noster ait, eos mutuis vulneribus caesos; idque factum Catone nondum mortuo. At Hirtius in lib. de bello Africano, *Rex interim Juba*, inquit, *ab omnibus civitatibus exclusus, desperata salute, cum omnia conatus esset, cum Petrejo, ut per virtutem interfecti esse viderentur, ferro inter se depugnant. Firmior imbecilliorem Juba Petrejum facile ferro consumpsit. Deinde ipse sibi cum conaretur gladio trajicere pectus, nec posset, precibus a servo suo impetravit, ut se interficeret: idque obtinuit.* Sed hoc, Catone jam mortuo, factum esse dicit. Hujus igitur testimonio, valentior fuit Juba. At Florus lib. 4. hoc modo: *Juba cum se recepisset in regiam, magnifice epulatus cum Petrejo fugae comite, super mensas & pocula, interficiendum se ei praebuit. ille & regi suffecit, & sibi.* En tibi valentiorem Petrejum. In hoc autem consentit Florus cum Seneca, quod id factum narrat, antequam manus sibi adferret Cato. Livius, quantum ex epitoma libri CXIV. colligitur, de Petrejo cum Floro facit: de tempore dissentit. Prius enim narrat mortem Catonis. Dio libro XLIII. idem sentire videtur, quod Seneca; Appianus Hirtii sententiam sequitur. Quid in hac varietate facias? Quid, nisi ut dormias potius, quam in his, quibus neque melior quisquam, neque sapientior fit, subtiliter conquirendis otium conteras?

Si miraris hoc pro aliquo esse] Hoc ipsum argumentum ita exposuit Simplicius: Εἰ οὖν τὴν τῶν σωμάτων ἰατρικὴν γυμνάζουσαν καὶ καίουσαν, καὶ κατατείνουσαν, καὶ μόρια ἀποκόπτουσαν, καὶ τὰ αὐτὰ τοῖς ἀφειδῶς κολαζομένοις ἀνθρώποις ποιοῦσαν, οὐ κακὸν λέγομεν, [illegible]θὸν, καὶ χάριν, καὶ μισθὸν τελοῦμεν τοῖς ἰατρεύουσι, διὰ τί τὴν τοῦ θεοῦ ἰατρείαν οὐκ ἀγαπῶμεν;

Et radi ossa, & legi, & extrahi venas] Legebantur ossa mortuis. Homerus:

Ἠῶθεν δή τοι λέγομεν λευκ' ὀστέ' Ἀχιλλεῦ. Virg.
Ossaque lecta cado texit Corinaeus aheno. Propert.
Ossaque legisti, non illa aetate legenda,
Patris.

Hic noſter lib. 2. de Ira: *Dignus fuit, cui permitteret a convivio ad eſſa filii legenda diſcedere.* Atque hoc quamlibet multis veterum teſtimoniis confirmari poteſt. Sed & in curandis ulceribus non raduntur modo, ſed & exciduntur: ut videre eſt apud Celſum lib. 8. quibus autem exciduntur, iis etiam vivis leguntur. Venae etiam noxiae, ut in varicibus, aut aduruntur, aut exciduntur, & eximuntur. Vide Celſum libri ſeptimi cap. xxxi.

Longinqui litoris piſces] Ut muraenas & anguillas Siculas, oſtrea Lucrina, Coracinos Niliacos, lupos ex Timavo, acipenſeres Rhodios. Horat

Sed non omne mare eſt generoſae fertile teſtae.
Murice Bajano melior Lucrina peloris.
Oſtrea Circaeis, Miſeno oriuntur echini.
Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum.

Talia multa collegerat Varro περὶ ἁρπαγμάτων. Vide Agellium libri VII. c. XVI. Scripſerat & Ennius eodem argumento φαγητικὰ, ex quibus verſus aliquot leguntur apud Appulejum Apologia prima: ſed valde corrupti. Scripſerant Antiphanes & Hermippus: quorum multa extant apud Athenaeum. Vide & Macrobium lib. 3. Saturnaliorum, & Clementem lib. 2. Paedagogi.

Peregrina aucupia] Ut attagenas Jonicas. Martialis:

Inter ſapores fertur alitum primus,
Jonicarum guſtus attagenarum.

phoenicopteros: quorum etiam linguis patinas implebant: ut & in ſuperioribus diximus. Idem:

Dat mihi penna rubens nomen, ſed lingua guloſis
Noſtra ſapit.

phaſianos, gallinas Numidicas, porphyriones, pavones Samios, & ſimilia.

Feras] Ut apros. Juvenalis: *quanta eſt gula, quae ſibi totos*

Ponit apros, animal propter convivia natum. Martial.
Spumeus in longa cuſpide fumat aper. Idem:

Qui

Digitized by Google

Qui Diomedeis metuendus ſetiger agris,
Aetola cecidit cuſpide, talis erat.

Mirum eſt autem, tantopere illis placuiſſe vaſtos illos & immanes apros, cum tenellos conſtet eſſe ſuaviores: niſi forte qui minore periculo capiebantur, minus placebant. Oryces. Martialis:

Matutinarum non ultima praeda ferarum,
Saevus oryx, conſtat quot mihi morte eanum.

onagros, laliſiones, dorcadas, cervos, ejusdemque generis alia.

Pigritiam ſtomachi nauſeantis] In eum enim uſum illa ſumebant. Horatius:

Toſtis marcentem ſquillis recreabis & Afra
Potorem cochlea. Idem:
Languidus in cubitum cum ſe conviva reponit.

Itaque quod alii cibum capiunt, ut eſurire deſinant: illi eo capiebant, ut pleni ac diſtenti denuo eſurirent.

Ingenti pomorum ſtrue] Ita enim apponebant aprum: ut indicarent, eum talem pomorum quaſi ſtragem edere ſolitum eſſe. Sic ſquillas cingebant aſparagis. Juvenalis:

Aſpice, quam longo diſtendat pectore lancem,
Quae ſertum domino ſquilla, & quibus undique cincta
Aſparagis, qua deſpiciat convivia cauda,
Cum venit, excelſa manibus ſuſtinta miniſtri.

Sullae diſtatori] Petenti, ut Romam rediret.

Supra Servilium lacum] Cicero pro Sext. Roſcio Amerino: *Multos caeſos non ad Traſimenum lacum, ſed ad Servilium vidimus.*

Spoliarium] *Vestiaria* ſunt ea, quae in cuſtodiam receptus ſecum attulit: *ſpolia*, quibus indutus eſt, cum ad ſupplicium ducitur. L. *Divus Hadrianus.* D. de bonis damnatorum. Ea milites plerumque inter ſe dividebant. Inde *Spoliarium* locus, ubi exui ſolebant. Seneca: *Nunquid aliquem tam cupidum eſſe vitae putas, ut jugulari in ſpoliario, quam in arena malit?* Plin. in Panegyrico:

Nunc

Nunc templum, non spoliarium civium, cruentarumque praedarum saevum receptaculum. Lamprid. in Commodo: *Gladiatoris cadaver trahatur. gladiatoris cadaver in spoliario ponatur.*

Vomitu remetientur] Frequens erat apud veteres vomendi consuetudo. Juvenalis: *Bibit & vomit.* Idem: *Crudum pavonem in balnea portas.* Suetonius de Vitellio: *Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens: & ut statim supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur ad exonerandum stomachum.* Sed & Caesarem vomere solitum ostendunt illa ex oratione pro Dejotaro: *Cum te post coenam vomere velle dixisses.* Et puto eum, diem sibi unum solitum deligere ex mense, quo coenaret copiosius, ut postea vomeret. Cicero de eo ita scribit lib. XIII. ad Atticum: *Unctus est, accubuit,* EMETIKHN *agebat. Itaque & edit & bibit* AΔΕΩΣ *& jucunde, opipare sane & apparate.* In illo autem ἐμετικὴν puto intelligendum, ἐμέτων. S. Hieronymus lib. 2. adversus Jovinianum: *Multi impatientiam gulae vomitu remetiuntur,* (male vulgo legitur, *remediantur*) *& quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt.* Adhibebant ejus rei causa drimyphagian, id est, esum acrium, & salsorum, sumebantque omotarichum, raphanum, erucam, salsamentum vetus, origanum viridem, caepas, porrum, & talia. Auctores Dioscorides lib. primo, Paulus Aegineta lib. primo & lib. quarto. Atque hoc commendat Galenus libro quinto de usu partium, & laudat veteres medicos, qui tales vomitiones imperarent aut semel aut etiam bis quot mensibus. At Plinius lib. XI. c. LIII. ait, eis frigidiora effici corpora, oculosque ac dentes insigniter laedi. Plutarchus quoque in libro de valetudine tuenda, vomitum & purgationem alvi per medicamenta, vocat turpia redundantiae remedia, & damnat.

Qua animi permadescunt] Ita hoc verbo usus est Plaut.

Continuo pro imbre amor advenit in cor meum.
Is usque in pectus permanavit: permadefecit cor meum.

Non est arbor solida] Κίνησις γὰρ ἀφανίσει, ἀργὴ δὲ πάχυνσις, ait Hippocrates,

Fata nos ducunt] Sic alibi:

Du-

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

& Manilius:

Fata regunt orbem: certa ſtant omnia lege.
Naſcentes morimur: finisque ab origine pendet.

& Seneca tragicus:

Fatis agimur. cedite fatis.

Fatum vocabant antiquisſimi conſilium Jovis, quo regerentur omnia. Itaque apud Homerum cum legerent: Διὸς δ' ἐτελείετο βουλὴ, fatum intelligebant. Eandem αἶσαν vocabant. quam ait Homerus unicuique hominum naſcenti nere id quod ipſi eventurum eſt. Juno Iliados ύ de Aenea loquens:

ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται ἄσσα οἱ αἶσα
Γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Eandem, τὸν τοῦ παντὸς λόγον, id eſt, mentem & animum mundi: Ζῆνα, tanquam τοῦ ζῆν αἴτιον: & εἱμαρμένην, tanquam εἱρμόν τινα omnium quae fierent: & Δία, ὅτι πάντα οἱ αὐτοῦ, & πεπρωμένην, quod certa ac definita esſet. eandem Plato libro x. de Republica vocat Ἀδραστείας νόμον. His autem omnibus nihil aliud ſignificabant, quam Deum; ut praeclare diſputatur ad finem ψευδαριστοτελείου libelli de mundo ad Alexandrum: & apud Ciceronem in Academicis. Hic ſi ſubſtitisſent, ferri poterant. Sed progresſi ſunt ulterius, ut dicerent, esſe ordinem quendam neceſſarium in rebus omnibus ex omni aeternitate conſtitutum: cui non inferiora modo haec, ſed & Deus ipſe ſerviret: ita ut eum mutare non posſet. Hunc ita definiebat Chryſippus, ut diceret, fatum esſe ſempiternam quandam & indeclinabilem ſeriem rerum & catenam, quae ſemet ipſa volveret, & implicaret per aeternos conſequentiae ordines ex quibus apta connexaque esſet. Ergo Jupiter ipſe Iliados χ. dolet, ſe Sarpedona morti eripere non posſe; quod ei fatale esſet, tunc a Patroclo interfici:

Ὤμοι ἐγὼν ὅτε μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν
Μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.

&

& inde est illud Simonidis: ἀνάγκῃ οὐδὲ θεοὶ μάχονται. & veteris cujusdam poëtae apud Ciceronem:

Quod fore paratum est, id summum exuperat Jovem. In quo insaniebant. In Deo enim libera & absoluta rerum omnium potestas est: necessitas nulla. Hoc tamen diligentissime observabant, ne Deum mali auctorem facerent. Itaque in illa oratione Lachescos, quae Necessitatis filia dicitur, libro decimo de Rep. ita scriptum est: ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον. ἣν τιμῶν καὶ ἀτιμάζων, πλέον καὶ ἔλαττον αὐτῆς ἕκαστος ἕξει· αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος. Et apud Homerum lib. 1. Odysseae, Jupiter ait desipere homines, cum malorum caussam referunt in deos, in quae ipsi sua se stultitia conjiciant:

Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακ' ἔμμεναι. οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι.

Nobis Christianis satius est, ut *Fortunae*, ita *Fati* nomine abstinere. Quodsi quis, cum fato omnia regi ait, divinum consilium a se *fati* nomine intelligi dicit, *sententiam*, ut ait S. August. *teneat, linguam corrigat.* Vulgo enim *fati* nomine accipiunt commenticiam quandam necessitatem, quae ex sideribus pendeat: quae merum somnium est. *Absit*, ait S. Gregorius, *a fidelium cordibus, ut fatum esse aliquid dicant.* Ut a tam impiarum opinionum foeditate longissime abesse, ita omnes voces, quae illarum suspicionem movere aliquam possint, studiosissime vitare debemus. Si Christiani sumus, utamur & moribus & vocibus Christianis.

Non potest artifex mutare materiam] Stulta & haec opinio de origine malorum. Materiam continuisse in se malorum omnium semina: eam autem a Deo non potuisse mutari. Tangit hanc Arnobius lib. 1. advers. Gent. his verbis: *Quid enim, si prima materies quae in rerum quatuor elementa digesta est, miseriarum omnium caussas suis continet rotationibus involutas?* Non cogitabant videlicet, ut cetera omnia, sic materiam ipsam a Deo conditam esse. *Vidit autem Deus omnia quae fecerat: & erant valde bona.* Itaque malorum origo aliunde repetenda, & aliter explicanda est.

Ferte fortiter, hoc est, quo deum antecedatis] Haec vero

vero intoleranda Stoicorum arrogantia est. Parum putarunt, sapientem suum cum deo conferre: etiam anteposuerunt. Haec monstra opinionum perterrefacere nos debent, ne unquam ingenio nostro confisi, quidquam de rebus divinis temere aut statuere, aut pronuntiare audeamus.

IN LIBRUM PRIMUM DE IRA.

Hi libri, ut pleraque hujus scriptoris, ita mutili decurtatique sunt, ut justa prope caussa fuerit graviter iis irascendi, quorum id negligentia contigit: nisi ipsimet irasci nos vetarent. Feramus hanc quoque jacturam aequo animo: & ex iis quae supersunt, quae nobis usui sint, studiose colligamus. Novatum hunc Senecae fratrem fuisse, sunt qui suspicentur: & ego ab eorum sententia non abhorreo.

Fervens cupiditate] Ita melius puto, quam, ut in aliis, *fruens*.

Ultionis secum multa tracturae] Magnas strages, magnas ruinas daturae. Hic quoque conjecturae aliquid datum est. alii enim libri habebant, *tractare*.

Iram dixerunt brevem insaniam] μανίαν ὀλιγοχρόνιον. Horatius: *Ita furor brevis est*.

In quod coepit pertinax] ἐμμενὲς ὅπτη ὀρούσαι. ut Timon in Sillis de Anaxarcho dixerat.

Jam vero] Hucusque docuit, quam foeda ac turpis sit ira. nunc, quae damma hominum generi importet.

Tanquam aut curam] Non est dubium, quin hoc loco multa desint. In quibus, quantum e sequentibus manifesto perspicitur, definierat iram, exigendae poenae cupiditatem. Deinde argumentatus erat adversus eam definitionem: & inter cetera argumenta illud quoque posuerat, quod populus interdum gladiatoribus ignave se gerentibus irascitur: a quibus tamen nullam injuriam accepit: ut propterea poenam ab eis exigi velit. Respondet autem Seneca, illam non esse veram iram, sed tantum quandam inanem irae similitudinem. Hac ipsa de re ita Cicero pro Milone: *Etenim si in gladiatoriis pugnis & in infimi generis hominum conditione atque fortuna timidos & supplices, &, ut vivere liceat, obsecrantes, etiam odisse solemus: fortes & animosos, & se acriter ipsi morti offe-*

offerentes ſervare cupimus: eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortiſſimis civibus facere debemus?

Iraſcimur, inquit] Alterum argumentum adverſus eandem finitionem. Poenam exigere non cupimus ab iis, qui nos laeſuri ſunt, ſed ab iis tantum qui laeſerunt. Iraſcimur autem etiam iis qui de nobis laedendis cogitant, quamvis nondum laeſerint. Non eſt igitur ira cupiditas poenae exigendae. Reſpondet, eos qui laedere nos cupiunt, animo jam & cogitatione laedere.

Ut ſcias, inquit] Tertium argumentum. Nemo usque eo infirmus eſt, ut vel potentiſſimo non iraſcatur. Neque tamen ſperat, niſi plane deſipiat, ſe ab eo poenas exacturum. Aliud igitur eſt iraſci, aliud poenam concupiſcere. Duplex hic reſponſio eſt. nam & multa cupimus quae non ſperamus: & in tanta rerum humanarum inconſtantia ſperare poenam etiam infirmiſſimus a potentiſſimo poteſt.

Primum diximus] Ubi dixit, ſi nihil deeſt? Sed jam ſupra monui, multa deſiderari.

Concupiſcunt autem homines & quae non posſunt] Quaeri poteſt, verum ne ſit quod hic dicitur, concupiſcere homines etiam ea quae non posſunt, an id ſanae mentis hominibus uſu venire non poſſit. Ariſtoteles quidem libro ſecundo Rhetoricorum videtur aliter ſentire, quam Senéca. negat enim, quenquam cupere ea quae ſe conſequi non poſſe opinetur. Verba ipſius haec ſunt: Οὐδεὶς δὲ τῶν φαινομένων ἀδυνάτων ἐφίεται αὐτῷ. At Ariſtoteles loquitur non ſimpliciter περὶ τῶν ἀδυνάτων, ſed περὶ τῶν φαινομένων ἀδυνάτων αὐτῷ. Fieri autem poteſt, ut iratus quis concupiſcat ea quorum compos effici non poteſt: cum tamen ipſe, ira oceaecatus aliter opinetur: aut certe interea non cogitet, fieri illa posſint, an minus. Non pugnant autem haec: neminem cupere ea quae ſe nullo modo putet conſequi poſſe: & multos cupere ea quae conſequi non posſint, cum aut ipſi errore ducti aliter de iis judicent, aut interea non cogitent talia eſſe. Sed nonne plena vita exemplorum eſt, multa cupere homines, quae ſciunt nullo modo fieri poſſe?

Nunc ego Triptolemi cuperem conſcendere currus,

ait

ait Ovidius: & alio loco:

O utinam ſubito fieri mea munera poſſem.

Ita igitur excors erat, ut id putaret poſſe fieri? Quin etiam gravisſimus philoſophorum Plato, in quibusdam verſibus, ait, ſe cupere fieri caelum, ut pluribus oculis intueretur in eum quem libenter videbat. Et Anacreontis aliorumque poëtarum multa conſimilia vota ſunt. Sed animadvertendum eſt in primis ipſum loquendi genus, quo in talibus utimur. Nemo enim ſanus ita dicit, Cupio volare: aut, Cupio fieri annulus. Sed, Cuperem volare; Cuperem hoc aut illud fieri. qua oratione non id ſignificatur, eum qui id dicit, ſimpliciter cupere: ſed quid cuperet, ſi id quod dicit, fieri poſſet. *Vellem dii immortales fecisſent*, ait Cicero in deploranda Sulpicii morte, *ut vivo potius Ser. Sulpicio gratias ageremus, quam honores mortuo quaereremus.* Muta: ubi eſt *vellem*, ut ſit, *volo*, ceteraque huic verbo conſequenter: inſani hominis oratio videbitur, quae nunc pietatis humanitatisque plenisſima eſt. Intelligendum eſt illud quoque, verbo *cupiendi* aut *concupiſcendi* nonnunquam ſignificari ſimplicem quandam animi, ſine ullo conatu motionem: ut, cum dicimus, Cuperem ita eſſe: aut, Utinam eſſet: atque hoc modo cupere dicimur etiam ea quae fieri non queunt: & inde ait Ariſtoteles tertio Ethicorum, voluntatem eſſe etiam τῶν ἀδυνάτων: interdum adſignificari eo verbo etiam conatum quendam & ſtudium ac contentionem animi ad efficiendum id quod concupiſcitur: & hoc ſenſu nemo unquam ſanus ea quae ſe nullo modo praeſtare ac conſequi poſſe intelligeret, concupivit.

Cupiditatem doloris reponendi] τὸ ἀνταλγῆσαι.

Sed dicendum eſt feras ira carere, & omnia praeter hominem] Eſt & haec una de admirabilibus illis Stoicorum ſententiis, feras non iraſci, ſed tanquam iraſci; non metuere, ſed tanquam metuere: nullum denique eſſe in eis animi πάθος, ſed tantum impetus quosdam eorum ſimiles. πάθος enim eſſe averſionem quandam a ratione. quare in quibus ratio non eſſet, in eis ne pathos quidem eſſe poſſe. Diſputantur quaedam adverſus hanc ſententiam a Galeno in libris de decretis Hippocratis & Platonis.

Regium enim illud] τὸ ἡγεμονικόν: quod ſtatim vocat *principale.*

Digitized by Google

Apud Graecos] Alii enim dicuntur proprie ἐρεθίλοι, qui cito irascuntur, cito placantur: alii ἀκρόχολοι, alii πικροὶ, alii χαλεποί. Vide Aristotelem quarto Ethicorum.

Quaedam saevae manu, verbis parciores] Inepte in aliis libris, *quaedam sede manent*. Haec emendatio, ut aliae pleraeque, ex optimo & vetustissimo libro Siculo est.

Quarundam rerum initia] Hac de re vide Aristotelem cap. 5. lib. 3. Ethicorum.

Phrenesin] Scio, Graece dici φρενῖτιν: sed in omnibus cujusque generis Latinis veteribus libris scriptum video *phrenesim*, & *phreneticus*, non, *phreniticus*. Et tamen olim quidam plane phreneticus, sive, ut ipse dici malebat, phreniticus, cum quendam Varronis versum ita edidisem, ut repereram,

Phrenetici, septem trionum filii:

clamabat, omnes qui ita scriberent, & Graeci & Latini sermonis imperitos esse: in me, quasi primus ita scripsissem, invehebatur: ridente me, & cum homine ad conviciandum exercitatissimo certamen refugiente. Non debet autem cuiquam aut mirum aut novum videri, in voce peregrina, quam veteres Latini sibi utendam sumerent, unam litteram mutatam esse. Illi, quae erat apud Graecos ὕλη, non *sylvam* aut *sulvam*, sed *silvam* fecerunt: iidem littera ι in diphthongum mutata, *scaenam* dixerunt, quae illis fuerat σκυνή: neque *tropaeum*, sed *trophaeum*: neque *hyemem*, quamvis erat ab ὖω, sed *hiemem* vocarunt. Nilum, *Melonem*; Ganymedem, *Catamitum*; Odyssea, *Ulixem*; Aeanta, *Ajacem* nominarunt: & talentum noluerunt, quod erat τάλαντον; *talentum* maluerunt. Sed apud insanos, & in eo quod semel dixerunt obstinatos, nihil momenta rationum valent.

Metus ex pavido fecit audacem] Ovidius de Anna sorore Didonis loquens:

— *audacem fecerat ipse timor.*

Invalidum omne, natura est querulum] Idem docet Aristoteles secundo Rhetoricorum.

Quis enim qui medetur irascitur?] Valde huc pertinere mihi videtur id quod de Demonacte memoriae proditum est, eum nunquam visum esse clamantem, aut immodica contentione utentem, aut indignantem, ne tum quidem

cum

cum objurgandus aliquis erat. sed peccata quidem acerbe reprehendere; iis autem qui peccassent, ignoscere soli tam: cum diceret, se id medicorum exemplo facere, qui morbis quidem medentur, ira autem adversus eos qui aegrotant, non utuntur.

Et per tua alienaque volutato supplicia] Ita in Siculo: nisi quod pro *volutato* erat *volutate*. Alii libri misere hic depravati erant.

Perversa induenda magistratui vestis] Praetextati, ut necum est; incedebant magistratus. sed cum civem quempiam capitis damnaturi erant, ponebant praetextam, eamque perversam induebant, id est, partem illius floridiorem ac nitidiorem introrsus ad se vertebant; moeroris significandi gratia. Val. Maximus de C. Macro: *Dum sententiae dicerentur, in moenianum conscendit; indidem eum M. Ciceronem qui id judicium cogebat, praetextam ponentem vidisset; misit ad eum qui diceret, se non damnatum, sed reum periisse: nec sua bona hastae posse subjici. Ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coarctatis, incluso spiritu, poenam morte praecurrit.* Ponentem videlicet praetextam, ut eam perversam indueret: quod signum erat imminentis damnationis.

Et convocanda classico concio est] Ad incutiendum terrorem. Seneca pater: *Ascendit praetor tribunal, inspectante provincia. Noxiae post terga ligantur manus. Statim intento ac tristi omnium vultu, fit a praecone silentium. Adhibentur deinde legitima verba. Canitur ex altera parte classicum.* Tacitus libro secundo Annalium ab excessu Divi Augusti: *In P. Marcium consules extra portam Exquilinam, cum classicum canere jussissent, more prisco animadvertere.*

Et agi jubebo] Sumptum a victimario, qui saepe iterabat, *Agon'?* neque percutiebat victimam, donec agere jussus esset. Ovidius:

Semper, agat ne, rogat: nec nisi jussus agit.

Ita igitur *agendi*, aut *lege agendi*, verbum sumebant & in suppliciis. Seneca pater: *Etiam quibus animadvertere in damnatos necesse est, non dicunt, Occide: non, Morere, sed, Lege age. crudelitatem imperii verbo mitiore subducunt.*

Digitized by Google

Sine ira] Congruit cum dicto Demonactis, quem cum quidam, qui ab Imperatore exercitui & provinciae praepositus erat, interrogasset, quomodo optime imperare posset: Si ira carebis, inquit: &, si pauca loqueris, multa audies.

Advocatio ambitiosior] *Advocationem* vocabant, tempus, quod interdum dabatur a judice, iis qui ad causam suam tuendam non satis instructi erant, advocandorum amicorum causa, quorum consilio & auxilio uterentur. Cicero: *Omnibus unde petitur, hoc consilii dederim, ut binas advocationes postulent.* Hic noster libro sequenti: *Utrique parti daret advocationem, daret tempus, nec semel audiret.* Ita enim legendum, non, ut vulgo, *actionem.* Idem tertio horum librorum: *Si in hoc petita erit advocatio, apparebit, judicium esse, non iram.* & paulo post: *Dum conspicimus, dum nostri sumus, advocemus.*

Nemo prudens] Platonicum. Si certo constare posset, neque eos qui peccarunt, neque alios eorum impunitate permotos, postea peccaturos esse, poena cessaret.

Sine missione] Ea lege, ut alter cadat. Appulejus: *Hodierna pugna non habet missionem.*

ΠΗΜ' ΑΝΑΒΙΒ' Η ΕΓΩ ΣΕ] Anni sunt amplius triginta, cum hic locus ita a me restitutus est. In libro autem Siculo ita plane omnibus litteris scriptum est. Legitur & eodem modo apud Dionem.

IN SECUNDUM LIBRUM DE IRA.

Benigniorem] Faciliorem ad tractandum, & in qua liberius excurrere posset oratio. Mela libro primo: *Quem persequi longa est magis quam benigna materia.*

Species oblatae injuriae] Hoc est quod Aristoteles dicit, iram existere ἐπὶ φαινομένῃ ἀδικίᾳ.

Quid sit ira] Sed nonne priore libro, profligata jam haec quaestio est? Neque hoc tam quaeritur, quid sit ira, quam quas animo semel occupato vires habeat. Fortasis igitur legendum, *Quid possit ira.*

Ipsi puero] Ptolemaeo, cujus jussu Pompejus interfectus est.

Manum ad arma misisse] Cum Diogenes diceret, melio-

Digitized by Google

liorem ſibi eum muſicum viſum iri, ſi eos cantus reperisſet, quibus Alexander incitatus & furens cohiberi ac reprimi poſſet. Facile eſt enim eo quemque impellere, quo ſuapte ſponte propenſus eſt.

Judicia patris] Agit de inofficioſo.

Septa] In campo Martio: quae alio nomine *ovilia* vocabantur.

Infitiationes] Ut eorum qui mutuum, aut depoſitum abnegant. Martialis:

In jus o fallax atque infitiator eamus.

Formido] Hujus meminit & libro primo de clementia. Virgilius:

Puniceaeque agitant pavidos formidine pennae.

Hanc Gratius ita deſcribit:

Sunt, quibus immundo decerptae vulture plumae
Inſtrumentum operis fuit, & non parva facultas.
Tantum inter nivei jungantur vellera cygni.
Et ſatis armorum eſt. hae clara luce coruſcant.
Terribiles ſpecies. ab vulture dirus avaro
Turbat odor ſilvas, meliusque alterna valet res.

Nemeſianus:

Linea quin etiam, magnos circumdare ſaltus
Quae poſſit, volucresque metu concludere praedas,
Digerat innexas non una ex alite pinnas.
Namque urſos, magnosque ſues, cervosque fugaces
Terrificant, linique vetant tranſcendere ſeptum.

Seneca tragicus:

Picta rubenti linea pinna
Vano claudat terrore feras.

Nec ut quibusdam viſum eſt] Adverſus nobilem & omnium ſermone celebratam Heſiodi ſententiam, qua *virtutem in arduo, nequitiam in procliyi eſſe* dicit.

Inite modo] Verbum uſitatum etiam in formulis. *Utrisque ſuperſtitibus praeſentibus, hanc viam dico. Inite viam.* Quidam tamen qui recta corrigebat, depravata magis etiam diſtorquebat, mutare hoc apud Ciceronem voluit.

Digitized by Google

Nec praedam] Male antea, *nec praedonem*.

Refert quantum quisque] Vide Galeni libellum, ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κράσεσιν ἕπεται.

Quod pueris Plato negandum putat] Plato lib. 2. de legib. πρῶτον μὲν τοὺς παῖδας μέχρις ἐτῶν ὀκτωκαίδεκα τοπαρόπας οἴνου μὴ γεύεσθαι· διδάσκοντες, ὡς οὐ χρὴ πῦρ ὀχετεύειν εἴς τε τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν, πρὶν ἐπὶ τοὺς πόνους ἐγχειρεῖν πορεύεσθαι, τὴν ἐμμανῆ εὐλαβούμενοι ἕξιν τῶν νέων.

Quod flenti negatum fuerit, quieto offeratur] Expressit vocem usitatam olim nutricibus ad pueros flentes: *Desine flere, & accipies.* Μὴ κλαῖε, καὶ λήψῃ. Plutarchus περὶ ἀοργησίας.

Ille tyrannicida] Zenonem Eleaten dicit. de quo vide Valerium libri tertii capite tertio, & Laërtium in vita ipsius.

Ab Hippia] Ita plane liber Siculus. sed hunc tyrannum alii *Phalarim*, alii *Nearchum*, alii *Diomedontem*, vocant.

Ubi animum simul & corpus] Hac de re ita Plutarchus: οὐδὲ γὰρ ἀρχὰς ἔχει μεγάλας ἀεὶ καὶ ἰσχυράς. ἀλλὰ καὶ σκῶμμα καὶ παιδιὰ, καὶ τὸ γελάσαι τινὰ καὶ διανεῦσαι, καὶ πολλὰ τοιαῦτα πολλοὺς εἰς ὀργὴν καθίστησιν.

IN TERTIUM LIBRUM

DE IRA.

IRA impendit] Est quidem in libris veteribus *incendit*: sed *impendit* legendum, & praecedentia & sequentia manifesto declarant.

Si neque privatim, neque publice] Hoc est quod Epicurus sapientis esse dicebat, τὰ ἑαυτοῦ πράττειν Cicero, *negotium suum agere*. Verba Democriti ita leguntur apud Plutarchum: μὴ πολλὰ πρήσσειν, μήτε ἰδίῃ, μήτε κοινῇ. Convertit autem ea Seneca etiam in lib. de Tranquillitate vitae.

Et secundas agere] Horatius:

Ut puerum saevo credas dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas.

Qui comitiali vitio] Plutarchus: Ἀτρεμεῖν οὖν κράτιστον, ἢ φεύ-

φλέγειν καὶ ἀποκρύπτειν καὶ καθορμίζειν ἑαυτὸν εἰς ἡσυχίαν, ὥσπερ ἐπιληψίας ἐρχομένης συναισθανομένους.

Ne fis curiosus] Sophocles: τὰ πλείστα φωρῶν, αἰσχρὰ φωράσεις βροτῶν.

In Socrate] Plutarchus: ὁ Σωκράτης ὁπόταν αὐθοίτο κινεῖν τραχύτερον αὐτῷ πρός τινα τῶν φίλων, ὡς ἀνήκοστον, ὡς τινα ποτὲ ἄκραν τεμόμενον, ἐπιδίδου τι τῇ φωνῇ, καὶ διεμειδία τῷ προσώπῳ, καὶ τὸ βλίμμα πραότερον παρεῖχε.

Et occisos in conspectu parentis abjecit] Alii scripserant, *otiosos*. Altum sane & pingue illud otium fuit. At alio loco, ubi erat *juvenum otiosorum*, fecerant *occisorum*.

Et hostium & civium] Non dubitavi conjectura fretus ita scribere: cum librorum partim haberent, *judicium*, partim *vindicum*.

Gynden late fusum amnem] Hoc ipsum ita narrat Freculphus episcopus Lexoviensis: *Cyrus cunctis adversum quos erat perdomitis, Assyrios & Babyloniam petit gentem: urbemque tunc cunctis opulentiorem. sed impetum ejus Gyndes fluvius secundae post Euphraten magnitudinis intercepit. nam unum regiorum equorum, candore formaque excellentem, transmeandi fiducia persuasum, qua per rapacem alveum offensi vado vertices attollebantur, arreptum praecipitatumque merserunt. Rex iratus, ulcisci in amnem statuit, contestans, eum, qui nunc praeclarum equitem voravisset, feminis, vix genua undis attingentibus, permeabilem relinquendum. haec peragendo segnior, totis copiis, perpeti anno, Gynden fluvium per magnas concisum diductumque fossas, in cccclx. alveos comminuit.*

Antigonus] Narrantur & haec prope eodem modo a Plutarcho.

Hoc enim est primum, hoc extremum] Ironia est. Significat enim neque primum, neque extremum peccatum esse.

Evocati ex longinquis regionibus] Ad dijudicandas potentiorum controversias interdum e provinciis homines spectatae fidei & prudentiae evocabantur, qui neque gratia, neque odio permoti, verius ac sincerius judicarent. Hoc primum a Graecis institutum fuisse, narrat Plutarchus: ἔκλητοι κρίσεις καὶ ξενικῶν δικαστηρίων ἄγωγαὶ τοῖς Ἕλλησι τὸ σῴζεσθαι ἀπιστίᾳ τῇ πρὸς ἀλλήλους ἐπινοηθῆσαι, ἀλλοτρίας δικαιοῦσθαι, ὥσπερ ἐπίρρυτοι τινὲς τῶν ἀναγκαίων, μὴ φυομένων παρ' αὐτοῖς, διηθῆσαι.

Digitized by Google

Pacem demus animo] Male huc asſuta ſunt omnia usque ad finem libri: neque cohaerent cum ſuperioribus, ſed pertinent ad illum locum ubi quaeritur, num ira habeat aliquid utile: & moderanda ne, an penitus tollenda ſit.

Ridere ſolemus] Inepte antea, *videre*: & paulo poſt, *ſuus conſector*: cum legendum ſit, *ſui conſector*.

IN LIBRUM PRIMUM DE CLEMENTIA.

Nemo ſub initia imperii Nerone clementior viſus eſt: ſive illa naturalis ingenii bonitas, ſive ſimulatio fuit. Ac poſtea vel depravata, vel retecta natura, & foras erumpente saevitia, ita ſe geſſit, ut nomen Neronis, non jam hominis, ſed crudelitatis ac feritatis nomen eſſe videatur. Ad eum adhuc adoleſcentulum Seneca hos libros ſcripſit, vel ut eum in propoſito confirmaret, vel, quod magis puto, verens ac proſpiciens id quod poſtea contigit: ut ei clementiae pulchritudinem, crudelitatis turpitudinem oſtenderet. Sed ut agri, ſic ingenia quaedam ſunt, quae nullo unquam cultu miteſcunt.

Et te tibi oſtenderem] Hoc enim ſpeculi munus eſt. Genus loquendi Horatianum eſt:

Haec ego pro urare & idoneus imperor, & non
Invitus. ne turpe toral, ne ſordida mappa
Corruget nares: ne non & cantharus & lanx
Oſtendat tibi te.

Quae pax mea comprimit] Male in aliis, *pars mea*. Sic infra: *Tibi in tua pace armato vivendum eſt*.

Quaeſtoribus] Ita nunc vocat *quaeſitores*, id eſt, eos qui publica judicia exercent.

Cujus non membra haruſpices colligant] Fulguritorum membra haruſpices colligebant, & eo ipſo in loco ſepeliebant, ubi quis de caelo tactus erat. Ab aliis ſepeliri eos, aut alium in locum transferri, nefas putabatur.

Molliſſimo genere poenae contentum eſſe debere patrem dixit] Terentianum:

Pro peccato magno paulum ſupplicii ſatis eſt patri.

Haec

Haec tria lex secuta est] De his tribus puniendi causis quaedam non indigna scitu disputantur libro sexto noctium Atticarum, cap. XIV.

Pater tuus] Claudium dicit, qui Neronem adoptaverat.

Altissimi viri] Solonem intelligit.

Dicta est aliquando] Male alii, *indicta*. neque enim *sententiam indicere* Latine dicitur.

Ut servos a liberis cultus distingueret] Numquid igitur Romae antiquis temporibus idem liberorum ac servorum cultus fuit? Haec quidem Senecae verba ita id aperte videntur ostendere, ut nullus dubitationi superfit locus. At cives Romani togam ferebant. Servis autem certe togae jus non fuit. Praeterea principio belli civilis inter Caesarem & Pompejum, tribuni ex urbe ad Caesarem profugisse dicuntur, διφθέρων ἰδίᾳ ἐνδύντες, id est, servili veste, ne agnoscerentur. quaenam autem est haec servilis vestis, si inter liberorum & servorum cultum nihil interesset? Sed certe ne tenuiores quidem e populo togam ferre soliti erant: tunicati fere incedebant. Horatius:

Vilia vendentem tunicato scruta popello.

Togam fere non sumebant, nisi cum obituri erant officia. ideoque Martialis raram togam numerat inter partes felicitatis. & idem significatur illo epigrammate:

Denariis tribus invitas, & mane togatum
Observare jubes limina, Basse, tua.

Tunicati autem incedebant & servi.

OB CIVES SERVATOS] Multa vidi vetera nomismata, quorum in altera parte facies erat alicujus imperatoris; in altera, corona querna cum his litteris: OB CIVES SERVATOS.

IN LIBRUM SECUNDUM DE CLEMENTIA.

Hic non tam liber est, quam ὑπομνηματικόν quoddam libri. Itaque quod quaedam cohaerere cum superioribus non videntur, non Senecae culpa est, sed librariorum.

Tibi principi natus] Multo hoc melius, quam, ut in aliis, *notus*.

Digitized by Google

Principes regesque jurent] *Jurare in verba*, Latine & eleganter dicitur. *Juramentum facere in verba*, barbarum eſt. In libro vetere non erat *faciant*: & pro *juramentum* erat *juramen*. Delevi duas litteras, & feci, *jurent*. fortaſſis legi poterat, *jurarent*.

IN LIBRUM DE VITA BEATA.

De beata vita] Ita vocant Latini, auctore Cicerone, quam Graeci εὐδαιμονίαν.

Quantum profligetur] Ita veteres libri: & ita plane legendum. Nam ſcriptor quidem Noctium Atticarum non nauci habendus, qui *profligandi* verbum Latine ita accipi negat. Livius libro XXI. *Sed ita fortaſſis decuit, cum foederum ruptore duce ac populo deos ipſos ſine ulla humana ope committere ac profligare bellum: nos autem, qui ſecundum eos violati ſumus, commiſſum ac profligatum conficere.* Sed & Tacitus, & Cicero ipſe ita ſaepe accipiunt. Tale eſt, quod idem grammaticus tradit de verbo *ſuperesſe*, libri primi capite XXII. Nam eo verbo & Tacitus, & Plinius in epiſtolis, non paulo uterque melior Latinae linguae auctor, quam hic μεταφορικῶς, ita ſaepe utuntur, ut ipſe utendum negat.

Cum ſe mobilis favor circumegit] Cum recepit ſe, cum ad ſe rediit, &, quid egerit, ſero jam, reperacta, attentius conſideravit.

Diſcesſionum more] Cum ſenatusconſulta per diſcesſionem fiunt.

Cum rebus humanis agitur] Ita veteres libri: non, ut in vulgatis, *geritur*.

Quicquid optavi] Hoc eſt quod dicit Juvenalis:

> *Evertere domos totas, optantibus ipſis*
> *Di faciles.*

Neque quidquam evenire ſtultis deterius poteſt, quam ſi eorum vota Deus audiat, ut graviſſime diſputatur in Alcibiade ſecundo.

Nec longe poſitum eſt] Quod de vitio Heſiodus dixerat, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει, id hic noſter ad virtutem elegantiſſime tranſtulit.

Et

Et diffusio animi] Sic & διάχυσιν ψυχῆς veteres Stoici dicebant. Opponitur ei συστολὴ ψυχῆς, *contractio*.

Deinde praeterita respiciat] Turpis haec opinio Epicureorum fuit, sapientem & praesentibus voluptatibus gaudere, & recordantem praeteritarum, & cogitatione praecipientem futuras. Eam eleganter exagitat Cicero libro secundo de Finibus.

Vident & illi] Male in aliis, *vide autem & in illis*. Sed haec & talia cum praetermittere decreverim, nescio quomodo me interdum abripi patior.

Pollinctam] Unctam, delibutam. Vetus verbum ab aliis temere ejectum, in meis libris, omnibus litteris scriptum visitur.

Nec quicquam mutavit optima] Quod optimum est, mutari non potest Nam quicquid mutatur, aut ab alio mutatur, aut a semet ipso. Optimum non mutatur ab alio. oporteret enim aliquid esse optimo potentius: cum a quocunque externo aliud mutatur, potentius necessario sit eo quod mutatur. ne a se ipso quidem. mutaretur enim a se in deterius. quod a natura abhorret. Ita disputantur haec a Platone, libro secundo de Rep. ubi de immutabilitate Dei disputatur. Idem hic & Seneca dicit: quod qui non intellexerant, aliquot voces minime necessarias interjecerant. Eas vetustis libris auctoribus sustuli.

Ideoque praeceperunt veteres] Socratis hoc praeceptum est apud Xenophontem.

Voluptates praegustare] προγεύεσθαι. Ita in vetustis libris meis, multo sine dubio melius & elegantius, quam, ut in aliis, *praestare*.

Et si minus verminatur] Liber vetus, *ferminatur*: unde fecerant, *fera minatur*. Erroris origo omnibus, ut opinor, in promptu est. Sic quodam loco ex *veritate* fecerant *feritatem*.

Crucibus] Omnes qui tollebantur in crucem, clavis suffigebantur. & quod latrones, qui cum Christo domino ac Deo nostro in crucem acti sunt, multis locis ita videmus expressos, quasi funibus tantum alligati fuerint, pictorum ac statuariorum error est. Docet id primum verbum ipsum, quo Graeci utuntur σταυροῦν. Sed & Latino verbo *suffigendi* idem plane indicatur. Et cum crux Domini tanto sanctissimae feminae studio quaesita ac reperta est, facile statim agnita esset, si ex tribus, quae effos-

Digitized by Google

effossae sunt, in una tantum vestigia clavorum fuissent. Quomodo autem mortui essent, nisi forte longa fame, si funibus tantum revincti pependissent? At nunc adactis per singulas manus, ac singulos pedes singulis clavis, & venis, & nervis abruptis, defluente ingenti copia sanguinis, incredibili cruciatu eos intra horas aliquot mori necesse erat. Quod si serius fieret, effringebantur eis crura ad accelerandam mortem. Illud quidem de clavis manifesto ostendunt multa veterum loca. Ut quod hic scribitur a Seneca: *Cum refigere se crucibus conentur, in quas unusquisque vestrum clavos ipse suos adigit.* Demosthenes κατὰ Μειδίου· Καὶ ἐφ' αἵματι φεύγειν, καὶ μόνον οὐ προσηλῶσθαι. quod Ulpianus ita exponit, τῷ σταυρῷ προσηλῶσθαι τοῖς ἥλοις. Horat.

Si quis eum servum patinam qui tollere jussus,
Semesos pisces, tepidumque ligurrierit jus,
In cruce suffigat.

Non dixit, *religet*, aut *revinciat*, sed *suffigat*.

Plinius lib. XXVIII. c. IV. *Item in quartanis fragmentum clavi a cruce, involutum lana, collo subnectunt.* Plutarch. ἀλλὰ εἰς σταυρὸν καθηλώσεις ἢ σκόλοπι πέξεις. Appulejus: *Hic nares & digiti: illic carnosi clavi pendentium.* Sed plura congerere, nihil necesse est.

Crederem illis, nisi quidam] Vetus librarius scripserat: *crederem illis hoc nisi quidam*. deinde cum animadvertisset, vocem *hoc* redundare, adscripserat minutiori charactere, *vacat*. delere enim, etiam si quid perperam scripserant, non solebant: ne libros suos minus venales facerent. At secuti alii, geminato errore, non id quod vacabat sustulerunt: sed utroque recepto, scripserunt, *crederem illis hoc vacare*. Leviculum hoc est: fateor. sed quia saepe in eo genere peccatum est, semel monere, non alienum esse duxi.

Non ne habeat, sed ne sollicitus habeat] Hoc est, quod Plutarchus ait, fortunae dicturum esse sapientem:

Ἡδὺ μὲν ἄν τι φέρῃς, ὀλίγον δ' ἄχος, ἢν ἀπολείπῃς.

Paucae argenti lamellae] Ita vetus liber. Videtur autem respexisse ad illud Ovidii:

Et

Et levis argenti lamina crimen erat.

Ingemeſcat] Ne quis putet librariorum erratum eſſe: ita eſt in libro Siculo, & ſaepe in veteribus libris memini legere *gemeſco*, *tremeſco*, & talia, per ſecundam vocalem, non per tertiam. Sed quid negligemus, ſi haec jam non negligimus?

Infruniti] De hac voce dixi in ſuperioribus.

Ad togatos] Ad eos qui limina potentiorum obſervant, ut eos ſalutent, deducant, ac reducant.

Juſtae libertatis, an inter amicos datae] *Juſtam libertatem* vocat plenam, ut eorum qui vindicta liberabantur. at *inter amicos liberati*, Latini tantum fiebant.

Praetextatus & Canuſinatus] Ita ſcriptum eſt in libro Siculo, melius, ut puto, quam, ut antea legebatur, *candidatus*. Sed vocis inſolenta factum eſt, ut moveretur loco. *Canuſinae lanae* in optimis & pulcherrimis erant. Plinius lib. 8. c. 48. *Circa Tarentum Canuſium-que ſummam nobilitatem habent.* Athenaeus lib. 3. κα-λοῦσι δὲ τὰς ἱμάτιος ὁ κωλὸς Καινόν· ἀπὸ λεπτοτάτου ὑπερπε-φθ. *Canuſinatus* igitur eſt molli & delicata veſte indutus, quales e lana Canuſina contexebantur.

Quam nudis ſcapulis] Libri veteres, *quam nudis ſcapulis aferentibus*. puto legendum, *ac foetentibus*. Ob ſqualorem videlicet & illuviem. At alii ex eo *aferentibus* fecerunt, *ut ſententiae*, non ſane διάνοια.

Me hominem maxime cogitabo, cum duas undique conſultabo] Sic alii. At quanto melius, quod a me ex libro Siculo erutum eſt? *Me hominem eſſe tum maxime cogitabo, cum deus undique conſalutabor.* Haec emendare ſatis erat: oſtentare nihil neceſſe erat. Sed me amicorum quorundam ſtudia ingenio meo indulgere non ſinunt.

Favere linguis] σιγᾶν πᾶς ἴσα λεύς. Διφιλοῦ χρή. Ita hoc Graeci. & locus mihi diligenter notandus videtur

Papulas] In quibusdam veteribus libris, *puſulas*: quod & ipſum recte legi poteſt.

Ipſi obſiti] Liber Siculus, *ibſi obſiti*. Alii putarunt, *ibſi obſi*, per errorem a librariis ſcriptum.

Circi nobis] Alii, *cur nobis*. Sed illud verius & veterum librorum auctoritate nititur. Saepe autem dicit ludos circenſes, aliaque ejus generis ſpectacula, multorum

Digitized by Google

rum vitiorum fomitem esse. Ego autem quae ab hoc loco usque ad finem hujus libri scripta sunt, puto aliunde asſuta esse, & pertinere ad librum aliquem, quo quaereretur, deberet ne sapiens ad remp. accedere. Ea re fit, ut quibusdam insulsis hominibus Senecae scripta parum interdum inter se cohaerere videantur. Non Aristotelis scripta, in quo omnia alia ex aliis apta & connexa sunt, inter se cohaeserint, si quis ad hunc modum ea dilaniaverit.

Praeterea tria genera sunt vitae] Aristoteleum est e primo Ethicorum ad Nicomachum.

IN LIBRUM DE TRANQUILLITATE ANIMI.

Vera hujus libri inscriptio est, *De tranquillitate animi*, non quae vulgo inolevit, *De tranquillitate vitae*, quod & veteres libri confirmant: & certe εὐθυμία Democriti, qua ille alio nomine vocabat τὸ εὖ ζῆν, *animi tranquillitas* melius vertitur, quam *tranquillitas vitae*. Sed & Cicero ipse nomen εὐθυμίας ita interpretatur.

Inquirenti mihi in me] Totum hoc principium, usque ad eam partem, *Quaero mehercule*, videtur cujusdam esse, qui Senecam consulat, ab eoque petat, ut sibi rationes tradat secure tranquilleque vivendi. Atque hoc ita esse in quibusdam veteribus libris annotatum est: in quibus etiam, quod vulgo legitur, *quaedam vitia apparebant Serene*, ita scriptum videas, *quaedam vitia apparebant Seneca*. Genus tamen ipsum dictionis plane Senecam olet. At in libro Siculo neque *Serene* scriptum est, neque *Seneca*, sed, *quaedam vitia apparebant retecta*. Hoc igitur totum quale sit, alii judicabunt.

Longa conversatio amorem inducit] Hoc est quod ait Lucretius:

Consuetudo concinnat amorem.

Et Aristoteles in Rhetoricis, inter ea quae jucunda sunt, numerat ea quibus assuevimus.

Parabilis facilisque] Horatianum:

Nam.

Digitized by Google

Namque parabilem amo Venerem facilemque.

Cum bene iſta placuerunt] Ovidius:

Juravi quoties, rediturum ad limina nunquam?
Cum bene juravi, pes tamen ipſe redit.

Inter illa frivola mea] Ita vocabant utenſilia, & ſuppellectilem non magni pretii. Juvenalis:

Jam frivola transfert Ucalegon.

Tantusque morſus] Conjectura ductus legendum putavi, *tacitusque morſus.*

Non purpura aut aureis virgis] Num virgatas auro veſtes, & ſegmentis ornatas intelligit? An faſces, qui magiſtratibus praeferebantur? Sed illi certe aurei non erant. Vetera exemplaria variant, & alia habent vocem *aureis*, alia non habent.

Quaero mehercule] Hinc quidam exiſtimant, ut dixi, incipere Senecam ex perſona ſua loqui.

Homericus Achilles]

Ἄλλοτ' ἐπὶ πλόον ἧκε κατὰ κλισμούς, ἄλλοτε δ' αὖτε
Ὕπνου, ἄλλοτε δὲ πρὸς, τὸτε δ' ὀρθὸς ἀνωγώς. Iliad. ω.

Malle eſſe ſe quam vivere mortuum] Dictum elegantiſſimum alii, trajectis vocibus, corruperant. Qui mortuus eſt, ei objici nihil poteſt, cur quieſcat. At mortui vivere dicuntur, qui, cum vivant ac ſpirent, nihilo tamen plus agunt, quam ſi mortui eſſent.

Interius flectendum eſt] Agitatores exercitati in ludis circenſibus, introrſum, quantum poterant, flectebant, ut breviorem curſum conficerent: ea modo cautione adhibita, ut ne ad metam offenderent atque arietarent. Sic igitur etiam in vita ait contrahenda eſſe vela.

Quadringenta millia librorum] *Septingenta* fuiſſe ait ſcriptor Noctium Atticarum, capite ultimo libri ſexti.

Fax cereusque praecesſit] Immaturas exequias fax & cereus praecedere ſolebant. cujus conſuetudinis mentio fit etiam in libro de brevitate vitae, in extremo.

Ad ſummam caveam] Ad plebem, quae ex ſumma cavea ſpectare ludos ſolebat.

Digitized by Google

Et lora patricia] Quae tandem *lora patricia* esse dicemus? Vox *lora* abest a plerisque veteribus libris. qua deleta, non male fortassis interpretabimur *patricia*, quos Plutarchus περὶ εὐθυμίας vocat πατρικίους, his verbis, κλαίων ὅτι μὴ φορεῖ πατρικίους. Budaeus vertit *senatoria*. significare, quantum opinor, voluit *lunatos calceos*. quos & Philostratus *calceos patricios* vocat: ut notavit vir eruditissimus, Janus Parrhasius in Ciceronis Milonianam.

Numquid ditior Pompejo] Quis iste Pompejus est tam dives, qui tamen fame ac siti, miserrimo, ut ait Homerus, mortis genere in palatio cognati perierit? equidem non *Pompejo*, sed *Ptolemaeo*, legendum arbitror: ut Jubae regis filium intelligamus, quem Suetonius Caligulae consobrinum fuisse testatur. Eum Caligula non sane συγγενικῶς Romam evocatum interfecit. Dio: Γάϊος δὲ ἐν τούτῳ τόν τε Πτολεμαῖον τὸν τοῦ Ἰόβα παῖδα μεταπέμψας, καὶ μαθὼν ὅτι πλουτεῖ, ἀπέκτεινε, καὶ ἄλλους πολλοὺς μετ' αὐτοῦ. Zonaras: ὁ δὲ καὶ τὸν Πτολεμαῖον τὸν τοῦ Ἰόβα παῖδα μεταστειλάμενος, ὡς πλουτοῦντα, κἀκεῖνον ἀπέκτεινε. Certius fortassis ab aliis aliquid reperietur. Ego quod potui praestiti.

Alienis se negotiis offerunt] Ut ille Horatianus:

Aliena negotia curo, Excussus propriis.

Qui tranquille volet vivere] Graeca ipsa Democriti verba supra posui.

Decem medios usque ad supplicium dies] Qui dabantur damnatis ex S. C. quod sub Tiberio factum erat. Auctor Tacitus.

Usque ad ebrietatem] Ita quidem suadet Plato lib. 1. de Legibus.

Catoni ebrietas] Horatius:

Narratur & magni Catonis
Saepe mero caluisse virtus.

Graeco poëtae] Anacreonti: ex quo illud vertit Horatius:

Dulce est desipere in loco.

Poëticas fores] Locus est Platonis in Phaedro.

Sive Aristotelis] Cicero primo Tusculanarum: *Aristoteles*

eles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse. Locus Aristoteles est in Problematis, τμήματι λ'.

IN LIBRUM,

QUOD IN SAPIENTEM, NEQUE INJURIA CADAT, NEQUE CONTUMELIA.

Hoc quod inter admirabilia Stoicorum numerarit aliquis, sapientem nulli injuriae patere, plane Socraticum est. Nam cum injuriam accipere non dicatur, nisi qui ab alio laeditur; sapiens autem laedi non queat: consequens est, eum extra injuriam esse. Si quidem is demum laeditur, qui deterior fit ad obeundum munus suum: ut si equus ad cursum, bos ad culturam agri deterior fiat. At id sapienti usu venire non potest: nisi quis ei sapientiam, justitiam, aliamve quam virtutem auferat: quae bona firmiora & stabiliora sunt, quam ut eripi possint. Quibus positis, efficitur id, quod hoc libro docetur: posse quidem aliquem multa conari, ut injuriam sapienti faciat: sed injuriam ad sapientem non pervenire. Haec a Socrate & in Apologia, & libro primo de Rep. in hanc fere sententiam disputantur.

Cato cum feris manus non contulit] Haec comparatio Catonis cum Hercule, simile quiddam habere mihi videtur cum comparatione Herculis & Epicuri, quae legitur apud Lucretium libro quinto.

Animum tuum inclusum] Melius e libro Siculo, *incensum*. & statim, *paras acclamare*, melius, quam, ut vulgo, *paratum acclamare*.

Ex hac tibi nota] Ἐκ τούτου σοι τοῦ κόμματος.

Tamen delicatis gravis] Rectior Siculi libri scriptura: *Et tantum delicatis gravis*. Sed quid ago? Si haec singillatim annumerare voluero, ad molem libri addetur aliquid, ad legentium utilitatem nihil. Desinamus ergo λεπτολογεῖν.

Quod si laedi nisi infirmior non potest] οὐ γὰρ θεμιτὸν ἀμείνονα ὑπὸ χείρονος βλάπτεσθαι.

Malus autem bono infirmior est] Nam si injustitia morbus est animi, justitia, sanitas, quis aegrotum valente

firmiorem dixerit? Itaque ne injustitia quidem tueri se sine aliqua ope justitiae potest.

Renuntiat sibi] Pessime alii, *quam sibi*, aut, *quantum sibi*. *Renuntiare sibi*, est admonere se, subjicere sibi, revocare sibi in animum & in memoriam. Sic in Consolatione ad Polybium: *Potest illa res a luctu te prohibere nimio, si tibi ipsi renuntiaveris, nihil horum quae facis posse subduci.* Quintil. lib. XII. cap. XI. *Sed ii primum renuntient sibi, quanta sit humani ingenii vis.*

Quibus animi mala sunt, auctique in majus errores] Incepta scriptura, & ex qua nullam idoneam sententiam elicueris, *utique in majus errores*. Sic paulo inferius: *Ergo pur pueris longiusque progressis, sed in alia majoraque error est.*

Qui salutatorium publicum exerceat] Foede depravatus locus: quem e libro Siculo ita restitui: *Qui hoc salutationum publicum exerbet*. neque quidquam magis ex consuetudine Senecae, id est, urbanius & elegantius dici potest. *Publica exercent*, qui ex eo publicani vocantur: ut *publicum pecoris*, *publicum salis*, *vini*, ceterarumque mercium, pro quibus portorium exigitur. Ita igitur dicit eos *salutationum publicum exercere*, qui admissionibus praesunt, & ad principes salutandos admittunt eos, quibus, eis conventis opus est: mercedesque ab eis eo nomine non exiguas exigunt.

Et petiit corium] Ita legitur in veteribus libris melius, quam, quod quidam substituere voluit, *lorum*. *Petere* autem *corium*, est, petere ut ostiarius vapulet: ut sibi de ejus corio satisfiat.

Tanta oculorum sub fronte anili latentium torvitas] Non displiceret conjectura eorum, qui legendum putant, *sub fronte sima*: nisi magis me moveret consensus librorum veterum, in quibus aperte ac perspicue legitur, *sub fronte anili*.

De Chaerea tribuno militum sermo promanaverat] Incredibile dictu est, quanto mihi Siculi libri scriptura verior esse videatur, quae haec est, *sermo non pro manu erat*. Hoc enim significat, sermonem non fuisse convenientem manui: cum Chaerea sermone quidem mollis & infractus videretur, at manu fortis esset ac strenuus.

Languidus somno, & infracta voce suspectior] Hic quoque locus mirifice ex eodem libro restitutus est, hoc mo-

Digitized by Google

modo: *languidus, & , ni facta noſſes , ſuſpectior.* Poterat eſſe ſuſpectus mollitiae, ni facta noſſes: ſed facta ipſius nullum ei ſuſpicioni locum relinquebant.

Modo Veneris , modo Priapi dabat] Ita & apud Suetonium legitur. at apud Dionem & Xiphilinum, in Latina quidem interpretatione, *Cupidinis aut Veneris.* Sed homini eruditiſſimo, qui eos ſcriptores interpretatus eſt, fraudi fuere Graeca exemplaria, in quibus vitioſe legitur, , cum legendum ſit, .

IN LIBRUM

DE BREVITATE VITAE.

Paulinus, ad quem liber hic ſcriptus eſt, ſocer, ut puto, Senecae fuit.

Maximi medicorum] Locus Hippocratis notus eſt, e principio Definitionum: .

Inde Ariſtoteli] Querela haec in libris Ariſtotelis non extat. Theophraſtum hac ipſa de re conqueſtum eſſe morientem, narrat Cicero lib. 3. Tuſculanarum.

Apud maximum poëtarum] Quis tandem iſte eſt maximus poëtarum? Libri veteres partim habent, *apud maximum poëtam*, partim *apud Axium poëtam*. legendum fortaſſe ſit, *apud Attium poëtam:* aut ſimpliciter, *apud Attium*. ut illud *poëta* addiderit aliquis, qui declarare vellet, qui fuiſſet Attius.

Dicere ſolent eis quos valdiſſime diligunt] Sic habent veteres libri mei: *valdiſſime*, inquam, non, *validiſſime*. De hoc autem antiquo genere blandiendi ſcripſi quaedam capite primo libri noni Variarum lectionum.

Quam ſi fata una decipiant] Eleganter Martialis in eum qui capillum ſibi tingebat, ut minus ſenex videretur:

Non omnes fallis. Scit te Proſerpina canum.
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Qui vicorum ſuorum greges metatur, & colonorum paria deducit] Foede contaminatus locus, quem ope libri Sicilienſis ita reſtitui: *Qui vinctorum ſuorum greges in aetatis & colorum paria diducit* neque meo quidem animo, verius aut rectius quicquam excogitari poteſt.

Discendis canticis operati sunt] Id est, occupati. Lucretius:

Et quibus in rebus consuerunt esse operati. Horatius:
In cute curanda plus aequo operata juventus.

Quin operose nihil agunt, qui in litterarum inutilium studiis detinentur] Locus summa animadversione dignus. Nam nostra quoque aetas eodem, aut etiam graviori, morbo laborat. Multi sunt, qui, quo naso, quibus oculis hic aut ille ex veteribus fuerit, quomodo vestitus, nudis pedibus, an calceatis incesserit, Marco, an Manio ei nomen fuerit, ubi habitaverit, diligentius ac sollicitius quaerant, quam quid ii qui magnam sapientiae opinionem habuerunt, de virtute atque officio senserint, quam optimam reip. formam judicarint, quod iter ad sapientiam maxime compendiarium censuerint. Ita in supervacanea curiosi, ad profutura negligentes sumus. Ego autem existimo, aeque in studiis nimiam diligentiam, si male collocetur, ac nimiam negligentiam nocere. Videant, obsecro, quanto leviora atque inaniora sint ea, in quibus multi liberalis doctrinae magnam partem positam esse contendunt, iis quem hoc loco Seneca meritissimo irridet.

Quo minus quantum plurimum ceperis, haurias] Libri veteres partim *ceperis*, partim *cupieris*. Neutrum damno. Sed *capere* est χωρεῖν, quod huic loco accommodatius videtur. Itaque *ceperis* malo.

Tyrannus fuit exactae diligentiae senex] Hic tyrannus in alienum locum, non inusitata tyrannis consuetudine, invaserat. In libro Siculo est *Turannius:* quod, non dubito, quin verum sit. Sed quod hic de Turannio dicitur, simile quiddam, me puero, narrabatur de mercatore quodam Parisiensi, ceteroqui viro bono, sed qui tota vita nihil unquam vacui temporis a litibus forensibus habuisset: etiamque tunc capularis senex fora omnia quotidie pervagaretur. Quod cum ad Franciscum primum, Galliarum regem, elegantissimi hominem ingenii, perlatum esset, quietis se aliquid misero homini confecturum, & cum omnibus, tum qui quid ab ipso peteret, tum a quibus ipse peteret, bonis & aequis conditionibus transacturum recepit. At infelix senex ad regem accurrit, pro-

provolutusque ad illius genua, supplex orat, ut sibi una saltem aut altera lis, in qua se exerceret, relinqueretur: vitam sibi, adempta illa exercitatione, injucundam & insuavem fore. Risit rex: & homini qui quiescere nisi inquietus non posset, lites suas, ubi se arbitratu suo defatigaret, reliquit.

IN CONSOLATIONEM AD POLYBIUM.

Polybius hic libertus Claudio a studiis fuit: tantae apud illum pecudem potentiae, tantaeque arrogantiae, ut saepe conspectus sit medius inter duos consules publice incedens. Eum, fratre amisso dolentem, consolatur Seneca, in exilium jam a Claudio pulsus. Libri major pars interiit. Summa eloquentia scriptus est, sed foedae ac servilis adulationis plenissimus. Neque desunt qui Senecam vehementer accusent, quod hic quidem Claudio tam demisse & humiliter aduletur, in Apocolocynthosi autem eidem mortuo tam petulanter insultet. Atque equidem, ut verum fatear, non video, quomodo reprehensionem effugere possit, si quis cum eo summo jure agere instituat. Sed tamen & patriae desiderio condonandum aliquid est: & vix quisquam ea sapientia reperitur, qui mortuo eo, a quo gravissimas accepit injurias, aut non laetari, aut gestientem efferentemque se, conceptam ea ex te laetitiam coërcere ac comprimere possit.

Nostra corpora compares] Dixerat, ut ex his colligitur, & homines & humana omnia caduca ac fragilia esse: & aedificia quoque ipsa, quae firma ac diu duratura videantur, si ad corpora nostra comparentur, firma esse: si ad naturae conditionem, infirma & caduca.

IN CONSOLATIONEM AD MARCIAM.

Marciam A. Cremutii Cordi filiam, magni & ingenii & animi mulierem, amisso filio immodice dolentem consolatur.

Mortem A. Cremutii Cordi] De ea vide Tacitum libro

Digitized by Google

quarto Annalium ab excessu D. Augusti, & Dionem ad finem libri LVII.

Patriae servitutis] Legendum, *patere*, ut in libro Siculo. Sed & Pincianus hoc monuerat.

Victa fudistique lacrimas palam] Locus mihi quidem depravatus videtur. Fortasis ita legi possit: *Victaque tenuisti lacrimas palam, & gemitus, non tamen hilari fronte, texisti.* Sed haec conjectura modo est, quam veram praestare non ausim.

Libros] Quos patres censuerant per aediles cremandos esse. Tacitus, Dio. Eorum librorum testimonio alicubi utitur Suetonius.

Carmina celebrandae Marcelli memoriae composita] Audiisse tamen non illibenter dicitur, quae de eo Virgilius ad finem libri sexti Aeneidos scripserat.

Filium Drusum] Patrem Germanici, avum Caligulae. De hujus morte vide Strabonem lib. VII.

Nec nimis admiretur Graecia illum patrem] Xenophontem: de quo, itemque de Pulvillo, vide Valerium Maximum cap. x. libri v.

Decessisse filiam] Juliam, Pompeji uxorem.

Diis geniti, deosque genituri] Imitatus est Virgilii versum:

Dis genite, & geniture deos.

De diis neminem queri] Nam ipsemet, stulta illorum temporum opinione, paulo post futurus erat deus.

In qua istud urbe, Di boni, loquimur?] Imitatus est locum quendam e Ciceronis Miloniana.

Nobilis carcer] Ita conjeci legendum: cum veteres libri haberent partim *nablius*, partim *noblius*.

Satrio Secundo] Ita legendum ex Taciti libro IV

An morte rei perderentur] Retinenda est haec veterum librorum scriptura: quam qui non intelligunt depravare conantur. Sententia autem haec est: Quadruplatores, ut notum est, quartam partem ferebant ejus pecuniae, quae conficiebatur e sectione damnati. At qui peribant in reatu, mori damnati non videbantur. Morienti igitur ante damnationem aliquo, cujus ipsi bona ipse jam devorasset, bolus eis e faucibus eripi videbatur. Hoc igitur illi querebantur, & mixto animo ferebant: si sibi morte eriperentur, & eluderentur e manibus rei sui, quorum

rum explorata damnatio esset. Hoc igitur fuisse dicit in quaestione, an quadruplator perderet reum suum, si reum adhuc indemnatum mori contigisset.

IN CONSOLATIONEM AD HELVIAM MATREM.

In exilium a Claudio pulsus, & in Corsicam relegatus, Helviam matrem casu suo incredibiliter dolentem consolatur. Nec illud plane indignum, quod notetur, puto: ex eadem gente duorum sapientissimorum & disertissimorum hominum matres fuisse, Ciceronis & Senecae. Nam Ciceronis quoque matrem Helviam fuisse, a Plutarcho traditum est. Tria autem fuisse dicit, quibus ad solandam matrem incitaretur: totidem quibus revocaretur: sed ad postremum praevaluisse quae incitabant. Quae incitabant, haec erant: quod sibi quoque magno levamento sperabat fore, si maternum dolorem aliqua ex parte sublevare potuisset: quodsi ipse calamitate perculsus & afflictus primus consurrexisset, plus se ad minuendum aliis dolorem sperabat auctoritatis habiturum: postremo, quod metuebat, ne, si ipse qui semper philosophiam professus erat, fortunae manus dedisset, ceteri quoque sui ab ea vincerentur. Sed occurrebant haec, quae propositum morarentur. Esse ut corporis, sic animi quoque aegritudinum suam quandam maturitatem, quae expectanda esset remedia adhibere volentibus: ex illo vetere praecepto Hippocratis, τὰ πάσχοντα φαρμακεύειν. Nullum ex omni memoria exemplum extare ejus, qui cum ipse cecidisset, suos sublevare conatus esset. Novo quodam & inusitato dicendi genere opus esse ei, qui rem tam arduam susciperet: doloris autem magnitudine locum delectui verborum non relinqui. Sed plus iis omnibus valuisse conceptam de materno erga se amore fiduciam: quae spem dederit, fore, ut illa dolori suo modum a filio potissimum velit imponi.

Fleant illi] Primum argumentum. Non debes huic, quamvis acerbo, casui cedere. Nam a primis annis aetatis tuae exercitata es ad maximas calamitates perferendas. Non debes igitur vinci ab una, quae te perpetuo invictam adversus tot alias praestitisti.

Vincam puto] Bipertita totius libri propositio. Neque meo, neque tuo nomine dolere debes. Non meo. nihil enim mihi contigit, ac ne contingere quidem potest, quo miser fiam. Ex quo sequitur, ut ne tuo quidem nomine dolere debeas: cum ego unus tibi doloris causa sim. Accedit, quod multa tibi solatia relicta sunt, in quibus acquiescere, & dolorem deponere facile possis. Haec singula deinde per partes exequitur.

Bona conditione] Nemo invitus miser est. Nam sola virtus beatos facit: quae nullo casu eripi potest. Ego autem, etsi sapiens non sum, nunquam tamen pependi ex judicio vulgi: neque in eorum, quae vulgo putantur bona, aut adeptione, aut amissione momentum esse ullum ad beatam vitam existimavi.

Remoto igitur] Primum argumentum ad exilium proprie pertinens. Exilium nihil est aliud quam commutatio loci. At major hominum pars tum privatim tum publice relictis patriis sedibus, migrat alio, & sibi voluntarium quodammodo exilium conscisscit. Nihil igitur est in exilio mali. Sed dicet aliquis, captiosum esse hoc argumentum: nam exules & paupertas & contemptus plerumque comitatur. Respondet, & tum rationibus, tum exemplis evincit, ne ea quidem mala esse.

Hoc saxum] Corsicam dicit.

Invenio qui dicant] Naturale est homini, sedium mutatione gaudere. Vera autem ejus rei causa est discendi cupiditas. Multa enim nova vident, qui peregrinantur: ob idque prope assidue discunt: quo nullum est pabulum animorum jucundius. At Seneca sane quam eleganter illud ad caelestem originem refert. Caelestia enim corpora perpetuo moveri.

Videbis gentes] Extat liber accuratissime scriptus *de migrationibus gentium*: ex quo peti poterunt, quae ad certiorem hujus loci intelligentiam faciunt.

Quamvis eum paupertas sequeretur] Transit ad elevanda paupertatis incommoda, docetque, neque pauperem quenquam esse posse, qui ad naturam vivat, neque divitem, qui ad opinionem.

Ex qua aliquando philosophi, velut corruptores juventutis, abire jussi sunt] Vide caput XI. libri XV. Noctium Atticarum.

Cujus exitum nosse operae pretium est] Dio lib. LVII.

Ἀπίστω πάντως ἀνθρώπους ἀσωτία ὑπερβάλλειν ὕπνος, ὥστε ἐπειδὴ ῥᾳδίως πανὶ ἡλίσκεσθαι, ὅσα τε ἤδη κατειλήφασι, καὶ ὅσα ἴσ' ἔχειν ἔχειν, ὅτι διαφέρειν καὶ πυνθάνεσθαι αὐτοῦ μυρίοις ἔτι πλείοσιν, ἐλαττοῦσθαί τε, ὡς καὶ λιμοῦ πολυτίμοις ῥίζαις, καὶ ἑαυτὸν διφθείρειν.

Ignominia] Ostendit, ne ignominia quidem quicquam detrahi de felicitate sapientis.

Quoniam meo nomine] Haec est secunda pars consolationis. Cum meo nomine nihil sit quod doleas, ne tuo quidem quicquam est, cur dolere debeas.

Quae se pro conjuge vicariam dedit] Alcestis.

IN LIBRUM PRIMUM NATURALIUM QUAESTIONUM.

Hi libri, maximam partem, sumpti sunt ex Aristotelis Meteorologicis: quod e singulis partibus magis intelligetur. Hoc autem prooemio tractatur quaestio multis contentionibus agitata apud veteres: cum duae partes sint philosophiae, una quae ad cognitionem ac contemplationem refertur, quam Graeci theoreticen; altera quae ad actionem, quam iidem practicen vocant: utra alteri anteponenda sit. Et Seneca quidem theoreticen, ut pulchriorem ac diviniorem, anteponit: quae eadem sententia est, cum aliorum, tum Aristotelis libro decimo ad Nicomachum, & septimo Politicorum: qui etiam non obscure idem confirmat libro sexto Ethicorum: ubi sapientiam prudentia superiorem facit. Et certe cum prudentia referatur ad agendum; omnis autem actio ad finem aliquem dirigatur: at cognitio expetatur ipsa per se, neque alio respiciat: ne dubitari quidem videtur posse, quin majus quiddam & sublimius sit cognitio. Immo vero, si quis vim verbi accuratius inspiciat, ea demum vere ac proprie philosophia est. Nam cum sapientes proprie vocemus eos, qui sublimia quaedam & a vulgi captu remota intelligunt: quomodo Anaxagoram, Democritum, Thalem Milesium sapientes nominavit antiquitas: certe qui ad ea perquirenda omni studio incumbunt, quae qui tenent sapientes habentur, ii proprie dicendi sunt philosophari. Et quod Aristoteles ait, admirationem hominibus caussam ac principium philosophandi fuisse, ad hanc partem philosophiae manifesto refertur. Admirati enim homines tum

certos ac definitos siderum cursus, tum ea quae in sublimi fierent, tum statas tempestatum anni varietates, aliaque ejusmodi, causas quae quidque eorum efficerent, curiose perquirere ac pervestigare coeperunt. Ea origo philosophiae fuit. Magnum tamen earum rerum tractatio contemptum, magnam etiam invidiam in vulgus philosophis comparavit. Nam & meteoroleschas eos vocabant, id est, de sublimibus rebus nugantes: & Thaletem a vetula irrisum ferunt, cum in siderum contemplatione defixus, in foveam decidisset: & de toto genere illud a Pacuvio dictum est:

Quod ante pedes est, nemo spectat: caeli scrutantur plagas. & parum religiosos esse opinabantur, qui tam curiose atque anxie rimarentur ea, quae dii hominibus tecta atque abdita esse voluissent. Itaque Socrates, usus notissimo dicto, *quae supra nos essent, nihil ad nos attinere, philosophiam a rebus occultis, & a natura ipsa involutis*, ut ait Varro apud Cicer. *avocavit, & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus ac vitiis, omninoque de bonis rebus & malis quaereret.* Qui etiam dictitabat, uno Homerico versu summam totius philosophiae contineri:

Ὅττι τι ἐν μεγάροισι κακὸν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Omnes autem illas quaestiones, quomodo imbres, grandines, tonitrua fierent, stultas & inutiles esse dicebat; ut aperte constat e libro 1. comment. Xenophontis. Ex quo facile intelligitur, omnia illa quae impudenter & malitiose Aristophanes in Nebulis adversus Socratem deblateravit, non falsa modo, sed a Socratis ingenio ac moribus alienissima fuisse. Nos, his omissis, Senecam, ut instituimus, excutiamus, &, ut maculae, quas ei aliorum negligentia aspersit, per nos aliqua ex parte eluantur, operam demus.

Quae universi materia sit] Una omnium materia est, a parente omnium Deo ex nihilo condita.

Quis auctor aut custos] Idem & auctor & custos Deus.

Quis sit Deus.] Hoc majus est, quam ut ab homine aut quaeri debeat, aut percipi possit.

Totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat] Et perpetua sui cognitione fruitur, & humana respicit, ut qui propter hominem alia condiderit omnia.

Fa-

Faciat quotidie aliquid, an semel fecerit] Quae semel fecit, semper conservat: quod ipsum genus quoddam perpetuae productionis est.

Pars mundi sit, an mundus] Neutrum. neque enim opifex opus suum, aut operis sui pars est.

Liceat illi hodieque] Licet Deo quicquid libet. Ipse autem non mutatur: sed perpetuo idem est: etsi nobis interdum, propter imbecillitatem nostram, mutari videtur.

An ut cibos & potiones percolare?] Haec est quam charadrii vitam vocat Plato in Gorgia: ubi vetus scholion habet charadrium esse aviculam, cujus aspectu sanentur arquati: ejus autem esse naturae, ut simul cibum & sumat, & egerat.

c. I. *Audi quid de ignibus*] Idem argumentum tractatur ab Aristotele lib. I. Meteorologicon.

Aristoteles quoddam genus illorum capram vocat.] Ita loquitur, quasi Aristoteles illius appellationis auctor fuerit. Quod tamen verum non est; sed vulgo ita vocabantur: quod ostendunt illa philosophi verba: ἢ οἱ πολλοὶ αἶγάς τινας ἀπὸ τῶν ἀκρωτηρίων. Causam autem cur caprae vocentur, hanc esse ajunt, quod in caprarum morem quasi barbulas quasdam pendentes habeant.

Majore impetu pulsae fulminis] Voces aliquot quae hic accreverant, & sententiam corrumpebant, veteris libri nixus auctoritate delevi.

Quaedam algentia] Vetus liber, *alentia*. ex quo fecerant, *calentia*. Ego, *algentia*, malui. Ut enim humidis ficca, sic algentia idoneis ad concipiendos ignes opponuntur. Ἀτμίδα & ἀναθυμίασιν Aristoteles vocat: illam potestate aquam, hanc potestate ignem.

Pollucis & Castoris numine] Celebrata ab omnibus poëtis & mythologis fabula. Vide Plinium lib. II cap. XXXVII.

Nam sereno quoque caelo aliquando tonat] Neque tonat tantum, sed & fulmen dejicitur. Cicero:

Aut cum terribili percussus fulmine civis,
Luce serenanti vitalia lumina liquit.

Qua ipsa de re ita Julius Obsequens: *Sereno Vargunteio Pompeius de caelo exanimatus.* Fortasse autem apud Senecam quoque vox *caelo*, delenda sit. At Plinius hunc ipsum M. Hieronymum decurionem ex Pompejano municipio vocat.

Clypei] Plinius: *Clypeus ardens ab occasu ad ortum scintillans transcurrit solis occasu, L. Valerio, C. Mario Cos.* Narratur & idem ab Obsequente.

c. II. Dixit de capris, trabibus, facibus, ceterisque ejusmodi fulgoribus. Nunc exponit quemadmodum area sive corona fiat. Videndus Aristoteles cap. III. libri tertii Meteorologicôn.

Quo die divus Augustus] Plinius cap. XXVII. libri II. Obsequens cap. CXXVIII.

Nonnunquam paulatim diluuntur & desinunt: nonnunquam ab aliqua parte rumpuntur] Illud Aristoteles vocat ῥηγνύμενος, hoc διασπάσθαι: qui etiam eadem, quae hic Seneca, & ob easdem causas, significari docet.

Et tunc aquam expecta] Non erant in libris veteribus: eoque delevi. Addita videntur ab aliquo, ex Aristotelis sententia: qui ita scribit: Ἐὰν μὲν οὖν μήτε ῥηγνυμένη, μήτε διασπασθῇ, ἀλλ' ἐαθῇ τὴν φύσιν ἀπολαμβάνειν ἑαυτῆς, ὕδατι τοῦτο σημεῖόν ἐστι.

c. III. Absoluta tractatione areae, trabis, facum, & similium, ordinem Aristotelis secutus, de arcu sive iride disputare incipit. in cujus causa reddenda Aristoteleus est.

At contra arcus in nocte non fit, nisi admodum raro] Veteres quidem eum noctu nunquam fieri opinabantur: sed raritas eis causa errandi fuit. Aristot. τῇ μὲν ἰσόμοιρον μὴ ἴσως γίγνεσθαι. νύκτωρ γὰρ λύπης, ὡς μὲν οἱ ἀρχαῖοι ᾤοντο, οὐκ ἐγίγνετο. τοῦτο δ' ἴσως ἀληθὲς τὸ παράπαν. ἐλάττων δὲ αὐτῶν γίγνεσθαι μὲν δὲ, ἐλαχάκις δ' γίγνεται. Addit id fieri tantum plenilunio: atque ita raro ut ipse totis quinquaginta annis bis tantum id noraverit.

Ridiculis] Alii, *tendiculis*. Ego veteri libro fidem habui. Est autem *ridicula* nomen imminutum *a ridica*.

Quidam hoc genere valetudinis laborant] Aristoteles: οἷόν ποτε συνέβαινέ τινι πάθος, ὑρίμῳ τῇ αὐτῇ ὀξὺ βλέπειν. ἀεὶ γὰρ ἐδόκει ἑαυτῷ σφυγμὸς βαδίζειν αὐτῷ, ἐξ ἀνωτάτω βλέπων ἐπὶ αὐτόν. τοῦτο δ' ἔπασχε διὰ τὸ τὴν ὄψιν ἀνακλᾶσθαι ἐπὶ αὐτῆς. ὅταν γὰρ ἀθρόους ἔν τῇ λευκῇ πώματα ὑπὸ τῆς αἰθρίας, ὅτε ἥκιστα ἐγίνετο τῷ ὁ πλησίον ἀεὶ, τῷ οὐκ ἠδύνατο ἀναθεῖν. Sunt qui hunc Antipherontem fuisse dicant, hominem motae mentis; de quo quiddam legitur etiam in libro de memoria. Mihi hoc satis exploratum non est.

c. V. *Purpuram Tyriam*] Huc referendum est illud dictum Augusti, quod his verbis a Macrobio exponitur: *Cum de*

de Tyriae purpurae, quam emi jusserat, obscuritate quereretur: dicente venditore, Erige altius, & suspice: his usus est salibus: Quid ergo? ut me populus R. dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum?

C. VI. *Et bibit ingens arcus*] Hinc urbanissime dictum est a Palinuro Plautino, qui anum, senio incurvam, bibentem videret:

Ecce autem bibit arcus: pluet,
Credo, hercle hodie.

C. VIII. *Aristoteles ait, post autumnale aequinoctium*] Vide Aristot. cap. v. lib. III Meteorologicōn.

C. XIII. *Si Arato credimus*] Arati hac de re versus hi sunt:

Οὐδ' ὅτ' ἀμφοτέρωθεν ἰὼ σὺν μέσσον ἴχωσιν
Ἠέλιος καὶ νὺξ, καὶ σχεδὸν ἀντιόωσι
Γίγνεται ἀμβολίη, Διὸς ἀκαμάντοιο λύσις.

IN LIBRUM SECUNDUM.

Disputaturus de fulguratione, tonitruo, fulmine, terrae motu, quaedam de vi & potestate aëris ei disputationi necessaria praemunit.

Solidumne sit caelum] Ut significat Homerus, cum illum *aheneum* esse dicit.

C. II. *Aliquid esse continuum, aliquid commissum*] Ex hac Stoicorum disciplina sumpta sunt, quae disputantur a Pomponio in l. *Rerum mixtura* D. de usurp. & usucapionibus.

C. XXII. *Sicut cum duo ligna inter se diutius trita sunt.*] Lignorum attritu excitari ignem, multi graves scriptores prodiderunt. Thucydides: ἔνθα δὲ οὐ ὕσαι ὕλη τοσαύτη ὑπ' αὐτῶν ἐγένετο, διὰ τοιαύτης τῆς ἢ φλόγα εἶναι. Lucretius:

Emicat interdum flammai fervidus ardor,
Mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.

Vitruvius: *Interea quodam in loco ab tempestatibus & ventis densae crebritatibus arbores agitatae & inter se terentes ramos, ignem excitaverunt.* Inde apud veteres *igniaria ex ligno*: quae ex qua materia optime parentur, docet Plinius cap. XI. lib. XVI. Lucianus: αὐτὴ ἡ τῆς ἐρέας ἀπεργάσασα, ἢ ἀτεκμάρτως, δῆλον ὡς ἡ περίστασις ἐποιήσατο.

C. XXVI.

Digitized by Google

c. XXVI. *Quidam negaverunt*] Theophrastus quidem diserte scribit. ἄνευ ὑγρότητος οὐδὲν εἶναι καυστόν. Est enim humor, ignis alimentum.

c. XXXI. *Ceterum mira fulminis*] Quaedam iis consimilia narrat & Plinius lib. II. cap. LI. Mihi hoc contigit, ut paucis mensibus antequam Hippolytus Cardinalis Ferrariensis, qui ita de me meritus est, ut perpetuo animae ipsius bene precari debeam, ex hac vita discederet, fulmen in palatium ipsius decidens, ad mea usque cubicula pervenerit. Ibi gladii qui ad lectum unius e famulis meis pendebat, mucronem ipsum ita colliquefecit, ut in globulum converterit, vagina prorsus illaesa.

c. XXXIII. *Quorum ars in tria dividitur*] Mirum, cur non & pro quarto addiderit artem fulminum eliciendorum, sive evocandorum; de qua est apud Ovidium libro tertio Fastorum, & apud Plin. cap. LIV. lib. II. & alios. sed illam fortassis, tanquam nimis periculosam, abjecerant. Possem multa notare ad ea quae sequuntur, de variis generibus fulminum. Sed me, ut verum fatear, ineptiarum piget.

IN LIBRUM TERTIUM.

Deus alia exaltat, alia deprimit] Hoc Aesopus quasi proprium Dei opus esse respondit. Et notum est illud Hesiodi:

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄνηλον ἀέξει.
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

c. II. *Aut stant omnes aquae, aut fluunt, aut colliguntur*] Prima divisio aquarum. Τῶν ὑδάτων τὰ μὲν στάσιμα, τὰ δὲ ῥυτὰ, τὰ δὲ συλλογιμαῖα.

Quaedam haustae secunditatem afferunt] Theophrastus libr. nono περὶ φυτῶν· Ἐνιαχοῦ μὲν γὰρ φασὶ τὸ ὕδωρ παιδογόνον εἶναι γυναιξὶν, ὥσπερ καὶ ἐν Θεσπιαῖς, ἐνιαχοῦ δὲ ἄγονον, ὡς ἐν Πυρᾷ. Plinius libro XXXI. *Thespiarum fons conceptus mulieribus repraesentat: Item in Arcadia flumen Elatum. Custodit autem partum Linus fons in eadem Arcadia, abortusque fieri non patitur. E diverso in Pyra flumen, quod Aphrodisium vocant, steriles facit.* Solinus in capite de Sicilia: *Ibi & fontes duo. Alterum si sterilis*

lis sumpserit, fecunda fiet: alterum si fecunda hauserit, vertitur in sterilitatem.

c. v. *Quidam judicant*] De caussa & origine fluviorum ac fontium videndus Aristoteles cap. XIII. lib. primi Meteorologicæ.

c. x. *Fiunt omnia ex omnibus*] Vide eundem Aristotelem capite quarto libri secundi, περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς.

Omnia in omnibus sunt] Vetus dictum Anaxagoræ, πᾶν ἐν παντὶ μέμικται.

c. xi. *In Coryco monte*] Plinius: *In Coryco monte amnis erupit postquam coeptus est coli.*

Haemus] Hac de re ita idem Plin. *Nascuntur fontes decisis plerumque silvis, quos arborum alimenta consumebant: sicut in Haemo, obsidente Gallos Cassandro, cum valli gratia silvas cecidissent.*

Idem ait circa Arcadiam] Plinius: *Et coli moverique terram, callumque summae cutis solvi, aquarum interest. Proditur certe, in Creta expugnato oppido, quod vocabatur Arcadia, cessasse fontes, amnesque qui in eo situ multi erant. Rursus condito, post sex annos emersisse, uti quaeque coepissent partes coli.*

c. xiii. *Aqua ait Thales*] Aquam principium rerum omnium esse tradidit Thales, ut auctor est Aristoteles libro primo majore τῶν μετὰ τὰ φυσικά. eandem putabant fuisse sententiam vetustissimorum poëtarum, quos illi Theologos vocabant. Nam & eodem respexisse Homerum illo versu,

Ὠκεανὸν τῆς θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

& cum Odysseas ν, Neptunum ab Jove ipso vocari facit deorum antiquissimum & optimum.

c. xv. *Sed hoc amplius censeo*] Senatorium loquendi genus: cum qui sententiam dicturus erat, probabat quidem quae ab aliis dicta erant, sed addebat aliquid etiam de suo.

c. xvi. *Sed quae quidam fontes senis horis pleni, senisque sicci sunt?*] Huic simile quiddam de Dodonaeo fonte scriptum reliquit Plinius libro secundo. *Meridie*, inquit, *semper deficit: qua de caussa anapauomenon vocant. Mox increscens ad medium noctis exuberat: ab eo rursus semper deficit.* Paulo post addit, fontes esse calidos contra Timavum amnem, qui pariter cum aestu maris crescunt, minuunturve. Vide quae de fonte Comensi scribit Plinius

nius Caecilianus epistola ultima libri quarti: quae eadem & Plinius avunculus, sed brevius, tradiderat.

Et in aquis torpentibus situ] Male in aliis libris, *facta*.

Subterranei mures]. Ita veteris libri, non, ut alii, *vermes*.

Inde, ut Theophrastus affirmat, pisces quibusdam locis eruuntur] Hunc ipsum, ut opinor, Theophrasti locum citat Athenaeus principio libri octavi. Plinius etiam copiosius capite LVII. libri noni.

c. XVII. *In mari venetur*] Multo haec scriptura melior, quam illa vulgata, *in mari versetur*.

Vitreis ollis inclusi offeruntur] De his ipsis deliciis vide quae scribit Plinius libro nono.

c. XVIII. *Jam pro putrido*] Totus hic locus quanto melius in veteribus, quam in vulgatis libris, legatur, cupio ex collatione cognosci. Ita enim scriptum est in illis: *Is pro putrido jam piscis est, qui hodie eductus*, & cetera. & paulo post: *Ut gustare possint, nisi quem*. Vox *piscem* redundat. de mullo enim tantum loquitur.

c. XIX. *In Caria circa Loruma urbem*] Ita jam pridem legendum docui capite septimo libri duodecimi Var. lect. idque ex libro vetere, Strabone, Mela, Plinio, Ptolemaeo. Mentio ejus oppidi est apud Livium libro XXXVII.

c. XX. *Hoc habet mali Lyncestius amnis*] Ita legendum ex vetere libro & ex histor. Theopompus ἐν Λυγκήσῳ φησὶ πηγὴν εἶναι τῇ μὲν γεύσει ὀξίζουσαν, τοὺς δὲ πίνοντας μεθύσκεσθαι. Athenaeus libro secundo. Meminit & Vitruvius, & Plinius, & Oribasius.

c. XXI. *In quosdam specus*] Noti sunt Virgiliani versus de Averno:

Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris:
Quam super haud ullae poterant impune volantes
Tendere iter pennis talis sese halitus atris
Faucibus effundens supera ad convexa ferebat.

c. XXIV. *Dracones & miliaria*] Utraque vasa sunt ad aquam calefaciendam. *Dracones* a figura dicti. *Miliariorum* & apud juris auctores, & apud alios mentio.

c. XXV. *Circa Nonacrin*] Vitruvius: *Item est in Arcadia Nonacris nomi nata terrae regio, quae habet in montibus e saxo*

saxo stillantes frigidissimos humores. Haec autem aqua Διὸς ὕδωρ *nominatur: quam neque argenteum, neque aeneum, neque ferreum vas potest sustinere: sed dissilit & dissipatur. Conservare autem ea & continere nihil aliud potest, nisi mulina ungula, quae etiam memoratur ab Antipatro in provinciam, ubi erat Alexander, per Jollam filium perlata esse, & ab eo ea aqua regem necatum.* Hujus aquae Herodotus, Curtius, Plinius, Plutarchus, alii, eandem esse vim tradiderunt.

Est item noxia aqua in Thessalia] Meminit hujus & Vitruvius libro octavo, & Plinius capite secundo lib. xxxi.

Alia enim sunt quae pota] Vitruvius: *Sunt Boeotiae flumina Cephisus & Melas, Lucaniae Crathis, Trojae Xanthus, inque agris Clazomeniorum & Erythraeorum & Laodicensium fontes ac flumina, cum pecora suis temporibus anni parantur ad conceptionem partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum: ex eoque quamvis sint alba, pariunt aliis locis leucophaea, aliis pulla, aliis coracino colore.* Ovidius:

Crathis & hinc Sybaris vestris conterminus oris
Electro similes faciunt, auroque capillos.

Μαραθίδρου τὴν Θεσσαλικὴν φασι, καὶ κρύβδα τὸ ὕδωρ ξανθίζειν. Scholiastes Theocriti in eidyllium quintum. Vide & Plinium lib. II. cap. CIII. & capite secundo libri XXXI. ex quo intelliges, recte a me scriptum paulo infra haec verba, *in Ceronem*, ubi alii legebant, *in Penemon*. De Xantho idem ab Aristotele traditur lib. III. de historia animalium; nisi quod pro Xantho Scamandrum vocat.

Insulae in Lydia natant] Vide Plinium c. XCV. lib. II. Talem insulam parvam quidem, sed quae tamen arbores habeat, & in qua & pecudes & armenta pascantur, in via Tiburtina saepe magna cum voluptate spectavi.

c. XXVI. *Ut Nilus, cujus alias ratio reddetur*] libro proxime sequenti.

Sic ubi terrena Lycus] De Lyco, Erasino, Tigride, idem & apud Plinium legitur.

Tandem longe remoto loco] Locus hic foede mutilatus ab aliis, ita in vetere libro meo legitur: *Tandem longe remoto loco, non tamen dubius an idem sit, emergit. Quidam fontes certo tempore purgamenta ejectant.* Ego autem, qui jam pridem ita restituissem, monueram decem

abhinc annos, ita reſtituendum eſſe, cap. 7. lib. 12. Variarum lectionum. Sed negligentia ejus cujus opera in eis libris, graviter tunc aegrotus, utebar, factum eſt, ut ea omnia omiſſa ſint, quae ex vetere libro addenda erant.

Ut Arethuſa] Plinius libri ſecundi cap. CIII.

Circa Meſſanam & Mylas] Plinius lib. ſecundi cap. CV.

C. XXVII. *Poëtarum ingenioſiſſimus*] Notanda eximia, eademque veriſſima laus Ovidii, quem hodie nonnulli inepte faſtidioſi contemnere audent. Notandum etiam, quanto judicio Seneca in eo reprehendat ea, in quibus luxurianti ingenio nimis indulſit. Haec nos in ſcribendo cautiores & conſideratiores facere debent.

IN LIBRUM QUARTUM.

Ut omnes diſputationes ſuas uſitata ſibi conſuetudine, ſermone aliquo qui ad formandos mores pertineat condiat, de Nilo, grandine, nive, pluviaque dicturus, elegantiſſimo prooemio utitur de vitandis adulatoribus: & quantopere eorum conſuetudo tum periculoſa, tum pernicioſa ſit. In eo emendando quid praeſtiterim, & ipſe mihi conſcius ſum, & ſciet, ſi quis hos libros cum antea editis conferre voluerit.

Ante Villeum] Parum abeſt, quin legendum ſuſpicer *Velleum*, ut intelligatur Velleus Paterculus, cujus fragmenta quaedam hiſtoriarum extant. Ille quidem certe perfrictae frontis adulator fuit.

C. I. *Quid ita Nilus aeſtivis menſibus abundet*] De hac nobiliſſima quaeſtione multa diſputat Herodotus libro ſecundo, ſed multo copioſius multoque eruditius Diodorus Siculus libro primo bibliothecae. Vide & Solinum cap. XLV. & Plinium capite nono libri quinti, & Heliodorum libro ſecundo Aethiopicon.

C. II. *Proinde aut ſterilis annus*] Plinius: *In duodecim cubitis famem ſentit: in tredecim etiamnum eſurit*: XIV. *cubita hilaritatem afferunt*: XV. *ſecuritatem*: XVI. *deliciat*.

Cum poëta meo] Id eſt, tecum: erat enim & hic Lucilius poëta. Alii inepte, *cum poëta in eo*.

Ovidium] Memoriae lapſus. Tibulli enim verſus eſt, non Ovidii:

Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluvio ſupplicat herba Jovi.

Hanc

Digitized by Google

Hanc delphini] Et de hoc naturali aſtu delphinorum adverſus crocodilos, & de Tentyritarum audacia vide Plinium cap. xxv. Libri octavi.

Et Boryſthenes] Inepte alii, *eas oras tenens.*

Eudimenes Maſſilienſis] Legendum, *Euthymenes*, e libro quarto eorum qui Plutarcho tribuuntur, de placitis philoſophorum.

c. III. *Grandinem*] Ariſtoteles capite XII. libri primi Meteorologicōn.

c. IV. *Bene emenſum dabo*] *Bene emenſum* vocat ἐπίμετρον, auctarium, corollarium. ut cum multis modiis tritici pugillos aliquot pro cumulo adjiciunt.

Os praecidi, non oculi erui ſolent] *Praecidere*, aut fortaſſis *praecludere os* audientibus videntur, qui ita mentiuntur, ut contra dici non facile poſſit: at *oculos eruere*, qui non verentur ea pro veris affirmare, quae aſpectu ipſo mendacii coargui poſſunt. Excaecare enim eos qui audiunt, quantum in ipſis eſt, videntur.

c. VI. *Non tempero mihi*] Horum ſpeculatorum futurae grandinis meminit Plutarchus libri ſeptimi Sympoſiacōn cap. ſecundo. Et ne tota res, quae alioqui primo aſpectu ridicula eſt, fabuloſa exiſtimetur, gravis & ſanctus ſcriptor, Clemens Alexandrinus, putat magos fuiſſe, qui longa eorum quae in ſublimi fierent obſervatione, grandinem imminentem praenoſcerent, & illis impiis ſacrificiis, aut ſanguinis e digito effuſione, populum in impietate ac ſuperſtitione retinerent. Vide eum libro ſexto Stromateon.

c. VII. *Quamvis munera etiam deos vincant*] Reſpicit ad illud Homericum:

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας.

c. VIII. De origine nivis, de qua hic agitur, videndus Ariſtot. cap. undecimo lib. primi Meteorologicōn.

IN LIBRUM QUINTUM

Ventus eſt fluens aër] Hanc definitionem non a Stoicis primum proditam, ſed vetuſtam eſſe, oſtendit Ariſtoteles: & certe Hippocratis in libro de flatibus eam ſententiam eſſe conſtat: quam tamen multis modis Ariſtoteles ſecundo Meteorologicōn erroris mendacique convincit.

c. IV. *Quomodo in noſtris corporibus*] Ridicula opinio. Itaque Ariſtophanes Socratem ut populi ludibrio exponeret, eodem prope modo de tonitrui & fulminis origine diſserentem facit.

c. VI. *Animalia igne generantur*] Contra Ovidius:

Nec tu aliud Veſtam quam puram intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.

Sed hac de re vide Ariſtotelem libro quinto de hiſtoria animalium, & Plinium cap. XXXVI. lib. XI.

c. VII. *Nunc viritim incipiemus illos excutere*] De his omnibus, quae hoc loco de ventorum varietate narrantur, vide Plinium lib. II. a cap. XLV. usque ad cap. L. & ſcriptorem noctium Atticarum cap. XXII. lib. ſecundi.

c. XVII. *Galliam circius*] Galliam Narbonenſem: ubi hodieque & vehementiam & nomen retinet. *Cercium* M. Cato vocat, ſi emendata ſunt exemplaria.

IN LIBRUM SEXTUM.

c. I. *Pompejos*] Vix ulla res eſt, de qua majore contentione diſputarint philoſophi, quam de terrae motu. De quo tamen nihil adhuc pro certo atque explorato ſtatuere potuerunt. Videndus Ariſtoteles lib. ſecundo Meteorologicôn, & qui in eum ſcripſerunt: Plinius libri ſecundi cap. LXXIX. & deinceps: liber tertius de placitis philoſophorum.

Et quidem diebus hibernis] Ariſtot. quidem auctor eſt, vere & autumno ſaepius terram moveri: aeſtate & hiemerarius: ſed tamen nullam eſſe anni partem ab hoc mali genere tutam, experimenta docuerunt.

Sexcentarum ovium gregem] Hoc ex eo contigiſſe videri poteſt, quod in terrae motu tetri ac peſtiferi halitus afflantur e terra: quorum noxia vis ad pecudes citiſſime ac facillime pervenit: ut quae humi paſcantur, neque fere unquam caput attollant. Sic Homerica peſtis greges primum & armenta corripuit. Sed hoc Seneca ipſe poſtea dicturus eſt.

c. XXI. *Theram & Theraſiam*] Locum hunc, qui etiam in vetuſtis libris mutilus ac depravatus eſt, ita legendum puto: *Inter Theram & Theraſiam, hanc noſtrae aetatis inſulam &c.* Plin. libro 4. *Thera, cum primum emerſit,*

Cal-

Digitized by Google

Calliſte dicta: ex ea avulſa poſtea Therasia, atque inter duas enata mox Automate, eadem Hiera, & in noſtro aevo Thia juxta eandem Hieram nata. Vide eundem cap. LXXXVII. libri ſecundi.

Helice Burisque] Vocatur & *Bura*, earum unam hiatu terrae abſorptam, alteram undis obrutam fuiſſe ſcribit Strabo lib. I. Vide eundem & lib. 8. & Pauſaniam in Achaicis, & Plinium cap. XCI. libri ſecundi.

Ceu cum frigore inhorruimus] Lucretius:

Frigus uti noſtros penitus cum venit in artus,
Concutit, invitos cogens tremere atque movere.

Thucydides ait] Libro tertio. *Atalanta* autem inſula eſt in Locris Opuntiis.

Idem Sidoni accidiſſe, Poſidonio crede] Hoc ipſum narrat, & auctorem eundem Poſidonium laudat Strabo lib. I.

C. XXV. *Cum laboravit Aegium*] Vere & erudite locum hunc emendavit Pincianus.

C. XXVI. *Aegyptum nunquam tremuiſſe tradunt*] Aliam hujus rei cauſſam affert Plinius, cujus haec verba ſunt, cap. LXXX. libri ſecundi: *Ideo Galliae & Aegyptus minime quatiuntur, quoniam hic aeſtatis cauſſa obſtat, illic hyemis.*

Si Homero fides eſt] Hac de re Homeri verſus ſunt Odyſſeae lib. 4.

Νῆσος ἔπειτά τις ἐστὶ πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ,
Αἰγύπτῳ πρόπαροιθε, Φάρος δὲ ἑ κικλήσκουσι.
Τόσσον ἀπὸ δοιὸν τε παναιμερίη γλαφυρὴ νῆυς
Ἤνυσεν ἢ λιγὺς ἠῷος ἐπιπνείησιν ὄπισθεν.

Et Delos, quam Virgilius ſtare juſſit] Eleganter quod de Apolline Virgilius dixerat, id ad ipſum Virgilium tranſtulit.

Credula natio] Plerumque enim, non tam, verum ſit aliquid, nec ne ſit, quam poſito verum eſſe, cauſſas cur ita fiat, inquirunt.

Auctore Pindaro] Locus Pindari apud Pindarum ipſum non extat: ſed citatur a Strabone libro 10. Apud Callimachum quidem in hymno in Delum ita legitur:

Κόπη δ' ἀκρήτοιο τῇ ἄνθεσιν.

Digitized by Google

Herodotus tremuisse ait Delon, quo tempore Dareus in Graeciam exercitum duxit: cum prius oraculo ita responsum esset:

Quin etiam Delon, quanquam est immota, movebo.

1. *Thucydides ait*] libro secundo: ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη, ὀλίγῳ πρὸ τούτων πρότερον ἤπω σεισθεῖσα, ἀφ' οὗ Ἕλληνες μέμνηνται. Plin. lib. 4. *Ipsaque longe clarissima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos: quae diu fluctuata, ut proditur, sola motum terrae non sensit ad M. Varronis aetatem. Mucianus prodidit bis concussam.*

IN LIBRUM SEPTIMUM.

De cometis, quae propria hujus libri materia est, videndus Aristoteles cap. 6. & cap. 7. primi Meteorologicōn, Plin. cap. 25. lib. 2. & alii.

c. I. *Quod a solstitio ad minuendos dies vertitur*] Haec omnia & absunt a veteribus libris, & plane redundant. Quare deleri jussi.

c. II. *Utrum mundus terra stante*] Cicero in Academicis: *Hicetas* (ita enim jam pridem legendum docui, non, ut vulgo, *Nicetas*) *Syracusius, ut ait Theophrastus, caelum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare censet: neque praeter terram, rem ullam in mundo moveri: quae cum circum axem se summa celeritate convertat & torqueat, eadem effici omnia, quae, si, stante terra, caelum moveretur. Atque hoc etiam Platonem in Timaeo dicere quidam arbitrantur, sed paulo obscurius.* Laërtius ab aliis hunc, ab aliis Philolaum hujus admirabilis sententiae auctorem putari ait. Sed & Heraclides Ponticus, & Ecphantus Pythagoreus idem sensisse traduntur.

c. XI. *Quibusdam antiquorum*] Anaxagorae & Democriti opinio haec fuisse dicitur.

c. XXI. *Sex enim mensibus*] Quomodo igitur tuebitur Plinium, cujus haec verba sunt? *Brevissimum quo cernerentur spatium septem dierum annotatum est; longissimum octoginta.* Nimirum addenda est Plinio una littera C. ut sit, C. *octoginta.* Totidem enim diebus sex menses constant.

M. AN

M. ANTONII MURETI

IN

ARISTOTELIS ETHICA

AD NICOMACHUM

COMMENTARIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN PRIMUM LIBRUM ETHICORUM ARISTOTELIS AD NICOMACHUM COMMENTARIUS.

1. FINIS est, qui impellit ad agendum: quique omnibus in rebus initio considerandus est. quare praeclare, ut solet, Aristoteles hujus doctrinae, qua humanae actiones diriguntur, principium a fine bonorum omnium ducendum putavit.

2. Simul quia, ut ait Hesiodus, aspera, & difficilis est via ad virtutem, ne ejus asperitate deterreantur animi, proponendus est finis, quo nihil pulchrius, aut melius, aut jucundius cogitari potest: ut spe illius consequendi, labores & suscipiantur libentius, & facilius ac constantius perferantur. Quare hoc primo libro de fine bonorum, sive de felicitate disseritur, &, confutatis quibusdam pravis de ea opinionibus, vis ac natura illius explicatur.

3. Sed antequam ingrediatur in disputationem, brevi quodam eodemque admodum necessario prooemio utitur.

4. Sunt autem duo genera prooemiorum, unum cum ea re, qua de agitur, connexum, cohaerens, conjunctum, quod recte mihi posse vocare videor συμφυές, ex ipsa rei natura ductum: alterum ornandi tantum sermonis, & oblectandi lectoris gratia quaesitum, quod ἐξωθεν vocemus licet. Hoc Plato, & eum secutus Cicero, illo Aristoteles uti solet. Constat autem prooemium hujus libri partibus tribus: quarum in prima ostenditur, aliquem esse finem bonorum, ad quem alia referenda sint, ejusque cognitionem admodum utilem esse, atque ad politicen pertinere. In secunda, non esse exigendam in his rebus limatam illam, & exquisitam docendi subtilitatem: sed satis esse, si omnia tractentur ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Postremo, cujusmodi esse oporteat eum, qui maximo cum fructu ad hanc philosophiam audiendam accedere, & de illius praeceptis optime judicare possit.

 5. Sum-

Digitized by Google

5. Summo autem judicio haec propoſuit. tria enim haec ad omnem diſputationem conſtituendam concurrere neceſſe eſt: rem de qua dicitur, eum qui diſputat, & eum qui audit.

6. Ac quoniam inveſtigandum ſibi propoſuerat, quid eſſet ultimum rerum expetendarum, prius oſtendendum fuit, in eis eſſe aliquid ultimum. nam quaeſtio, ſit nec ne res, praecedit eam, qua, quid ipſa ſit, quaeritur: ut in analyticis docetur. ac niſi aliquid eſſe aut per ſe conſtet, aut probetur, in quaerendo quid ſit, omnis fruſtra ſumatur labor.

7. Ita igitur docet Ariſtoteles, eſſe aliquod ſummum hominis bonum. Omnes artes, ſcientiae, facultates, omnia denique, quae ab hominibus ſuſcipiuntur, quaeque fiunt, ad bonum aliquod diriguntur, idque tanquam finem ſibi propoſitum ſpectant.

8. Fere autem fit, ut, cum finem aliquem conſecuti ſumus, eum ipſum finem dirigamus ad alium, illumque rurſus ad alium, & ſic deinceps, ita ut aſſidue prior finis quaſi gradus quidam ſit ad poſteriorem aſſequendum. exempli cauſſa. Fodit aliquis terram, ut ferrum ex ejus viſceribus eruat. hujus igitur finis eſt, reperire ferrum: ſed ferrum quoque ipſum non niſi propter aliquem uſum expetitur. ergo erutum traditur fabro, qui illud igne mollit, imponit incudi, malleo tundit, limat, acuit, donec ex eo conficiat aliquid, verbi cauſſa, ſcalpellum. Scalpellus igitur hic totius illius molitionis atque operae fabrilis finis eſt. At ipſe quoque refertur alio, nempe ad uſum medici, qui eo utitur ad incidendam venam. Rurſum venae ſectio alio pertinet, nempe ad ſanguinem, aut qui redundat, minuendum, aut qui vitioſus eſt, detrahendum. Sanguinis miſſio ad morbum aut vitandum, aut tollendum, aut levandum. Morbi vitatio, levatio, depulſio, eſt illa quidem optanda etiam per ſe: ſed tamen eo quoque refertur, ne impediantur actiones. Rurſus actiones ipſae aliae ad lucrum referuntur, aliae ad gloriam, aliae ad honeſtatem, aliae ad voluptatem, aliae alio. Aut igitur ſemper ex aliis finibus in alios atque alios progrediendum eſt, aut reperitur tandem ultimus aliquis finis, ad quem ceteri omnes diriguntur. At illud quidem eſſe non poteſt. Sequeretur enim, infinitos eſſe fines: & cum infinitum peragrari non poſſit, ut eſt in

ter-

tertio Physicorum: natura, quae nihil facit frustra, ut innumerabilibus locis ab Aristotele docetur, frustra indidisset, atque ingenuisset homini illam, quae nunquam ad ultimum pervenire posset, boni appetitionem. Est igitur aliquod ultimum atque extremum bonorum: seu, quod idem est, summum bonum.

πᾶσα] Hic annotant interpretes, prope sollemne esse Aristoteli, ut libros suos a pronunciatis universe affirmantibus exordiatur. Sic in Physicis, in libris de sapientia, de animo, in posterioribus analyticis. & sane maxima dignitas est in hoc genere enunciationum. nam & affirmatio negationi praestat, & ea quae de toto genere est, ei quae de aliqua generis parte.

Τέχνη] Sexto horum librorum proprie loquitur περὶ τῆς τέχνης, & eam definit ἕξιν ποιητικὴν μετὰ λόγου. at hic latius patet hoc nomen, ita ut artis & methodi vocabulis omnis cujusque generis cognitio intelligatur. quod idem aperte ostendit infra, ἐπειδὴ πᾶσα γνῶσις, &c. Confunduntur autem hoc loco hae voces τέχνη, μέθοδος, ἐπιστήμη, ἀρετὴ, ἐνέργεια: & prope sine ullo discrimine capiuntur. Τέχνην igitur recte hoc loco definit Eustratius σύστημα ἐγγυμνασμάτων ἐξ ἀνάγκης πρὸς τὸ τέλος ἔχοντα τῶν ἐν τῷ βίῳ. qua definitione etiam illae includuntur, quae nullum opus, quod permaneat, efficiunt: sed tantum in agendo sunt occupatae: ut ῥητορικὴ, ἱππικὴ, & similes. at ipse postea sibi non constat, & ita loquitur, quasi Aristoteles τέχνης nomine hoc loco eas tantum artes intelligat, quarum est ἔργον τι παρὰ τὴν ἐνέργειαν. quem ipsius errorem posteriores quoque secuti videntur. Illam autem artis definitionem antiquam esse opinor. Lucianus enim in dialogo, quo parasitorum artem quandam esse contendit, eam tanquam a vetere aliquo sapiente proditam ponit.

Μέθοδος] *Doctrinam* verterunt. recte: dummodo ita accipias *doctrinam*, ut Cicero, cum *Rhetoricam* vocat *doctrinam dicendi*. At B. Thomas, & alii ita acceperunt hoc nomen, quasi Graece scriptum esset διδασκαλία. Μέθοδος quoque nomen apud Graecos duobus modis accipitur. interdum pro ratione & via, quam in tradendis artibus sequimur: ut infra, principio libri quinti, & cum Galenus principio artis medicae dicit, τρεῖς εἶναι μεθόδους πάσας ἰατρικάς. Interdum pro quoliber habitu, qui res sibi propositas, adhibita ratione, considerat. quam definitio-

Digitized by Google

nitionem Alexandro tribuit Simplicius in primum de caelo, his verbis: Μήδεις ἴσαν, ὡς φησιν Ἀλέξανδρος, πάσων ἕξεις διαφερουσὰ τῶν ὑφ' ἑαυτὰ κατὰ λόγον, τέχνας, κατὰ σύνεσιν, hoc autem posteriore modo hic accipienda est.

Πρᾶξις π] Eustratius hoc loco definit πρᾶξιν, τὸ μετὰ προαιρέσεως ἀνθρώπου εἰργασμένον. quod non probo nam si προαίρεσις contineretur in definitione πράξεως, & esset de essentia illius, frustra statim adderetur, ἡ προαίρεσις. Deinde quod sequeretur, ea, quae fiunt per iram, aut per cupiditatem, non esse πράξεις, neque bonum appetere: quorum utrumque falsum est. nam & agit, & objecta alicujus boni specie movetur. rectius igitur dicemus, πρᾶξιν εἶναι εἰργασμένον ἀνθρώπου μηδὲν ἀφ' ἑαυτοῦ ἔχοντος ἀπολείπεσθαι, ἢ μὴ πάλιν ἀφοσιωμένον ἔχοντος. in eo enim, quod nullum ex se opus relinquere dicitur, distinguitur ἀπὸ τῶν ποιήσεως. quae praeterea addita sunt, cur addita sint, non multo post intelliget.

Καὶ προαίρεσις] Alii vertunt *electionem*, alii *delectum*, alii *propositum*, alii *consilium*. Cicero de finibus videtur alicubi vocasse *susceptionem*. Omnino nullum verbum Latinum reperiri potest, quo ubique apte & commode exprimatur προαίρεσις. De ea autem disputabitur libro tertio.

Ἀγαθῶν τινῶν] Non omnia idem bonum sibi proponunt, sed alia hoc, alia illud. ideo addit τινῶν.

Ἔφιεται] Quomodo ars, & actio, & cetera, quae proposita sunt, appetere dicuntur? Respondeo, aut translatum esse, aut abstracta, ut grammatici loquuntur, accipienda esse pro concretis. Simplicius in primum Physicorum, distinguit ὄφεσιν καὶ ὄρεξιν, hoc modo: ὅταν ἐπὶ ὄρεξις ἐν τοῖς ἀψύχοις, τότε ἐν τοῖς ἀψύχοις, φυσικῶς ᾖ, ὄφεσις.

Δοκεῖ] Δοκεῖ ᾖ ὕδρα, ἐκ δὲ ἀναφισβητῶν, ἀπ' ἐκ τοῦ τὸ ἄκων ὁμολογούμενον. Simplicius in primum de anima, τὸ μέν πνα φιλεσθαι δίλαβεσθαι. ut ait idem in primum de caelo, aut quia tota haec doctrina in verisimilibus posita est, aut quod non omnes re vera sequuntur bonum, sed omnes tamen id sibi facere videntur.

Ἀπορίαι καὶ λύσεις.

1. Πῶσαι τέχναι] Etiamne artes lenonum, veneficorum, & similes? Illae vero indignae sunt artis nomine. nam neque agunt μετὰ λόγου, ἢ ἀρετῆς, neque referuntur πρὸς τὸ τέλος ζωῆς, ἢ ἐν τῷ βίῳ. non igitur comprehenduntur

Digitized by Google

tur hoc nomine αἱ κακοτεχνίαι, αἱ ψευδοτεχνίαι, αἱ καταιοτεχνίαι.

2. Πρᾶξις] Etiamne latrones, sicarii, parricidae, alii. que ejusmodi? Plane. Sequuntur enim quiddam, quod ipsis errore ductis bonum videtur, ut lucrum, vindictam, aut tale quid. Bonum autem hic dicitur, quod aut est, aut videtur. Sic enim in primo πολιτ. τῶν γὰρ δοκοῦντος ἀγαθοῦ χάριν πάντα πράττουσι πάντες. & secundo Phys. cum dixisset, τὸ τέλος ἀγαθὸν εἶναι, addit: διαφερέτω δὲ μηδὲν αὐτὸ εἰπεῖν ἀγαθὸν, ἢ φαινόμενον ἀγαθόν. idem iisdem verbis est ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν μετὰ τὰ φυσικά.

3. Quid, qui se interficiunt? Respondeo. ii quoque liberationem a malis, in quibus aut sunt, aut futuros se vident, tanquam bonum quiddam sequuntur: aut famam post mortem, ut Cleombrotus, ut ii qui redibant a disputatione Hegesiae, ut Codrus, ut Decii, ut Curtius, ut Lucretia, ut mulieres Indorum, ut Gymnosophistae, ut Empedocles.

4. Quid, incontinens? hic quoque sequitur bonum, non quod προαιρεῖται, ἀλλὰ οὗ ἐπιθυμεῖ.

5. Quomodo πᾶσα πρᾶξις ἐφίεταί τινος, εἰ αὐτὴ ἡ εὐδαιμονία πρᾶξίς ἐστι; hoc enim saepe docet Aristoteles, ut sexto horum: τῆς μὲν ποιήσεως ἕτερον τὸ τέλος. τῆς δὲ πράξεως οὐκ αἰεί. ἔστι γὰρ αὐτὴ ἡ εὐπραξία τέλος. & septimo Politicorum: ἡ γὰρ εὐδαιμονία πρᾶξίς ἐστιν. & paulo post: ἡ γὰρ εὐπραξία τέλος. ὥστε καὶ πρᾶξίς τις. & libro secundo Physicorum: ἡ δὲ εὐδαιμονία πρᾶξίς τις. εὐπραξία γάρ. Respondeo, illis & similibus locis, nomen πράξεως non significare certam quandam actionem ἀρχὴν καὶ τέλος ἀφωρισμένον ἔχουσαν; sed continuationem quandam actionum honestarum, sine ullo impedimento, quae per totam vitam diffunditur: & est summum hominis bonum.

Διὸ] Ex iis quae antecesserunt, probat, recte dictum esse a veteribus, bonum esse id, quod appetant omnia. Constat autem, hanc ipsius boni sive definitionem, sive quo alio nomine vocari placet, valde apud veteres celebratam, & in sermonibus usurpatam fuisse. meminit illius Aristoteles, & tertio topicorum, & primo de arte dicendi. Legitur & apud Platonem. ac fertur Eudoxus hoc argumento usus tribuisse τὰ πρωτεῖα voluptati: quod eam appeterent omnia, in quibus appetendi vis esset.

Ἀπεφήναντο] *Enunciarunt*, ut vetus interpres reddidit aut,

aut, ut alii, *pronunciarunt*. nam & quae λόγους Aristoteli, ea Ciceroni aut *enunciatio*, aut *pronunciatum* dicitur.

τ' ἀγαθὸν] Aretinus, *summum bonum*: in quo meritissimo a singularis doctrinae viro, Besſarione Cardinali reprehenſus eſt. nondum enim hic de ſummo bono agitur: ſed de bono ſimpliciter: neque veteres, cum interrogati, quid eſſet τ' ἀγαθὸν, reſpondebant, Id quod appeterent omnia, ſummi boni naturam explicabant: ſed tantum patefaciebant, quae vis, quaeque notio nomini τ' ἀγαθοῦ ſubjecta eſſet. nam quod eam habet vim, ut, ubi cognitum eſt, excitet appetitionem ſui, id bonum eſt. malum enim qua ratione malum eſt, appeti prorſus non poteſt. Quam autem vim habeat hic articulus, ex Hippia maiore Platonis optime intelligi licet: ubi accurate docetur, quid interſit inter has duas interrogationes, τί ἐστι καλὸν, καὶ τί ἐστι τὸ καλόν; Etenim ut illic τὸ καλὸν ſignificat id, quod communiter ineſt in omnibus pulchris, quoque efficitur, ut pulchra ſint: ita hic τὸ ἀγαθὸν communem quandam naturam omnibus bonis, ea ratione qua bona ſunt. Recte autem interpretatus eſt Argyropylus, *ipſum bonum*. ſi quidem & Plato pro eodem dicit αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν: at Lambinus Aretini errorem, quamvis ſedulo monente me, ne id faceret, ſecutus, ſuam, ut aliis quoque locis, philoſophiae inſcientiam prodidit.

πάντα] Omnia ſcilicet, quae illud cognoſcunt. Plato in Philebo. τὸ δὲ γε μᾶλλον, ὡς εἶμαι, περὶ αὐτοῦ (de bono loquitur) ἀναγκαῖόν τινὰ ἐν λόγοις, &c. An autem ea quoque in quibus nulla boni cognitio eſt, bonum appetere dicantur, ex iis, quae mox diſputaturi ſumus, intelligetur.

Ἀπορία καὶ λύσις.

1. Haec explicatio boni, eſtne definitio? Minime vero. neque enim bonum definiri poteſt, cum in nullo genere contineatur: ſed pertineat ac permanet per omnes categorias, ut infra videbimus. Praeterea omnis vera definitio ex prioribus conſtat: at haec a poſteriori ducitur. non enim, quia appetitur, bonum eſt: ſed quia bonum eſt, appetitur. non tamen inuſitata eſt haec definiendi ratio. ſic enim dicimus album eſſe, quod diſſipat: nigrum quod congregat vim videndi. Id autem eo fit, quod quamvis natura ipſa, & per ſe cauſſae effectis priores illuſtri-

Digitized by Google

uſtrioresque ſunt: nobis tamen plerumque effecta notiora ſunt cauſis

2. Cum in analyticis doceatur, concluſionem ſyllogismi nunquam ita affectam eſſe ad ea principia, ex quibus efficitur, ut totum ad partem: id eſt, fieri non poſſe, ut iis ipſis, quae ad eam probandam adhibita ſunt, latius pateat: ſed aut reciprocari: ut, cum proprium de eo, cujus proprium eſt, per definitionem probatur: aut minus late patere. hoc igitur cum doceatur in analyticis, contra hic feciſſe Ariſtoteles videtur. Hoc duobus modis diſſolvi poteſt. Aut enim dicemus inductionem eſſe hanc, non ſyllogismum: ut cum omnis ars, omnis methodus, omnis actio, omnis προαίρεσις bonum aliquod appetat, idemque in ceteris omnibus dici poſſit: recte dictum ſit a veteribus, bonum eſſe, quod appeterent omnia: aut ſatis fuiſſe Ariſtoteli, ſi oſtenderet, vetus illud pronunciatum verum eſſe in ea materia, quae nobis nunc propoſita eſt: id eſt, in rebus humanis. nam utrum canis, aut equus, aut lapis bonum appetant, nec ne, non laborat moralis philoſophus: cum ei propoſitum ſit, de humano tantum bono diſputare.

3. Vitioſiſſima eſt ea definitio, quae non convenit in ea, quae ſub definito continentur. at haec videtur ejusmodi. nullum enim eſt bonum, quod ab omnibus appetatur. neque enim omnia appetunt honorem, aut bonam valetudinem, aut divitias, aut tale aliquid eorum, quae bona eſſe conſtat. Dicendum eſt, in hac definitione boni, vocem, omnia, accipiendam eſſe διαιρετικῶς: eo ſenſu, vt quod a quoque appetitur, id ei aut bonum ſit, aut eſſe videatur: non autem συλλογιστικῶς, ut intelligamus, id tantum bonum eſſe, quod omnino ab omnibus appetatur.

4. Eſtne aliquod ejusmodi bonum, ut prorſus omnia, quae ſunt, illud appetant? Reſpondeo. Quamvis moralis philoſophi non eſt de communi bono diſputare: ſed tantum de eo, quod hominis proprium eſt, ut diſerte dicitur libro primo ἀγαθῶν μεγάλων, tamen cum omnes interpretes hoc loco aliquid ſibi dicendum putarint de bono illo, quod non tantum a ratione utentibus, verum etiam a beſtiis, & ab ipſis, ut Proculi verbo utar, ἀψυχοτάτοις appetitur, audebo ego quoque eorum auctoritatem ſecutus, pauliſper extra ſepta egredi, &, ut Plato loqui-

loquitur, πηδᾷν ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα. Ita igitur & a sublimioribus Philosophis, & a Theologis proditum est, Deum optimum maximum omnium rerum ut principium esse, ita etiam finem: omniaque ut ab ipso fluere, ita ad ipsum referri. Qua de re lubet recitare divina verba eruditissimi hominis, Simplicii e commentario, quem scripsit in Enchiridium Epicteti: φύσει μὲν γὰρ οὐκ ἄνθρωποι μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰ ἄλογα ζῶα, καὶ τὰ φυτὰ, καὶ λίθοι, καὶ πάντα ἁπλῶς τὰ ὄντα, κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ἕκαστον ἐπέστραπται πρὸς τὸν θεὸν, id est, *Nam natura quidem non homines solum, sed & animantes rationis expertes, & plantae, & lapides, ac uno verbo omnia, quae sunt, pro suis quodque viribus ad Deum conversa sunt.* Quoniam igitur Deus unus semper est, idemque est sibi αὐτὸ τὸ εἶναι, fit, ut omnia semper, quatenus licet, esse cupiant. Ita enim ad aliquam divinae naturae similitudinem accedunt, atque ideo in omnibus, quae generare possunt, nihil tam naturale est, quam generandi cupiditas, natura per speciei propagationem quaerente, quod in individuo consequi non potest: ut docetur libro secundo de anima, & apud Platonem in Symposio. neque tantum in animatis, verum etiam in iis, quae anima carent, videre est. iccirco enim exempli caussa, & ignis proxima quaeque inflammat, & aqua circumfusum sibi aërem, densando atque humectando, sibi assimilare, & in naturam suam convertere conatur, ut multiplicata & se ipsa major effecta potentior sit ad conservationem sui. difficilius enim corrumpitur, quod multum est, quam quod parum; ut ait Aristoteles tertio Politicorum. & in tertio de caelo: τὸ γὰρ ἔλαττον σῶμα τοῦ μείζονος εὐφθαρτότερόν ἐστιν. Eadem caussa est, cur gravia deorsum, levia sursum ferantur, ad ea videlicet loca, quae conservandae ipsorum naturae quam maxime accommodata sunt. Ipsa materia prima, quae ita imperfecta est, ut propemodum nihil sit, formam appetere a Physicis dicitur: quam Aristoteles in extremo primo Physicorum θεῖόν τι καὶ ἀγαθὸν καὶ ἐφετὸν vocat. Omnia igitur, ut summatim dicamus, αὐτοφυῶς cupiunt esse: quod ipsum quia bonum est (βέλτιον γὰρ τὸ εἶναι τοῦ μὴ εἶναι, ait Aristoteles secundo περὶ γενέσεως) ex eo fit, ut omnia appetant bonum. appetunt enim conservationem sui. in bono autem inesse vim conservandi, ut contra in malo corrumpendi ac destruendi, copiosissime docet Plato lib. 10. de

Re-

Repub. Quaedam etiam valde huc pertinentia disputat S. Aurelius Augustinus cap. 27. libri 7. de civitate Dei. Quamvis autem inanimata cognitionem boni non habent, diriguntur tamen ad id, quod sibi bonum est, a beata illa mente erroris omnis experte, quae dirigit ac gubernat omnia: non aliter, quam sagitta, etsi scopum non novit, dirigitur tamen ad eum a sagittario. Aliud bonum omnium commune nullum est. τὸ δὲ φάναι πάντα τὰ ὄντα ἐφίεσθαι ἑνός τινος ἀγαθοῦ, οὐκ ἀληθές. ἕκαστον γὰρ ἰδίου ἀγαθοῦ ὀρέγεται. Aristoteles ad Eudemum.

5. Si appetitio ex indigentia nascitur, ut est in primo Physicorum, & apud Platonem in Symposio, ii qui jam felices sunt, quomodo bonum appetere dicentur? Dicendum, duplicem esse appetitionem: unam imperfectorum, qua cupiunt adipisci eam perfectionem, qua carent: alteram perfectorum, qua cupiunt ἐνοῦσαν conservare: & sic Deus quoque ipse bonum cupere dicitur. Cupit enim omnes homines salvos fieri, &c.

6. Cum multi contraria appetant, quomodo dici possunt appetere bonum? neque enim bonum bono contrarium est, sed malo: ut videbimus libro secundo. Dicendum, nihil prohibere, quin & ea, quae simpliciter inter se pugnant, bona sint, ad hunc aut ad illum relata. Calor & frigus, labor & quies, cibi sumptio & inedia, contraria sunt: sed tamen eorum alia aliis bona esse constat; aut etiam uni & eidem modo hoc, modo illud.

Διαφορὰ δέ τις] Ostendit quandam inter fines dissimilitudinem, quod eorum alii sunt actiones, alii praeter ipsas opera quaedam. Eadem autem fere divisio est apud Platonem in Theaeteto.

Τῶν τελῶν] τέλος non est quodlibet extremum: sed id cujus caussa cetera instituta sunt. Aristoteles secundo Physicorum: βούλεται γὰρ οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον.

Ἐνέργειαι] Ut artis equitandi, aut canendi seu assa voce, seu fidibus.

Ἔργα τινά] Atque harum artium artifices proprie vocantur δημιουργοί.

Ὧν δ' εἰσί] Ratio non obscura est. actiones enim & molitiones ipsae ad opera referuntur.

Πλοῦτος] E vulgi opinione hoc dicit. Ipse enim primo

politicorum reprehendit hanc opinionem. Sed sic solet in ponendis exemplis: ut cum dicit stirpes sentire, aut daemones esse animalia, aut numeros esse principia rerum.

Ὅσοι δ' εἰσὶ] Comparat fines ipsos inter se: & ostendit, fines earum artium, quae aliis praesunt, praestantiores esse ceteris, & in comparatione anteponendos.

Ἀριστὼ] Quidam veteres libri, δυνάμιν. & ita legit Eustratius. & ipse hanc scripturam confirmare videtur lib. 8. τῆς μετὰ τὰ φυσικὰ, his verbis: πάσαι αἱ τέχναι καὶ πᾶσαι αἱ ἐπιστῆμαι δυνάμεις εἰσί.

c. 11. Εἰ δὴ τέλος] Ex iis, quae antegressa sunt, constat, fines alios sub aliis contineri, alios aliorum causa expeti: semperque eum, propter quem ceteri expetuntur, ceteris esse meliorem ac praestantiorem. nempe igitur, si quis ex iis finibus, quos homines consequi possunt, ejusmodi est, ut suapte tantum vi expetatur, neque usquam pertineat alio: cetera autem ad illum omnia referantur: is non bonum modo fuerit, verum etiam bonorum, quae cadere in hominem queunt, optimum. at esse aliquem ejusmodi finem, ex eo intelligitur, quod inanis alioqui, & irrita esset ea, quam natura ingeneravit hominibus, boni appetitio. Quare perspicuum est, & ultimum esse aliquod, quo cetera spectent omnia, & in eo positum esse homini finem bonorum.

Τῶν πρακτῶν] Omnes, qui Latine Aristotelem interpretati sunt, intellexerunt hoc loco τέλος τῶν πρακτῶν, eum finem, ad quem referuntur τὰ πρακτὰ: & nomine τῶν πρακτῶν intellexerunt τὰς πράξεις. quam expositionem quamquam non omnino improbo, tamen non sequor: potiusque judico, vocem τῶν πρακτῶν ad fines ipsos pertinere: quorum alii sunt πρακτοὶ, alii οὐ πρακτοί. Πρακτοὶ sunt, quos homo consequi potest: ut divitiae, ut bona valetudo, ut voluptas. οὐ πρακτοὶ, quos homo ut consequatur, fieri non potest, ut idea. Quoniam igitur Aristoteles in his libris quaerit ejusmodi aliquod bonum, ut in potestate hominis positum sit, illud consequi, ideo removet ea, quae homo consequi non potest, aitque, *Si quis igitur finis est, ex iis finibus, quos homo consequi potest, quem propter se ipsum volumus, neque omnia propter aliud expetimus, &c.* Atque hanc sententiam primum confirmat Eustratius, quem quamvis docere fortasse possit aliquis ab illa

altera

altera non abhorrere, ipse tamen exponens vocem τῶν πρακτῶν, his verbis utitur: Πρακτὰ δὲ εἰσὶν ἐκεῖνα, ὅσα πρᾶττουσιν ἡμῖν περιγίνεται. ταῦτα δὲ ἐστὶ τινὰ ἀγαθὰ, ἃ διὰ τῶν τεχνῶν, καὶ τῶν μεθόδων, καὶ τῶν τούτοις συνεχῶν κτώμεθα, id est, Πρακτὰ *autem sunt, quae agentibus nobis acquiruntur. Ea vero sunt bona quaedam, quae artibus, ac doctrinis, ejusdemque generis aliis comparamus.* Deinde Aristoteles ipse, qui paulo infra manifesto hac voce sic utitur, ut nos eam hic quoque accipiendam putamus, cum ait, τί ἐστιν, οὗ λέγομεν τὴν πολιτικὴν ἐφίεσθαι, καὶ τί τὸ πάντων ἀκρότατον τῶν πρακτῶν ἀγαθόν; & multo etiam apertius, ubi de idea disputans, ait, eam, si maxime sit summum bonum, non tamen esse ejusmodi, ut eam sibi homo possit acquirere: quod ipse exprimit his verbis, οὐκ εἶναι πρακτὸν, καὶ κτητὸν ἀνθρώπῳ. Apertissime autem libro primo Εὐδημείων, quem locum operae pretium est apponere: Νῦν δὲ λέγομεν, ὅτι τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν ἐστιν ἀνθρώπῳ πρακτὰ, τὰ δ' οὐ πρακτά. Verbum quoque πράττειν, unde nomen hoc ductum est, apud Graecos non tantum valet *agere:* quanquam id quidem saepissime: verum etiam interdum idem est, quod *consequi, impetrare, obtinere.* Isocrates ad Nicoclem: Μᾶλλον γὰρ ἐλπὶς τοὺς τοιούτους, ἢ τοὺς ἱερεῖα πολλὰ καταβάλλοντας πράξειν τι παρὰ τῶν θεῶν ἀγαθόν. id est: *Major enim spes est, eos, qui tales sunt, quam eos, qui multas victimas caedunt, boni aliquid a diis esse consequuturos.* quo sensu saepe etiam dicunt καταπράττειν, aut διαπράττεσθαι, aut κατεργάζεσθαι. Atque id Latini nonnunquam *conficiendi* verbo exprimere videntur. Terentius: *virginem Quam amabat, eam confeci sine molestia.* Non enim placet Donatus, qui *confeci* exponit *superavi.* Cicero: *Reditum, si me tantum amas, quantum certe amas, hominibus confice.*

Βουλόμεθα] Voluntas est ipsius finis. electio autem eorum, quae ad finem pertinent: ut libro tertio docebitur. Ex eo intelligi potest, cur hic quidem usus sit verbo βουλόμεθα, paulo infra autem verbo αἱρούμεθα.

Πρόσεισι γὰρ] ἀπὸ κοινοῦ ὑπακουστέον, ἢ ὄρεξις. Est autem haec confirmatio assumptionis διὰ τῆς εἰς ἀδύνατον ἀπαγωγῆς, hoc modo: Si nullus est finis, qui suapte tantum vi expetatur, sed quicquid expetimus, id propter aliud expetimus, in infinitum progredietur naturalis illa boni appetitio. quod si est, inanis erit, & irrita. hoc autem absurdum est: igitur aliquem esse finem necesse est. Tri-

bus autem modis loquendi hanc progressionem in infinitum efferre solet Aristoteles. εἰς ἄπειρον γὰρ βαδιεῖται, libro quarto τῶν μετὰ τὰ φυσ. καὶ οὕτω δὴ στρέφεσιν εἰς τὸ ἄπειρον, libro primo de anima, sub finem: ἔτι δὲ εἰς ἄπειρα βαδιεῖται, ἐν ἔσται μεταβολῆς μεταβολή, &c. quinto Physicorum.

Κενὴν] Vocabulum a physicis ductum. Ut enim veteres physici dicebant, κενὸν esse locum aut διάστημα, in quo nullum esset solidum corpus: ita recte appetitio illa κενὴ diceretur, in qua nulla esset soliditas.

Καὶ ματαίαν] Proprie. μάταιον enim dicitur τὸ πεφυκὸς ἄλλου ἕνεκα, ὅταν μὴ περαίνῃ ἐκεῖνο, οὗ ἕνεκα ἦν, καὶ ἐπεφύκει. Aristoteles secundo Physicorum. Infinitum autem περαίνεσθαι non potest. πέρας γὰρ οὐκ ἔχει.

Ἀπορίας τινὸς λύσις.

Habere dubitationem potest, quae tandem absurditas futura sit, etiamsi appetitionem boni inanem, & irritam esse fateamur. nonne enim multa cupiunt homines, quae consequi non queunt? Itaque libro tertio dicitur, voluntatem esse etiam τῶν ἀδυνάτων. Sed dicendum est, appetitiones hujus aut illius hominis vanas, & inanes esse posse illas quidem; quas toti hominum generi natura indidit, non posse. Deus enim, & natura nihil faciunt frustra, ut dicitur libro primo de caelo. Quod autem hic dicitur, fines infinitos esse non posse, idem etiam de quolibet alio causarum genere dici potest. οὐκ ἄπειρα γὰρ τὰ αἴτια, οὔτε κατ' εὐθυωρίαν, οὔτε κατ' εἶδος. ut est in primo minore τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Quemadmodum igitur aliquam causam efficientem primam, & aliquam materiam primam, & aliquid primum in iis, quae per se insunt in rebus subjectis, ita & finem aliquem ultimum esse necesse est. Nam cum scientia sit ex cognitione causarum: & infinitum cognosci non queat: causarum infinitate posita, omnis scientia tolleretur.

Ἆρ' οὖν] Mos hic est Aristoteli, ut saepe quae affirmare instituit, ea interrogando efferat. Itaque hoc loco cum plane confirmare vellet, cognitionem finis ad instituendam vitam maximum habere momentum, ita locutus est: *Ecquid igitur ad vitam momenti plurimum in ejus cognitione positum est? nosque, si tanquam sagittarii, aliquid quod spectemus, habeamus, nonne ita facilius,*

quid

quid nos facere oporteat, assequemur? Atque hoc loco falli videntur, quicunque ἆρα, non, ut in melioribus libris legitur, ἄρ᾽, legunt. Etenim illud ἆρα, quod tenore acuto notatum, non interrogandi, sed colligendi ac concludendi vim habet, nunquam apud Graecos, aut conjunctum cum particula ἔν, aut principio comprehensionis positum reperietur. Neque me fugit, Budaeo aliter videri in commentariis linguae Graecae; sed exemplum requiro. nam quod ille unum ex Platone affert, in eo ἆρα, non ἄρα legendum est ex optimis & vetustissimis libris.

Καὶ παραπλησίως τοξόται] Aut hanc & sententiam & similitudinem, qua eam exornaret, mutuatus est ab Isocrate: aut idem ipsi venit in mentem, quod prius eruditissimo illi & faciendae orationis peritissimo viro venerat. Ille enim in epistola ad Jasonis liberos, cum docuisset finem aliquem initio constituendum esse, deinde referendas ad eum singulas actiones, addit: πρὸς τοῦτον μὲν τὸν τρόπον ζητοῦντες &c.

Εἰ δ᾽ ἔστι] Expositā utilitate, quae e summi boni notitia exsistit, enitendum nobis esse ait, ut vim naturamque illius, quoquo modo poterimus, intelligentia consequamur. *Quod si haec*, inquit, *ita se habent, conari nos par est, ut, si minus accurate, & subtiliter, at crasse saltem, & populariter comprehendamus, tum quid ipsum sit, tum cui sive scientiae, sive facultati proprie propositum.* Est autem operae pretium observare singularem quandam ac mirificam, eandemque constantem ac perpetuam Aristotelis in dicendo moderationem. non enim dixit περιλαβεῖν, sed περιττὸν περιλαβεῖν: ut se conaturum magis, quam effecturum ostenderet: & addidit τύπῳ γε, quasi diffidens, se de tanta re posse exquisite disserere.

Τύπῳ γε] Quod est in picturis ὑπογραφὴ, hoc est in statuariorum, plastarum, fusorum, similiumque artificum operibus τύπος, rudis nempe quaedam, & inchoata futuri operis designatio. nam Budaeo quidem minime assentior, qui *typum* ait esse formam ipsam, unde simulacra ducuntur. Philosophi autem non ineleganti tralatione hanc vocem adhibent, ubi accuratam illam & limatam subtilitatem abesse significant. Quamvis autem id non agimus hoc quidem tempore, non pigebit tamen admo-

nere, apud Ciceronem libro primo epistolarum ad Atticum corruptum esse locum, ubi haec vox vulgo legitur. nam quod in omnibus pervulgatis libris ita scriptum est: *Praeterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere, & putealia sigillata duo*: non *typos* legi oportet, sed *tybos*, seu *tubos*. significat autem plumbeas aut fictiles fistulas, quibus aqua pluvia in puteum perducitur.

Γε] *Saltem*. quod cur ab omnibus Latinis interpretibus omissum sit, non video.

Τί ποτέ ἐστι καὶ τίνος] Duas quaestiones proponit: quid tandem sit ultimum illud bonorum, & cui sive scientiae, sive facultati proprie, & ἀμέσως propositum. Earum autem posteriorem statim explicat, docetque, politicen esse eam, cujus finis bonorum omnium finis est. priorem, quia longiorem orationem requirebat, in commodiorem distulit locum.

Ἡ δυνάμεων] Ita plane legit Eustratius, acuteque distinguit ἐπιστήμην ἀπὸ δυνάμεως. at vetus interpres legit, ἢ ἀρετῶν. Sic & supra ἀρετὴν idem legebat, ubi Eustratius δύναμιν.

Δόξειε δ' ἂν] Syllogismus hic absolutus est: *Verisimile est hunc finem, cum omnium praestantissimus sit, praestantissimae omnium facultati propositum esse. talis autem est politice. igitur politices finis est summum hominis bonum.* Propositionem, ut satis per se probabilem, confirmare omittit. Assumptionem corroborat iis argumentis, de quibus statim dicturi sumus. Est autem huic loco consentaneum id, quod scriptum est libro tertio politicorum in haec verba: Ἐν πάσαις μὲν ἐπιστήμαις καὶ τέχναις ἀγαθὸν τὸ τέλος. μέγιστον δὲ καὶ μάλιστα τὴν τῇ κυριωτάτῃ πρεσῶν. αὕτη δ' ἐστὶν ἡ πολιτικὴ δύναμις.

Τοιαύτη δὴ καὶ ἡ] Melius videtur, quod in aliis libris legitur, τοιαύτη δ' ἡ.

Τίναι γὰρ εἶναι] Aliquot argumentis confirmat ac constituit id, quod modo dixerat: politicen videlicet artium omnium praecipuam esse, atque in ceteras imperium obtinere. quorum hoc primum est: quod ejus est definire, quae artes in civitate esse debeant, tum quos in quibus elaborare, & ad quem usque modum oporteat. Ut autem de primo agamus: constat politici munus esse, praescribere ac constituere, quas artes in civitate exerceri velit, quas minus. Itaque videmus, pro rerumpub. varietate,

va-

varias quoque artes ab aliis civitatibus recipi, ab aliis exulare. Apud Hebraeos olim ſtatuario eſſe nemini licebat. at apud Graecos ars illa magno in pretio fuit. Lacedaemonii, quod parſimoniam ac frugalitatem colerent, cupediarios apud ſe eſſe noluerunt. apud eosdem nullus comoediarum, nullus tragoediarum artifex erat: quod ſcelerum exempla neque joco neque ſerio audiri ſpectarive a civibus ſuis vellent. At contra Sybaritae, cum deliciis omnibus indulgerent, lege ſanxerunt, ne quis faber, aliusve eorum artificum, qui opera ſua non ſine ſtrepitu efficiunt, in urbe ſua eſſet: quod a ſomno ſe nollent aut impediri, aut excitari. Ex hac urbe antiquitus omnes, qui philoſophiam aut rhetoricam docerent, ſenatusconſulto pulſos eſſe conſtat. At poſtea leges latae ſunt, quibus eis honores ac praemia proponerentur, ut cum aliunde conſtat, tum ex lege *In honoribus* Dig. de vacat. & excuſa. mun. titulo de profeſſoribus & medicis libro decimo, & ex titulo de ſtudiis liberalibus urbis Romae & Conſtantinopolitanae libro undecimo Codicis. Quin etiam in eodem decimo libro enumerantur alii quidam artifices, quibus conceditur immunitas, ſub titulo de excuſationibus artificum, & lege ult. Dig. de jure immunitatis. Politice igitur modo has, modo illas artes vel in rempub. admittit, vel a repub. excludit: neque id tantum, verum etiam conſtituit, ποίας ἑκάστους χρεών ἐστι μανθάνειν. Non enim quamlibet artem, etiam earum, quae permiſſae ſunt, a quolibet diſci aut factitari licet. Exempli cauſſa: Artes ſcenicae apud veteres Romanos prohibitae non erant: neque tamen ab ingenuis, ſed a ſervis aut libertis exercebantur. itaque qui in ſcenam prodiiſſent, edicto praetoris infames erant lege prima & l. ſecunda Dig. de iis, qui notantur infamia. Artes ſordidae non prohibebantur a Lacedaemoniis. neque enim eis carere civitas poteſt: ſed tamen civibus omni earum tractatione interdictum erat. At contra artes erant quaedam propriae ingenuorum & nobilium. Ut olim in hac urbe decretum eſt a ſenatu, ut de principum filiis ſex, ut ait Cicero, aut, ut ait Valerius, decem ſingulis Hetruriae populis, percipiendae ſacrorum diſciplinae gratia, traderentur: ne ars tanta propter tenuitatem hominum ſordeſceret. Quod autem addit Ariſtoteles,

Καὶ μέχρι τινὸς] eo pertinet, quod etiam per ſe bonis,

& utilibus modus quidam adhibendus est, ut ostendit hoc loco Eustratius. Sed exempla quae ab eo ponuntur, leviora sunt. Illud gravius, quod Aristoteles octavo πολιτικῶν vult pueros ingenuos musicen discere, eamque exercere, quam diu pueri sunt: at grandiores effectos ab ea exercenda abstinere, tantumque de aliis judicare. Sic Callicles apud Platonem in Gorgia (quam vere, nunc quidem non quaerimus) philosophiae tractationem adolescentibus concinnum quiddam, & elegans esse ait: sed videndum esse μέχρι τινός: esse enim senibus indecoram. Sic fortasse aliquis non immerito censuerit, astrorum scientiam ea parte, quae de corporum caelestium magnitudinibus, motibus, intervallis disserit, aut etiam tempestatum anni varietatem, & ex ea morbos aut sterilitatem, quaeque iis contraria sunt, & ejusmodi alia praedicit, ferendam esse in civitate bene instituta: sed constituendos ei esse quasi terminos quosdam, ne eo progrediatur, ut etiam de cujusque fortuna, moribus, statu aut exitu vitae audeat pronunciare.

Ὅρισον] Alterum argumentum, quo probat politicen esse μάλιστα ἀρχιτεκτονικήν.

Χρωμένης] Concludit quod propositum erat: politicen videlicet omnium artium dominam esse, ejusque finem esse summum hominis bonum. Cum enim ea utatur ceteris scientiis, quae quidem in actione consistunt, ac praeterea positis legibus praescribat, quae agenda sint, quaeque fugienda: ex eo sequitur, ut finis ipsius ceterarum fines contineat: neque iccirco ultimum eorum bonorum, quae in hominis naturam cadunt.

c. III. Λέγειν δ' ἀν] Haec est prooemii secunda pars, qua, ut ante dixi, significat, quam disputandi rationem secuturus sit in his libris, quodlus melius percipi possit, intelligendum est, non unum esse simplicem docendi modum, sed ipsum quoque pro earum rerum, quae docentur, dissimilitudine variari. Recte enim Plato in Timaeo orationi omni cum iis rebus, de quibus explicatur, ait esse cognationem: ut cum de re stabili, atque immutabili disputatur, talem quoque orationem esse oporteat, quae neque redargui possit, neque convinci: at cum in iis versamur, quae mutationi ac vicissitudini exposita, firmitatem constantiamque non habent, etiamsi minus oratio ex omni parte secum ipsa consentiat, dummodo

pro

probabilia dicantur, contenti esse, nihilque ultra requirere debeamus. *Commode autem*, inquit, *dixerimus, si eae res, de quibus explicare ingredemur, quantum ipsarum natura fert, dilucidentur.* Nam ut in iis, quae opificum industria elaborantur, non eandem ab omnibus operis perfectionem exigimus: sic ne omnem quidem disputationem, sine ullo discrimine ad perfectam illam, & immutabilem veritatis normam exigere debemus.

Ὥσπερ γὰρ οἱ τῶν ἀνδριαντοποιῶν] Fingamus enim, tres esse artifices, qui alicujus hominis formam artificio suo imitandam, atque exprimendam susceperint: eorum unum esse pictorem, alterum, qui è cera imagunculas fingat, quos κηροπλάστας Graeci vocant: tertium autem, qui in chalybe, aut in adamante formas sibi propositas repraesentet. enimvero iniquus sit, si quis a secundo postulet, ut sine ullis coloribus aeque prope atque pictor ad exemplaris propositi similitudinem accedat: longe autem iniquior, si quis idem ab eo, quem tertio loco posuimus, exigat. &, si Staticrates olim montem Athonem, ut se facturum profitebatur, ad Alexandri similitudinem conformasset, nemo, ut opinor, in tam vasta mole eam perfectionem, quae in Lysippi statuis cernebatur, requisisset. Intelligentis enim hominis est, cogitare ac videre, quid quaeque materia capere ac pati possit, eoque esse contentum.

Τὰ δὲ καλὰ] Honesta autem & justa, inquit, quae civili facultati ad considerandum proposita sunt, tantam habent varietatem, tantisque agitantur erroribus, ut non natura, sed lege tantum ac conditione hominum talia esse videantur

τοσαύτην ἄγει] Duo dixit, διαφορὰν καὶ πλάνην. quorum utrumque quid valere putem, aperiam. Διαφορὰ in eo est, quod de rebus honestis, ac justis non concordant, ac concinunt homines inter se, imo vero dissentiunt, ac διαφέρονται adeoque cum multis variisque de rebus homines saepe dissentiant, nulla est alia dissensio, quae lites & inimicitias gignat, nisi, cum, quod uni justum honestumque, id alteri injustum, atque inhonestum videtur: ut luculenter docet Plato in Euthyphrone. Stoici honestum putant, quicquid natura fert, in apertis ac propatulis locis facere: iidemque omnia, quamlibet flagitiosa, & turpia, suis nominibus notant, nullam putantes in eo

inesse obscoenitatem. aliorum prope omnium contraria sententia est. Epicureis honestum est, suis quemque tum voluptatibus, tum opportunitatibus metiri ac dirigere omnia: nihilque aliorum caussa facere, id quam turpe, & inhonestum alii judicent, quis nescit? Apud Persas, ait Xenophon, turpe habebatur spuere aut emungi: idem si apud alias nationes turpe sit, male sane & incommode cum gravedinosis agatur. Graecorum moribus perite, ac scienter saltare, laudi ducebatur. at L. Murenae in petitione consulatus, magni criminis loco objectum est, quod saltator esset. Lacedaemoniorum pueris furari, & quam plurimos habere amatores, decori erat. Aliae gentes earum rerum utramque turpem, alteram etiam nefariam judicant. Apud eosdem puellae nudae, cum pueris item nudis, in publico exercebantur. quando id Lydi tulissent? apud quos, ut ait Herodotus, probro erat, conspici nudum. Persae cum matribus, filiabus, sororibus commiscebantur, easque corporum conjunctiones legitimas, ac non inhonestas esse credebant. Atheniensem etiam Cimonem legimus, sive legibus, sive contra leges, sororem Elpinicen in matrimonio habuisse, quantopere id ab aliorum populorum sensibus abhorret? Jam si justum est, quod legibus aut jubetur, aut permittitur: quod vetatur, injustum: cum pro rerumpub. varietate variae etiam leges ferantur: apparet, non eadem ubique justa, aut injusta haberi. nam in regno justum est, uni parere omnes: in optimatum potestate, qui virtute praestent, ab eis ceteram multitudinem regi: in populari rep. aequam esse omnium sortem. atque haec prima discrimina: e quibus quae enascantur alia, si particulatim persequi velim, longus sim. Haec igitur illa est διαφορὰ, quam Philosophus in rebus honestis, ac justis esse ait. addit autem πλάνην, propterea quod errant quodam modo, & modo in hanc, modo in illam partem feruntur honesta & inhonesta, justa & injusta. Nam cum leges & consuetudines non eaedem maneant, sed modo veteres novis abrogentur, modo rursum repudiatis novis, veteres redeant, fit, ut honestorum quoque ac turpium, justorum & injustorum mirabilis quaedam sit vicissitudo.

Ὅτε δοκεῖν] Quibus hoc visum sit, lib. 5. dicturi sumus: ubi & Aristoteles ipse copiosius hac de re disputabit.

Νόμῳ μόνον εἶναι] Νόμῳ εἶναι, & φύσει εἶναι, aut τῇ κλο-

θείᾳ

θεῖς εἶναι, apud Philosophos opponuntur. Illud enim de iis dicitur, quae suapte natura talia non sunt, sed eo tantum, quod videntur. Itaque Democritus, cum diceret eo tantum esse alba, nigra, dulcia, amara, quod talia viderentur, ita hoc eloquebatur: νόμῳ γλυκὺ ἐστιν, νόμῳ πικρόν. at φύσει εἶναι dicuntur, quae re ipsa talia sunt, non quod talia esse homines opinentur. Galenus in librum περὶ φύσεως ἀνθρώπου· Καὶ τὸ νόμος μὲν ὃν ἐν τῷ τοῦ φιλοσόφου τοιαῦτα τινὰ δεχόμενον, καὶ φύσει ὄν, τὸ κατ' ἀλήθειαν ἐστὶ πραγματικὸν ἀληθῶς. Erant autem e veteribus Philosophis, qui νόμῳ esse omnia putarent, contendereque, μηδὲν μᾶλλον εἶναι τοῦτο ἢ τοῦτο. his enim verbis illam absurdam sententiam efferebant. Idem sentiebat & Protagoras, cum diceret, πάντων μέτρον εἶναι τὸν ἄνθρωπον.

Τοιοῦτον δὲ καὶ πλοῦτος] Talis etiam quidam error in rebus bonis est, propterea quod ex eis multi damnum capiunt. Jam enim quibusdam opum copia, quibusdam corporis robur exitio fuit.

πλούτου] In rebus bonis non ait esse διαφορὰν, ἢ πλούτου, sed πλούτου tantum. non enim ut de honestis & inhonestis, justis & injustis, ita etiam de bonis & malis homines inter se dissentiunt. exempli caussa: divitias, bonam corporis temperationem, vires & similia, non alii quidem bona, alii mala esse dicunt: quin imo omnes bona per se illa esse consentiunt: nisi si qui aut ἴσως ἰσχνοὶ λόγοι χάριν, aut inanes rixas de vocibus conserunt, ut Stoici: & tamen haec ipsa quoque πλοῦτος) quodam modo: cum aliis magnas commoditates afferant, alios in acerbissimas conjiciant calamitates.

τῶν ἀγαθῶν] Bonorum nomine hic intelligit ea tantum, quae dicuntur ἀγαθὰ: quomodo Plato quoque interdum loquitur. alioqui enim & justa, & honesta sunt in bonis. Est autem locus quidam apud Xenophontem lib. 4. ἀπομν. meo quidem judicio ad illustranda ea, quae hic ab Aristotele dicuntur, aptissimus: quem totum adscribere longitudine deterreor: pauca quaedam apponam: cetera qui volent, ex fonte ipso requirent. ita igitur ibi loquitur Socrates: καλοὶ μὲν δὴ λέγ' τὸ κάλλος τοῦτο ἢ ἐπὶ τῆς ὄψεως πραγματικόν (ὅτου διαφέρει) καλοὶ δὲ λέγ' τὰ ἰσχὺν μάζοσιν ἔργα ἐπιτηδεύοντες: ὡ μαχεῖς καλοὺς φερόμενον. καλοὶ δὲ λέγ' τὰ πλείστα λέγ χρησιμεύοντα τῷ ἐπιβουλεύοντι ἀπόλαυ). καλοὶ δὲ λέγ

Digitized by Google

ἀλλ' δύξαν, καὶ πολιτικὴν δυνάμιν μεγάλα κακὰ πιπόνθασιν. Itaque in Alcibiade secundo docetur, imprudenter facere eos, qui talia simpliciter a diis petunt. saepe enim ipsos sibi exitii ac pernicici caussam petere.

Δι' ἀνδρείαν] Aut corporis robur intelligit, quod multis, ut Miloni Crotoniatae, exitio fuit: idque ita vocat κατ' ἀναλογίαν τινὰ, ut erudite ostendit Eustratius: aut praesentiam quandam, & ἀφοβίαν animi, nullum periculum extimescentis, quam vulgus falso fortitudinis nomine appellare consuevit. Ea vero multis interitum attulit. Recte enim jactatum est proverbio, timidos tutos esse, & eorum matres non flere. Certe quidem ἀνδρείας nomen pro corporis robore nusquam alibi memini legere. Quod autem quidam eruditi homines, cum ita hunc locum intelligerent, *fortitudinis* tamen vocabulo usi sunt, & prolato quodam Ciceronis loco, factam sibi rem, ut dicitur, putarunt, in eo nondum adduci possum, ut eis assentiar: & quod semper judicavi, in eo adhuc maneo, ut eum Ciceronis locum, si accurate perpendatur, nihil facere ab illis putem.

Ἀγαπητὸν οὖν] Satis igitur, inquit, esse ducendum est, si de hujusmodi rebus disserentes, & a talibus principiis profecti, crasse ac populariter ostendamus, quid verum sit: cumque de iis, quae plerumque eveniunt, disputemus, ejusque generis sint ea principia, quibus oratio nostra nititur, talia etiam colligamus.

Ἀγαπητὸν] ἀρκετέον τοῖς λεγομένοις, ait Eustratius.

Παχυλῶς] Eleganter expendit Eustratius vim horum verborum, ostenditque, τῷ παχυλῶς ἀντικεῖσθαι τὸ λεπτομερῶς, τῷ τύπῳ, τὸ καθαρῶς: aut, ut ego puto, τὸ ἀκριβῶς, τῷ ἐνδείκνυσθαι, τὸ ἀποδείκνυσθαι. τῷ ἐπιτυπολὺ, τὸ ἀναγκαῖον. Ponit etiam non negligendam hoc loco τῶν ὄντων distributionem.

Περὶ τοιούτων] Significat τὸ ὑπεκείμενον.

Ἐκ τοιούτων] τὰ λήμματα.

Συμπεραίνεσθαι] Lib. 1. analyt. docetur, conclusionem ejusdem esse naturae, cujus sunt & principia, ut si haec necessaria sint, illa quoque sit necessaria: sin ejusmodi, ut & esse, & non esse possint, talis etiam conclusio futura sit.

Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον] Eodem quoque modo accipere, ac probare oportet unumquodque eorum, quae in hac arte

te dicuntur: nempe ita, ut etiamsi quid dicatnr, quod non perpetuo, ac necessario verum sit: dum tamen plerumque verum esse constet, nihil requiri amplius debeat. Intelligentis enim hominis est, eatenus postulare, ut quaeque res accurate, & exquisite tractetur, quatenus ipsius rei natura fert. Paris enim inscitiae est, mathematicum, qui necessariis & evidentibus uti probationibus debet, probabilia tantum afferentem probare, & oratorem, qui ultra ea, quae probabilia sunt, progredi non potest, demonstrationes necessarias postulare.

Πεπαιδευμένου] Hoc etiam infra repetiturus est sexto, & idem traditur in extremo primo minore τῶν μετὰ τὰ φυσικά.

Μαθηματικοῦ τε πιθανολογοῦντος] Hoc fieri non oportere monet Plato, qui in Theaeteto ita Protagoran inducit loquentem: ἀπέδειξιν δὲ καὶ ἀνάγκην οὐδ' ἡντινοῦν &c.

Ἕκαστος δὲ κρίνει] Hoc tertium est prooemii caput, quo, cujusmodi auditores sint ad hanc philosophiae partem idonei, traditur: ad summam autem eos idoneos esse ait, qui in rebus agendis versati exercitatique sunt; quique ratione tum appetitiones, tum actiones suas dirigunt. nam a quibus horum, vel utrumque, vel etiam alterum absit, ii aut judicare non poterunt de iis, quae hic docentur, aut ea sine ullo magno fructu audient: ideoque tria auditorum genera excludere videtur: Primum adolescentes: idque duabus de caussis: quod neque versati sint in rebus agendis, ideoque neque perfecte percipere, quae hic traduntur, neque de iis vere judicare possunt: & in ratione vivendi, cupiditates motusque animi, non rationem sequuntur. Deinde eos, qui licet juvenes aetate non sint, juvenum tamen more, neglecto rationis imperio, cupiditates vitae duces ac magistras habent, easque omni animi impetu sequuntur. nam ut demus, eos non ita fortassis imperitos esse earum rerum, quae geruntur in vita, ut non has disputationes intelligendo consequi possint, nullum tamen ex eis capient fructum. Postremo incontinentes, id est, eos, qui, cum, quid persequendum, quidque fugiendum sit, non ignorent, absorbentur tamen aestu cupiditatum, & quasi abrepti reflantibus ventis, quo pellit libido, non quo ratio intendit, feruntur.

Ἕκαστος δὲ] Bene autem, inquit, judicat quisque de iis,

quae

quae cognita habent, eorumque bonus est existimator. bene igitur de quaque re is, qui in quaque eruditus est. absolute autem ac simpliciter de omnibus is, qui in omnibus est eruditus. Itaque Apelles, ut notum est, a sutore in crepida reprehensus, aequo animo tulit: eumdem in sura quiddam reprehendere parantem non tulit. merito. non enim hoc ad ipsius artificium pertinebat. & praeclare Cicero, *judicare, qui sit sapiens, vel maxime* ait *esse sapientis*. & idem narrat, *Q. Scaevolam hominem juris peritissimum, cum de jure praediatorio consuleretur, consultores suos ad Furium, & Cascellium praediatores rejicere solitum.* Aristoteles quoque lib. 3. πολιτ. λέγει δ' οὖν, inquit, ὅ βουλοῖτ' ἄν τις, πρίνειν περὶ ἑκάστων τοὺς ἐμπείρους, ἢ τοὺς μὴ τοὺς δὲ πεπαιδευμένους ἢ τοὺς ἀπαιδεύτους. ἔστι δὲ ἐμπειρία, ἡμέρας δὲ τοῦτο περὶ πάσας ἐμπειρίας ἢ τέχνας. Non tamen soli artifices bene de omnibus rebus judicant: imo vero quibusdam de rebus neque soli, neque omnium optime judicant: ut paulo post dicturi sumus.

Ἄ χρὴ] Non igitur mirum est, si vix quisquam bene de se, ac de suis judicat. Difficillima enim sui cuique cognitio est.

Καθ' ἕκαστα] Legendum videtur, ut in quibusdam vetustis libris: ἕκαστα ἀεὶ ὁ περὶ ἕκαστα πεπαιδευμένος.

Πεπαιδευμένος] Quod hic dicitur, non ita accipiendum est, ut putemus, solos artifices bene de artium suarum operibus judicare. id enim longissime abest a vero. Nam primum quibuscunque in rebus alius est, qui eas efficit, alius qui eis utitur, de earum praestantia judicat, οὐχ ὁ δημιουργὸς, ἀλλ' ὁ χρώμενος. Ostendi hoc-poteſt in lyra, in freno, in domo, in cibis, de quibus non coqui, sed convivae judicant: ut non inurbane dixerit Martialis, — *coenae nam fercula nostrae Malim convivis, quam placuisse coquis.* Sic de poëmatis, sic de eloquentia a populo judicatur. sic de histrionibus non histrionum, sed populi judicio standum est. Eadem musices ratio: etsi aut Asopodorus, aut Antigenides non ita sensisse traditur: ut est apud Athenaeum lib. 14. Jam vero quam multos videmus, qui quamvis neque pictores sunt, neque statuarii, oculos tamen ita eruditos habent, ut & de tabulis, & de signis optime judicent? Itaque non dixit Aristoteles eos solos, qui artem aliquam perdidicerunt, id est, τοὺς τεχνίτας, ἢ τοὺς γεγράφας, bene de ipsius operibus judi-

judicare, sed τὰς πραγματείας, qui quomodo ab artificibus differant, consulendus est ipse eo ex politicis, quem paulo supra citavimus, loco: aut potius principio librorum de partibus animalium, ubi hac de re disertissime ac copiosissime disputatur. in quem locum hic ipse ex Ethicis citatur a Michaële Ephesio.

Διὰ τῆς πολιτικῆς] Ancipiti hodie & periculoso ac lubrico versamur in loco. Nam cum Aristoteles ab auditione hujus philosophiae uno verbo adolescentes arcere, ac summovere videatur, vix videmur vitare posse unum de duobus incommodis, quin aut summi magistri auctoritatem non tanti facere judicemur, quanti eam fieri ab omnibus par est: aut quasi ver tollamus ex anno, ita omnem florentem aetatem ab his disputationibus removere atque ablegare cogamur. Sed & temerarii essemus, si Aristoteli auderemus refragari: & barbari plane atque inhumani, si lectissimorum adolescentum coronam, a qua tanto studio auditorium hoc celebrari ac frequentari videmus, abscedere, & tanta susceptum alacritate hujus philosophiae studium in ipso quasi vestibulo deserere juberemus. Quare mediam quandam viam tenebimus: ut & Aristoteli tribuamus, quantum debemus, hoc est, quantum plurimum possumus: & incitemus potius vestra studia, quam retardemus: neque quicquam eorum, quae hic ab Aristotele dicuntur, ad vos hinc aut excludendos aut amovendos pertinere doceamus. Quod dum facere conamur, non tantum, quia multa nos, quae & prosint & delectent, dicturos esse confidimus, verum etiam, quia vestra res agitur, petimus a vobis, ut nobis in causa vestra perpetuam, & nullis interruptam aut fibillis, aut clamoribus unius horae attentionem ne denegetis. Primum autem Aristotelis verba singillatim, ut solemus, interpretabimur: tum sententiam ipsius prosse, breviter, enucleate tractabimus: postremo, quod nobis praecipue propositum est, ostendemus, non esse quod quisquam vestrum pervulgata illa opinione, qua adolescentes ad percipiendam hanc philosophiam esse idoneos negant, ab illius studio deterreatur. Ait Aristoteles,

Διὸ τῆς πολιτ. &c.] Quocirca, inquit, adolescens non est politices proprius, &, ut ita dicam, germanus auditor. Nam in iis rebus, quae geruntur in vita, rudis pla-

plane, & inexercitatus est. at ex iis sumuntur, deque iis agunt, quaecunque hic disputantur.

Ἄπειρος] Animadverte hic τὸν ἄπειρον opponi τῷ πεπαιδευμένῳ, ut magis intelligas πεπαιδευμένον dici τὸν ἔμπειρον, ἀλλ' οὐ τὸν εἰδότα.

Ἐκ τούτων καὶ περὶ τούτων] Illo dicendi genere principia, hoc conclusiones indicantur.

Ἔτι δὲ] Praeterea cum proclivis sit natura ad animi perturbationes sequendas, frustra, & inutiliter audiet: quandoquidem finis est non cognitio, sed actio.

Ἐπειδὴ τὸ τέλος] Ἅμα γὰρ εἰδῆσαι βουλόμεθα, καὶ αὐτοὶ εἶναι τοιοῦτοι. ait ipse in magnis Ethicis, & in Eudemeis, οὐ γὰρ εἰδέναι βουλόμεθα, τί ἐστιν ἀνδρεία, ἀλλὰ εἶναι ἀνδρεῖοι. οὐδὲ τί ἐστι δικαιοσύνη, ἀλλὰ εἶναι δίκαιοι Multis quoque locis idem in his ipsis libris confirmat: quos locos citat Themistius, ἐν τῷ τεσσαρισκαιδεκάτῳ λόγῳ. Videtur autem Aristoteles hoc oblique jecisse in Socratem, qui virtutes putabat esse ἐπιστήμας.

Διαφέρει] Nihil autem interest, inquit, aetate juvenis sit quispiam, an juvenili ingenio ac moribus. Nam ut juvenes minus apti sint ad hanc disciplinam, non eo fit, quod satis diu non vixerint, sed quod animi permotionem in vivendo sequantur, & ad illius quasi arbitrium singulas res persequantur. Nihil enim hujusmodi homines harum rerum cognitio adjuvat, ut neque incontinentes. At iis, qui appetitiones suas rationi obedientes efficiunt, illiusque praescriptum in agendo sequuntur, harum rerum tractatio mirificos afferet fructus.

Διώκειν] Quidam veteres libri, διοικεῖν.

Καὶ περὶ μὲν] Inverso ordine ea, de quibus hactenus disputatum est, ἀνακεφαλαιοῦ).

Ἀποδεκτέον] Vetus interpres, ἀποδεικτέον. Nunc accedamus ad id, quod instituimus, ac primum disputemus de vi vocabuli νέος: ut intelligamus, de quibus hic Aristoteles loquatur. νέοι interdum vocantur *pueri*, usque ad annum decimum quartum, ut apud Homerum Οδ. τ. Παῖδα νέον γιγαῶτα. Et apud Platonem secundo νόμων, cum ait, τὸ νέον ἅπαν ἡσυχίαν ἄγειν οὐ δυνάσθαι, ἀλλ' ἀεὶ κινεῖσθαι. Hos si quis aptos neget esse ad hanc philosophiam, non repugnabimus. Satis enim est illi aetati, si bene instituatur, & eam audiat, quae, ut alibi diximus,

con-

stat solis ἀποτελέσμασι. νέοι dicuntur etiam *grandiores*, hoc est, usque ad tertiam hebdomada: ut cum Aristoteles in tertio horum librorum ait ex Homero, εὐνῆς ἐπιθυμεῖν τὸν νέον καὶ ἀπαμάζοντα & veteres grammatici dicunt νέον, dictum esse ἀπὸ τοῦ νέειν, ὅτι νέουσι καὶ πορεύονται πρὸς αὔξησιν. ut hac ratione quam diu adolescunt, tam diu νέοι vocari possint. videntur & supra illam aetatem νέοι vocari: ut in vetere versu: Ἔργα νέων, βουλαὶ δ' ἀνήρων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. & plane Pollux ait, νεανίσκον vocari ab anno vigesimo primo, usque ad vigesimum octavum. & ita dicit Cicero, *se adolescentulum dixisse pro Roscio Amerino:* quam caussam egit annos natus viginti septem. His positis, ajo fieri non posse, ut Aristotelis verba περὶ πάντων τῶν νέων intelligantur, contendoque, eos qui excesserunt jam ex ephebis, neque longe absunt ab ea aetate, cum olim in hac urbe toga pura dari solebat, si bene educati sint, ita ut virtutem ament, & bene monentibus libenter pareant, aptos esse ad hanc philosophiam audiendam, idque probo his argumentis. Primum, quoniam, ut Aeschines adversus Demosthenem ait, concinere oportere vocem oratoris, & vocem legis, ita vitam philosophorum cum ipsorum oratione congruere ac concordare oportet. At illo modo vel maxime discreparent. Etenim omnes antiqui philosophi semper versati sunt cum adolescentibus, semper in eis ad virtutem, & ad honestatem instituendis elaborarunt. Socrates ipse hujus philosophiae pater apud Platonem, & apud Xenophontem cum grandioribus natu raro, cum adolescentibus, aut certe adstantibus eis, & audientibus prope semper de virtute disputans inducitur. & in ipsis libris πολιτείας discedere Cephalum senem, Polemarchum autem ejus filium adolescentem in ejus locum succedere ac substitui videmus. Non ergo judicabant, adolescentes ad haec audienda parum idoneos esse. Deinde, Aristoteles ipse quando tandem haec praecepta didicit? nonne cum adhuc esset τῶν νέων; Ammonius narrat, eum septendecim annos natum Athenas venisse, ac itare coepisse ad Socratem, eumque per triennium audiisse. Socratem autem nullam nisi hanc philosophiae partem docuisse constat. Tertio, non est dubium, quin cognitio philosophiae moralis ordine ac tempore antecedat studium juris, cum jurisperiti hinc ducant principia dis-

putationum suarum. At videmus, multos adolescentulos aptos ad jus civile perdiscendum judicari. Itaque Justinianus, ut scitis, inscribit institutiones suas studiosae legum juventuti. Multo igitur magis idonei erunt ad hanc philosophiam. Addo, aetatem illam non ad discendum modo, sed interdum etiam ad docendum aptam reperiri. Etenim Nervam filium traditum est aut annorum septendecim, aut non multo majorem de jure publice responsitasse. Praeterea, si adolescentes interdum apti sunt ad res maximas gerendas, multo magis apti erunt ad haec praecepta discenda. Esse autem, documento fuerit, vel P. Scipio Aemilianus, qui anno aetatis vigesimo quarto consul creatus, ea gessit, quae ne hodie quidem sine admiratione legere possumus. Postremo, cum haec tota philosophia referatur ad actionem, quando agent homines, nisi, quid agendum sit, in juventute didicerint?

Sed intelligendum est, duo esse genera auditorum: unum eorum, qui possunt etiam judicare de iis, quae audiunt: alterum eorum, qui judicare quidem non possunt, sed satis est, si assentiantur, & vera credant esse ea, quae docentur, magis ac magis id quotidie, cum ad res gerendas accesserint, cognituri. In illis praecepta haec evidentiam quandam efficiunt: in his veram opinionem & assensionem. Non igitur simpliciter negat Aristoteles, adolescentes idoneos esse auditores hujus philosophiae: sed tantum negat, eos tales auditores esse, ut ea, quae hic traduntur, perfecte percipere, & de illis judicare possint. Quod autem addit; eos sine fructu audituros, cum animi perturbationes sequantur, id quomodo accipi debeat, ostendit ipse, qui paulo supra admonuit, ea quae dicturus esset, non semper, neque in omnibus vera esse, sed ἐς ἐπιτοπολύ. Nos autem fatemur quidem, plerumque verum esse quod ait Horatius, *Juvenes cereos esse ad vitia, monitoribus asperos:* multos tamen novimus moderatos, & compositos, & tales, ut eorum adolescentia multorum senectuti exemplo esse possit. Ut ergo indomitis & effrenatis, & rationis jugum detrectantibus, haec philosophia nihil prodesset: ita non est dubium, quin bene natis, bene educatis, virtutis amantibus, quales hic plerosque omnes esse confido, mirabiliter profutura sit. Ut igitur Plato τοὺς ἀγεωμετρήτους exclude-

debat a schola sua: ita nos non quidem omnes adolescentes, sed eos tantum, qui aut natura pravi sunt, aut mala educatione ac consuetudine depravati, a philosophiae tractatione excludendos esse censemus.

CAP. IV Λέγωμεν δὴ] Ingreditur in disputationem de summo bono: & quoniam supra docuit esse aliquod summum bonum, idque civili facultati proprie propositum: nunc, quid illud sit, quaerendum esse ait. Dicamus igitur, inquit, disputationem rursus a capite arcessentes: quandoquidem omnis cognitio, omnisque susceptio bonum aliquod appetit: quidnam illud sit, quod a civili scientia appeti dicimus, quodque summum ac supremum est bonorum eorum omnium, quae homines consequi possunt.

Ὁμολογεῖται μὲν οὖν] Haec disciplina probabilibus tantum nititur. Probabilia autem sunt, quae videntur aut omnibus, aut plurimis, aut sapientibus. Quocirca de summo bono disputaturus, primum ponit ea, quae apud pleosque omnes confessa sunt: deinde ea, in quibus & eruditi ab imperitis, & utrique inter se dissentiunt. Quod igitur sit summi boni nomen, nulla fere controversia est. nam & vulgares atque imperiti, & exculti ac politi ingenuis artibus homines ultimum illud bonorum felicitatem vocant. Bene vivere autem & bene agere idem esse censent, quod felicem esse.

Εὐδαιμονίαν] Quid εὐδαιμονία & εὐτυχία interfit, disquirendum alio loco fortasse subtilius. interea illud quidem certe negari non potest, inter vocum ipsarum vim nihil admodum interesse. Nam ut τύχη, ita δαίμων quoque fortuna est. Aristophanes: Τῷ σώματι δ' ἐκ ἐᾷ τὸν κύριον Κρατεῖν ὁ δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐναντίον. Euripides: Ὅταν δ' ὁ δαίμων δῷ δόξ', τί δεῖ φίλων; Itaque εὐδαίμων, si tantum vim nominis inspicias, est, qui bona fortuna utitur, id est, ut alibi docuimus, cui favet Deus. Nam fortunae nomine aut Deum, aut consilium quoddam divinum vocabant. & Plato in Timaeo supremum illum Deum hujus universitatis opificem vocat δαίμονα. Unde est, quod Xenocrates, cum suam cuique mentem Deum esse diceret, εὐδαίμονας dicebat esse eos, quibus bona & virtute praedita mens esset. Aristoteles secundo topicorum.

Καὶ οἱ πολλοὶ] Ita vocant imperitam multitudinem.

Καὶ οἱ χαρίεντες] Ita vocant homines ingenuarum artium

ſtudio deditos. Propterea quod earum tractatione elegantiores ac politiores homines ſunt. Ovidius: *Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.* Idem: *Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt, Pectora molleſcunt, aſperitasque fugit.* Plutarchus in Coriolano: οὐδὲν γὰρ ἄλλο Μουσῶν εὐμενείας ἀπολαύουσιν ἄνθρωποι τοσοῦτον, ὅσον ἐξημερῶσαι τὴν φύσιν, ὑπὸ λόγου, καὶ παιδείας, τῷ λόγῳ δεξαμένην τὸ μέτριον, καὶ τὸ ἄγαν ἀποβαλοῦσαν.

Τὸ δ' εὖ ζῆν] Apud Graecos duo ſunt loquendi genera, εὖ ζῆν καὶ εὖ πράττειν, quorum utrolibet felicitas inicatur. Ex quo effici voluit Plato in Alcibiade primo, & in extremo primo de Repub. eos, qui ex virtute vivunt, eſſe felices. ratiocinatur enim hoc modo: *Omnis, qui bene vivit, beneque agit, felix eſt. Quicunque autem ex virtute vivit, agitque, bene vivit, beneque agit. Felix igitur eſt, quicunque ex virtute vivit.* Quin & Ariſtoteles hac eadem concluſione uſus eſt, cum alibi, tum libro primo magnorum moralium, ubi ita ſcribit: Ἀλλ' ἡ μὲν ἀρετὴ ἐν ἑκάστῳ εὖ τοῦτο ποιεῖ, ἧ ἐστιν ἀρετή. ψυχῇ δὲ ζώμεν. διὰ τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν ἄρα εὖ ζήσομεν. τὸ δέ γε εὖ ζῆν, καὶ εὖ πράττειν οὐδὲν ἄλλο ἢ τὸ εὐδαιμονεῖν λέγομεν. τὸ ἄρα εὐδαιμονεῖν, καὶ ἡ εὐδαιμονία ἐν τῷ εὖ ζῆν ἐστί. τὸ δὲ εὖ ζῆν, ἐν τῷ κατὰ τὰς ἀρετὰς ζῆν. τοῦτ' ἄρα ἐστὶ τέλος, καὶ ἡ εὐδαιμονία, καὶ τὸ ἄριστον. id eſt: *At virtus quidem quaque in re bene id efficit, cujus eſt virtus. animo autem vivimus. virtute igitur animi bene vivimus. bene autem vivere, & bene agere nihil aliud eſſe dicimus, quam felicem eſſe. Ergo felicitas in bene vivendo conſiſtit. bene vivere autem in eo, ut ſecundum virtutes vivatur. Id igitur ultimum eſt. ea felicitas: id bonorum omnium optimum.* Haec Ariſtoteles magiſtrum, ut apparet, ſecutus Uterque autem abuſus videtur ambiguitate vocis ad id, quod ſibi propoſuerat, obtinendum. Nam bene vivere, beneque agere apud Graecos interdum dicuntur ii, quibus eſt ita ut ipſi volunt, quibus res ſecundae ſunt, qui omni moleſtia carent, quibus adverſi aut incommodi nihil objicitur: quibus omnia ex animi ſententia ſuccedunt: οἱ ἅπαντα κατορθοῦντες. ac tum in iis verbis non virtutis, ſed fortunae potius ſignificatio eſt. Itaque etiam παρ' ἀξίαν εὖ πράττειν dicunt eos, qui, nulla bona re digni cum ſint, fortuna tamen proſpera utuntur. Demoſthenes: τὸ γὰρ εὖ πράττειν

τειν παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίγνεται Aristoteles ipse: ὁ μὲν νεμεσητικὸς λυπεῖται ἐπὶ τοῖς ἀναξίως εὖ πράττουσι. quibus similibusque in locis (neque enim plures coacervare difficile fuerit) εὖ πράττειν non est, prudenter, fortiter, juste, temperanter, aut denique ulla ex virtute agere: sed, ut ante dixi, amicam ac propitiam fortunam experiri. Ita quoque εὖ ζῆν, in ore vulgi interdum nihil est aliud, quam commode, & sine ullo impedimento vivere, atque abundare iis, quae ad vitam necessaria sunt. quod etiam Latini nonnunquam *bene vivere* dicunt. Horatius: *Vos sapere & solos ajo bene vivere, quorum Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.* εὖ πράττειν autem semel idem poëta *bene rem gerere* dixit: *Celso gaudere & bene rem gerere Albinovano Musa rogata refer.* dicitur & *facile agere.* Terentius: *Quam vos facillime agitis, quam estis maxime Potentes, dites, fortunati, nobiles.* Porcius: *Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.* Ac plane particula εὖ nihil interdum aliud Graecis significat, quam quod Latinis *facile*: ut in his nominibus εὐκαθὴς, εὔπορος, εὐάλωτος, εὐαρίθμητος, aliisque hujusmodi Est igitur εὖ ζῆν facile agere, nulla difficultate in vita premi. At nonnunquam bene vivere, ac bene agere est, ita, uti virtuti consentaneum est, vivere, & perpetuo, quantum id quidem fieri potest, in actionibus honestis laudabilibusque versari. Quocirca, cum ita proponitur, eos omnes, qui bene vivunt, beneque agunt, felices esse: idque usitata loquendi consuetudine comprobari: vere id quidem dicitur, si bene vivere ac bene agere, priore illo modo accipias. Sin posteriore, nunquam in eo tibi vulgares assentientur. Deinde, cum infertur, omnes, qui ex virtute vivant agantve, bene vivere ac bene agere: si tuum illud bene, valet idem, quod honeste ac laudabiliter: concedetur id tibi. sin illo altero modo accipi velis, negabitur. nimis enim verum est, multos virtute praeditos homines κάκιστα πράττειν. Cum igitur videantur, & Aristoteles, & Plato pulcherrimam de felicitate sententiam confirmare etiam iis, quae dicuntur a vulgo: non tamen illa eo sensu, quo a vulgo dicuntur, accipiunt: sed veriore quodam ac praestantiore. In quo uterque ipsorum non modo nulla reprehensione, sed maxima etiam laude dignus videtur. Etenim cum in omnibus

hominibus natura insit quiddam divinum, ut iidem illi philosophi docent, quemadmodum, qui numine aliquo afflati sunt, praeclara multa dicunt, quae ipsimet non intelligunt: ita vulgus hominum, propter illam, quam dixi, divinae naturae communionem, saepenumero quasi quaedam oracula, ita verissimas quasdam sententias fundit, quae non ita, ut sensum est ab iis, qui eas usurpant, sed ita ut vere dicuntur, accipi debent. Nam quod eas & frequenter in ore habent, & tanquam veras & indubitatas accipiunt, id efficit illa, qua omnes tenentur, divinitatis similitudo: quod autem detorquent eas in alium quendam sensum, libidini suae accommodatum, eo fit, quod pravis opinionibus, & corrupta vivendi consuetudine ipsorum depravata natura est. Quare in eo quod recte dicunt, sequendi sunt: quod recte dicta alio flectere, & aliter interpretari cupiunt, repudiandi. Ut enim oracula furiosi fundunt, sapientes interpretantur: sic ejusmodi sententias etiam stultissimi jactant: sed a sapientibus earum petenda interpretatio est. Cum igitur vulgus Graecorum dicit, πάντας τοὺς εὖ ζῶντας τοὺς εὖ πράττοντας, felices esse, & in eo consentit: quod datur, accipio, & Deum etiam in ejusmodi hominibus loquentem admiror. At cum iidem postea dicunt, se hoc non ita accipere, ut eos dicant bene vivere, qui honeste ac laudabiliter vivunt: nego me, quomodo ipsi accipiant, laborare. Non enim Deus est amplius, qui loquitur: sed cupiditas, sed nequitia, sed libido.

Τὸ δὲ εὖ ζῆν] De nomine summi boni, & de quadam nominis explicatione, ac, ut Graeci loquuntur, περὶ λόγου τινὸς ὀνοματοίδους nulla controversia est: nunc in quo hominum judicia discrepent, audiamus.

Περὶ δὲ τῆς εὐδαιμ.] De re vero ipsa, inquit, id est, de felicitate, quaenam ipsa sit, controversantur: neque imperitae multitudinis, & eruditorum ac sapientum hominum similis de ea oratio est. Aliqui enim felicitatem collocant in aliquo eorum, quae evidentia, & omnibus nota sunt: ut in voluptate, divitiis, honore. alii denique aliud illam esse ajunt: saepe etiam unus idemque modo hoc, modo illud. morbo enim laborans, sanitatem: inopia pressus, divitias: ii autem, qui sibi conscii sunt ignorantiae, eos admirantur, qui magni aliquid dicunt, quodque ipsi assequi non queant.

Ἡδονὴν] Hanc summum bonum esse dixerunt e veteribus

bus philosophis Eudoxus, Aristippus, & Epicurus, & qui eos sectati sunt. ac de Eudoxo quidem alius erit in his libris dicendi locus. Aristippi autem & Epicuri sententias, & argumenta diligentissime excutit, & considerat Cicero lib. 1. & lib. 2. de finibus. At alii contra, eam summe aversati detestatique sunt, ut Antisthenes: cujus est illud: κρείττον μανῆναι ἢ ἡδονῆλω. & Archytas dicebat, nullam capitaliorem pestem hominibus, quam voluptatem corporis a natura datam. & Plato alicubi vocat eam δεινὸν κακόν.

Ἡ πλοῦτος] Divitias nemo, quod sciam, philosophus summum bonum esse dixit. Sed constat, vulgarium multo maximam partem beatos eos demum esse sentire, qui divitiis affluant. Idque primum liquet ex usu loquendi. Saepe enim Graeci ὄλβιους *divites* vocant. Euripides: Ὅλβου μὲν οὐκ ἄπειρον ἐκτῆσθαι βροτοῖς Μάκαρ ἡ κεκλῆσθαι τοῖς ὀλβίοις δόμοις. deinque ὄλβιον interdum *divitias*, interdum *felicitatem* hominant, & ὄλβιοι modo *felices*, modo *divites*. Euripides: Κακῶς δ' ὁ μὲν ἔχων, οἱ δ' ἔχοντες ὄλβιοι. Sed & Latini saepe *beatorum* nomine non alios, quam divites intelligunt. Catullus: *ego ut puellae unum me facerem beatiorum.* Plautus: *Aurum in fortuna invenitur, natura ingenium bonum. Bonam ego, quam beatam me esse nimio dici mavolo.* Deinde ex eo, quod Aristoteles primo πλοῦτον. docet, quosdam homines consectari divitias, ut instrumentum quoddam rerum gerendarum, alios eas sibi proponere, ut finem: ideoque illos quidem modice eas appetere: hos vero neque modum, neque finem ullum facere, juxta id, quod a Solone dictum est: πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται. Et ab Horatio: *At bona pars hominum decepta cupidine falso, Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.* neque ignota sunt illa Simonidea poëtae: *Et genus & formam regina pecunia donat.* Et: *Virtus post nummos.* Et: *omnia pulchris Divitibus insunt.* Itaque Bion dicebat, ut loculos quamlibet pulchros, plurimi esse, si in eis plurimum inesset auri: ita homines alioqui abjectissimos maximi fieri, si maximas haberent opes. *Quantum quisque sua nummorum servat in arca, Tantum habet & fidei.* ait Juvenalis. & alibi: *Protinus ad censum: de moribus ultima fiet Quaestio.* Et alio loco: *Unde habeas, quaerit nemo: sed oportet habere.* Aristodemum Lacedaemonium dixisse nar-

narrat Alcaeus: χρήματα χρήματ' ἀνὴρ. πενιχρὸς ὃ οὐδεὶς πίλαι' ἑταῖρος οὐδὲ πάμπαν. Simonides interrogatus, utri pluris essent, sapientes, an divites, respondit, se crebro sapientes ad limina divitum, divites nunquam pro foribus sapientum conspicari. Sed nemo unquam elegantius expressit omnes improbas sententias istorum, qui prae divitiis contemnunt omnia, quam Euripides, cujus hi versus Latine a Seneca redditi legumtur: *Sene me vocari pessimum, ut dives vocer. An dives, omnes maximus: nemo, an bonus. Non quare, & unde: quid habeas, tantum rogant. Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit. Quid habere nobis turpe sit, quaeris? nihil. Aut dives optovivere, aut pauper mori. Bene moritur, qui dum moritur, lucrum facit. Pecunia ingens generis humani bonum, Cui non voluptas matris, aut blandae pater? Par esse prolis, non sacer meritis parens: Tam dulce si quid Veneris invidus micat, Merito illa amores caelitum atque hominum tenet.* Hi postremi versus etiam Graeci reperiuntur: Ἐν χρυσὸς ἄξιόν ἐστι κρίνειν βροτοῖς, Ὃς ἐν δὲ μόνῳ πάντα τοῖς ἔχει, Οὐ παῖδες αἰσθάνονται, ἢ φίλου πατήρ. Εἰ δ' ἦν Κύπρις πιστὸν ἀφελεῖν μόνη ἐρᾷ, Οὐ θεῶν ἔρωτας μείζους αὐτὴν κρίνειν. Qui cum Athenis in theatro pronunciati essent, indignatus populus consurrexit; neque multum abfuit, quin & actorem, & carmen exturbaret. At fortasse magna pars eorum eodem vitio laborabat. Sed avaros etiam avari oderunt, ut de Crasso tradit Plutarchus. Extat elegantissimum epigramma Petronii Arbitri, quo pecuniam omnia posse ait: *Quisquis habet nummos, &c.* Plura apud Aristophanem in Plūto. Haec igitur & similes sunt sententiae hominum divitias putantium esse summum bonum.

Ἡ πλοῦ] Ne honorem quidem quisquam philosophus summum bonum esse dixit. Cum autem errent utique, tum qui divitias, tum qui honorem finem esse dicunt, tolerabilior tamen & venia dignior, & minus indecorus est eorum error, qui honori nimis magnum honorem habent, quam eorum, qui opibus. Nam hi fastem excelso, & erecto, & elato esse se animo ostendunt: at illi sordido & abjecto.

Rationes autem, quibus fortasse sibi persuadere aliquis possit, honorem esse summum bonum, hae fere sunt. Verisimile est, id summum bonum esse, quod ab optimo quoque maxime expetitur. At optimus quisque maxime

ne gloria ducitur. Est igitur gloria summum bonum. Propositio per se probabilis est. Assumptio facile probari potest. Fortissimi enim quique & maxima virtute praediti viri etiam vitam prae gloria contemnunt. Est in fabulis, delatam esse a diis optionem Achilli, longam vitam, sed ingloriam mallet, an brevem quidem, sed quam perennis fama sequeretur. illum autem hanc praetulisse. & contemni ac vituperari solent, qui vitae ac salutis majorem, quam honoris & gloriae rationem habendam duxerint. Jasonem cum illa delecta juventute ad vellus aureum proficiscentem, ignota prius mortalibus tentantem maria, vitamque suam ac suorum, quod ante ipsum nemo fecerat, ventis ac fluctibus committentem, quid tandem impulit, ut se in tanta tamque aperta pericula conjiceret? Honoris nimirum & gloriae cupiditas. Ita enim de eo canit C. Valerius Flaccus: *tu sola animos mentemque perurit Gloria: te viridem videt immunemque senectae Phasidos in ripa stantem, juvenesque vocantem.* Praeterea opus & finis idem sunt, ut saepe docet Aristoteles. At honorem & gloriam Virgilius vocat *opus virtutis. breve & irreparabile tempus Omnibus est vitae, sed famam extendere factis, hoc virtutis opus.* Ergo virtus referetur ad gloriam, tanquam ad finem. Tertio, Quarum rerum aliquod praemium est, in iis praemium ipsum magis expetendum esse constat, quam id, cujus praemium est. At virtutis praemium videtur esse honos & gloria. Quarto, Bonum quo durabilius est, eo praestantius videtur. At cetera hominum bona videntur extingui saltem morte. gloria etiam post cineres durat. Quinto, Summum bonum videtur esse id, quod ipsi Deo homines tribuunt. gloriam autem & honorem tribuunt. Sexto, Si quod est in rebus humanis divinum bonum, vix videtur negari posse quin idem sit etiam summum: quid enim superius sit eo, quod divinum est? At Plato lib. 5. de legibus ait θεῖον ἀγαθὸν εἶναι τὴν τιμὴν idemque totidem verbis confirmat Aristoteles quarto horum librorum. His & similibus argumentis probari quodammodo posset, honorem summum bonum esse. sed facile solvi possunt, & Aristoteles ipse eam opinionem paulo infra refutaturus est.

Ἄλλα δὴ ἄτοπ.] Ut Herillus scientiam, Democritus εὐθυμίαν, sive εὐεστώ, Pyrrho ἀδιαφορίαν, Epicurus interdum

dum indolentiam, Metrodorus τὸ σαρκὸς εὐταθὲς κατάστημα, καὶ τὸ περὶ τοῦτο πίστιν ἔλπισμα, Stoici virtutem, alii alia. de quibus vide Ciceronem secundo de finibus, & Clementem lib. 2. στρωματέων.

Πολλάκις] In his Aristotelis verbis tria praecipue notanda mihi videntur unum, ut in veritate, & scientia summam esse constantiam & stabilitatem, ita in opinione & errore summam inconstantiam & instabilitatem. Nam si homines vere cognoscerent summum bonum, non ferrentur hoc illuc, sed in una eademque sententia persisterent. Nunc quia opinionibus tantum ducuntur, fluctuant, & illud modo in hac re, modo in alia ponunt. Itaque recte tradiderunt ἐπιστήμην dictam esse, quasi ἐφιστήμην, ὅτι τὴν διάνοιαν ἀφίστησιν. Alterum, natura comparatum esse, ut quo caret quisque, id praestantissimum, maximeque expetendum arbitretur. Quod tamen non in omnibus verum est. Sunt enim quidam contra eo errore ducti, ut sua tantum admirentur, aliena contemnant. Tertium, majorem & acriorem esse in hominibus sensum mali, quam boni. Non enim tam sentiuntur bonae valetudinis, aut opum commoda, quam incommoda, quae ex contrariis rebus oriuntur.

Τοὺς μέγα τι] Inde sunt illa: *Felix, qui potuit rerum cognoscere caussas.* Et: *Felices animae, quibus haec cognoscere primum, Inque domos superas scandere cura fuit.*

Ἔνιοι δὲ ᾤοντο] Quidam autem putabant, praeter haec multa bona aliud quoddam esse per se: quod & his omnibus, ut bona sint, caussa esset. Est autem haec opinio Platonicorum, de qua infra copiose disputabitur.

Ἁπάσας] Igitur omnes quidem opiniones expendere, inane fortassis ac supervacaneum fuerit. abunde autem huic parti satisfiet, si eas consideremus, quae maxime eminent, quaeque ratione aliqua niti videntur. Sic in Eudemeis: *Igitur in omnes quidem opiniones, quas nonnulli de felicitate conceperunt, inquirere, supervacaneum fuerit. multa enim videntur & puerulis, & mente captis, & aegrotantibus, de quibus nemo mentis compos dubitaverit.* & in topicis: τὸ γὰρ τοῦ τυχόντος ἐναντία ταῖς δόξαις ἀποφηναμένου φροντίζειν εὐηθές ἐστιν. Caussae autem duae videntur, cur interdum expediat inquirere etiam in eas sen-

sententias, quae tamen verae non videntur, una ut ex eis aliquid veri eruamus. *Omnes enim fere sententiae, quae quidem non penitus absurdae sunt, accedunt quodammodo ad veritatem*, πασὶ πάντως αὐτῶν ἀπτεταί τινος, ait ipse in primo minore τῶν μὲν τὰ φαινόμενα πιθανὰ εἶναι δὲ οἱ πλεῖστοι ἀπὸ τοῦ ἀληθοῦς ἔχουσιν: ait ipse primo Rhet. ἢ πάντες αὐτῶν εἰκῆ τι ἴσχυον, ut est in primo ad Eudemum. atque hoc in iis opinionibus cernere est, quas commemoravimus. *Non est felicitas ἡδονή: sed tamen vera ἡδονὴ perpetuus comes est, felicitatis.* ἡ μέντοι ἀληθινὴ ἡδονὴ τῆς εὐδαιμονίας ἀκόλουθος πέφυκε. ἡ μὲν γὰρ, ἀεὶ ὑπάρχουσα πρόσεστι τοῖς εὐδαίμοσι κατ' ἀρετήν. Altera causa est, ne illae quempiam inducant & decipiant. Hoc autem duobus modis evenit, aut propter ipsarum probabilitatem, aut propter dicentium auctoritatem. Ergo illae excutiendae sunt. Atque qua ejusmodi sit, ut & longissime absit a vero, neque auctor illius tanti esse videatur, ut alios suo pondere trahat, in ea pluribus verbis refutanda omnis opera ludatur. ἐπὶ δὲ ταύτην

Μὴ λανθάνειν] Non est autem nobis, inquit, ignorandum, duas esse inter se differentes disserendi vias. interdum enim a principiis ad ea, quae ex ipsis efficiuntur, proficiscimur; interdum autem ab effectis ad principia ipsa progredimur. Quod autem hoc loco docetur, non est proprium philosophiae moralis, sed generale quoddam praeceptum ad omnes artes ex aequo pertinens. Cur igitur, dicat aliquis, huc adhibitum est? quoniam utile est ad quiddam, quod Aristoteles probare instituit, colligendum. Nam cum admonere velit bene educatum, atque imbutum bonis moribus oportere esse eum, qui ad hanc disciplinam audiendam accedit, ita id confirmat. In omni arte tradenda, ordiendum est a quibusdam, quae discere cupienti, aut jam nota sint, aut talia, ut leviter admonitus, ea statim apprehendat, eisque assentiatur. In hac autem arte principiis quibusdam utitur, quae consuetudine quadam imprimuntur in animis: qualia sunt, Mediocritatem omnibus in rebus optimam esse: Voluptates non omnes nullo discrimine sequendas, sed eas demum, quae sint cum honestate conjunctae: Turpe lucrum damnum potius esse quam lucrum, & similia. Haec autem omnes bene educati, aut jam sciunt, aut statim verbo uno admoniti, ἀκούσαντες λαμβάνουσι. Talibus igitur opus est.

Μὴ

Μὴ λανθάνειν] Ad ſummam hoc dicit Ariſtoteles, omnem, quae de re aliqua inſtituitur, diſputationem, duobus modis dirigi poſſe. aut enim a principiis, id eſt, a cauſſis exorſi, perquirimus cognitionem eorum, quae ex ipſis fiunt: aut contrarium ordinem tenemus, & quae ſunt effecta ſumentes, ad cauſſas, ex quibus illa effecta ſunt, reperiendas mentis aciem intendimus.

Εὖ δὲ καὶ Πλάτων] Quod modo dixit, Platonis teſtimonio atque auctoritate confirmat. nam eum quoque merito ſolitum eſſe in diſputationem adducere, & in quaeſtione ponere, a principiisne, an ad principia eſſet via: velut in ſtadio, ab athlothetis ad metam, an contra. Porro illius Platonicae quaeſtionis haec ſententia erat: in rebus inveſtigandis utrum potius eſſet, a cauſſis ad eventa, an ex eventis ad cauſſas progredi. quod ille nunquam quaeſiſſet, niſi utrovis modo diſputationem poſſe inſtitui judicaſſet. Pulchre autem expreſſit Ariſtoteles magiſtri ſui conſuetudinem verbis ἀπορῆσαι καὶ ζητῆσαι. Ille enim affirmandi & aſſeverandi arrogantiam fugiens, ita omnia proponebat, quaſi dubitans, &, quid veri ſimillimum eſſet, inquirens. Sed & illa ſimilitudo de ſtadio Platonem olet, qui exemplis & collationibus rerum notis & ſumptis de medio illuſtrare diſputationes ſuas ſolebat. Puto autem, hanc dubitationem in iis, qui ad nos pervenere, Platonis libris non extare. ac fieri poteſt, ut eam Ariſtoteles e ſermonibus, non e ſcriptis illius hauſerit, & certe multa Platonis ἄγραφα δόγματα, ab ipſius auditoribus ſtudioſe conſervata eſſe, teſtatur Galenus.

Ἀπὸ δὲ τῶν ἀθλοθετῶν] Ita vocabantur ludorum praefecti in ludis gymnicis, ut in ſcenicis ἀγωνοθέται. Sedebant autem in ipſo ingreſſu ſtadii.

Ἀρτίως] Explicat nunc eam dubitationem, quam propoſuerat, ac primum hoc ponit: In rebus aut exquirendis, aut tractandis & explicandis, ab iis, quae perſpicua, & ad intelligendum facilia ſunt, ordiendum eſſe. Talia autem duobus modis dicuntur. alia enim nobis clariora ſunt, alia ſimpliciter, & ſuapte natura. Fortaſſis igitur nobis quidem ab iis, quae nobis clara & perſpicua ſunt, exordiendum eſt. Multis autem locis haec ita diſtinguit Ariſtoteles; ut primo poſteriorum analyt. primo Phyſicorum, quarto τῶν μετὰ τὰ φυσ. & ſaepe alias. Puto autem peccare eos, qui γνώριμα vertunt *nota*, &

γνώ-

γνωρίμωτερα notiora. τὰ γὰρ τοιαῦτα τῶν ἀνομότων οἷον ἀλόγων, πάππων, ἀλώπεκων, ἢ τὰ ὅμοια, ἐκ ἀναγκαίας, μᾶλλον ἢ ἐπιπολαίστητος τινὸς συμφέρειν ἐστί. nihilque prohibet ſuapte natura γνωρίμωτερα eſſe, quae nemini nota ſunt. nam qui ita accipiunt illud τῇ φύσει, ut dicant ea notiora eſſe naturae, ineptiunt. Itaque interpretes Graeci γνωρίμωτερα exponunt σαφέστερα, ἢ ἃ μᾶλλον ἄν τις καταλάβοι. Intelligendum eſt igitur, quae cauſſa eſt, ut unaquaeque res ſit id quod eſt, eandem cauſſam eſſe, ut illa res cognosci poſſit. Non enim cognoſcitur, niſi id quod eſt, ea ratione, qua eſt. Quare, cum, quae ex cauſſis effecta ſunt, hoc ipſum quod ſunt, quodque cognoſci poſſunt, accipiant a cauſſis: neceſſe eſt cauſſas ipſas, ut priores, ita etiam clariores eſſe. Nam ut docetur in analyticis, quod cauſſam praebet alii, ut tale ſit, id ipſum magis eſt tale, atque hoc eſt, quod tam multis locis Ariſtoteles docet, natura priora eſſe, & clariora principia iis, quae ex principiis exiſtunt. ſimplicia concretis ac compoſitis, cauſſas eventis Sed ut diurnum tempus, quod natura maxime accommodatum eſt ad videndum, noctuis, & quibusdam aliis avibus tale non eſt: quae in ſole caligantes, veſperi melius vident: ita cauſſae & principia cum ſint natura γνωριμώτατα, nobis tamen plerumque talia non ſunt, quorum mentis acies ita eſt affecta ad ea, quae ſimpliciter & abſolute, & ſuapte natura, vel maxime clara ſunt, ut oculus noctuae ad lumen ſolis. Quocirca tunc ab iis, quae per ſe minus clara, & perſpicua ſunt, ſed clariora, & priora nobis, ad ea, quae natura clariora, & priora, id eſt, ab eventis ad cauſſas, a compoſitis ad ſimplicia progredimur: & ordinem non rerum naturae, ſed imbecillitati noſtrae conſentaneum, ac convenientem tenemus. ſic cum lunae rotunditas efficiat eas varietates, quae in ipſius illuſtratione cernuntur: prius tamen in hominum mentibus fuit earum varietatum notatio & animadverſio, quam globoſam eſſe lunam cognoſceretur. cumque cetera corpora ob id diſſolubilia ſint, quod conſtent ex illis quatuor primis: non eſt tamen dubium, quin homines non e ſimplicibus ad concreta, ſed ex his ad illa cognoſcenda perveneriint. Interdum autem contingit, ut, quae natura clariora ſunt, eadem talia ſint etiam nobis, ut in mathematicis. nam definitiones, & communes ſententiae, & hypo-

the-

theses, quae initio earum traduntur, cum per se ac natura γνωριμώτεραι sunt, quam ea, quae consequuntur ex eis, tum facilius etiam apprehenduntur. Summa igitur ejus, quod hic ab Aristotele docetur, haec est: In cujuslibet rei tractatione ordiendum esse a clarioribus. sed quoniam alia dicuntur clariora simpliciter, alia nobis: distinctius explicat sententiam suam, dicens, incipiendum esse nobis ab iis, quae nobis sunt clariora. quare ubi eadem erunt natura clariora, & nobis, ab iis principium ducendum erit: quemadmodum mathematici faciunt. Sin alia natura, & per se clariora sint, alia nobis, ab iis, quae nobis clariora sunt, ad ea quae per se, & natura talia, proficisci oportebit.

Διὸ δεῖ] Hoc est illud, cujus colligendi gratia omnia illa περὶ τῶν γνωρίμων antecesserunt. Cum enim oportet ei, qui alicujus artis idoneus auditor futurus est, clara esse ea, quae principio illius traduntur, illud quoque consequitur, ut oporteat, eum, qui commode auditurus est de rebus honestis & justis, &, uno verbo, civilibus, bonis moribus institutum esse. Nam in hac disciplina, rem ita se habere, ut, exempli gratia, amandam esse mediocritatem, fugienda extrema, haec, inquam, & similia pro principiis ponuntur: neque, cur ita sit, caussae ullae subtiliores exquiruntur, ac ne necesse est quidem. Jam is, qui bene educatus est, haec & talia, aut jam cognita habet, aut sine ulla difficultate alio monente percipiet, iisque libens assentietur. Quodsi quis est, qui neutrum horum praestare possit, hosce audiat Hesiodi versus: *Ille quidem longe optimus est, qui ipse omnia novit. Sed bonus est etiam is, paret qui recta monenti. At qui nec per se novit, nec si quem alium audit, Mentem adhibet, nullo is numero est, nullo ordine habendus.* Apud Hesiodum tamen post primum eorum versuum hic statim legitur, φρασσάμενος τὰ κ' ἔπειτα, καὶ ἐς τέλος εἰσὶν ἀμείνω. Sed ego eum in calamo exaratis Aristotelis libris non reperi: neque vetus interpres agnoscit: Eustratius, qui ceteros explicatione sua persequitur, hunc non attingit. Clemens quoque lib. 3. paedagogi cap. 8. cum hos versus citet, hunc praetermittit. & Aristides λόγῳ πρώτῳ περὶ ῥητορικῆς, & Plutarchus. Quo fit, ut eum Hesiodi esse non putem.

Διὸ

Διὸ δεῖ] Hanc ipsam sententiam ad finem libri decimi repetit, & copiosius tractat.

Τοῖς ἔθεσιν] Magnam enim vim habet consuetudo ad assensionem, & ad facilem eorum, quae traduntur, perceptionem, ut est in primo minore τῶν μετὰ τὰ φυσικά.

Καὶ δικαίων] Sic supra, τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια. Hoc autem addit, quoniam justa quodammodo sunt, quaecumque ex quacunque virtute fiunt, ut suo loco docebitur.

Ἀρχὴ γὰρ] Quidam libri veteres, ἀρκεῖ: quod tamen mihi quidem non probatur.

Ἢ ἔχει, ἢ λάβοι ἄν] Principia enim alia auditor domo affert, alia a docente accipit.

Οὗτος μὲν πανάριστος] Hanc sententiam, ut notum est, expressit Minutius apud Livium lib. 32. *Saepe*, inquit, *ego audivi*, *milites*, *eum primum esse* &c Et Cicero in Cluentiana: *Sapientissimum esse dicunt eum* &c. & Aemon apud Sophoclem in Antigone: Γνώμη γὰρ εἴ τις &c. Zenonem autem philosophum ajunt hos versus ita efferre solitum: Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται. Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ. At contra Aristippus, alieno consilio indigere, miserius esse dicebat, quam mendicare. Herodotus autem utrumque aequa in laude ponit, cujus illud est: ἴσον ὦ βασιλεῦ κέκριται φρονέειν τε εὖ, καὶ τὸ λέγοντι χρηστὰ ἐθέλειν πείθεσθαι. nisi forte non ad praestantiam, sed ad actionem respicit. Homericus autem Nestor a rege utrumque exigit: Ἀλλὰ ἄναξ, αὐτός τ' εὖ μήδεο, πείθεό τ' ἄλλῳ.

c. v. Ἡμεῖς δὲ] Sermone illo de principiis abductus paulisper a re proposita, nunc ad institutum redit, ac de ipsa summi boni natura disserere ingreditur. Inprimis autem percenset falsas aliquot de eo opiniones, easque refellit: tum ratione ac via progreditur ad pervestigandam veram illius definitionem, quam denique repertam constituit ac confirmat.

Ἡμεῖς δὲ] Nostra autem, inquit, unde digressa est, eo se referat oratio

Τὸ γὰρ ἀγαθὸν] Summum, inquit, bonum & felicitatem videntur vulgares quidem, & abjectissimi quique in voluptate constituere: ii autem, qui politiores sunt, quique se ad tractandam remp conferunt, honorem sibi pro-

proponere tanquam finem videntur. Quodsi quis roget quo argumento percipi possit, eam esse illorum de felicitate sententiam, huic satisfacit Aristoteles, cum ait, ἐκ τῶν βίων. Significat enim, id facile colligi posse ex ipsorum ratione vivendi. Nam ut quisque hunc aut illum finem sibi proponit, ita vitam suam hoc aut illo modo instituit. Fallitur autem hoc loco S. Thomas, qui exponit ἐκ τῶν βίων, *aliquid eorum, quae pertinent ad vitam*

Οὐκ ἀλόγως] Referendu emst ad verbum ἐοίκασιν, non ad verbum ὑπολαμβάνουσι.

Οἱ μὲν πολλοὶ] ὁ πολὺς ὄχλος.

Καὶ φορτικωτάτοις] Vix ulla vox est in his libris, in qua reddenda minus inter se convenerint interpretes. Vetus hoc loco interpretatus est *gravissimi*. Itaque S. Thomae caussam dedit errandi, & longissime ab Aristotelis sententia recedendi. Accepit enim *gravissimos*, vel propter auctoritatem scientiae & doctrinae, vel propter vitae honestatem. Aretinus, *onerosissimi*. in quo est quidem aliqua vocis similitudo. φέρτρον enim aut φορτίον *onus* dicitur: sed ad id quod significatur nomine τῶν φορτικῶν, nihil alienius cogitari potuit. Neque Argyropylo melius succesit, quam ceteris. Vertit enim, *importunissimi*, minime sane opportune eo vocabulo usus. Perionius Argyropyli errorem secutus est. Lambinus *odiosissimos*, & *insolentissimos* vertit, & congesit multos locos Aristotelis, in quibus putavit φορτικὸν valere idem, quod *odiosum* ac *minime ferendum*: sed eum quoque opinione sua vehementer falsum esse, spero hodierno die omnes qui me attente audierint, cognituros. Ego enim, cum tantam esse in hac voce explicanda eruditorum hominum discrepantiam viderem, coepi in evolvendis optimae notae scriptoribus Graecis, ubicunque eam repereram, annotare, & ad eam, memoriae caussa, signum aliquod apponere, sperans fore, ut e plurimorum locorum collatione mihi tandem vis illius innotesceret. Notavi locos mille, & eo amplius, quibus conferendis illud mihi assecutus videor, ut de vi ac potestate hujus vocabuli satis commode disserere possim.

Φορτίον, ut dixi, *onus* est. inde φορτηγοὶ, *qui victum sibi vehendis oneribus quaerunt*, qui *vellaturam*, ut Varro lo-

quitur, faciunt. Quod quoniam abjectissimum est hominum genus, factum, ut φορτικὸν dicantur *homines abjecti, viles, sordidi*: & τέχναι φορτικαὶ, *artes sordidae*, atque *illiberales*, quaeque non nisi a vilissimis hominibus factitantur. Inde tralata est ea vox ad alia multa vitia, quibus plerumque ejusmodi homines laborarent. quod etiam factum est in voce βάναυσος, quae mihi valde affinis videtur ei, de qua nunc agimus. Βάναυσοι enim primo dicti sunt, *qui ad fornacem*, aut *ad caminum artes suas exercerent, homines favillae & fuligmis pleni*. Deinde accommodata est ea vox, ad omnes sordidas artes. quas qui faciunt, quoniam inepti esse solent, neque ullam habere rationem aut rerum, aut hominum, aut loci, aut temporis, ideo Aristoteles quarto horum librorum βαναυσίαν & ἀπειροκαλίαν idem vitium vocat, & eos qui magnos sumptus faciunt, in res contemnendas, & ex eo se magnam quandam gloriam colligere arbitrantur, βαναύσους nominat. quomodo etiam Aelianus libro secundo ποικιλ. ἱστ. vocat δεῖπνα πολυτελῆ καὶ φορτικὰ, qualia solent apparari ab iis, quos Aristoteles vocat φορτικοὺς & βαναύσους. quem Aeliani locum Lambinus pessime interpretatus est. Itaque in illis omnibus locis Aristotelis, in quibus ipse vertit φορτικὸν *odiosum, minime tolerabile, minimeque ferendum*, vertere debuerat, *ridiculum*, aut *sordidum*, aut, ut eum Adrianus Turnebus, vir praestantissimus, admonuerat, *ineptum*.

Διὸ καὶ τὸν βίον] Quidam veteres libri τῶν βίων: quod melius videtur.

Τρεῖς γάρ εἰσι] Multa quidem sunt vivendi genera: sed tria, ut videtur, maxime insignia: unum vulgarium, qui ad voluptatem referunt omnia, & ventri ac libidini servientes, nullam aliam cogitationem suscipiunt. Alterum elegantium hominum ac politiorum, qui capessunt rempub. & in rebus agendis versantur. Tertium eorum, qui sublimiori ingenio praediti, totos se conferunt ad contemplationem cognitionemque rerum, aliisque omnibus curis posthabitis, in ea una occupantur. In Ethicis quoque ad Eudemum idem traditur: nimirum τρεῖς εἶναι τοὺς βίους τοὺς ἐν ἐξουσίᾳ ὄντας, τὸν φιλόσοφον, τὸν πολιτικὸν, καὶ τὸν κτηματικόν.

Οἱ μὲν οὖν πολλοὶ] Reprehendit judicium vulgarium: affirmatque, eos omnino serviles videri, qui quidem pe-

cudum vitam ceteris potiorem esse ducant, eamque sibi deligant, quam sequantur.

Ἀνδραποδώδεις] Sive quod cupiditatibus pareant, sive quod nihil unquam magnum atque excelsum cogitent. In Eudemeis quoque ait, neminem hoc vitae genus sequi, μὴ παιπαλῶς ὅτι ἀνδραποδῶδες, ἢ ὅτι τῷ παύτλῳ ποιμένι τῶν ἀρτίως ἐθὶν ἂν διενίγκοιν ἡδοίας ἥδιον ἢ ἄνθρωπον.

Βοσκημάτων βίον] Nam eae voluptates, quae gustatu percipiuntur, quaeque tactu, de quibus eum praecipue loqui hoc loco intelligendum est, communes sunt homini cum bestiis.

Τυγχάνοντι δὲ] Eos qui opibus affluunt, quique in imperio constituti sunt, vulgus felices ac beatos putat. Quam igitur vitam ab iis coli videt, eam omnium optimam, atque optabilissimam censet. Quocirca cum potentium magna pars iisdem, quibus Sardanapalus olim, cupiditatibus serviat, videntur vulgares ratione aliqua moveri, ut in earum expletione finem bonorum esse statuant. Hinc autem intelligi potest, locupletes & potestate praediti homines quantum studium conferre ad bene laudabiliterque vivendum debeant. Cum enim secus faciunt, non tantum corrumpunt ipsi se, verum etiam alios exemplo suo in eandem perniciem trahunt.

Σαρδαναπάλου] Hic Assyriorum, non ut Eustratius ait, Persarum, rex fuit, non modo tempore, sed vita etiam moribusque postremus. Multa de eo Athenaeus lib. duodecimo, Diodorus lib. secundo, & alii. Epitaphium illius varie traditur, a quibusdam hoc modo: *Sardanapalus Anacyndaraxis F. Anchialen & Tarsum extruxit uno die: nunc mortuus est.* Ab aliis: *Ego rex fui: & quoad vixi, bibi, comedi, rei Venereae operam dedi: cum scirem & brevem esse hominum vitam, & multis mutationibus obnoxiam; & fructum bonorum, quae ego reliquissem, ad alios perventurum. Quare hoc facere nullum diem intermisi.* Ab aliis: *Sardanapalus Anacyndaraxis F. Anchialen, & Tarsum extruxit uno die. Ede, bibe, lude: alia enim omnia tanti sunt.* Imposita autem erat sepulcro ipsius statua, quae digitorum crepitum edere videretur. Choerilus illud interpretatus est his versibus, qui sunt apud Athenaeum lib. 12. Εὖ εἰδὼς, ὅτι &c. Cicero 2. Tusculan. *Ex quo*, inquit, *Sardanapali opulentissimi Syriae regis error agnoscitur, qui incidi jussit*

in

ex busto: Haec habeo, quae edi, &c. *Quid aliud, inquit Aristoteles, in bovis, non in regis sepulcro inscriberes? Haec habere se mortuum dicit, quae ne vivus quidem diutius habebat, quam fruebatur.* Idem est in secundo de finibus Κεφ. ιγ'. Ταῦτ' ἔχω, ὅσα ἔμαθον, ἢ ἐφρόντισα, ἢ μετὰ Μανίου Σεμνὰ ἐδάκα. τὰ δὲ πρὸς ἢ ὀλεῖα τύφῳ ἐμαρψε.

Οἱ δὲ χαρίεντες.] Vulgarium una ratio est. Omnes enim nullo discrimine voluptatem sequuntur: politiorum duplex. Partim enim ad remp. accedunt, iique honorem sibi proponere videntur, & ad eum omnia referre: partim se totos cognitioni contemplationique dedunt: de quibus alius constitutus est ad dicendum locus.

Οἱ δὲ.] Pendet ex illo, οἱ μὲν πολλοὶ ἢ φορτικώτατοι, & repetendum λέγ' τοιοῦ, ἐκφαίνει τὸν λαμβάνειν.

Σχεδὸν.] Hoc addit: quoniam sunt & qui sibi virtutem ipsam atque honestatem proponant, etiamsi nullus eam sit honos consecuturus.

Φαίνεται δὲ.] Duobus argumentis ostendit, honorem non esse summum bonum. Eorum unum a repugnantibus ducitur, hoc modo: Summum bonum proprium quiddam esse ejus, cui contigit, arbitramur: Atque ita proprium, ut difficulter ab eo avelli queat. At honor non est quicquam proprium ejus, qui eo afficitur: imo potius testimonium quoddam alienae de praestanti ipsius virtute opinionis. Itaque facile eripi potest. non enim situs est in potestate ejus, cui defertur; sed aliorum. Quo fit, ut interdum tribuatur indignis, dignissimis denegetur. ut cum praetore creato Vatinio, Cato repulsam tulit Nam vir bonus praestare se honore dignum potest: ut alii quoque ita judicent, non potest Constat igitur, honorem levius quiddam esse, & minus altis, ut ita dicam radicibus nixum, quam id, quod quaerimus.

Ἐπιπολαιότερον.] Mirum quid secutus sit Argyropylus, cum hunc locum ita verteret, *videtur autem ab eo distare, quod quaerimus*: nisi forte pro ἐπιπολαιότερον legit, ἢ ποιότητος, aut aliquid tale: quod tamen sine dubio vitiosum esset.

Μαντεύομεθα.] Hoc verbo utitur, quoniam nondum ex iis, quae disputata sunt, constat, quaenam summi boni natura sit

Ἔτι δὲ.] Alterum hoc argumentum est, quo demonstratur, honorem in rebus bonis principem locum non obti-

nere. non enim plane, & omnino ſuapte vi expetitur; imo vero optimus & graviſſimus quiſque (nam levium quidem, & ventoſorum hominum alia ratio eſt) non aliam fere ob cauſſam honoris ſtudio ducitur, quam ut plane perſpiciat, id quod maxime cupit, ſe virtute praeditum eſſe. Talium igitur judicio virtutem honore praeſtantius quiddam eſſe conſtat. Hic autem conſiderandum, ſapientum ſententia quantopere a vulgarium opinione diſſideat. Quotus enim quiſque noſtrum eſt, qui, ſi aperte, ac ſine ulla diſſimulatione ſenſum animi ſui velit expromere, non ita exiſtimet, honoris potius conſequendi gratia ſequendam eſſe virtutem, quam honoris ſtudium ad virtutem dirigi oportere? Pone ex altera parte virtutem omni honore ſpoliatam: ex altera honorem (quanquam verus quidem honos exiſtere, niſi ex virtute non poteſt) ſed tamen aut honorem, aut etiam inanem quandam, & adumbratam honoris imaginem nullo ſolidae virtutis fundamento ſubnixam, populari tantum aura, & falſis imperitae multitudinis ſermonibus excitatam: quos ex hac parte concurſus, quam ex illa ſolitudinem futuram putas? Ita magna pars mortalium omnem virtutis fructum in honore poſitum eſſe arbitratur: neque ea mercede detracta, ſatis magnam cauſſam eſſe ducit, cur aſperam illam, & multis obſtructam difficultatibus virtutis viam capeſſere debeat. Longe aliter, ait hoc loco Ariſtoteles, ab hominibus eleganti praeditis ingenio fieri: qui honorem ob id unum expetunt, ut virtutis ſuae conſcientia certius, & exploratius frui poſſint. amant enim eximie virtutem, & ad eam omni ſtudio incumbunt, omniaque ſedulo faciunt, ut eam ſibi comparent: neque quicquam habent antiquius, quam ut ad eam perveniant. quanquam autem ſibi conſcii ſunt, ſe nihil conſulto praetermittere, quod ad eam acquirendam pertinere videatur: ſemper tamen diffidunt ſuo de ſe ipſis judicio: neque unquam ſatis pro certo ſibi perſuadere audent, ſe illud bonum, quod tantopere optant, conſecutos. Sciunt enim pro ingenito omnibus amore ſui, facile quemque a ſe ipſo decipi, nullum de ſe judicare, ut alibi Ariſtoteles loquitur, ἀδύνατον: ita eſſe omnes a natura factos, *aliena*, quod ait Comicus, *melius ut videant, & judicent, quam ſua.* Saepe igitur ita ſecum loquuntur: Quid, ſi nimis ipſe mihi placeo, & vana me virtutis meae opinio-

Digitized by Google

nione ludificor? quid, si multa in me vitiosa, quae me fugiunt, alii vident? quid, si, cum aliquos mihi ad virtutem progressus fecisse videar, alii me longissime ab ea abesse cernunt? Hoc est igitur, cur honorem requirant: non ut virtutis praemium: Ipsa etenim virtus, ut ait poëta, *pretium est sibi*: sed ut eorum, quos integrius & incorruptius judicare arbitrantur, de sua virtute testimonium. Ita enim certius credunt, quod toto pectore cupiunt, se bonos esse: cum ad conscientiam suam alieni quoque testimonii accessit auctoritas.

Ergone, dicet aliquis, de se quemque aliis, quam sibi, verius credere est? at id ne faciamus, sapientissimus poëta Horat. vetat. Notus est enim versiculus ille ad Quinctium: *Sed vereor, ne cui de te plus, quam tibi, credas.* Et quidam alius recentiorum (Ausonium fuisse ajunt) virum bonum describens, illud ei vel inprimis tribuit, quod *Judex ipse sui totum se explorat ad unguem. Quid proceres, quid leno procax, quid opinio vulgi, Securus.* Sunt ista: neque tamen ulla inter Aristotelem, & hos poëtas repugnantia est. Nam horum ille vetat contra conscientiam suam adulantium vocibus credere: hic bonum virum, recte factorum conscientia fretum, negat curare, quid sentiant ii, qui virtutem negligunt. Aristoteles autem ait, compositos & modestos homines non audere suo de se judicio confidere: imo praeterea non quidem adulatorum, neque procerum, neque lenonum, neque vulgi, sed prudentium, & recte judicantium virorum testimonium requirere. Itaque qui versiculum illum Horatianum, & hunc Aristotelis locum perinde acceperunt, ac si uterque de eodem hominum genere loqueretur, ut mollissime dicam, ἀνθρώπινόν τι ἔπαθον.

Sed si virtus propter honorem non expetitur, neque honos praecipuum virtutis praemium est, qui fit, ut generosissimus quisque tanto teneatur honoris studio: & ut, quicunque ad virtutem cohortantur, non aliud fere iis, quos incitare volunt, quam honorem gloriamque proponant? Certe ille Graecorum fortissimus etiam longitudinem vitae honori ac celebritati nominis postposuisse memoratur: & sapientissimi viri filium dea sapientissima ideo fortem esse jubet, ut etiam a posteris commendetur; cum ait: Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. Prodicus quoque ille Xenophonteus Herculem a virtute

hoc potissimum argumento allici facit. Quid jam ejus generis alia colligam? obvia enim sunt omnibus philosophorum poëtarumve scripta tractantibus. Ac de illa quidem, quae omnibus praeclaris ingeniis insita est, honoris aviditate, antea diximus: veramque illius causam ex Aristotele patefecimus. Quod autem in adolescentibus ad colendam virtutem incitandis honorem, quasi praemium, proponi videmus: intelligendum est, eos, qui id faciunt, simile quiddam facere, atque in puerulis prima elementa discentibus prudentes magistri solent. Nam quia puerulorum aetas infirmior est, quam ut adhuc perspicere possit utilitates litterarum: iccirco crustulis quibusdam, & sigillis, & aliis ejus generis munusculis invitanda est, ut laborem capere in eis discendis velit. Simili modo adolescentum animos, quia pervidere, quam sit ipsa per se virtus amplexanda, nondum queunt, adducere oportet invitamentis, atque illecebris gloriae, ut ejus se studio dedant. Sed ut pueri gustata semel litterarum dulcedine, cognitaque praestantia, non jam amplius ludicris illis praemiolis commoventur: ipsas per se litteras amant: ita qui semel mentis oculis virtutis dignitatem penitus perspexerunt, non jam amplius honoris blandimentis, ut eam usque ad extremum persequantur, indigent: ipsam per se amant: neque honorem requirunt, nisi ut, quemadmodum diximus, alieno quoque testimonio intelligant, se tales esse, quales maxime exoptant

Ζητῶ γὰρ] Hoc signo ostendit, verum esse quod modo dixerat, honorem ab elegantibus viris, tanquam virtutis testimonium expeti: non enim a quibuslibet coli cupiunt, sed a prudentibus, & quibus ipsi bene noti sint; ut major in eorum testimonio sit fides: neque quolibet nomine, sed ob virtutem. Hector apud Naevium: *Gaudeo pater laudari me ibs te laudato viro.*

Κρείττων] Quidam libri veteres, κρείττων: idque mihi quodammodo concinnius videtur.

Τάχα] Fortasis enim, inquit, existimet aliquis, non honorem, ut modo diximus, sed virtutem ipsam finem esse civili vitae propositum. Hanc autem sententiam tuetur ipsemet lib. 1. ad Eudemum.

Φαίνη] Ut ut sit, id est: sive civili vitae propositus sit honos, sive virtus (non enim hoc nunc agimus) illud quidem certe constat, virtutem esse quiddam minus per-

fe-

& eum, quam ut ei deferendus sit bonorum principatus. Omnium autem falsarum opinionum de summo bono, nulla est, quae aut tam prope accedat ad verum, aut tantum speciem, tantamque dignitatem habeat, quantam illorum, qui felicitatem in virtute collocant. Nulla enim de re splendidius ac magnificentius, quam de virtutis excellentia, disputari potest. Itaque defensores habuit non Stoicos modo pugnacissimos homines, & in disputando propemodum invictos, verum etiam multis locis Socratem ipsum & Platonem. Neque quicquam facilius est, quam argumenta quamlibet multa reperire, quibus probabiliter colligatur, virtutem esse summum bonum. Primum igitur, cum contraria de contrariis probabiliter dicantur, & omnes vitiosi eo ipso, quod vitiosi sunt, infelices sint, videntur etiam omnes virtute praediti hoc ipso esse felices. Propositio ipsius Aristotelis est primo topicorum. Assumptionem & consensus bonorum omnium confirmat, & Aristoteles ipse multis admodum locis, & Plutarchus cum alibi, tum in libello, εἰ αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. Deinde id summum est hominis bonum, quod hominem maxime perficit. Talis autem est virtus. Est igitur summum hominis bonum. Tertio, Si virtus non est summum bonum, oportebit aliquid esse virtute melius. nihil autem melius virtute. Igitur, &c. Evagarer in hac parte longius, nisi haberem hodie multa admodum in unius horae curriculum concludere. Tantum igitur admonebo, ut, qui hac de re multa in utramque partem disputata cognoscere cupiunt, legant Ciceronis tertium & quartum de finibus, quintum Tusculanarum, Senecae libros, eum praecipue, qui est de vita beata, & Alexandri Aphrodisiensis commentariolum, ὅτι οὐκ αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν. Nos autem ex Aristotelis sententia tantum quidem tribuimus virtuti, ut neque, qui eam habeat, etiam si ceteris omnibus careat, miserum, neque a quo illa absit, etiamsi aliis omnibus affluat, felicem esse posse fateamur: neque tamen illud quoque damus, eam esse summum hominis bonum, aut in quo ea sit, nihil ei deesse posse ad bene beateque vivendum. Atque hoc ita se habere, eademque opera, quomodo tum ea, quae modo attulimus argumenta, tum ejusmodi alia dissolvenda sint, e sequentibus liquido intelligetur.

Ἀπλῶς] Si *virtus*, ut est apud Ciceronem quarto de finibus, *est rationis perfectio*, & ut Aristoteles ipse postea dicturus est, eum in quo est, perficit, quomodo potest ἀπλῶς dici? Duplex est perfectio, ut docetur in libris de anima: prima & secunda. Primam perfectionem vocamus aut habitum, aut potestatem quandam otiosam, & nulla fungentem munere, qualis est ars in eo, qui illam non exercet, aut oculorum auriumve sensus in dormiente. Secunda est primae illius exercitatio: ut cum artifex aliquid agit ex arte, ut cum aliquid videmus re ipsa, vel audimus. Virtus ex primo genere est. primas autem perfectiones nihil prohibet imperfectas dici, si cum secundis conferantur.

Δοκεῖ δ'] Videtur enim, inquit, evenire posse, ut & dormiat is, qui virtute praeditus est, & in tota vita nihil agat: ac praeterea multis versetur in malis, fortunaque utatur maxime adversa: eum autem, qui ita vivat, nemo unquam felicem dixerit, nisi qui admirabilem aliquam sententiam defendere ac tueri velit.

Δοκεῖ δ'] Dubitationem habet, quid sit, quod Aristoteles ait, evenire posse, ut qui virtute praeditus est, totam vitam dormiat. Hoc enim nemini evenire potest, neque in quo sit virtus, neque a quo absit. At hoc quidem facile explicari potest, si sciamus, docendi causa, licere interdum ponere ac fingere quaedam, quae, etsi nunquam sunt, eis tamen positis, nulla consequitur absurditas. Λέγω δ' ἐνδέχεσθαι, ait Aristoteles in prioribus, τὸ ἐνδεχόμενον, ὃ μὴ ὄντος ἀναγκαίου, πεφυκότος δ' ὑπάρχειν, οὐδὲν ἴσως διὰ τοῦτο, ἀδύνατον. Dormire igitur hominem toto vitae tempore, est τῶν ἀδυνάτων, si naturam ipsius consideres, quae animal est Neque enim semper vigilare, neque semper dormire ullum animal potest: ut docetur in libello de somno & vigilia. At, virtutis quidem causa, est τῶν ἐνδεχομένων. Nam etiam si potuas aliquem, qui virtutem adeptus sit, statim obdormiscere, & dormire totum reliquum vitae tempus: somnus ille non impediet, quo minus virtutem retineat. Neque enim pugnant inter se haec, dormire & virtute praeditum esse. Neque vir bonus cum dormitum it, ut veste, ita se virtute exuit. Ut igitur illas aliquot horas, quas dormit, virtutem retinet, ita retineret etiam si totam vitam dormiret. Exempli causa, si virtutem consecutus,

sta-

ſtatim opprimeretur lethargo, ita ut ſomni & vitae idem finis eſſet, illo tamen morbo virtutem ei ademptam non diceremus. Et ſi ſomnus virtutem tolleret, quoties expergiſcuntur viri boni, toties eis nova exercitatione ad virtutem comparandam opus foret. Ita ergo argumentatur Ariſtoteles Ejusmodi bonum, quod etiam ab eo qui ſemper dormiat, retineri poteſt, non eſt ſummum bonum Tale autem eſt virtus. Non eſt igitur virtus ſummum bonum: Epimenides, qui totos XLVII. annos dormiiſſe dicitur, ſi quo tempore ſopitus eſt, virtutem habuiſſet, retinuiſſet eam dormiens: neque tamen felix fuiſſet. Aliud igitur eſt virtus, & aliud felicitas.

Καὶ ἀπρακτῶν] Fieri poteſt, ut ei qui virtute praeditus eſt, nulla unquam ſe offerat exercendae virtutis occaſio. Talem autem, id eſt, τὸν ἀπρακτοῦντα διὰ βίου, nemo felicem dixerit.

Καὶ ἀτυχῶν τὰ μέγιστα] Ita ut nihil ei proſpere ſuccedat eorum quae agit.

Τὸν ὃ ἔστι ζῆτα] Φύσις quid ſit, diſces e primo topicorum. Inde apud Ciceronem Physica.

Καὶ περὶ τούτων ἄλλοις] Ἐγκυκλίων libros duos hoc titulo ſcripſerat, quibus ἐγκύκλια quaedam & pervulgata diſciplinarum, & philoſophiae praecepta complexus erat.

Τρίτῳ δὲ ἐστὶ ὁ θεμιστικὸς] Libro decimo.

Ὁ δὲ χρηματισμὸς βίῳ τίς ἐστι] Dubitare aliquis poterat, cur tres tantum vitas poſuiſſet, neque addidiſſet quartam, eorum, qui pecuniae tantum & opibus cogendis ac congerendis ſtudent: quales ſane multos videmus. Huic dubitationi duobus modis occurrit: primo, quod illi vix vivere videantur: ſed ſit eorum quodammodo ἄνευ βίου. ἄνευ enim lego, ubi vulgo eſt βίου. deinde quod ſatis per ſe conſtet, divitias non eſſe ſummum bonum: cum ſint e genere bonorum utilium, quaeque tantum propter aliud expetuntur.

Διὰ μᾶλλον] Argumentum a majori.

Πρὸς αὐτὸν] Adverſus ea ut in loco topicorum, quem declaravi in libris variarum lectionum.

C. VI. Τὰ δὲ φύλα] Cum multa ſunt in philoſophia, quae difficiles, atque arduos habent explicatus, tum quaeſtio de ideis tam multis eſt, tamque variis diſſentientium inter ſe eruditiſſimorum hominum agitata contentioni-

bus, ut si quis hodie in eam arbitrum se ac disceptatorem idoneum profiteri audeat, vix ullo pacto apud cordatos, & harum rerum intelligentes homines impudentiae, aut potius temeritatis notam effugere posse videatur. A qua quoniam semper quam longissime abesse studui, & mihi conscius mediocritatis meae sedulo cavi, ne quid unquam pro certo atque explorato traderem, quod ipsi mihi non satis perceptum ac cognitum esset, servabo eam, cujus me nunquam adhuc poenituit, consuetudinem, & eum aperte ac dilucide, quantum in me erit, exposuero, quam Platonis, quam Aristotelis fuisse sententiam putem, quid mihi verisimillimum videatur, ita proponam, ut & suum cuique & mihi meum, si quid postea probabilius occurrerit, judicium liberum ac solutum relinquam. Alia fortasse ratio aliis placeat: mihi quidem certe nunquam non incredibiliter arrisit illa in disputando veterum modestia, qui, cum abundarent doctrinae copia, vix tamen unquam de rebus, in quibus aliqua incesset obscuritas, asseveranter & affirmate pronunciabant. Corrupit hoc, ut pleraque alia sequens aetas, eruditionemque coepit ex confidentia pendere, eoque paulatim perducta res est, ut homines adolescentes reperias, qui quadriennio aut quinquennio in philosophiae studiis utcunque consumpto, quovis facilius adduci possint, quam ut se ulla de re dubitare fateantur. Me vero & timidum natura finxit, & experientia atque usus rerum timidiorem etiam reddidit: cum saepenumero mihi usu venerit, ut quarum me rerum scientiam habere animo conceptam ac comprehensam existimabam, earum me postea ipsarum animadverterim magna in ignoratione versari. Itaque fio in dies tardior ad affirmandum: neque ullum fere majorem ex studiorum laboribus fructum capio, quam quod minus quotidie mihi blandior, &, si nihil aliud, saltem e duobus ignorantiae malis altero liberor, cum, quae nescio, consequor ea nescire me ut sciam. Non enim aut tam turpe, aut tam incommodum est, nescire aliquid, quam si, quod nescias, id te scire opineris. Sed haec fortasse alieniora sunt. Nunc illuc, quo institui, veniam, eaque, ut potero, explicare ingrediar, quae de idea boni adversus Platonem Aristoteles disputavit. Exordiar autem a nobili & admodum celebrata doctissimorum hominum sermonibus quaestione, sitne inter Platonem & Ari-

Aristotelem verborum tantum, an rerum & sententiarum discrepantia, & num ea, quae tam multis locis adversus Platonem disputantur, ad ipsam Platonis sententiam reprehendendam pertineant, an potius adversus eos, qui ex male acceptis Platonis verbis falsam aliquam sententiam elicerent, dirigantur.

Simplicius quidem, cui ex Aristotelicis interpretibus non facile quenquam aut ingenii acumine, aut doctrinae magnitudine antepoſueris, convenire de rebus ipsis inter Platonem & Aristotelem arbitratur: idque cum aliis locis, tum in tertium de caelo teſtatur, his verbis: ὃ δὲ πολλάκις εἴρηται, τὴν τῶν ἀρχαίων ἕξιν, ὅτι ἐ σφοδρότητι τις διαφορὰ τῶν φιλοσόφων ἐστὶν, ἀλλὰ σχεδὸν τὸ φαινόμενον τῷ λέγοντι διαφέρειν φαύλως τοῖς πολλάκις ἀκούουσιν ὑπὲρ Ἀριστοτέλους φιλονεικοῦντος τῶν ἐναντίων τοῖς Πλάτωνι, ἁπλῶς φαίνεται οὐκ εἶναι. id eſt, *Quod autem crebris uſurpare ſermonibus ſoleo, id nunc quoque dicere operae pretium eſt, inter philoſophos* (Platonem autem & Aristotelem dicit) *nullam quidem eſſe de rebus ipſis diſcrepantiam, ſed Ariſtoteles ſaepenumero dum occurrit ei ſententiae, quam quis ex male accepta Platonis oratione elicere poſſet, eorum nominibus parcens, qui Platonis verba modo, non ſententias intelligunt, ipſi Platoni adverſari ac contra eum dicere videtur.* Sic & in ſecundum Phyſic. ait, Aristotelem non diſputare adverſus ideas, ſed adverſus vulgares opiniones de ideis, πρὸς τὰς δοκούσας εἶναι τῶν ἰδεῶν ἐννοίας. In eadem ſententia & Ammonius fuit, & Boëthius, qui etiam in librum περὶ ἑρμηνείας, ſe de Platonis & Aristotelis concordia ſcripturum eſſe profitetur. Et patrum noſtrorum memoria duo admirabili eruditione praediti viri, Beſſario Cardinalis Nicenus, & Joannes Picus Mirandulanus, id ipſum multis & exquiſitis rationibus confirmare ſtuduerunt.

Ego tamen nullo modo adduci poſſum, ut credam, Aristotelem, cum Platonis ſententias probaret, verba tantum illius reprehendiſſe. moveor autem his argumentis Primum, quoniam hoc ab Aristotelis gravitate maxime alienum foret. Quid enim eſt tam leve, tam nugatorium, tam Sophiſticum, tam philoſopho indignum, quam cum de rebus gravibus diſputes, cujus ſententiam probes, ejus verba captare ac cavillari? Sophiſtarum hoc eſſe

esse ait Aristoteles ipse in Topicis, ejus, quicum disputant, verba non ita, ut ab eo sensum est, accipere, sed in aliam aliquam sententiam detorquere, in qua reprehendenda diserti ac copiosi esse possint. Praeterea, si Aristoteles non adversus Platonem, sed adversus eos, quos Platonis verba parum intellecta in errorem aut induxerant, aut inducere poterant, disputasset, videtur hoc, si non ubique, at certe alicubi, aperte ac disertis verbis expressurus fuisse: idque duabus de caussis. Primum, ut effugeret illam invidiam, in quam se incursurum apud multos Platonis amatores facile prospicere poterat. Ita enim videtur gratus in magistrum fuisse, & persolvisse ei praeclara διδακτρα, si dicta ipsius interpretando veram ejus sententiam aperuisset. Nunc videtur multis, ut Herculem est in fabulis necem attulisse Lino, quo magistro in musicis usus fuerat, sic Aristoteles a quo philosophiam didicerat, hoc ei praemium reddidisse, ut omnes prope illius sententias jugulare ac confodere voluerit. Deinde, quod ipsemet incideret in eandem illam culpam, quam in alio reprehenderet. Posset enim non immerito aliquis dicere: Quid in Platone reprehendit Aristoteles? dicendi genus. Quid ita? quia tale est, ut multis objicere errorem queat. At ipsemet eodem vitio implicatus tenetur: si cum a Platone non dissentiat, ita tamen loquitur, ut vehementissime ab eo dissentire videatur. Quis autem est, cui ista ad reprehendendum via non pateat? aut quis unquam ita proprie atque exquisite locutus est, ut illius oratio nemini prorsus errorem afferre posset? Quam multa sunt in ipsius Aristotelis scriptis, quae, si quis nuda tantum verba consideret, absurdissimas sententias contineant? ut cum in secundo poster. analyt. in extremo ait, sensum esse τοῦ καθόλου, aut cum in sexto Ethicorum, sensum esse mentem, aut cum, qui in categoriis species & genera substantias esse dixisset, idem sexto τῶν ἀρχ. τὰ φυσ. docet, nihil commune posse esse substantiam, aut cum in topicis Deum animal esse dicit, aut cum in quinto de generatione animalium, animae plena esse omnia. Quid plura persequar? quamlibet enim multa nullo negotio colligi possunt. Ergo si hoc tantum in Platone reprehendit Aristoteles, quod ex verbis ipsius male intellectis falsa quaedam & absurda colligi possint, suo se ipsemet gladio jugulaverit. Eadem enim

enim reprehensio in ipsum retorqueri potest. Illud quoque non injuria quaesierit aliquis, cur tanto studio Platonicorum princeps, Plotinus, Proculus, Simplicius, ipse Aristotelis argumentis respondere, & adversus ea Platonis sententiam defendere soleant, si ea nihil ad Platonem pertineant. Nam si contra eos tantum argumentatur Aristoteles, qui Platonem male intelligunt, quid causae est, cur tu, qui Platonicus es, argumenta illius dissolvas? Quasi imperitorum defensionem suscipias, & illorum causa labores. Postremo, si Aristoteles ipse clamat, se Platonem ipsum petere, & ab eo dissentire, & interdum excusat se, ut hoc loco, interdum indicat causas, quae Platonem in errorem impulerunt: quid est, quod quisquam velit ingeniosus esse in conciliandis iis, quorum unus se ab altero dissentire profitetur?

Sed sunt quidam, quibus nefas videtur, duos, quorum de doctrina magna sit opinio, dissentire inter se: itaque omnia conantur, ut eos etiam invitos in concordiam redigant, qualem fuisse dicunt in medendi arte quendam, cui ex re *conciliatori* nomen inditum est, quod efficere voluit, ut inter Galenum & Avicennam perpetuo convenirent. Memini, cum puer in studia juris civilis incumberem, idem factitare solitos magistros meos, qui veteres jurisconsultos, etiam in iis, in quibus constabat alium aliter sensisse, aut constitutiones Imperatorum cum responsis prudentum, etiam eas, quibus jus antiquum correctum erat, quoquo modo tamen conciliare nitebantur. Quod idem puto evenisse iis, qui contenderunt, Aristotelem de rebus ipsis idem sensisse, quod Platonem, cum tamen, ut ante dixi, ex ipsius verbis luce meridiana (*) clarius perspici possit, multis in rebus eum a Platonis judicio discrepare. Nisi forte cum in politicis ita disputat adversus utramque Platonis remp. ut prope nihil probet eorum, quae Plato dixerat, verba tantum aucupari, ac non ipsas sententias convellere & labefactare videatur. Quid, in libris de anima, cum de oculorum sensu disputat, & videre nos non emittendo, sed accipiendo docet, numquid voculam aliquam Platonis cavillari, an sententiam ipsam reprehendere videtur? Quid, in libris de caelo, cum disputaturus, fuerit ne mundus ex omni aeternitate, an aliquando

(*) Veteres in hac formula *meridiana* omittunt.

do esse coeperit, ita se diligenter excusat, aitque, in disputatione, qua veritas inquiritur, neque amori, neque odio locum esse debere, num quis est, qui putet illum tam accurata excusatione usurum fuisse, si adversus eos, qui male Platonem ipsum intelligerent, ac non adversus Platonem disserere voluisset? Nam in tertio quidem eorundem librorum aperte loquitur, & Platonem ait nimio quodam amore Geometriae multa peccasse: neque minus confidenter loquitur libro primo de sapientia, ubi ait, Platonem ipsum male intellexisse ea, quae dicebantur a Socrate, & putasse ab eo constitui ideas quasdam separatas a rebus singulis, ac per se cohaerentes, cum tamen ille nihil tale diceret Nolo hoc loco jactare me, in iis omnibus, quae se offerunt, persequendis. Satis est enim mihi, si doceam, in ea re, quae nunc agitur, hoc est, in ideis, ita dissensisse eum a magistro, ut non ignis magis aquae contrarius sit, quam Platonis sententiae Aristotelis contraria sententia est Non enim hic tantum adversus eas disputat, sed multo vehementius in libris de sapientia, in Physicis, in libris de ortu & interitu, ac denique ubicunque datur occasio, etiamque quodam loco ait omnia, quae a Platonicis de ideis disputantur κενῶς καὶ λογικῶς λέγεσθαι, & alio loco esse κενολογίαν καὶ ποιητικὰς μεταφορὰς. & in secundo posteriorum Analyt. τὰ δὲ εἴδη; inquit, χαιρέτω. περιτίσματα γάρ εἰσιν & in dialogis σαφέστατα κέκραγγε, ait Proculus, μὴ δεύασθαι τῷ δόγματι τούτῳ συμπαθεῖν, κἄν τις αὐτὸν οἴηται διὰ φιλονεικίαν ἀντιλέγειν. Itaque vere Cicero primo Acad. *Aristoteles*, inquit, *primus species, quas paulo ante dixi, labefactavit: quas mirifice Plato erat amplexatus, ut in iis quiddam divinum esse diceret.*

Satis probatum puto, in disputatione de ideis, Aristotelem neque verba Platonis reprehendere. cum sententiam probet, neque adversus eos, qui male Platonem intelligerent, sed adversus Platonem ipsum disputare, atque ab eo quam maxime dissentire. Neque tamen hoc ita accipi velim, ut quisquam ex oratione mea suspicetur, nunquam Aristotelem adversus Platonis verba disputare. facit enim hoc quoque nonnunquam, ut in libris de anima, cum ostendit, animam non posse esse circulum. Etenim quod senserat Plato, cum animam circulum esse diceret, id Aristoteli quoque ipsi non impro-

probatur. sed exagitat loquendi genus, quod non satis proprium, neque philosophicae disputationi conveniens videbatur. at haec aliis relinquenda sunt. Nunc exponam quid Plato ideae nomine intellexerit.

Duo sunt ex sententia Platonis in Timaeo genera rerum: unum earum, quae sensu percipiuntur: alterum earum, quae mente & intelligentia. Prius illud ait *esse nunquam, semper fieri*: posterius *nunquam fieri, semper esse*. Etenim esse ea demum, quae semper sunt, quae immutabilia sunt, quae nunquam neque oriuntur, neque occidunt: fieri autem, non esse ea, quae assidue mutantur, quae & orta sunt, & interitui obnoxia. Jam vero omnia, quae sub sensum cadunt, & orta & interitura sunt: eademque perpetuo labuntur ac fluunt, neque diutius permanent uno & eodem statu. Itaque veteres philosophi, Protagoras, Heraclitus, Empedocles, cum ad haec tantum respicerent, omnia fieri, nihil esse dicebant: ut est apud Platonem in Theaeteto. & refertur in Cratylo dictum Heracliti, ὅτι πάντα ῥεῖ καὶ οὐδὲν μένει. καὶ ὅτι δὶς εἰς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἂν ἐμβαίης. At species & genera, quibus singulae res continentur, & uno verbo τὰ καθόλου, & fuerunt ex omni aeternitate, neque unquam esse desinent, neque ulli mutationi obnoxia sunt, sed semper eodem modo se habent. Non enim homo aut animal, aut nascitur, aut interit, sed hic homo, atque hoc animal: neque semper verum fuit eritve, Socratem esse animal ratione praeditum: at idem de homine ex omni aeternitate verum fuit, semperque erit. Neque semper verum est, Aristidis justitiam esse virtutem: non enim semper est Aristides: at semper verum, justitiam esse virtutem. Hoc intuens Plato statuit, τὰ καθόλου sola proprie esse, atque iccirco esse πρώτας οὐσίας καὶ μάλιστα οὐσίας: cetera autem esse tantum κατὰ μέθεξίν τινα τῶν καθόλου. Haec autem universa vocabat εἴδη aut ἰδέας, id est, species aut formas rerum, & αὐτοέκαστα, ut αὐτοάνθρωπον idean hominis: αὐτίππον idean equi. Stoici eadem postea vocarunt ὄντα, ut ὄντα ἄνθρωπον, non hunc aut illum hominem, sed hominem in genere. & ex eo vocarunt sophismatum genus quoddam, ὄντας, quale hoc est, εἴ τίς ἐστιν ἐν Ἀθήναις, οὐκ ἔστιν ἐν Σπάρτῃ. ἄνθρωπος δὲ ἐστιν ἐν Ἀθήναις, οὐκ ἔστιν ἄρα ἄνθρωπος ἐν Σπάρτῃ. quorum vitium in eo positum esse dicebant, quod ἐκ τοῦ τινὸς πρὸς τῶν

ὄντα

ὄντα progrederetur argumentatio. Neque tantum substantiarum ideas faciebat Plato, verum etiam, ut nunc loquimur, accidentium: ut αὐτοδίκαιον, αὐτόκαλον, αὐθόμοιον, αὐτανόμοιον, & talia, de quibus est in Parmenide. Neque naturalium modo rerum, sed & earum, quae artificio constant, ut τραπεζότητα & κυαθότητα: de quibus a Diogene aliquando irrisus, eum vicissim amarissimo dicto pupugit, ut narrat Laërtius. Addebat, sine ideis neque scientiam, neque memoriam constare posse: nam earum utramque esse rerum stabilium ac permanentium. Tale autem nihil esse praeter ideas. Atque hic si substitisset Plato, ferri aliquo modo poterat, omniaque illius dicta veram aliquam & commodam interpretationem recipere videbantur. Nam & verum est, res singulas, quae quidem sub orbem lunae subjectae sunt, infinitis mutationibus agitari, ideoque per se sub scientiam non cadere: universa autem & communia aeterna esse, & semper eodem modo se habentia. Demonstratio enim & definitio sunt aeternorum & immutabilium, ut docetur in posterioribus analyticis. Ferri etiam, dummodo recte intelligeretur, poterat, species & genera substantias esse. Quicquid enim λέγεται ἐν τῷ τί ἐστι, substantiam quodammodo significare dicitur. Sed & vere dicitur, ex iis quae sunt καθόλου, & memoriam effici & scientiam. abstrahit enim animus noster ab iis, quae sub sensum cadunt, communia quaedam, eaque recondit, atque iis utitur. At quod plerumque usu venire hominibus solet, ut inventa sua nimis ament, eaque plus justo exornare atque amplificare studeant, id Platoni quoque contigit: qui dum ideas quasi filiolas quasdam suas, & proprium ingenii sui fetum, quantum plurimum potest, omnibus commendare conatur, multa protulit, quae Aristoteles, qui veritatis amantissimus, a figmentis autem & ab allegoriis in tractanda philosophia alienissimus erat, ferre non potuit. Docuit enim, eas substantias esse ab iis omnibus, quae sub sensum caderent, non intelligentia tantum, sed re ipsa separatas, ad quas omnium generationum principia referenda essent, in quas tanquam in exemplaria intuens Deus, cetera omnia procuderet. Animos etiam nostros antequam demitterentur in corpora, familiariter, ut ita dicam, versatos esse cum ideis, & ex earum intuitu omnium rerum cognitione viguisse: post cum in per-

turbatum corporis domicilium commigrasſent, oblitos eſſe eorum, quae antea ſciverant, reminiſci tamen eorum alios facilius, alios majori negotio, prout cuique major aut minor cum corpore conjunctio eſſet. Neque diſcere hic quicquam nos, ſed reminiſci: & eos qui docere viderentur, tantum revocare ac redigere in memoriam ea, quae nobis antequam naſceremur, cognitiſſima erant. Illas ſpecioſas & plauſibiles fabulas Ariſtoteles repudiandas putavit: in eisque aperte profeſſus eſt ſibi cum Platone convenire non poſſe. Denique cum tribus modis dicatur τὸ ἀγαθὸν λέγεσθαι, τὸ ὡς ἐπὶ πολλῶν, τὸ ἐν πρώτοις, καὶ τὸ καθ' αὑτό, duos poſteriores modos admittit Ariſtoteles: primum fictum ac commentitium eſſe cenſet. At haec fortaſſe nimium multa ſunt. Non enim hoc loco diſputationem inſtituit adverſus omnes ideas, ſed tantum adverſus ideam boni, de qua nobis deinceps diſputandum erit, ſi modo hoc docendi munus mihi licebit perſequi: quod futurum necne ſit, addubito. Quia enim Philoſophi, ac praecipue morales, pecuniam contemnere dicuntur, audio, clariſſimos & praeſtantiſſimos viros, quibus a principe mandatum eſt, ut praemia profeſſoribus pro ſua cuique dignitate conſtituant, velle periculum facere, ecquid ego Philoſophus ſim, an eſſe me ſimulem. Itaque conſtituerunt mihi annuam laborum meorum mercedem perexiguam, ut, ſi forte ego id aegre tulero, ex eo convincant, me pecuniam non contemnere, ideoque Philoſophum non eſſe. Ego autem quanquam non ſum ex illis Philoſophis, qui pecuniam valde contemnunt, decrevi tamen hac in re philoſophice agere, & pecuniam contemnere. Contemnam ergo, niſi ipſi conſilium mutaverint, & eam quae denegatur, & eam, quae offertur: ac, ſi alterutrum neceſſe ſit, gratuitum otium gratuito labori anteponam.

Τὸ δὴ καθόλου] Univerſum autem bonum conſiderare, inquit, praeſtiterit, ac quomodo dicatur, dubitando inquirere.

πῶς λέγεται] Non dicit, πῶς φύσιν ἔχει, aut τί ποτέ ἐστι, ſed, πῶς λέγεται. ſentit enim, ideas dici tantum, non eſſe.

Καίπερ τοσούτων] Quanquam, inquit, nobis ardua haec & moleſta diſputatio futura eſt.

Διὰ τὸ φίλους ἄνδρας] Propterea quod amici nobis ſunt, qui ideas induxerunt. Significat autem Platonem & ilos,

los, qui ab eo erant. Unde constare potest, hos libros non esse Nicomachi, qui natus est post mortuum Platonem. Peccant autem, qui hoc loco intelligunt Socratem & Platonem. Socrates enim non constituebat ideas separatas: sed male Plato, quae ab eo dicebantur, intellexit, ut doceetur primo τὰ μὴ τὰ φυσικά.

Τὰ εἴδη] Hinc constat, εἴδη & ἰδέας idem esse. & sane apud Platonem non distinguuntur. apud alios tamen Platonicos εἴδη vocatur, quod in multis ineat: ἰδέα vero aeternum illud exemplar. de quo discrimine multa leguntur apud Senecam.

Δίχα δ' ὄν] Sed fortasse, inquit, satius esse, omninoque oportere videatur, conservandae veritatis caussa, etiam propria placita evertere: cum praesertim philosophi simus. Est autem gravissima commendatio veritatis, de qua ita scribit Plato ipse quinto de legibus: ἀλήθεια δὴ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δ' ἀνθρώποις. & lib. 6. de rep. τὸ φιλόσοφον ἀληθείας ἐραστὴν εἶναί φασιν.

Ἀμφοῖν δ] Nam cum amici utrique sint, sanctum est pluris facere veritatem. ὁ δὲ καὶ γε τῆς ἀληθείας πρωτοδίκης, ait Plato lib. 10. de rep. Pythagoras, Persae, Atticus.

Οἱ δ' κομίζοντες] Argumentatur adversus Platonem ex iis, quae apud Platonicos pro confessis & exploratis habebantur.

C. VII. Πάλιν δ' ἐπανιλθωμεν] Ut ad depellendas tenebras lumen, ita doctrina ad discutiendam & fugandam ex animis ignorantiae caliginem adhibetur. Sed ignorantiae duo genera sunt: simplex unum, alterum compositum atque conjunctum. Simplicem ignorantiam voco, quam sola scientiae ac cognitionis privatio constituit: compositam vero eam, qua qui laborat, non tantum caret cognitione ejus, quod verum est, verum etiam falsam quandam de ea re, quae nescitur, animo concepit opinionem, eamque errore ductus amplexatur ut veram. Ut igitur morborum varietatem varia, & multiplex curandi ratio consecuta est, ita e duobus illis ignorantiae generibus, totidem docendi genera exstiterunt. Nam cum iis de rebus disserere ingredimur, quae ita ignotae sunt, ut de iis nihil traditum sit, quod falsa veri specie imponere hominibus, & in eorum animis insidere potuerit, tum nihil impedit, quo minus ab ipsa statim veri explicatione ordiamur. at cum ea tra-

tractanda sunt, de quibus falsas quasdam opiniones multi, aut tradiderunt, aut ab aliis traditas imbiberunt, imitari prudentes & industrios agricolas convenit, qui terrae semina non prius mandant, quam inutilibus, & frugum incrementa impedituris herbis eam diligenter purgaverint. Harum rationum modo hanc, modo illam, prout res proposita postulare videbatur, summo judicio Aristoteles diversis in libris tenuit Quoties enim nihil erat, quod impediret, quasique moram objiceret, ut in analyticis, ut in topicis, a rebus ipsis exorsus est. at ubi periculum erat, ne, ut, plena jam vasa, ita occupati aliis opinionibus animi, infusam sibi veritatem respuerent, confutandas sibi eas prius, quam ad veritatem tradendam accederet, judicavit. Id adeo cum ex aliis ipsius libris, tum ex iis, qui nunc nobis sunt in manibus, animadverti facile potest. Quod enim de summo hominis bono varias maximeque inter se pugnantes proditas esse opiniones intelligeret, non prius, quid in hac re sibi verum videretur, aperiendum ratus est, quam illas, non omnes quidem (fuisset id & infinitum, & minime necessarium) sed eas saltem, quae aut probabilitate aliqua, aut magni alicujus, & illustris viri auctoritate ac judicio nitebantur, breviter refutaret. Hactenus igitur id praestitit: deinceps suam ipse sententiam de summi boni natura explicabit.

Πάλιν δ' ἐπανειλημμένων] Breviter quasi summam conficit eorum omnium, quae hactenus disputata sunt, idque tum ad reficiendam lectoris memoriam, tum ut manifesto constet, omnia in hac disputatione alia ex aliis apta & connexa esse.

Εἰ ἡ τελεία, τοῦτο] Huic locum S. Thomas corrupto usus exemplari pessime accepit, & in alienissimam sententiam detorsit: qua in re tamen, ne quis sua laude fraudetur, superatus est a Perionio, neque si contentio sit, quis ineptissime possit hunc locum interpretari, existere posse quenquam puto, qui eam palmam Perionio praeripiat.

Ἔτι δὲ τελεία] Antequam accedat ad investigandam felicitatis definitionem, ne cui dubium sit, eam esse summum hominis bonum, ostendit, duo quaedam, quae homines de summo bono sentire atque usurpare consuevérunt, in nullum aliud, quam in felicitatem convenire.

Sunt autem ea τὴ τελειότατον καὶ τὸ αὔταρκες. *Quando autem*, inquit, *plures fines esse constat, nosque eorum quosdam aliorum caussa expetimus: constat, non omnes fines esse perfectos.* Sed haec oratio neque eandem suavitatem, neque eandem vim habere in Latino sermone potest, quam in Graeco habet: propter similitudinem & affinitatem duarum vocum Graecarum, τέλος & τέλειον, quam Latini non assequuntur. Cum enim τὸ τοῦ τελείου ὄνομα modice inflexum sit ἀπὸ τοῦ τέλους: constat, ἕκαστον πρᾶγμα ταύτῃ τέλειον λέγεσθαι, ᾗ τέλους λόγον ἔχει. Jam ea, quae ad aliud referuntur, quatenus talia sunt, οὐ δέχονται τὸν τοῦ τέλους λόγον. Sunt igitur, ut poëtae dicunt quosdam ἀγάμους γάμους, & quasdam ἄνυμφας ἀνύμφους, παρθένους τ' ἀπαρθένους, ita τινὰ ἀτελῆ τέλη: quasi tu Latine dicas, *fines qui fines non sint*. cujusmodi sunt divitiae, tibiae, omninoque instrumenta. ex eo genere esse summum bonum non potest.

Οἷον πλοῦτον] Non enim expetuntur divitiae, nisi propter usum, unde & dicta sunt χρήματα: recteque Flaccus: *Quo mihi fortunas, si non conceditur uti?*

Αὐλοὺς] Non temere conjunxisse videtur haec duo, divitias & tibias. sed respexit, ut opinor, ad sermonem quendam Socratis, qui dicere solebat, ut tibias non esse χρήματα, nisi illis, qui eis uti scirent, ita ne opes quidem. is sermo perscriptus est a Xenophonte principio Oeconomici, & expressus ab Horatio Satyra 3. lib. 2.

Τελειότερον δὲ λέγομεν] Tria genera facit eorum, quae expetuntur. Quaedam enim expetimus tantum propter aliud: ut medicamenta, ut labores. quaedam & suapte vi, & propter aliud: ut honorem, voluptatem, integritatem sensuum. quaedam tantum propter se, ut felicitatem. quae ob id dicitur ἁπλῶς τέλειον, seu, quod idem est, τελειότατον τέλος. Videtur autem in hac bonorum contentione ac comparatione, non satis inter Platonem & Aristotelem convenire, ut pridem notavi cap. 18. lib. 4. Variarum lectionum. Sed tamen re vera nihil inter eos, hac quidem in re, dissensionis est: ut docui, cum Platonis libros de rep. interpretarer.

Καὶ νῦν] Hoc nomine prudentiam hic quidem intelligit.

Φαίνεται δὲ καὶ ἐκ τῆς αὐταρκείας] Idem etiam, inquit, videtur effici ac colligi, si pro argumento adhibeas τὴν αὐτάρκειαν. ita enim concludetur argumentatio. Summum bonum cum perfectum sit, tale esse debet, ut, qui adeptus

ptus sit, nihil amplius desideret. ejusmodi autem sola est felicitas. Est igitur felicitas summum bonum.



αὔταρκες
π Δ μηδὲν παρὰ τὴν εὐδαιμονίαν.
τέλειον μόνη εὐδαιμονία
μ.

Τὸ δὲ τέλειον] Quod bonum omni ex parte perfectum est, idem tale etiam videtur, ut ipsum per se satis sit, neque quicquam praeterea desideret. profecto enim si quid amplius requiritur, jam perfectum non erit. atque hoc confirmat ipse lib. 1. magnorum moralium his verbis: τέλειον δὲ ἐστιν, οὗ παραγινομένου, μηθενὸς ἔτι προσδεόμεθα. ἀτελὲς δὲ, οὗ παραγινομένου προσδεόμεθά τινος. id est: *Perfectum autem est, quod adepti, nullius praeterea rei indigemus: imperfectum vero, quod adepti, aliquid praeterea requirimus.*

Τὸ δ' αὔταρκες λέγομεν] Ponit duas explicationes τοῦ αὐτάρκους: unam nominis, alteram rei. ac primum ait, vocare se αὔταρκες id, quod satis sit homini, non agenti vitam in solitudine: neque enim ea vita hominis naturae consentanea est: sed quantum sufficiat, & ad sustentandos parentes, quorum ipsi pars sumus, & liberos, qui sunt pars nostri, & uxorem, quae ita conjuncta est cum viro, ut quodammodo idem sit, omninoque amicos civesque nostros: quandoquidem homo natura factus est ad civilem societatem.

Ἐπειδὴ φύσει πολιτικὸν ἄνθρωπος] Hac de re multa copiose, & erudite disputantur lib. 1. polit.

Τούτων δὲ ληπτέος ὅρος τις] Horum autem finis aliquis statuendus est. Nam si quis hoc pertinere velit etiam ad avos, & nepotes, & amicorum amicos, nunquam modus ullus futurus est. tandemque prolabetur in opinionem M. Crassi, qui negabat quenquam satis divitem esse habendum, nisi qui de suo exercitum alere posset. At hac de re alio loco pluribus agendum erit, nempe in politicis.

Τὸ δ' αὔταρκες τίθεμεν] Haec est altera illa, quam dixi, explicatio τοῦ αὐτάρκους, quae rem ipsam magis attingit. ut igitur αὔταρκες esse id bonum, quod etiam separatum a ceteris, vitam facit optabilem, nulliusque rei indigentem. tale autem quiddam putamus esse felicitatem.

Ἔτι δὲ πάντων] Felicitas omnium bonorum maxime ex-

petenda est, & cum quocunque alio conferatur, aut etiam cum quibuscunque, & quamlibet multis aliis, semper optabilior erit eis omnibus. ut si firmissima valetudo, formae dignitas, maximae opes, summi honores, amicorum copia cum felicitate conferantur, facile eis omnibus una felicitas praeponderabit. at si ipsamet numeretur in iis, cum quibus confertur, dubium non est, quin vel cum minimo bono conjuncta, optabilior sit, quam sola. exempli caussa, si cui detur optio, malitne se & felicem esse, & formosissimum, an aeque felicem, sed non aeque formosum, nemo est, qui non utrumque, quam alterum, malit. Neque tamen ea res quicquam de perfectione felicitatis detrahit. Nam quaecunque solida, & alicujus momenti bona sunt, iis quicunque felix est, instructus est: leviora, & quibus carere sine ullo incommodo ac molestia potest, ut, si deferantur, accipiet, ita, si absint, non requiret.

Ἀλλ' ἴσως] Quicunque rei alicujus naturam sua disputatione patefaciendam illustrandamque suscepit, primum quidem summa ope niti debet, ut vera dicat, sed non ita etiam existimare, defunctum esse se, cum id praestiterit, neque quicquam a se praeterea postulari. Non enim satis est vere dicere: plane etiam & dilucide explicateque dicendum est, omnesque rei propositae partes ita evolvendae atque encleandae, ut, quoad ejus fieri potest, nullus scrupulus, nulla dubitatio, nulla haesitatio in auditoris animo relinquatur. Itaque Plato in Timaeo cum de ortu rerum breviter strictimque disputasset, satis se fecisse suscepto muneri non putavit, nisi eadem de re copiosius statim, & enodatius dissereret. εἴρηται μὲν οὖν, inquit, τἀληθὲς, δεῖ δὲ ἐναργέστερον εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ. Sic Aristoteles principio sexti horum librorum, cum antea docuisset, eam mediocritatem amplectendam, quae rectae rationi consentanea esset, vere quidem hoc a se traditum professus est, sed nondum satis enucleate: ἔστι δὲ, inquit, τὸ μὲν εἰπεῖν οὕτως, ἀληθὲς μὲν, οὐδὲν δὲ σαφές. Itaque toto eo libro rectae illius rationis vim & naturam aperuit. Sic & hoc loco, cum docuerit, non divitias, non voluptatem, non honorem, non virtutem, non ideam, sed felicitatem esse summum hominis bonum, vere quidem hoc a se dictum videri ait, sed tamen latiorem adhuc (*), & apertio-

(*) *Adhuc* cum comparativo Senecae aetas jungebat, non Ciceronis.

riorem ipsius felicitatis explicationem desiderari. Progreditur igitur ad investigandam illius finitionem: ac primum quidem genus inquirit: idque hoc modo. Quorumcunque proprium aliquod opus, aut propria aliqua actio est, eorum bonum, qua quidem ratione tales sunt, opere illo, aut actione illa continetur. Exempli gratia: bonum, quod sibi praecipue proponit tibicen, est cantus: bonum, quod sibi praecipue proponit statuarius, statua: idemque in ceteris artificibus dici potest. Nempe igitur si quod opus reperiri possit, ita proprium hominis, qua homo est, ut tibicinis cantus, aut statuarii statua, in eo summum hominis bonum collocari, ac constitui oportebit.

Πότερον δὲ τίθεται] Duae hoc loco quaestiones tractandae sunt, sit necne sit, & quod tandem sit hominis, ea ratione, qua homo est, proprium opus ac munus. Esse igitur aliquod duobus argumentis probat. Primum, quod absurdum, minimeque probabile esset, cum hominis ea ratione, qua faber aut sutor est, constet esse munus aliquod proprium, ejusdem nullum esse munus ea ratione, qua est homo. Deinde cum unaquaeque pars hominis condita sit a natura ad aliquem usum, ut oculus ad videndum, manus ad contrectandum, pes ad sustinendum corpus, & ad incedendum: non est verisimile, eundem hominem ab eadem nullum ad munus, sed ad ocium, & ad torporem, & ad ignaviam conditum esse. Hoc autem, quod hic perstringit Aristoteles, nullam esse partem corporis humani frustra a natura procreatam, sed esse omnium maximarum minimarum usum aliquem, copiose, & eloquenter explicatur a Platone in Timaeo, a Xenophonte lib. 1. ἀπομνημ. ab Aristotele ipso in libris de partibus animalium, a Galeno in libris de usu partium, a Cicerone lib. 2. de natura Deorum, & a Lactantio in libello, quem inscripsit de opificio Dei.

τί δὲ δὴ ἕκαστ' ἂν εἴη φησί] Forma omnium actionum principium est. Quare cum quaeramus, quaenam sit actio hominis propria, necesario ad formam, id est, ad animum recurrendum est. Sunt autem animi humani tres praecipuae sive partes, sive facultates. Nihil enim interest hoc quidem loco, utro nomine vocentur. una, qua vivimus, id est, alimur & crescimus: altera, qua sen-

sentimus: tertia, qua rationis participes sumus. Sed illa quidem, qua vivimus, omnino ab hac disputatione removenda est: communis est enim homini cum stirpibus. at nos aliquid, quod hominis proprium sit, quaerimus. Atque hinc facile intelligi potest, neque in formae pulchritudine, neque in prospera valetudine, neque in robore ac viribus consistere hominis felicitatem. Haec enim & ejus generis omnia ex ea parte animi pendent, qua praeditae sunt arbores. Jam autem proxime sequitur ea, qua fit, ut sentiamus. Sed ei quoque nihil in his rebus est loci. Nam & equo & bovi, & omni denique animantium generi a natura tributa est. Plato eam etiam arboribus, ceterisque, quae oriuntur e terra, tributam existimabat. Alimenti enim attractionem esse non posse sine aliquo impetu, id est, ἄνευ ὁρμῆς τινός: neque porro impetum sine sensu ejus, quod utile, quodque inutile esset. Itaque in Timaeo aperte numerat arbores inter animalia, ipsasque affirmat & sentire, & concupiscere, & gaudere appositis ad tuendam naturam suam rebus, dolere contrariis. Idem etiam sensit auctor ejus dialogi, qui vulgo numeratur tertius decimus de legibus, alio autem nomine inscribitur Ἐπινομίς, sive is Plato est, sive philosophus quidam Platonis auditor; cui, quod in ceteris instituti ac professionis nomen est, id ipsi proprium fuit: sive Philippus quidam genere Opuntius: utrumque enim traditum est. Sed is, quicunque tandem fuit, cum divisionem quandam animalium instituisset, e terrenis animalibus quaedam esse ait, quae ambulent, quaenam, quae radicibus fixa, & comprehensa teneantur. Et sane si Thales Milesius magnetem animal esse dicebat, quod in eo inesset vis ferri ad se attrahendi, multo justius arbores, quae succum ad se alendas aptum & accommodatum, radicibus tanquam ore e terra ducunt, eundemque quasi sanguinem in venas, ita in fibras quasdam per totum corpus suum pertinentes distribuunt, convertuntque in naturam suam, animalia esse dicentur. Multo magis id dicet, si quis considerarit, earum alias naturali quodam amore copulatas esse, alias innato, & ingenito odio dissidere. Sequuntur igitur eas, quas amant, & ad eas se applicant, ad easque partes, in quibus illae depactae sunt, radices agunt: aversantur contra & refugiunt, quas oderunt, aut, si quando id non

non

non possint, moriuntur & exarescunt. Pleni exemplorum sunt Theophrastus, Dioscorides, Plinius. Quae si quis intuens, sic quoque tamen omni eas sensu carere contendat, ipse potius sensu carere videatur. Ergo Galenus quoque, maximus, & veritatis amantissimus philosophus, in libello de substantia naturalium facultatum, Platonem consequens, stirpes, ceteraque quae oriuntur e terra, tum animalia esse dicit, tum eis sensum aliquem tribuit. Aliter Aristoteli visum est, qui quamquam interdum eas animalium nomine affcit, ut in libello de somno & vigilia, semper tamen percipiendi modo alimenti, & crescendi potestatem relinquit, concupiscendi ac sentiendi detrahit. Utrum verius sit, illi viderint, qui sibi studio habuerunt, diligentius ac solicitius ea, quae abdidit ac retrusit natura, rimari. nobis in talium virorum dissensione judicium nostrum interponere religio est: satisque nos instituto, ac suscepto muneri facere ducimus, si eorum sententias percensemus. In quas quoniam ingressus sum, vestraque ipsa singularis attentio, & in me defixi omnium vultus fidem mihi faciunt, harum rerum commemorationem vobis non injucundam esse, provehar longius: admoneboque, cum Plato & Galenus appetendii vim etiam in stirpibus esse statuant, non defuisse, qui eam etiam in animalibus esse pernegarent. Si quidem Chrysippus, & alii quidam Stoicae disciplinae homines, qui id sibi propositum videntur habuisse, ut tanquam merces peregrinas, ita admirabiles, & absurdas opiniones in philosophiam inferrent, affirmare ausi sunt, neque concupiscere animantes rationis expertes, neque irasci. quod stultissimum dogma confutavit Galenus in libris de placitis Hippocratis & Platonis. Fuerunt etiam, qui sive joco, sive serio, eas animantes, quae ratione carere dicuntur, aeque illius participes esse, atque hominem dicerent, legiturque inter Plutarchi opuscula dialogus perelegans περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι, & eadem de re copiosissime disputat Porphyrius ἐν τῷ περὶ ἀποχῆς. Sed verum est, quod ait Cicero: *opinionum commenta delet dies: naturae judicia confirmat.* Illae sententiae, de quibus modo dixi, vetustate ac longinquitate temporis obsoleverunt, atque evanuerunt. Aristotelicam prope omnes naturali quodam instinctu sequuntur: vivere stirpes, sed non sentire: vivere &

ſentire cetera praeter hominem animalia, ſed non ratiocinari: has tres facultates in ſolo homine conjunctas copulatasque reperiri. Ex quibus cum ſola ea, in qua ratio ineſt, homini propria ſit, conſtat, proprium ac praecipuum hominis bonum in perfecta illius actione poſitum eſſe.

Eſt autem duplex in hominis animo, τὸ λογικὸν, τὸ μὲν φύσει, τὸ δὲ μετέχει. non enim ea tantum pars, quae ipſa ratiocinatur, ratione uti dicitur, verum etiam altera quaedam, quae talis eſt, ut rationis imperium accipere, eique parere poſsit. ut in corporibus lucida dicuntur non ea tantum, quae lucem ex ſe mittunt, ut ſol, ſed ea etiam, quae accipiunt, ut vitrum. Atque ex hac animi facultatum diviſione duo virtutum, ac totidem felicitatis genera extiterunt. nam quae virtutes propriae ſunt ſuperioris illius ac divinioris partis, eae in cognitione ac contemplatione poſitae ſunt, felicesque ſunt, qui totam vitam in earum exercitatione conſumunt. Sunt autem quaedam aliae virtutes, quae ex eo enaſcuntur, cum appetitio rationi obtemperat, ejusque a praeſcripto nunquam diſcedit. eae actione cernuntur: ſuntque qui eas exercent, felices: ſed alio quodam genere felicitatis.

Haec quoniam a nobis copioſius alio loco tractabuntur, & hodierna jam diſputatio ſatis excrevit, quae ſequuntur, in craſtinum differemus.

Εἰ δ' ἐστὶν ἴδιον ἀνθρώπου] Quid quaeque res ſit, definitione & intelligitur, & explicatur. Definitio aut genere & differentiis, aut proprietatibus conſtat. Genus, ſub quo includenda eſt felicitas, Ariſtotele duce perveſtigavimus. Primum enim ſtatuimus, quarumcunque rerum proprium eſſet aliquod opus ac munus, eorum bonum eo ipſo in munere ſitum eſſe. Ex quo intelleximus, reperiendum eſſe proprium opus, ac munus hominis ei, qui praecipuum homini propoſitum bonum reperire meditaretur. Porro autem, cum ea forma, qua quicque eſt id quod eſt, ſit fons ac principium omnium actionum, quaerenti propriam hominis actionem ad ipſam hominis formam, ſive ἐντελέχειαν, id eſt, ad animum recurrendum fuit. Sed animi tripartita natura eſt. Animo vivimus, animo ſentimus, animo rationis participes ſumus. Cum ſtirpibus vita nobis communis eſt: cum belluis ſenſus: proprium bonum hominis ratio: ea ceteris ani-

Digitized by Google

animantibus praestamus, ea ad divinam naturam proxime accedimus. Omnes igitur, qui se non ad stirpium, aut ad belluarum sortem ac conditionem abjicere, sed in caelum, quantum in ipsis est, extollere cupiunt, abducere se quam longissime a ventris atque abdominis voluptatibus, omninoque ab iis omnibus, quae homini cum pecudibus communia sunt, debent, & altiora ac sublimiora spectare, & qua parte Deum conditorem suum maxime referunt, in ejus actione aliqua summum bonum sibi positum esse arbitrari. Genus igitur, sub quo continetur felicitas, est usus quidam, & exercitatio ejus partis animi, quae ratione praedita est. Sed ratione tum bene, tum male uti possumus. Itaque longa & copiosa disputatio est apud Ciceronem lib. 3. de natura deorum, rationem bono consilio a diis immortalibus humano generi datam, a plerisque hominum in fraudem malitiamque converti. nam & venefici & sicarii, & falsi testes, & testamentorum subjectores, & adulteri, & impudici ad facinora, & ad flagitia sua rationis ministerio utuntur; neque sine rationis usu tales unquam esse potuissent. Quemadmodum igitur & bonis & malis citharoedis commune est canere: sed hoc interest, quod boni bene canunt, mali male: ita & bonis & improbis viris commune est ratione uti: sed illi ea bene utuntur, hi male. Nos autem bonum aliquem rationis usum quaerimus. Quibus autem rebus & bene & male uti licet, quid tandem est, quo fit, ut eis bene utamur? nihil plane aliud, nisi propria uniuscujusque virtus. Virtute oculi fit, ut bene videamus: virtute auris, ut bene audiamus: virtus denique cujusque id, cujus virtus est, perficit, ipsiusque opus bonum reddit. Sa demum igitur animi exercitatio bona, & perfecta censenda est, quae virtuti consentanea est: atque is denique felix habendus, qui quantum humana natura patitur. perpetuo in ea, quae virtuti consentanea est, animi exercitatione versatur: cujus omnis cogitatio, omnis sermo, omnis actio in virtute consumitur: qui nihil imprudenter, nihil injuste, nihil timide, nihil sordide, nihil intemperanter, nihil indecore facit: sed & sibi & aliis bene consulit, & alieno abstinens, id cuique, quod par est, tribuit, & cum bonis sua omnia liberaliter communicat, neque doloris, aut periculi

metu

Digitized by Google

metu ab honestate abduci, neque voluptatis illecebris ad turpitudinem adduci potest

Εἰ δ' ἐστὶν ἔργον ἀνθρώπου] Summa hujus argumentationis eo spectat, ut doceat, felicitatem esse exercitationem animi cum virtute conjunctam. est autem longum hyperbaton, sed tamen sine ulla magna obscuritate.

Ψυχῆς ἐνέργεια] Non puto hoc Latine ullo modo commodius verti posse, quam *exercitationem animi*. non enim semper exercitatio ἄσκησιν aut μελέτην significat, sed interdum etiam ἐνέργειαν. Cicero de Senectute: *Sentibus labores corporis sunt minuendi; exercitationes animi etiam augendae videntur* idem: *Aptissima sunt omnino arma senectutis, artes exercitationesque virtutum.* Cicero de finibus hanc felicitatis definitionem Aristotelicam ita expressit: *Aristoteles*, inquit, *virtutis usum cum perfectae vitae prosperitate conjunxit.* Praeclare omnino & apposite. Non enim dubium est, quin Aristoteles quod interdum dicit, ἕξιν καὶ ἐνέργειαν, idem aliis locis dicat, πρᾶξιν καὶ χρῆσιν. Sed hoc loco non satis aperte, ut opinor, diceretur usus animi ex virtute.

Τὸ δ' αὐτὸ φαμὲν] Idem genere opus est artificis cujuslibet, & praestantis ac praeclari artificis. ut cujuslibet citharoedi est canere: itemque boni citharoedi opus est canere. Sed bonorum artificum opera hoc amplius habent, quod bona sunt. Eodem etiam modo idem opus est hominis cujuslibet, & praestantis ac virtute praediti hominis. Uterque enim ratione utitur: sed viri boni bene ea utuntur, id est, secundum virtutem. Virtus enim est quae perficit, ut id, quod fit, bene etiam fiat.

Ἐνέργειαν καὶ πρᾶξιν] Confirmatur hoc loco id quod alias dixi: felicitatem non esse unam aliquam actionem, sed continuationem quandam actionum.

Ἔφην δὲ δὴ κατὰ τὸν] Idem dixerat ante Aristotelem, Hippodamus Thurius in libro περὶ εὐδαιμονίας: ex quo citantur haec: ἀ γὰρ ἀρετὰ τῆς ἑκάστου φύσεως, &c. Non tantum autem hanc sententiam videtur ab eo sumpsisse Aristoteles: sed alias quoque, ut quod felicitatem proprium opus hominis esse statuit. ita enim idem Hippodamus: ἀ δὲ εὐδαιμονία, καὶ ἀρετὰ τοῦ λόγου ἕνεκεν, τὸ μὲν ὡς ἔργον, τὸ δὲ ὡς τύχα τις ἐστί. & non satis esse scire, quid sit virtus, nisi etiam ex virtute vivamus. διόπερ οὐ μόνον μανθάνειν δεῖ τὰν ἀρετὰν, ἀλλὰ καὶ κτήσασθαι καὶ χρήσασθαι αὐτᾷ.

&

Digitized by Google

& quod ait in politicis civitatem natura esse priorem singulis hominibus. totum enim prius natura esse quam partem. Διὰ τὸ τὴν φύσιν πρῶτον εἶναι τὸ ὅλον τοῦ μέρους, ἐπεὶ ὁ τοῦ μέρους τοῦ ὅλου. Et tamen hunc philosophum Aristoteles nusquam nominat, nisi ubi reprehendit.

Εἰ δ' ἔστιν] Haec verba repetit propter hyperbaton.

Εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταί] Non deerant enim, qui e quibusdam sermonibus Socratis unicam putarent esse virtutem de his dicemus libro secundo. hoc autem loquendi genere utitur, quia ex iis quae disputata sunt, nondum constat plures esse virtutes.

Κατὰ τὸν ἀρίστην καὶ τελεωτάτην] Idem etiam iisdem prope verbis repetit libro decimo. Est autem virtutum earum quidem, quae ad actionem referuntur, optima ac perfectissima, prudentia: earum vero, quae cognitione cernuntur, sapientia. Unde duplex existit felicitas, ut suo loco dicemus.

Ἔτι ὁ ἐν βίῳ τελείῳ] Nemo felicem dixerit, qui diem modo unum, aut alterum, aut mensem, aut annum ex virtute vixerit: deinde autem aut mutatus sit, aut inciderit in gravissimas calamitates, aut sit acerba morte praereptus. Tempore opus est ad felicitatem & parandam & fruendam. Non enim est felicitas ex eo genere rerum, quae simul totae sunt: sed ex iis, quae quadam successione partium constant, qualia sunt ludi, dies, annus. Hoc igitur significat Aristoteles, cum ait ὁ ἐν βίῳ. Quod autem addit τελείῳ, videtur idem dicere, quod ἀτελεύτητον, ut significet vitam, quantum satis est, instructam bonis corporis & externis. Perfectum enim est, quod omnibus partibus suis constat. Illa autem bona, quae dixi, dicebantur a veteribus philosophis partes vitae. Euryphamus Pythagoreus in libro περὶ βίου βίου ὁ μέρια τὰ τε σώματος ἀγαθὰ, καὶ τὰ τῶν χρημάτων, καὶ τὰ τῆς δόξης, καὶ τὰ τῶν φίλων. Et tum ipse, tum Hippodamus, duo genera faciunt perfectorum hominum, unum κατὰ φύσιν, alterum κατὰ βίον. Nam eos quidem, qui virtutem colunt, etiamsi externis bonis careant, natura perfectos esse dicunt. κατὰ βίον autem eos tantum, qui & ex virtute vivant, & instructi sint illis, quae modo enumeravi, bonis. atque hos demum felices esse statuunt. Potest etiam accipi per τέλειον βίον longitudo vitae, & ita

ita Aristoteles ipse videtur exponere in magnis ethicis. ita enim loquitur: ἐπεὶ οὖν ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία &c. Aliter Stoici, quorum princeps Chrysippus dicebat, ὅτι παρὰ τὸν πλείονα χρόνον οὐδὲν μᾶλλον εὐδαιμονοῦσιν, ἀλλ' ὁμοίως καὶ ἐπίσης τοῖς τὸν ἀμερῆ χρόνον εὐδαιμονίας μετασχοῦσιν. At in hoc ipse sibi pugnabat, ut ostendit Plutarchus Στωϊκοῖς ἐναντιώμασι.

Περιγεγράφθω μὲν οὖν τὸ ἀγαθὸν ταύτῃ] Pro eodem alibi dicit, ὑπογεγράφθω.

Ἱποτυπῶσαι] Adumbrare & informare.

Ἀναγράφειν] Penicillum per easdem lineas denuo ducere, omniaque accuratius expolire.

Δόξειε ὅ' ἄν] Facile est, quae bene descripta sunt, promovere & articulatius distinguere. neque quisquam est mediocri ingenio praeditus, qui non hoc praestare posse videatur.

Παντὸς] τοῦ τυχόντος, etsi aliter accepit S. Thomas.

Καὶ ὁ χρόνος] ὁ γὰρ χρόνος διδάγμα ποικιλώτατον, ait Euripides. Unde Simonides interrogatus, quidnam sapientissimum esset, Tempus, respondit. tempore enim acquiritur hominibus sapientia. Paro autem Phythagoreus, qui tum aderat, imo ἀμαθέστατον inquit: tempore enim abeunt omnia in oblivionem. Narrat Simplicius in quartum Physicorum.

Ὅθεν καὶ τῶν τεχνῶν] Nulla enim ars simul inventa & absoluta est: sed omnes a tenuibus profectae principiis, paulatim ad eam, in qua nunc sunt, amplitudinem pervenerunt. Exemplum in medicina, in pictura, in eloquentia poni potest.

Μεμνῆσθαι δὲ] In iis, quae modo disputavimus, nonnulla insunt, quae fortassis aliquis sibi postularet certius explicari. ut quod diximus, ad felicitatem requiri eas opes, quae satis essent ad nos, & ad parentes, & ad liberos, & ad uxorem sustentandam, & ad aliquid amicis ac civibus largiendum. sed tamen ejus rei modum aliquem esse statuendum. quaeri enim potest, qui tandem sit ille modus: & quantum opum requiratur, antequam quis felix haberi queat. Id autem certo definiri non potest. Non enim ut olim in hac urbe quidam erat census equester, quidam senatorius, ita felicium certus quidam census est. Sed haec pro cujusque conditione communi quodam sensu judicari oportet. Idemque dicendum de longitudine vitae.

tae. non enim potest certo constitui aliquod tempus, quod vivere felicem oporteat. Quare revocat in memoriam Aristoteles id quod jam aliquoties dixit, τὸ ἀκριβὲς in unaquaque re pro rei ipsius conditione & natura exigendum. Neque tantum κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην, verum etiam ἐπιτρεπτὸν, ἐφ' ὅσον εἰκὸς τῇ μεθόδῳ, id est, quantum propositae disputationi convenit. Exempli caussa. de animo, ejusque aut partibus aut facultatibus, & dicta sunt a nobis nonnulla, & dicentur in sequentibus. ea quominus accuratissime tractentur, ἡ ὑποκειμένη ὕλη impedimento non est. potest enim de animo accuratissime disputari, ut in libris περὶ ψυχῆς. sed illa tam exquisita tractatio illius non convenit ei, quae hoc tempore a nobis instituta est, disputationi. agimus enim de moribus. at illa ad physicos pertinent. aliter igitur de animo disserit physicus, aliter politicus. ille quam potest ἀκριβέστατα: hic ἐπιτρεπτὸν, ἐφ' ὅσον εἰκὸς τῇ μεθόδῳ Ostendit autem & illustrat hoc Philosophus aptissima comparatione. Angulum rectum considerat geometres: considerat etiam faber. sed ille quam potest accuratissime: est enim contemplator veritatis: hic quatenus ad aedificandum utilis est ejus cognitio. itaque de eo aliter apud Euclidem, aliter apud Vitruvium disputatur. Hoc praeceptum nisi in omni disputatione teneatur, πολὺν χρόνον καὶ πόνον περιεργάζεται τῶν ἔργων.

Οὐκ ἀπαιτητέον] Addit aliud praeceptum. non omnium, quae traduntur, caussam requiri oportere (quod etiam prope totidem verbis jurisconsulti dicunt) sed ponenda esse quaedam tanquam certa per se: ut principia.

Τὸ δὲ ὅτι] Id est, rem ita se habere, in hac facultate principium est, ut honestatem suapte vi expetendam esse: mediocritatem in omnibus rebus retineri oportere. talia igitur ponenda sunt, neque cur ita sit, subtilius inquirendum est. Dicat aliquis: Quomodo igitur percipiuntur principia, si eorum caussas inquirere non licet? respondet Aristoteles; eorum alia percipi inductione: ut in arithmeticis, omnem numerum esse dimidium ejus, qui conflatur ex iis, inter quos ipse ordine naturali constitutus est: alia sensu, ut in physicis, motum esse: alia consuetudine quadam: ut in ethicis, cupiditates crescere, si obsequare, si adverseris, minui: alia aliis modis: ut simplici mentis apprehensione intelligimus, de quolibet ve-

Digitized by Google

veram esse affirmationem aut negantiam (*), de nullo autem utramque simul. possunt etiam dialecticis syllogismis scientiarum principia probari: ut in mathematicis definitiones extremitatis, lineae, puncti. Sequitur,

Μετέναι δὲ πειρατέον ἑκάστας ἢ πεφύκασι. quod eo praecipue dictum videtur, ut intelligant omnes, qui ad hanc disciplinam accedunt, sibi diligenter videndum esse, ut assuefiant ad amorem honestatis, & ad bene compositeque vivendum. Aliter enim nunquam satis illius principia percipere poterunt, quae, ut dictum est, ἐθισμῷ τινι ἐγγινέσθαι πεφύκασι. Possunt verba ediscere etiam intemperantes & effrenati, eaque ore proferre: in animo quidem certe horum praeceptorum vim nunquam perfecte sentient, nisi bene & honeste educati, atque assuefacti.

Καὶ σπουδαστέον, ὅπως ὁρισθῶσι καλῶς. μεγάλην γὰρ ἔχουσι ῥοπὴν πρὸς τὰ ἑπόμενα] Magnum, inquit, studium in eo ponendum est, ut bene statuantur principia. magnum enim ad omnia sequentia momentum habent.

Δοκεῖ οὖν πλεῖον ἢ τὸ ἥμισυ] Vetus est proverbium, *principium esse dimidium totius*: quod ita expressit Horatius: *Dimidium facti, qui coepit, habet.* Plato autem & Aristoteles etiam plus quam dimidium totius ajunt esse principium. Aristoteles quinto πολιτ. ἡ δὲ ἀρχὴ λέγεται ἥμισυ εἶναι παντός. Plato sexto de legibus: ἀρχὴ γὰρ λέγεται &c. Sophocles: Ἔργου ἢ παντὸς ἦν τις ἄρχηται καλῶς, Καὶ τὰς τελευτὰς εἰκὸς ἐσθ' οὕτως ἔχειν. Aristoteles περὶ ζώων γενέσεως lib. 5. αἱ γὰρ ἀρχαὶ μεγέθει οὖσαι μικραὶ, τῇ δυνάμει μεγάλαι εἰσί. idem primo de caelo: ἡ ἀρχὴ δυνάμει μείζων, ἢ μεγέθει. διόπερ τὸ ἐν ἀρχῇ μικρὸν, ἐν τῇ τελευτῇ γίνεται παμμέγεθες. Plato secundo de repub. οὐκοῦν οἶσθα, ὅτι ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον. idem in Cratylo: Δεῖ δὴ περὶ τῆς ἀρχῆς &c.

C VIII. Σκεπτέον δὴ] Investiganda, inquit, est natura felicitatis, non ex conclusione modo, id est, ex ea definitione illius, quam modo attulimus, & ex principiis, ex quibus illa effecta est: verum etiam ex iis, quae de ea dici solent ab aliis. Nam si reperiamus ea convenire cum definitione a nobis tradita, magno id argumento erit, eam veram esse.

Τῷ

(*) *Negantia*, pro negatione, semel legitur apud Cicer. Top. 14. Sed suspectus locus est.

Τῷ γὰρ ἀληθεῖ] Verum enim vero pugnare non potest.

Συνᾴδει] Verbum musicorum, ut &, quod statim sequitur, διαφωνεῖ, & quod paulo post, συνῳδός.

Νεμεμημένων] Primum ostendit ea, quae communiter ab omnibus intelligentibus dicuntur de felicitate, concinere cum ea definitione illius, quam ipse attulit. deinde etiam, quae hi aut illi ad felicitatem requiri dicunt, in eadem contineri. Cum igitur tria sint genera bonorum: duo eorum, quae sunt in nobis, quorum alia in corporibus insunt, alia in animis, tertium eorum, quae extra: omnium sententia constat, animi bona principem locum obtinere. Exercitationes autem & actiones animi ex illo genere sunt. Quare haud injuria dictum est a nobis, in eis sitam esse felicitatem.

Παλαιὰν οὖσαν] Quod magnum signum est veritatis. etenim ut vina levia, ita falsae opiniones vetustatem non ferunt. Quod autem addit καὶ ὁμολογουμένην, indicat, eam non tantum veram esse, sed etiam manifesto veram. Quicquid autem interpretes dicant, puto expunctis quatuor voculis locum hunc ita legendum; ὥστε καλῶς ἂν λέγοιτο κατά γε τὰν τὴν τῶν δόξαν παλαιὰν οὖσαν καὶ ὁμολογουμένην ὑπὸ τῶν φιλοσοφούντων, ὅτι πράξεις τινὲς καὶ ἐνέργειαι τὸ τέλος. οὕτω γὰρ &c. Alioqui enim frustra bis idem dicere videbitur Aristoteles: etsi Eustratius, & alii omnia moliuntur, ut hanc rationem a superiori aliam esse doceant.

Συνᾴδει δὲ τῷ λόγῳ] Omnes in hoc conveniunt, ut dicant, eum, qui felix est, bene vivere ac bene agere, at hoc quoque cum definitione a nobis tradita concinit. ea enim bonum quoddam vivendi genus, & perpetuitatem quandam honestarum actionum describere videtur.

Φαίνεται δὲ] Videntur etiam omnia, quae ad felicitatem requiri dicuntur, in definitione a nobis proposita contineri. Quidam enim virtutem, quidam alii prudentiam, alii sapientiam putant esse felicitatem: quidam aut haec omnia, aut eorum aliquod vel cum voluptate, vel certe non sine voluptate. sunt &, qui eodem includant justam quandam & moderatam copiam bonorum externorum.

Πολλοὶ καὶ παλαιοὶ] Hesiodus: Φήμη δ' οὔτις &c.

Τὰ δὲ ὀλίγοι καὶ ἔνδοξοι] Quod perinde est, ac si multi dicerent. Ut enim exigua auri moles pluris est, quam multum plumbum, ita paucorum sapientum opinio pluris

est, quam multorum vulgarium. Sed magna pars eorum, quae hic disputantur, satis per se facilis est: ut vix mea opera opus esse videatur.

Ὥσπερ δ' Ὀλυμπιάσιν] Sic lib. secundo ad Eudemum: στεφανοῦνται οἱ νικῶντες. ἀλλ' οὐχ οἱ δυνάμενοι νικᾶν, μὴ νικῶντες δὲ.

Ἔστι δὲ καὶ ὁ βίος αὐτῶν] Ostendit nunc, se non prorsus abesse ab iis, qui voluptatem in quadam felicitatis parte ponunt. Nihil enim jucundius est, aut voluptatis plenius, quam honestae actiones.

Τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς] Vix ulla sententia celebratior est, aut hominum sermonibus tritior, quam non eadem omnibus placere. Virgilius: *trahit sua quemque voluptas.* Horat. *Denique non omnes eadem mirantur amantque.* Euripides: Ἄλλος γὰρ ἄλλοις καρδίην ἰαίνεται. Alius solitudine gaudet, alius frequentia, alius coelibatu capitur, alius uxore carere non potest. hic otio ducitur, illum multorum negotiorum tractatio oblectat. Sunt quos juvent magistratus & imperia: sunt quos privata vita delectet. ille ex alea & fritillo, hic ex vino & comessationibus, alius ex equis & canibus maximam voluptatem capit. neque tantum alia aliis jucunda sunt, sed eadem aliis suavissima, aliis molestissima: & uni atque eidem modo suavia, modo molesta. Ejus & varietatis ac discrepantiae, & levitatis atque inconstantiae causam hoc loco Aristoteles reddit: aitque, id ex eo contingere, quod vulgus ea pro jucundis habet, quae natura jucunda non sunt, sed opinione tantum. In iis autem quae natura constant, & consensus omnium recte judicantium, & constantia reperitur: at opinio, varietatis est, & inconstantiae effectrix. Natura veritatis amica est: opinio mendacii plerumque & erroris comes. Veritas autem & una est & stabilis: error & multiplex & inconstans. Falsis & cum vero & inter se pugna est: at vera veris nunquam repugnant. Ut autem quae hominibus bene valentibus quique bene temperato sunt corpore, dulcia videntur, quaeque amara, eadem natura & re vera talia sunt, non quae febricitantibus aut insanis: ita quae bonis ac prudentibus jucunda molestave sunt, cur talia sint, veram & naturalem causam habent, non ea quae vulgaribus & virtutis ac prudentiae expertibus. Itaque si talis quaedam hominum distributio fieri posset, ut in unum locum omnes vitiosi & improbi convenirent, in alterum

om-

omnes boni atque honesti congregarentur, mirabilis ex illa parte discordia, ex hac mirabilis consensio cerneretur. Illic avari clamarent, nihil esse dulcius, quam opes maximas coacervare atque extruere: prodigi, nihil suavius, quam easdem dilapidare ac profundere: subeunda esse nullo discrimine omnia pericula, audaces & temerarii dicerent, ignavi & meticulosi, omnia fugienda: alius caede & sanguine gauderet, alius vino & crapula: neque tantum eadem non placerent omnibus, sed iisdem eadem modo placerent, modo displicerent. At in coetu bonorum tantus concentus esset, tanta studiorum inter ipsos similitudo, ut nullius unquam hominis magis una voluntas fuerit, quam eorum omnium esset. Non quod unus eorum fecisset, improbarent alii: omnia omnium omnibus perpetuo & constanter placerent. A bonis enim viris jucunda & molesta, non inani & vaga opinione, sed natura & veritate, quae una semper est, dijudicantur.

Οὐδὲν δὴ προσδεῖται] ἡδὺς γὰρ ὁ βίος ὢν οὐδὲν δεῖται ἐπεισάκτου ἡδονῆς, ait ipse lib. 9.

Πρὸς τοῖς εἰρημένοις γὰρ] Hoc argumentum copiosius tractabitur cap. 3. lib. 2.

Ἀλλὰ μὴν καὶ ἀγαθαί γε καὶ καλαί] Probat, honestas actiones non modo jucundissimas esse, sed & optimas & pulcherrimas. Etenim, ut dictum est, ὁ περὶ ἕκαστον σπουδαῖος καλῶς ἕκαστα κρίνει, ὁ δὲ σπουδαῖος, καὶ ἡδίστας, καὶ ἀρίστας, καὶ καλλίστας κρίνει τὰς κατ' ἀρετὴν ἐνεργείας. τοιαῦτα οὖν εἰσίν.

Τὸ Δηλιακὸν ἐπίγραμμα] Idem epigramma reprehendit principio τῶν Εὐδημείων his verbis: Ὁ μὲν ἐν Δήλῳ παρὰ τῷ θεῷ τὴν αὐτοῦ γνώμην ἀποφηνάμενος συνέγραψεν ἐπὶ τὸ προπύλαιον τοῦ Λητώου, διελὼν οὐχ ὑπάρχοντα πάντα τῷ αὐτῷ, τό τε ἀγαθὸν καὶ τὸ καλὸν, καὶ τὸ ἡδύ, ποιήσας· Κάλλιστον τὸ δικαιότατον, λῷστον δ' ὑγιαίνειν, Πάντων δ' ἥδιστον, οὗτις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν. ἡμεῖς δ' αὐτῷ μὴ συγχωροῦμεν. ἡ γὰρ εὐδαιμονία κάλλιστον καὶ ἄριστον ἁπάντων οὖσα, ἥδιστόν ἐστι. Theognidis autem sunt hi versus, quorum posterior hoc etiam modo legitur: Ἥδιστον δὲ τυχεῖν, οὗ τις ἕκαστος ἐρᾷ. Atque hoc jambicis expressit Sophocles: Κάλλιστόν ἐστι τοὔνδικον πεφυκέναι· Λῷστον δὲ ζῆν ἄνουσον· ἥδιστον δ' ὅτῳ Πάρεστι λῆψις, ὧν ἐρᾷ καθ' ἡμέραν.

Φαίνεται δ' ὅμως καὶ τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν] Ut nobiles matronae sine aliquo comitatu prodire in publicum non solent, ita felicitati attribuit Aristoteles quasi ancillas ac pedisequas quasdam, divitias, amicitias, auctoritatem in repub. nobilitatem, bonam prolem, formam, & talia, quae feli-

citatis ipsius partim instrumenta sunt, partim ornamenta. Primum igitur, quod ad divitias attinet, ait, aut nullo modo, aut certe non facile fieri posse, ut res magnas ac praeclaras gerat is, qui a re familiari sit imparatus. nam neque animum ad praeclaras artes libere applicare poterit, cum ei quaerendum sit, unde vivat, & unde familiam alat: & constat, quasdam virtutes esse, quae sine opibus exerceri non possunt. cujus generis est liberalitas & magnificentia. Itaque & multi nobiles scriptores affirmarunt, & res ipsa comprobat, moderatis divitiis opus esse ad felicitatem. Juvenalis: *Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi.* Callimachus: Οὔτ' ἀμπὶ ἄπρ ὄλβῳ ἐπίστη) ἄνδρα δίξαι, Οὔτ' ἀμπὶ ἄφνιον. Demosthenes in Philippicis: Δεῖ δὲ χρημάτων, ὧν ἐκεῖνοι τοῦτον ἐδόξαν ἐν ἀφθονίᾳ ἔχειν ἢ Δαρεῖος. Neque tamen Croesi aut Tantali, aut Midae opes ad felicitatem necessarias esse dicimus. quin imo putamus opes immoderatas, non minus, quam inopiam, ad felicitatem impedimento esse. ut enim magnam navem, ita magnas divitias difficile est regere. & scitum est illud Demosthenis: αἱ μὲν πολλαὶ εὐδαιμονίαι τὰ σώματα, αἱ δ' ὑπερμέτρου πλοῦτοι τὰς ψυχὰς ἐμπαροξύνουσι. neque facile est, ut idem & valde dives sit, & valde bonus, praeclareque Martialis: *Ardua res haec est, opibus non tradere mores, Et cum tot Croesos viceris, esse Numam.* Imo vero & paupertas multorum industriam acuit, & divitiae multos ad libidinem, & ad flagitia impellunt. Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει, ait Theocritus. at contra, ὑβρισταὶ ὁ πλοῦτος. Et facetissime apud eundem illum, quem modo nominavi, poëtam, cum pastor quidam alterum interrogasset, numquid ei amor somnum unquam ademisset, eoque negante conquestus esset, se undecimum jam diem amore uri: Nimirum, ait ille alter, dives es: at mihi vix est, unde aceto, aut vappa sitim meam expleam. Versus hi sunt: Εὔδημόν τοι συνίβα τι ἀχνυτὸν ἄλγος ἐρωτι; Μ. Μηδὲ γένοιτο, φίλαμπε, θεῶν τινὰ γοῦν ἐπαοιδῶν. Α. Ἀλλ' ἐγὼ ἐς Μίλαν ἔγομαι τρίτον ἤδη ἐνιαυτόν. Μ. Ἐκ πίθου ἀντλεῖς ὄλεθρον. ἐγὼ δ' ἔχω οὐδὲ ἅλα ῥυᾶς. *Dic nunquamne tibi somnos amor ullus ademit? M. Ne di illuc sirint. nimii res plena periculi est. A. At prope mi undecima haec lux est, ex quo uror amore. M. Hauris nimirum ex dolio: at mihi vix sat aceti est.* Significavit videlicet, amorem & libidinem ex copia oriri, pauperibus & de *lodice*, ut ait Juvenalis, *paranda sollicitis*

tales

tales ineptias in mentem non venire. Ergo ad quasdam virtutes videtur paupertas habere quiddam κινητικόν, ut ad temperantiam, ad industriam, ad modestiam: cum saepe divitiae intemperantes, remissos & immodestos efficiant. Etiam ad fortitudinem bellicam comparandam accommodatior divitiis videtur esse paupertas. Pauperes enim & omnia facilius ferunt, & minori negotio adducuntur ad subeunda pericula: vitam enim contemnunt. At divites deliciis assueti, & ea quae saepe belli necessitas fert, tolerare vix possunt, & magis metuunt mortem. Δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος, κ' φυλόψυχον κακόν, ait Aristophanes, & Horatius monet eos, qui fortes futuri sunt, ut a teneris annis paupertatem pati assuescant: *Angustam amici pauperiem pati Robustus acri militia puer Perdiscat.* Et idem poëta alibi narrat, militem quendam Luculli, qui se in paupertate fortiter gessisset, donatum ab imperatore multis muneribus, ac divitem factum, ignavum postea extitisse. Persae omnesque Asiatici cum divitiis abundarent, molles, imbelles & effeminati fuerunt: at Lacedaemonii omnium Graecorum & pauperrimi & fortissimi. Lucanus *foecundam virorum paupertatem* vocat. Et sane constat, veteres Romanos quam diu paupertatem retinuerunt, viros fortes & strenuos fuisse, post una cum paupertate virtutem exuisse. *Hunc*, ait Horatius de Fabricio loquens, *& incomptis Curium capillis Utilem bello tulit & Camillum Saeva paupertas & avitus apto Cum lare fundus.* Omnium Athenienſium Aristides justissimus fuisse memoratur, at idem ita pauper fuit, ut ne tantum quidem reliquerit, unde sibi sepulcrum extrui posset. Itaque populus Athenienſis etiam filias ipsius ex publico collocavit: & matri ac materterae ejus ternos obolos in singulos dies, unde victitarent, decrevit. L. Aemilio Paulo vix repertum est, unde uxori dos solveretur. Sunt ista, & ejusdem generis alia quamlibet multa colligi possunt: quae tum demum contra nos valerent, si diceremus, eundem esse non posse pauperem, & virum bonum: quod neque dicimus, &, si qui dicant, eorum sententiam, ut veritati ac philosophiae inimicam repudiamus: sed eos ipsos viros bonos, de quorum paupertate in historiis legitur, si modicas habuissent opes, pluribus benefacturos, atque eo ipso feliciores futuros fuisse arbitramur. Ceteroqui non negamus, summam virtutem,

ſummamque ſapientiam etiam in ſumma paupertate, & in homine ſumme deformi & ignobili, & carente omnibus fortunae commodis, eſſe poſſe. Aeſopum, illum fabulatorem e Phrygia, & ſervum, & pauperem, & deformem fuiſſe accepimus. At in eodem admirabilis quaedam virtus, & inſignis quaedam ſapientia fuit. Socratem, philoſophiae parentem, quem tandem hominem fuiſſe traditum eſt? ſi nobilitatem quaerimus, filium obſtetricis: ſi opes, prope mendicum: ſi formam, Silenis ſimilem: ſi fortunam, in carcere mortuum, cum impietatis damnatus eſſet. Hunc tamen nefas fuerit, miſerum aut infelicem dicere: quae enim ad felicitatem plurimum momenti habent, ea habuit: caruit iis, quae a nobis aut inſtrumenta, aut ornamenta felicitatis nominantur. Epicteti diſtichon circumfertur, quo ſe & ſervum, & corpore debilem, & pauperrimum fuiſſe teſtatur, & tamen diis immortalibus carum. Δοῦλος ἐπίκητος γεγενημαι καὶ ἀπροσδεὴς καὶ πτωχὸς τὸ σῶμα, καὶ πισσὸς ἴρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις. Et tamen, si ei optio data eſſet, maluiſſet liber eſſe, quam ſervus, integro eſſe corpore, quam debili, & modicis divitiis inſtructus potius, quam mendicus eſſe. Non tamen ii ſumus, qui ad felicitatem magnas opes requiri dicamus. Magnae enim opes nunquam fere poſſunt, neque parari ſine injuria, neque exerceri ſine luxu, neque haberi ſine periculo, neque amitti ſine dolore. Tantum ſit, ut neque egeamus, & potius amorem ac caritatem civium noſtrorum ex honeſto ac liberali earum uſu, quam ex magnitudine invidiam colligamus. Nam & Ariſtoteles ipſe in politicis eorum optimam ait eſſe ſortem, qui medii ſunt inter paupertatem & divitias, commendatque illum verſum Theognidis: Πολλὰ μέτρια ἄριστα· μέσος ἥλυθε κὰς πόλιν εἶναι. Et Horatius eum videtur beatum dicere, qui auream mediocritatem diligens, — *tutus caret obſoleti Sordibus tecti, caret invidenda Sobrius aula.* Quid igitur, dicet aliquis, nullusne & pauper eſſe, & felix poteſt? Hic diſtinguendum puto. Nam ſi pauperem accipimus mendicum, & eum, cui deſint ea, quae ſunt ad vivendum neceſſaria, virum bonum eſſe poſſe etiam hunc non nego, felicem nego. Sed ſunt quidam, quibus tantum opum eſt, ut neque deſit, neque redundet. Hi comparati cum valde divitibus pauperes videntur, comparati cum valde pauperibus, divites. re vera autem pauperes

Digitized by Google

peres non ſunt. *Pauper enim non eſt*, ait Horat. *cui rerum ſuppetit uſus.* ii autem, nihil prohibet, quin etiam regibus feliciores eſſe poſſint. — *licet*, ait idem poëta, *ſub paupere tecto Reges & regum vita praecurrere amicos.* & alibi: — *bene eſt cui dederunt Dei Parca quod ſatis eſt manu.* & alibi: *Vivitur parvo &c.* Et poëtae cum paupertatem optant, talem optant, id eſt, moderatas opes, ut Tibullus & Theognis & Martialis. Stoici verbo negligebant opes: ſed non conſtabant ſibi; ut Cicero quarto de finibus, & Plutarchus oſtendunt. & quidam eorum nimium magnum ſtudium poſuerunt in congerendis opibus. quo nomine a quibusdam notatus eſt etiam Seneca.

Ἀδύνατον γὰρ ἢ οὐ ῥᾴδιον] Non omnino negat fieri poſſe, ſed ait difficile eſſe.

Τὰ καλὰ πραγίλειν] Melius in quibusdam veteribus, τὸ καλὰ πράττειν.

Ἐνίων ἢ πεπόμενοι] Tria ponit, quorum abſentia inquinari quodammodo, & obſoleſcere felicitatis ſplendor videtur. Sunt autem haec, nobilitas, felicitas in ſuſcipiendis liberis, & pulchritudo. Deinde eadem repetens, ordinem mutat, aitque, non valde aptos ad felicitatem haberi eos, qui aut aſpectu plane deformes ſint, aut ignobiles, aut ſoli, & liberis carentes. Dicam igitur ego quoque primum de forma, tum de nobilitate, poſtremo de liberis: ſi prius illud admonuero, haec talia non eſſe, ut prorſus neceſſaria ſint ad felicitatem, ſed tamen magnum ei ornamentum addere. Nunc ſingula perſequar, ac primo loco dicam de pulchritudine: quam Plato in Cratylo duabus rebus conſtare dicit: μήκει, id eſt, *proceritate*, & ἁρμονίᾳ, id eſt, *convenientia partium.* Igitur ad pulchritudinem primum requiritur magnitudo & proceritas corporis. pulchritudo enim in parvo corpore eſſe non poteſt, ut Ariſtoteles ipſe dicturus eſt quarto horum librorum. deinde συμμετρία, id eſt, juſta & decora partium inter ſe proportio. quae ſi fuerit in corporibus parvis, efficiet ea non pulchra quidem, ſed lepida tamen & venuſta: juxta Graecorum proverbium, χάρις σμικροῖσιν ἁπηδεῖ. Iccirco autem ad felicitatem aliquid momenti habere dicitur pulchritudo, quia mire efficax eſt ad conciliandum amorem: unde Ariſtoteles dicebat, eam efficaciorem eſſe quavis epiſtola commendatitia. & idem in politicis narrat, populos quosdam Indorum ſolitos eſſe

in mandandis imperiis formae dignitatem sequi. & alio loco ait, si qui ex hominibus reperirentur ea formae pulchritudine, quae in deorum simulacris cernitur, omnes alios sponte eorum imperio parituros. Possem ex Platone, Xenophonte, aliis, multa huc pertinentia commemorare: sed ad alia potiora propero. Quanquam autem Aristoteles interrogatus, cur pulchri amarentur ab omnibus, respondit, eam interrogationem non nisi caeco alicui convenire: dicam tamen quam esse ejus rei caussam putem. Puto igitur eo amari pulchros, quod homines ex vultu & habitu corporis de ingenio, ac moribus conjecturam faciunt. non injuria. Formae enim decorem naturalis quaedam ingenii bonitas plerumque comitatur, nisi corrumpatur, aut prava educatione, aut convictu & consortio improborum. Itaque apud Homerum Achilles omnium Graecorum formosissimus est, idemque optimus ac fortissimus: contraque Thersites, ut omnium turpissimus, ita ignavissimus, & minimi pretii. Neque tamen hoc perpetuum esse, Alcibiades, & Socrates satis indicarunt. Sed abeamus ab hoc levi, & fluxo, & fragili, & prope dixerim, nugatorio bono, atque ad alia transeamus.

Οἷον εὐγενεῖαι] Εὐγένειαν Aristoteles in Rhetoricis, definit ἐντιμότητα προγόνων. tertio polit. ἀρετὴν γένους. explicatius autem lib 4. ἀρχαῖον πλοῦτον, καὶ ἀρετὴν. ut nobiles proprie sint ii, quorum majores longo ordine virtute praestantes, iidemque potentes atque honorati fuerint. II. Eam quidam censuerunt nullo prope loco ac numero habendam. Non enim quibus quisque natus esset, sed qualis ipse esset, videndum. Itaque Socrates in Theaeteto ait, eos, qui gloriantur, quod septem fortassis avos suos divites nominare possint, veris philosophis ridiculos esse, tanquam qui longe aspicere non possint, & in omnem antiquitatem intueri, ac ratiocinari, cum unusquisque nostrum innumerabiles majores habuerit, in cujusque hominis genere & reges, & mendicos, & liberos, & servos multos fuisse, τὰ δὲ δὴ γένη ὑμνοῦνταν, &c. Apud Ovidium Ulixes negat quenquam de genere gloriari oportere. *Nam genus* (inquit) *& proavos, & quae non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco.* Multa in eandem sententiam Juvenal. Sat. 8. *Stemmata quid faciunt*, &c. & paulo post: *Tota licet venias, exornent undique cerae Atria*, &c.

&c. Denique nihil eſt facilius, quam vel integrum diem conſumere in percenſendis iis, quae ex vetuſtis ſcriptoribus tum Graecis, tum Latinis, ad abjiciendam nobilitatem colligi poſſunt. III. Sed tamen fatendum eſt, ſemper apud omnes populos nobilitatem in magno honore ac pretio fuiſſe: ut id prope natura comparatum eſſe videatur. Et hoc eſt, quod Cicero in oratione pro Sextio *nobilitatem* vocat *blandam conciliatriculam ſui.* Ac ſaepe populus Rom. multis per ſe ignotis, quia claris majoribus orti erant, magiſtratus & imperia mandabat, quod non obſcure ſignificat idem Cicero principio orationis ad Quirites de lege agraria: & Piſonem eo modo quaeſtorem, aedilem, praetorem dicit eſſe factum his verbis: *Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil praeter colorem.* & paulo poſt: *Nam tum cum quaeſtor es factus,* &c. IV. Cauſa autem, cur homines nobilitati faveant, eſt communis opinio, qua creditur, ſuorum fere majorum quemque ſimilem eſſe. Horatius: *Fortes creantur fortibus, & bonis, Eſt in juvencis,* &c. Cicero pro Rabirio Poſtumo: *Eſt hoc generi hominum* &c. idque mox confirmat exemplis. Si quidem non modo in gloria rei militaris Paullum Scipio, aut Maximum filius, ſed etiam in devotione vitae, & in ipſo genere mortis imitatus eſt P. Decium filius. At contra nati ex flagitioſis, & infamibus, plerumque tum natura, tum voluntate parentum vitia perſequi ſolent, & prope ita loqui, ut ſervus ille apud Plautum in milite: *Noli minitari: ſcio crucem futuram mihi ſepulchrum. Ibi mei majores ſunt ſiti, pater, avus, proavus, abavus.* Euripides: Φεῦ, φεῦ, πολλοὺς εἶπον ὡς καλῶς ἔχει. Οὐκ ἂν γένοιτο καλὸς ὁ κακοῦ πατρός. Et narrant hiſtorici, nato Nerone, cum amici, ut fit, gratulatum ad patrem ipſius venisſent, dixiſſe eum, nullum eſſe gratulationi locum, nihil enim ex ſe & Agrippina, niſi peſſimo publico, potuiſſe naſci: & ejus praedictionem comprobavit eventus. V. Quaeri autem ſolet, quae cauſa efficiat illam uſitatam ſimilitudinem morum & ingeniorum inter patres & liberos. Panaetius putabat, id ex eo evenire, quod non tantum ex corporibus parentum gignerentur corpora filiorum, ſed etiam ex animis animi. At hanc ſententiam & philoſophi confutarunt, ut Cicer. 1. Tuſcul. & religionis noſtrae proceres, ut impiam & haereti-

Digitized by Google

cam damnarunt. Quare nos quoque eam rejiciamus. Duae aliae afferuntur, quas puto veras esse. Una, quod cum corporum temperatio eadem fere in parentibus & liberis esse soleat, ex eo fit, ut ad easdem res natura proclives sint ac propensi. τὰ γὰρ τῆς ψυχῆς ἤθη ταῖς τοῦ σώματος κρᾶσεσιν ἕπεται, ut integro libello docet Galenus. Altera caussa est educatio, quam philosophi vere dicunt esse alteram naturam. Nam ut qui domi nihil unquam, nisi laudabile viderunt, facile virtutem atque honestatem sequuntur, ita in paterna turpitudine ac vitiis educati, vix fieri potest, ut non eadem referant & imitentur. VI. Hoc tamen perpetuum non est. Vere enim Manilius quarto astronomicon: *Degenerant nati patribus, vincuntque parentes*. Itaque quidam meliores sunt patribus, ut ille apud Homerum gloriatur: Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι. Et de Periphete legitur Iliad. 15. τοῦ γένετ' ἐκ πατρὸς πολὺ χείρονος υἱὸς ἀμείνων. Et de Pompejo traditum est, patrem ipsius populo Ro. odiosissimum fuisse, cum haud quisquam ipso fuerit carior & acceptior. Itaque quodam Aeschyli versu utentes, vocabant eum carissimam progeniem invisissimi patris. Multi etiam obscuro & ignobili loco orti, & illustres evaserunt, ut Cato Censorius, M. Cicero. At multis partibus plures numerari possunt, qui degenerarunt a paterna virtute, secundum illud Homericum: Παῦρος μὲν γὰρ &c. Itaque etiam Graeco proverbio celebratum est, ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα. & citantur verba Demosthenis, quibus ait fato quodam contingere, ut nihili sint magnorum filii. Sed & Aristoteles in rhetoricis, & in polit. multa eodem pertinentia disserit, & exempla ejus rei innumerabilia ex historiis peti possunt. Socratis filios stupidos fuisse traditum est. Ciceronis filium sola prope nobilitavit ebrietas. Germanicus Caligulam filium habuit: Commodum Marcus. Videndus est Valerius lib. 3. Cicer. 1. Tuscul. Aelius Spartianus in Severo. Ac denique tenendum illud Euripidis: Ἤδη γὰρ εἶδον τέκνα γεναίου πατρὸς τὸ μηδὲν ὄντα, χρηστὰ δ' ἐκ κακῶν τέκνα. VII. Est autem intelligendum, ad felicitatem satis esse etiam de Aristotelis sententia, si quis infami, & pudendo genere editus non sit.

Περὶ εὐτεκνίας.

Εὐτεκνία uno vocabulo Latino exprimi non potest. significat autem *felicitatem in suscipiendis liberis*. ad quam tria requiruntur. Primum est liberos habere. Sed

Sed praestat nullos habere, quam malos. Secundo igitur loco requiritur, ut boni honestique sint. At quo meliores fuerint, eo, si moriantur, majorem dolorem afferent patri. Quare illud tertium est, ut patri superstites sint. Primum igitur constat, communem veterum sententiam fuisse, eos, qui liberis carerent, magna parte felicitatis carere, idque non injuria. Etenim cum omnibus hominibus a natura indita sit quaedam immortalitatis cupiditas, non exigua voluptas est habere, in quibus etiam post mortem victurus esse videaris. II. Deus ipse in veteri Testamento iis, qui mandata sua coluerint, inter cetera praemia liberorum copiam, ut magnum quoddam & eximium bonum pollicetur. III. Ergo veteres illos heroas Abrahamum, & alios traditum est in magno honore vixisse, quam diu caruerunt liberis, quos ubi consecuti sunt, gavisi sunt, ut ingenti aliquo ac praestanti bono. IV. Putabant etiam διορισταὶ esse, qui liberos procreare non possent. itaque afficiebantur etiam quibusdam ignominiis. V. Apud Massilienses timuchi, id nomen erat summi magistratus, esse non poterant, qui liberis carerent. VI. Apud Lacedaemonios, cum alioqui haberetur maxime honos senectuti, negligebantur tamen ii senes, qui liberos non procreassent, ac multae etiam quaedam erant legibus in eos constitutae. VII. Apud Romanos quoque & τῇ πολυπαιδίᾳ sua praemia constabant, quod ex jure trium liberorum intelligitur, & lege Papia Poppaea, qui liberis carerent, puniebantur. Ex quibus omnibus intelligi puto, liberorum procreationem esse non contemnendam partem felicitatis, vereque Menander: Ὀλιγάρκη ἐστὶν ἀτυχῆσαι τὸ βίῳ Ἔχοντ' ἴσαμον δαιμόνιον τῷ εἰδέναι: Sed id ita demum verum est, si liberi bonis moribus praediti sint. I. Recte enim idem Menander: οὐκ ἔστι μείζων ἰδεῖν τούτου πατρὶ Ἢ σωφρονοῦντα καὶ φρονοῦντ' ἰδεῖν υἱὸν τὸν ἑαυτοῦ. II. Et sapientissimus ille rex Hebraeorum ait, sapientem filium, patris gloriam esse. III. Lacedaemonia quaedam mulier alteri mulieri Ionicae aurum & gemmas suas, ceterumque mundum muliebrem ostentanti, filios ostendens, & corpore robustos ac praevalidos, & iis moribus praeditos, qui Spartam decerent: At hic, inquit, est meus ornatus. IV. Nos quoque omnes, quasi quodam naturae instinctu cum adolescentes eximie pulchros, aut eximia virtute praeditos videmus, beatos esse co-

eorum parentes praedicamus. cujus rei etiam in divinis litteris exempla extant: & in profanis. Sic apud Homerum Ulixes Nauſicaam videns exclamat: Εἰ δή πὲς ἐσσὶ βροτῶν, τοὶ ἐπ' χθονὶ ναιετάουσι, Τερπικέραυνε μὲν σοί γε πατὴρ ἠδὲ πότνια μήτηρ. Unde illa a noſtris expreſſa ſunt: *Felices qui te talem genuere parentes.* &, *— puer o dignisſime credi Eſſe Deus, ſeu tu Deus es (patèr eſſe Cupido) Sive es mortalis, qui te genuere, beati, Et mater felix,* &c. Et ſenex ille Terentianus, cum ingenium ac mores filii ſui commendaſſet, addit: *Cum id mihi placebat* &c. At contra nihil infelicius eo patre, qui liberos ſuos vitioſos & omnibus vitiis coopertos videt: etiamſi ceteris omnibus affluat. Neque quicquam eſt, quod vitam magis inſuavem acerbamque reddat. Themiſtoclis matrem, cum filius initio male ſe gereret, & propter vitia a patre abdicatus eſſet, ajunt quidam laqueo ſibi fauces eliſiſſe. Falſum id quidem eſſe aic Plutarchus: ſed tamen, ſi verum eſt, multum valet ad oſtendendum, quantum dolorem parentes ex improbis filiis capiant. L. Brutus is, qui, expulſis Tarquiniis, hanc urbem dominatu regio liberavit, felix videri poterat, ſi ſui ſimiles liberos ſuſtuliſſet. At cum, quam urbem ipſe liberaverat, de ea iterum in ſervitutem redigenda filios ſuos conſilia iniiſſe comperit, coactusque eſt pater ignominioſae filiorum morti non intereſſe modo, verum etiam praeeſſe, quo illum animo fuiſſe credimus? Laudatur quidem illius conſtantia, qui patriae caritatem amori filiorum praetulerit, & flentibus ceteris, unus ipſe ſiccis oculis non ſpectaverit tantum, ſed etiam imperaverit, ut nudarentur filii, ut caederentur virgis, poſtremo ut ſecuri ferirentur. Sed tamen quin ea ex re incredibilem dolorem hauſerit, nullo modo fieri poteſt. Itaque vere & merito ſapientiſſimus poëtarum illum eo nomine infelicem vocat: *Conſulis imperium* &c. Narrabo hiſtoriam minime pervulgatam, minimeque contritam, eandemque, niſi me fallit animus, valde appoſitam ad id, quod nunc agitur, confirmandum. Demonaſſa quondam apud Cyprios regnaſſe perhibetur. Ei mulieri cuncta erant, quae putantur facere ad felicitatem, genus nobiliſſimum, regnum opulentiſſimum, virtus & ſapientia ſupra ſexum. Sola proles ei, ne felix eſſet, obſtitit, ſola felicisſimam futuram, miſer-

ſerrimam atque infelicisſimam effecit. Tres haec regina leges tulerat, totidemque liberos ſuſtulerat, feminam unam, mares duos. Prima lex, ut qui bovem aratorem interfecisſet, capite plecteretur: altera, ut qui ipſe ſibi manus attulisſet, abjiceretur inſepultus: tertia, ut quae ſe mulier adulterio turpificasſet, tonſa coma proſtare ad omnium libidinem cogeretur. O fortuna, ut quaedam interdum efficis ejusmodi, ut ea non fortuito accidisſe, ſed conſulto ac compoſito ita geſta esſe videantur. Ternos huic mulieri liberos, tres ab ipſa latae leges ademerunt Filia adulterii convicta, cogente lege, ex domo regia in lupanar abducta eſt. filiorum alter, interfecto per juvenilem petulantiam bove, capite poenas luit: alter cum mortem ſibi prae dolore conſcivisſet, inſepultus abjectus eſt. Obduruit tamen miſera mater ad tempus: neque tanta calamitatum vis armatum ſapientiae praeceptis animum ſtatim expugnare potuit. Sed cum aliquando bovem feminam caeſo juvenco miſerabiliter immugientem conſpicata esſet: ut aqua per aliquod tempus retenta, vehementius poſtea erumpit, ita cohibitus aliquamdiu, & compresſus dolor majore ſe impetu univerſus effudit. Imperat mulier magnam aeris vim disſolvi ac liquefieri, atque in eam ſe praecipitem dedit. Ejus ſepulcro columna impoſita eſt cum verſu Graeco, qui eam ſapientem quidem fuisſe, ſed infelicem teſtaretur.

Ut ad Romana exempla, quibus utor libentius, redeam, Octaviani Auguſti ſingularem quandam felicitatem fuisſe quis neſcit? Nam neque ipſe eam disſimulavit, qui Lucio nepoti, cum eum in Armeniam mitteret, precatus dicitur Scipionis fortudinem, Pompeji caritatem, fortunam ſuam. & populus Rom. multis annis poſt eandem ſuo teſtimonio comprobavit, novis imperatoribus acclamare ſolitus, ſis felicior Auguſto, melior Trajano. Huic tamen filiae, & neptis turpitudo quantum inflixit dolorem? quas omnibus probris contaminatas cum relegasſet, diu prae pudore hominum congresſu abſtinuit: de filia etiam necanda deliberavit. atque ad omnem earum mentionem ingemiſcens exclamabat:

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε μένειν, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

neque eas aliter vocare ſolitus erat, quam tres vomicas ſuas, aut ſua tria carcinomata. Tantam filiorum improbitas patribus objicit acerbitatem.

At

At ne illi quidem extra omnem fortunae aleam positos putare se debent, quibus boni & laudabiles filii divino beneficio contigerunt. Quanto enim meliores carioresque sunt, tanto majorem inurunt dolorem, si immatura morte rapiantur. Neque mihi quisquam hoc loco objiciat exempla eorum, qui magno & constanti animo filiorum mortem pertulerunt. Scio, quid de Horatio Pulvillo traditum sit, qui audita filii morte, ne postem quidem, quem tenebat, omisit. Memini, quid de Pericle narretur, qui amissis intra quatriduum duobus maximae spei filiis, nihil ex solito more mutavit. Laudo Xenophontis animum, qui cum solenne sacrificium perageret, audita morte Grylli, filii sui majoris natu, neque omisit, quod coeperat, & se majorem ex illius virtute laetitiam, quam ex morte molestiam percipere professus est. Talium exemplorum nos quoque abundamus, magnosque illos viros ac praeclaros fuisse dicimus, felices negamus. Neque mihi quisquam persuaserit, non multum detractum esse de felicitate L. Aemilii Paulli, quod e duobus filiis, quos ipse sibi reliquos fecerat, alter quatriduo ante patris triumphum, alter triduo post eundem triumphum expiravit. Vix quenquam puto esse, qui hos de Marcello Virgilii versus sine lacrymis legat: *Atque hic Aeneas*, &c. Quantum ex re ipsa Augusto, & Octaviae dolorem credimus, cum hodie nobis lacrymas memoria excutiat? Jovem ipsum Homerus inducit ingemiscentem, quod mortem avertere a filio Sarpedone non posset: Αἰ γὰρ ἐγὼν, ὅτε μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν Μοῖρα ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι. Felicior igitur Q. Metellus, qui cum & genere, & opibus, & honoribus, & virtute, & rebus gestis clarissimus esset, senex mortuus illatus est in rogum a quatuor filiis, uno praetorio, tribus consularibus, duobus triumphalibus, uno Censorio. Rara hujus generis exempla sunt: sed & in humanis rebus nihil rarius felicitate.

C. IX. Ὅτι δὲ δικαίως] Quoniam multa, eaque non unius generis bona ad felicitatem requiruntur, ut antea diximus, ne constitit quidem satis inter omnes, quaenam causa efficiens felicitatis esset. Nam ut ad ipsum proximi capitis finem dictum est, quidam, qui intelligerent, eam in exercenda virtute consistere, neque satis acute virtutem a virtutis exercitatione distinguerent, idem

Digitized by Google

omnino felicitatem, quod virtutem esse dixerunt. Rursum alii obtusiores etiam atque hebetiores, cum viderent, hominem absolute felicem esse non posse, qui non abundaret & iis bonis, quae in corpore sunt, & iis, quae extrinsecus, quae videntur ex quadam fortunae prosperitate pendere, idem esse felicitatem, & εὐτυχίαν judicarunt. Inde necesario exiterunt diversae opiniones de ea caussa, quae in se felicitatis efficientiam contineret. Aliam enim caussam adferebant, quibus placebat virtutem & felicitatem idem esse, aliam, quibus felicitatem & εὐτυχίαν. Illi disciplinam aut consuetudinem, aut exercitationem, prout quisque virtutem aut ἄσκησιν, aut ἔθος, aut ἄσκησιν καὶ ἔθος esse ducebat: hi aut in deorum benevolentia, aut in fortuna posita esse omnia statuebant. Has igitur opiniones hoc loco expendit, & inter se contendit Aristoteles, quaeritque, quomodo paretur homini felicitas, ἀσκήσει, ἔθει, ἢ ἄσκησει καὶ ἔθει, an potius deorum munus sit, an fortunae. Quaedam enim sunt, quae homines discendo comparant, ut scientiae: quaedam, quae consuetudine adhibita, ut eae virtutes, quae actione cernuntur: quaedam, quae exercitatione, ut agilitas quaedam corporis, aut robur, aut in animo memoriae vis: quaedam diis accepta ferunt, ut pulchritudinem, aut nobilitatem: quaedam fortunae, ut si quis agrum fodiens, thesaurum reperiat. Est autem diligenter hoc loco animadvertenda vis vocum: ne, ut quidam, errore ducti, idem esse consuetudinem & exercitationem putemus. Etenim in consuetudine saepius idem fit: at in exercitatione, usque ad aliquem modum, paulatim assidue aliquid additur. Itaque consuetudine fit, ut semper idem facere velimus: exercitatione, ut quotidie majus aliquid praestare possimus. Est qui diutissime se ita assuefecerit, ut senas uncias cibi quotidie caperet, neque plus unquam, neque minus: sed sex uncias ipsas. Hic sive quid detraxeris, sive addideris, offendetur. Haec consuetudinis vis est. At Milo Crotoniates cum vitulum quotidie gestaret humeris, etiam taurum effectum gestasse narratur. Exercitatio haec fuit. Crescebat enim paulatim vitulus, & sic quotidie accedebat aliquid ad pondus illius. Sic qui hodie viginti versus ediderit, si cras imperet sibi, ut ediscat viginti quinque, perendie, ut triginta, atque ita quotidie addat aliquid, paulatim ad

quin-

quingentos, aut eo amplius perveniet. Interest igitur inter consuetudinem & exercitationem. Consuetudine fit, ut idem facilius & libentius fiat: exercitatione, ut assidue plus aliquid aeque facile fiat. Consuetudo esse potest sine ullo conatu, ut consuetudo vescendi quotidie lautis cibis, aut a prandio dormiendi: at exercitationi semper conatus aliquis adjunctus est. Quamquam autem nondum pervenimus ad eum locum, ubi proprie disputandum est, quomodo paretur virtus, admonebo tamen ὡς ἐν παρόδῳ, haec tria ad comparandas virtutes necessaria esse. Nam πρὸς πᾶσαν διανοητικὴν necessaria est μάθησις: ad eas autem, quae ἠθικαὶ nominantur, primum quidem exercitatio, postea vero consuetudo. Quoniam enim natura subitas mutationes non patitur, iccirco qui vitio aliquo laborant, primum quidem exercendi sunt, ut paulatim abducantur ab eo, in quo peccant, & propius adducantur ad mediocritatem. Ubi autem eam attigerunt, consuefaciendi, ut in eo perseverent. Est autem, ne quem hoc forte perturbet, aliud exercitatio ad virtutem, aliud exercitatio virtutis. Illa praecedit habitum, & ad eum comparandum refertur: haec sequitur habitum jam comparatum. Graeci haec ut re distincta sunt, ita nominibus etiam distinguunt, illam ἄσκησιν vocantes, hanc ἐπιμέλειαν. Latinis non eadem copia. Itaque necesse habui admonere. Nunc Aristotelem ipsum audiamus.

Ὅθεν τὴν δύναμιν] Quinque causas proponit, μάθησιν, ἔθισμὸν, ἄσκησιν, θείαν μοῖραν, καὶ τύχην, ex quibus fortunam quidem penitus rejicit, de ceteris autem ita disserit, ut non obscure ostendat, cum duo sint genera eorum, quae divinitus dantur: unum eorum, ad quae nihil confertur a nobis, ut forma, nobilitas, εὐφυΐα: alterum eorum, quorum nos quoque συνεργοὶ & συναίτιοι sumus, felicitatem esse ex hoc posteriori genere: nam & datur a Deo, & tamen non datur otiosis ac nihil agentibus, sed iis, qui disciplina, exercitatione, consuetudine se ipsos ad omnem virtutem atque honestatem colendam compararunt.

Εἰ μὲν οὖν] Si quid datur hominibus a Deo, felicitatem rationi consentaneum est dari, cum sit omnium bonorum praestantissimum. Nihil autem dari a Deo hominibus, non tantum impium esset dicere, verum etiam absurdum & manifesto falsum. igitur etiam felicitas ab eo da-

Digitized by Google

datur. Quod autem quidam hoc loco, quod ipsi fortasse sentiebant, id Aristotelem sentire voluerunt, Deum videlicet non curare humana, neque quicquam tribuere hominibus, id quam falsum sit, ita cernet, quasi ea quae cernuntur oculis, si quis attente legerit caput octavum, & caput nonum decimi horum librorum.

Ἀλλὰ τοῦτο μὲν] Felicitas duobus modis considerari potest: vno modo, ut est donum Dei, & tunc illius consideratio pertinet ad eas disputationes, quae instituuntur de natura deorum, & περὶ προνοίας altero, ut nos quoque studio nostro aliquid conferimus ad eam comparandam. & ita hic a nobis consideranda est, ubi de formandis hominum moribus disputamus.

Κἂν εἰ μὴ θεόπεμπτος] Non est ita θεόπεμπτος, ut sunt ea, ad quae nihil plane confertur a nobis.

Εἰ δ' ἂν καὶ πολύκοινον] Quod non esset, si posita esset in fortuna.

Μὴ πεπηρωμένοις] Ut qui non sunt mente capti, aut caeci, aut surdi, aut aliquo ejus generis vitio affecti.

Εἴπερ τὰ κατὰ φύσιν] Praestantissima quaeque efficiuntur a praestantissimis caussis, cujusmodi sunt natura, & ars, & similes. At fortunae, quae omnium caussarum abjectissima est, & tantum caussa κατὰ συμβεβηκὸς, tribuere praestantissimum effectum, nimis absurdum & alienum esset.

Συμφανὲς δ' ἐστὶ] Etiam ex ipsa definitione felicitatis, quae a nobis tradita est, constat, eam non pendere ex fortuna. nam diximus eam esse certam quandam exercitationem virtutis. ei autem nihil cum fortuna commune est.

Τῶν δὲ λοιπῶν] Ceterorum bonorum quaedam inesse a natura necesse est: alioqui enim nunquam comparabuntur: ut κάλλος καὶ εὐγένειαν: alia utilia sunt ὀργανικῶς, ut opes & amici.

Ὁμολογούμενα] Magnum argumentum veritatis est consensus & constantia. Ostendit igitur, se sibi constare, & quae nunc dicit, concinere cum iis, quae initio dixerat. Tunc enim tradiderat finem politices esse summum hominis bonum. at politice nihil sibi aliud proponit, quam ut cives in satis magna necessariarum rerum copia, virtutem exerceant.

Εἰκότως οὖν] Praeter hominem nullum animal felix esse potest. Solus enim homo ad virtutem exercendam natura aptus est.

Διὰ παίπαλα δὲ] Bestiae nunquam sunt felicitatis capaces: pueri nondum.

οὐδὲ παῖς] Pueros cum belluis saepe conjungit: ut in rhetoricis, ἐάν τις πολὺ καταφρονεῖ, ὥσπερ παιδίων ἢ θηρίων. & ibidem lib. 2. ἥδεως γὰρ παιδία καὶ θηρία αἰσχύνῃ). & septimo horum librorum: τὰ παιδία καὶ τὰ θηρία διώκει τὰς ἡδονάς. & septimo ad Eudemum: οὐκ ἂ τοῖς παιδίοις καὶ τοῖς θηρίοις, ἀλλὰ τοῖς καλοῖς.

Διὰ τὴν ἐλπίδα] Cicero de repub. *O Fanni, difficilis caussa laudare puerum. non enim res laudanda, sed spes est.* Citat Servius in sextum Aeneidos.

Ποθεῖ γὰρ] Vetus interpres, ποθεῖ δ'. Videtur autem caussam reddere, cur in definienda felicitate addiderit illud ὁ βίος πλάνος, nimirum, quod in vita hominum nihil stabile sit. ἡ ἀνθρωπίνη δύναμις ἐοικυῖα ἑαυτῇ οὐ τέτυκται μένει. Herod. sed infinitis mutationibus obnoxia & expositа omnia. quod quidem ita verum est, ut Theophrastus pronunciaverit: *Vitam fortuna regi, non sapientia.* ita enim Cicero expressit eum Euripidis versum: Τύχη τὸν ἄνθρωπον πρόσγμασ', οὐκ ἀβουλία. Nam & e summis fordibus multi evehuntur ad summas opes, & e summis opibus multi rediguntur ad mendicitatem. Neque aut rara, aut obscura talium mutationum exempla sunt. Agathocles e figulina ad Siciliae regnum evectus est, in quem est Ausonii epigramma: *Fama est fictilibus*, &c. At Dionysius junior cum in eadem Sicilia regnasset, senex Corinthi ludum litterarium exercuit. de quo narrat Plutarchus, id ipsi a patre quodam modo praedictum esse. Nam cum filium adolescentem in alienas uxores contumeliosum esse comperisset, vocatum ad se objurgavit, quaesivitque ex eo, num quid se tale adolescentem fecisse audiisset. Tum filius, *Tu enim*, inquit, *pater, patrem regem non habebas.* At pater, *Ne tu quidem*, inquit, *fili, filios habebis reges, si istos mores colere perrexeris.* E serva natus Servius Tullius in hac urbe regnavit: quique liber natus non erat, imperaturo terris omnibus populo imperavit. At Persei Macedonum regis filius, ut esset, unde viveret, fabris operas suas locabat; de quo ita nos olim in quadam epistola scripsimus: *Cui non Sicaniae notus dominator opimae, Qui de figlina est ad regni evectus habenas? At contra Persei, qui claram rexerat olim Pallenen, natus, fortunae ludibrium, amplos Inflabat folles,*

&

Digitized by Google

& *regis filius, unco Impositam incudi versabat forcipe massam.* Unius annuli beneficio Gyges e pastore rex factus est. Plato 2. de repub. Cic. 3. de off. aliter Herodotus lib. 1. At Polycrates e regno in crucem adactus, cujus vel unius exemplo intelligi potest, quod ait Aristoteles, fieri posse, ut qui per totam reliquam vitam prosperrima fortuna usus sit, senex in maximas incidat calamitates. Rex hic Samiorum fuit: ita in omnibus rebus fortunatus, ut ne minimam quidem unquam ulla ex re sensisse molestiam diceretur. Herodotus lib. 3. Vide & Plinium cap. 1. lib. 37.

Περὶ Βελέμαχον] Qui cum Asiae rex esset, & quinquaginta liberorum pater, & regno & filiis superstes, hostibus ludibrio fuit. Res notior, quam ut pluribus explicari debeat.

C. X. Πάντων δὲ] Adductus iis, quae ad finem superioris capitis dicta sunt, quaerit de dicto quodam Solonis, neminem videlicet ante obitum felicem nominandum, quod Aristoteles, ut mihi quidem videtur, non tam reprehendit, quam interpretatur, ut id Solon Croeso dixerit, quidque postea consecutum sit, ut id Croesus verum esse cognosceret, copiose narrat Herodotus lib. 1. & Plutarchus in Solone. & satis nota historia est. Videntur autem optimi quique & sapientissimi scriptores Solonis sententiam comprobasse. Sophocles in Oedipode tyranno in extrema fabula: Ὥστε θνητὸν ὄντ' ἐκείνῳ &c. Et principio Trachiniarum: Λόγῳ μὲν ἐκ τοῦ ἀφανοῦς &c. Euripides in Troadibus: — τὸ δ' εὐτυχοῦντα μηδένα νομίζειν ἄθλιον, πρὶν ἂν θάνῃ. Et in Andromacha: χρὴ δ' ὑμνεῖν εἰς ἔσχατ' ἐλθόντ' ἄνδρα &c. Citatur & ex Sophocle: Μήπω μὲν εἴπῃς, πρὶν τελευτήσαντ' ἰδῇς. Et hi versus Dionysii tyranni esse dicuntur: Θνητὸν ὄντα μηδὲν μηδὲν ἄλλο πλὴν κενὸν, πρὶν αὐτὸν εἰ τελευτήσαντ' ἰδῇς. Et ἐν Φαλεῖ τὸ Θανόντ' ἐπαινεῖν. Et apud nos Ovidius: — *sed scilicet ultima semper* &c. Et Euripides Heraclidis: Τὸν εὐτυχοῦντα δυστυχῆ μὲν ζῆλῶ, πρὶν δὲ θανὼν ἴδω νιν, οὐ τοιμῶ τόλμᾳ. Sed & sacri scriptores idem confirmant. Basilius in 1. Psalm. Ὁ μὲν γὰρ ἐν τῷ βίῳ &c. Sed nihil videtur necesse plura colligere. Duas igitur hoc loco quaestiones proponit Aristoteles: unam, verumne sit hoc dictum Solonis: alteram, quomodo intelligi debeat. Posteriorem priore loco tractat, quoniam

veritas, nisi intellecto eo, quod dicitur, dijudicari non potest.

Εἰ δὲ δὴ τὸ θνητὸν ἄπας] Quaerit, sitne ita accipiendum id, quod ajebat Solon, ut tum denique, cum mortuus homo est, eum felicem esse dicamus. Deinde ostendit, neque videri Solonem ita intellexisse, neque hoc ullo modo dici posse, praesertim a nobis, qui felicitatem esse dicimus, ἐνέργειαν. mortui enim οὐκ ἐνεργοῦσιν.

Εἰ δ' μὴ λέγομεν] Ostendit, quomodo accipiendum sit dictum Solonis: ita videlicet, ut intelligamus, tunc demum vere dici posse felicem aliquem fuisse, cum excesserit e vita. tum enim est extra aleam fortunae. at quam diu vivit, ex optimo statu in calamitosissimum delabi potest. Deinde docet, ne sic quidem tolli omnem dubitationem. Nam ut vivo, neque tamen sentienti, potest accidere aliquid mali, ita videtur posse & mortuo. Verba autem Aristotelis & exempla, quibus utitur, satis per se perspicua sunt.

Ἄτοπόν γ'] Utrinque absurditas. Sive enim dicamus, fortunas posterorum ad mortuorum felicitatem, aut infelicitatem pertinere, consequetur, eos modo felices esse, modo infelices: quod absurdissimum est: sive non pertinere, id quoque alienum ab ea, quae vulgo recepta est, opinione videbitur.

Ἀλλ' ἐπανιτέον] Redeundum esse ait ad eam, quae initio proposita est, quaestionem. ita enim hanc quoque commode explicatum iri: cum ex illa pendeat.

Εἰ δὴ τέλεος] Si mortuus recte felix dici potest, non quod tum sit felix, sed quia fuerit, qui sit, ut, cum felix est, felix dici non possit? Etenim quicquid vere dicitur fuisse, necesse est idem aliquando vere dici potuerit esse.

Διὰ τὸ μὴ βέβαιος] Dicat aliquis, iccirco viventes minus recte vocari felices, quia fortuna mutabilis est, & inconstans: felicitatem autem firmum quiddam & stabile volumus. Cum igitur crebrae sint fortunae conversiones, idemque nunc amicam, nunc adversam experiatur, eaque quasi in orbem agantur, si fortunam sequamur, felicem chamaeleonti similem esse dicemus, & fragili admodum fundamento subnixum.

Χαμαιλέοντα] Hunc ajunt in metu colorem mutare: unde Tertullianus libro de pallio ait, *eum de corio suo horrere*,

Digitized by Google

dere. imitatur autem omnes colores praeter album, ut ait Plutarchus in libello, πῶς ἄν τις διακρίνοις τὸ κόλακα τοῦ φίλου. aut, ut ait Plinius, *praeter rubrum & candidum*. Qui plura cupit, legat Aristotelem lib. 2. de natura animalium, & Plinium lib. 8. cap 33. & Theophrastum in libro περὶ τῶν τὰς χροὰς μεταβαλλόντων. Simile quiddam de polypode pisce narratur.

Ἢ τὸ μὲν ταῖς τύχαις] Hic demum incipit explicare sententiam suam, negatque rectum esse fortunam sequi, atque ex ea modo felicem aliquem, modo infelicem judicare. Quanquam enim iis quoque bonis indiget vita humana, quae dicuntur a fortuna tribui, non tamen in eis, sed in laudabilibus actionibus, aut turpibus posita est praecipua pars felicitatis aut infelicitatis.

Μαρτυρεῖ δὲ τῷ λόγῳ] Ea dubitatio, quae modo allata est, confirmat traditam superius felicitatis definitionem. Eam enim, ut opinor, etsi alii aliter sentiunt, vocat τὸν λόγον. Nam ex iis, quae paulo ante in dubitationem adducta sunt, intellectum est, felicitatem stabilissimum ac firmissimum quiddam esse.

Οὐδὲν γὰρ] Nam, cum scientia videatur esse quiddam admodum stabile, ac firmum, facilius tamen delebitur oblivione scientia, quam ut vir vere bonus repudiatis honestis actionibus animum ad turpes & inhonestas adjiciat.

Ὑπάρξει] Videtur significare, eum, qui vere est vir bonus, nullo modo abduci posse a virtutis studio: neque unquam fore, ut aut intumescat rebus secundis, aut dejiciatur adversis: sed in utraque fortuna moderatum fore. Alibi tamen sentit, ut ex malis bonos, ita ex bonis malos posse fieri, ut in categoriis, cum ait, καὶ εἰς σπουδαίου φαῦλον, καὶ εἰς φαύλου σπουδαῖον δυνατὸν γενέσθαι. & notus est versiculus Hesiodi: Αὐτὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς πότε μὲν κακὸς, ἄλλοτε δ' ἐσθλὸς. & Theognidis: Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι Συμμιγῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. Et extat longa disputatio Socratis in eandem sententiam lib. 1. ἀπομνημ. Xenophontis. Sed nimirum hic sermo est de perfectiori quadam virtute, quaeque bene penitus in animo insederit, ac radices egerit. eam negat ulla fortunae vi labefactari posse. Atque hoc ipsum dicit Horatius: *Justum & tenacem* &c.

Ὅ γ' ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς] Verba sunt ex asmate quodam

Simonidis: ἄνδρα ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι, χαλεπὸν, χερσί τε καὶ ποσὶ νόῳ τετράγωνον ἄνευ ψόγου πεπυγμένον. Videtur autem bonum & fortem virum vocasse *quadratum*, qui stat semper, neque ullo fortunae impetu dejici potest. sic enim & quadratum corpus, id est, cubus, quomodocunque jaciatur, ita cadit, ut rectum permaneat. Ex illo Simonidis asmate cum haec, tum alia multa citantur apud Platonem in Protagora, deque iis varie disputatur. Meminit & hujus metaphorae Aristoteles 3. rhet. Fortassis etiam eo virum bonum quadratum vocavit, quod undique aequalis sit & sui similis. Nam cum duae omnino figurae sint, omni ex parte aequales, quadratum & rotundum, ut Simonides vocavit virum bonum *quadratum*, ita Horatius eundem *teretem & rotundum* nominavit. *Quisnam igitur liber?* &c. quem imitatus est Ausonius in eo carmine, quod vulgo tribuitur Virgilio: — *mundi instar habens, teres atque rotundus, Externae ne quid labis per levia sidat.* Medici quoque quadrata vocant corpora, firma & bene compacta, quaeque non facile offenduntur a rebus externis.

Πολλῶν δὲ γενομένων] Quaedam eorum, quae immittuntur a fortuna, tum laeta, tum tristia, ita exigua sunt, ut nihil momenti habeant, neque ad felicitatem, neque ad infelicitatem. Quaedam habent quidem momenti aliquid, sed tamen nulla est tanta calamitas, quae virum bonum infelicem possit efficere.

c. IX. Τὰς δὲ τῶν ἀπογόνων τύχας] Hoc capite explicat eam quaestionem, quam paulo supra proposuerat: ecquid posterorum fortunae ad mortuos pertineant, eosque afficiant, an minus. In qua pertractanda primum ponatur a nobis, animos hominum esse immortales. Nam frustra haec omnia quaererentur, si animi cum corporibus interirent. Secundo, plures esse & distinctas hominum mentes: non, ut quidam volunt, unam omnium. nam sic quoque posita immortalitate, ut eam Averroës, & quidam alii ponunt, id est, ita ut post mortem nihil supersit Platonis aut Socratis proprium, inanis omnino haec & supervacanea quaestio esset. Neque laborandum est, etiamsi haec naturalibus argumentis probare nequeamus, neque fortassis dissolvere rationes quasdam, quas afferunt ii, qui contrarias opiniones tuentur. Naturalis enim omnium gentium consensus multo plus ponderis apud

apud nos, quam omnia istorum argumenta, habere debet. Φήμι δ' ὑπὸ πάμπαν, &c. Neque quicquam est aliud gigantum more bellare cum dis, quam repugnare naturae, & insitas ab ea in omnium animis opiniones acutis & captiosis ac fallacibus conclusiunculis velle subvertere. Itaque ut senes illi Trojani apud Homerum dicebant, pulchram quidem & elegantem esse Helenam, sed tamen ablegandam & remittendam ad suos, ne exitio esset civitati: ita nos, si quando offeretur nobis ab istis acutum aliquod argumentum, quo colligatur, aut Deum non cognoscere res singulas, aut non curare humana, aut animos interire una cum corporibus, aut si quid superst, commune quiddam esse, & ut unum solem, ita unam esse omnium mentem, aut alia aliqua venenata pestifera opinio, quasi melle, ita specie quadam doctrinae & eruditionis illita, respondeamus: Ingeniosus quidem es, o bone, & eruditus, & in disputando potens: sed habe tibi istas praeclaras rationes tuas: ego eas, ne mihi exitiosae sint, admittere in animum meum nolo. Accipite enim, optimi & gravissimi viri, qui non discendi aliquid ex me, qui vobis doctrina inferior sum, sed, ut ego quidem interpretor, honoris mei & vestrae cujusdam erga me benevolentiae causa, auditorium hoc quotidiana vestra praesentia cohonestare dignamini, vosque, studiosissimi adolescentes, quos ea, quae hic ex me auditis, vita & moribus expressuros esse confido: accipite praeclaram & immortali memoria dignam summi philosophi, Aristotelis sententiam, quam in omnibus hujus generis disputationibus teneatis, quam sequamini, ad quam sensus cogitationesque vestras perpetuo dirigatis. Ex illius enim divini hominis pectore, tanquam ex augustissimo quodam sapientiae sacrario atque adyto, haec prodierunt, quae primo Ethicorum ad Eudemum leguntur: Προσέχειν δὲ δεῖ πάντας τοῖς διὰ τῶν λόγων, ἀλλὰ πολλάκις μᾶλλον τοῖς φαινομένοις. Convertam haec in Latinum sermonem: utinamque possem in omnes omnium populorum linguas convertere, atque in omnium hominum animis, ita ut nunquam delerentur, insculpere: *Non semper, neque omnibus in rebus assentiendum est iis, quae rationibus & argumentis probantur; imo potius ea plerumque tenenda, quae communi hominum sententia comprobantur.* Quid enim est tam falsum, tamque abhorrens a vero, ut non

ad id probandum ab ingeniosis, & exercitatis hominibus argumenta excogitari queant? Nihil est tam molle, tam tenerum, tam flexibile, tam cereum, quam oratio, neque quicquam est tam absurdum, quin dicendo probabile fieri, neque tam verum & exploratum, quin dicendo in dubium vocari, aut etiam coargui queat. Quam multa collegisse olim Meto Athenienſis dicitur, quibus ostenderet, caelum stare, terram autem perpetuo moveri? Quam certo crediderunt veteres, *Solem* a Luna proximum esse? Quam firme sibi persuaserant, e quinque terrae partibus duas extremas ob frigus, mediam ob calorem immoderatum esse inhabitabilem? Quae tamen falsa esse postea constitit. At rationes, quibus ea efficiebant, necessariae illis temporibus videbantur. Vidistisne unquam in densa & tenebrosa nocte accensam aliquam facem e longinquo loco micantem? Illam igitur, quamvis disitam, videbatis: neque tamen quicquam in illo longo interjecto inter oculum vestrum & facem, densis obsito tenebris spatio, videre poteratis. Idem putatote animis accidere. Saepe animus noster veritatem alicujus enunciationis, tanquam eminus fulgentem ac collucentem videt: etiamsi propter illam, qua circumfusus est, caliginem, videre ea, quae intermedia sunt, & per quae ad eam pervenitur, non potest. Ut igitur si quis tibi sophista probare vellet te hominem non esse, aut canem, qui esset pater, idemque esset tuus, iccirco esse patrem tuum, etiamsi fallacibus illis syllogismis propter dialecticos imperitiam respondere non posses, non tamen demoveris a cognita veritate, neque haberes fidem iis, quae ab eo concluderentur: ita si quis aliquam tibi impiam sententiam confirmare argumentis velit, etiamsi non possis, quae ab eo proponuntur, dissolvere, permanere tamen, ac perstare debes in eo, quod verum esse tot jam saeculis perpetua omnium gentium consensio comprobavit. Si iter aliquod ingressurus, duas videres vias, quae eodem ferrent, veram unam expeditam, planam, tutam, & eo quo constituisses, sine ulla erratione ducentem: alteram tortuosam, asperam, periculosam, & quam qui sequerentur, propter varios & multiplices anfractus saepe aberrarent, dubitares, utram potius eligeres? Duae sunt viae, quibus homines ad aliquam cognitionem Dei & animi sui pervenire posse se putant; aut enim eo conten-

Digitized by Google

tendunt disputando, & cur quicquam ita sit, subtiliter inquirendo: aut sine ulla dubitatione credendo & assentiendo iis, quae majores summo consensu, partim naturali lumine cognita, partim divinitus inspirata tradiderunt. Illam qui secuti sunt, omnibus saeculis in varios ac multiplices errores inciderunt. At haec illorum signata est & impressa vestigiis, quos in caelum sublatos veneramur & colimus. Illam igitur relinquamus, hanc sequamur; maneatque ac fixum sit hoc, quicquid contra dicatur, neque mori animos, & suam cujusque esse, etiam post funus, propriam mentem a ceteris separatam atque distinctam. Quibus positis, id quod ab Aristotele proponitur, consideremus, quid vere de hac quaestione dici queat. Pertinentne ad quemque ea quae, ipso mortuo, liberis, propinquis, amicis eveniunt? Et, estne in mortuis eorum sensus aliquis? Omnes dubitationes aut experientia aut ratione explicantur. Hic experientiae locus non est. Rationibus igitur agendum est. Rationes autem prope esse tantum probabiles possunt. Probabilia autem sunt, ait Arist. 1. top. &c. Omnes homines videntur quodam modo putare, ea quae post se futura sunt, ad se pertinere. Alioqui enim negligerent famam, de qua optimus quisque maxime laborat. Dictum Antigonae apud Sophoclem. Et Cicero ad Atticum. Et declarant testamenta, fideicommissa, substitutiones, tutorum dationes, eam esse hominum opinionem. Immo vero odiosissimae sunt, & nefariae habentur voces quaedam eorum, qui significabant, se quid post mortem suam eventurum esset, non laborare. qualis est illa, Ἐμοὶ θανόντι γαῖα, &c. Ex sapientibus antiquissimum habitum est genus poëtarum. Itaque despicienda non sunt, quae ab eis dicuntur. Apud Virgilium Dido veretur manes mariti. ideoque dubitat Aeneae nubere. Itaque Annae necesse fuit adversus illam opinionem disputare: *Id cinerem*, &c. Anchises mortuus admonet Aeneam, &c. *Me pater Anchises, quoties humantibus umbris, Nox operit terras, quoties astra ignea surgunt, Admonet in somnis, & turbida terret imago.* Eodem pertinet exemplum Protesilai. Quanquam autem haec figmenta sunt, sunt tamen figmenta sapientissimorum hominum, non vana & inania: sed utilia ad instituendam vitam. Quod si poëtica parum habent auctoritatis, va-

leant tamen aliquid verba Cyri morientis apud Xenophontem, & similia. Justinianus ait, eam mulierem, quae susceptis ex priore matrimonio liberis, &c. Ergo judicat, sensum ejus rei ad maritum pervenire. At Aristoteles περὶ ψυχῆς, memoriam, amorem, odium, & similia adimit animis a corpore separatis. Sed ibi loquitur φυσικῶς. in his autem libris sequitur id quod ab omnibus creditur: quodque, etiamsi, cur ita sit, ostendi non queat, mordicus tamen tenendum est. Sed, iis omissis, quaeramus, quid Christianis tenendum sit. Et de beatis quidem, existimo, eos vicere ea quae a nobis fiunt: & gaudere cum quid a nobis bene fit. Nam cum videant videntem omnia, in eo vident omnia. Gaudent autem, bene agentibus nobis: quia caritas in eis nunquam extinguitur. Et cum adsidue preces pro nobis fundant, ignorare non possunt, quomodo nobiscum agatur. Et quanquam ad ipsorum felicitatem, quae omni ex parte cumulata est, nihil adjici potest, additur tamen aliquid ad gloriam, cum a nobis honos illis exhibetur: cumque nos, illorum exemplo incitati, per ipsorum vestigia gradimur. Nam & Angeli gaudent, cum quis a turpitudine vitiorum ad meliorem vitae viam redit. Neque tamen quicquam detrahitur de illorum beatitudine, si secus eveniat. Si quis enim ipsorum videret omnem stirpem suam justo Dei judicio ad inferos detrudi, ne tantulum quidem ob eam rem angeretur. Sunt enim effecti unum cum Deo, ita ut voluntas ipsorum a Dei voluntate nullo modo discrepare possit. Qui adhuc expiantur, ea quae scire ipsorum interest, Deo revelante, cognoscunt. Qui aeternis suppliciis addicti sunt, caritate omni carent. Itaque bona aliena nihil de ipsorum infelicitate detrahunt. Si quis tamen ipsorum exemplo adductus, aut eorum culpa corruptus, in idem exitium pertrahatur: crescit eorum infelicitas: & hoc est quod dives ille in Euangelio, &c. Beatis aliquid accedere potest ad gloriam. De beatitudine ipsorum nihil detrahi potest. Damnatis nihil decedere potest de miseria. Ad poenam accessio aliqua fieri potest. Omnia subjecta sint judicio Ecclesiae.

C. XII. Διαφερόντως δὲ τούτων] Etsi quaestio, quae hic tractatur, non est magni momenti (de vocabulis enim potius, quam de rebus, instituta est) non caret tamen aliqua obscuritate: opusque est perspicaci, & acuto inge-

nio

nio ad propriam vim harum vocum penitus pervidendam. Ad summam autem, quaeritur, sitne felicitas quiddam laudabile, an honore potius, & cultu ac veneratione dignum. Et concluditur, eam esse superiorem, ac diviniorem eo toto genere bonorum, cui laus tribuitur: itaque suspiciendam potius & colendam, quam laudandam videri. Haec autem ut planius & apertius intelligantur, sciendum est, esse quosdam quasi gradus in rebus bonis, per quos ad summum, id est, ad felicitatem pervenitur. Primum enim requiritur δυνάμεις, id est, potestas. Nam quae non possunt ea exercere, in quibus consistit felicitas, ut bestiae, aut nondum possunt, ut pueri, eis felicitatem non tribuimus. Verum αἱ δυνάμεις, quae quidem proprie eo nomine vocantur, neque laudantur, neque vituperantur. Insunt enim a natura: & nihili sunt, nisi perducantur ad habitum. Neque laudatur quisquam, quod justus, aut temperans, aut fortis esse possit, sed quod sit. Secundum igitur locum obtinent ἕξεις, id est, habitus, ut virtutes: eaeque jam laudabiles sunt. Itaque & virtutem ipsam, & virtute praeditos homines laude, ac commendatione dignos putamus. Haec Aristoteles hoc loco non tam accurate distinguit. Sed virtutes quoque ipsas numerat inter δυνάμεις, quatenus cum actionibus conferuntur. E virtutibus prodeunt ἔργα, id est, opera, sive actiones, quas, ubi egregiae ac singulares extiterunt, non tantum, ἐπαινοῦμεν, id est, laudamus, verum etiam ἐγκωμιάζομεν, id est, publica quadam & solenni laudatione celebramus. Interest enim hoc ἔπαινος & ἐγκώμιον: quod ille ἐπ' αἴνου, id est, in nudo, & simplici sermone positus est: unde & nomen ductum videtur. αἶνος enim, quamvis usitate significat *fabulam*, tamen apud veteres accipiebatur simpliciter pro *quocunque sermone*, ut & μῦθος: eodem videlicet modo, quo apud Latinos *fabulari* est loqui, & *confabulari*, colloqui. Homerus. Ὦ γέρον, αἶνος μέν τοι ἀμύμων, ὃν κατέλεξας. At ἐγκώμιον ἀπὸ τῆς κώμης, id est, a pago, seu vico dictum est, quod vicatim egregia facinora cani ac celebrari solerent. Quodsi quis toto vitae tempore in perpetua virtutis exercitatione, sine ullo impedimento versetur, idemque & opes habeat; quae, ut vere ac sapienter ait Ulixes Homericus, αἰδοίους, id est, venerabiles homines efficiunt, & liberos, & amicos se dignos, & carus

sit

sit civibus suis, & sit eximia quadam dignitate formae, & optima valetudine, ac sensibus integris, & in suis ac suorum rebus aut nunquam, aut non saepe, neque in rebus magni momenti fortunam experiatur adversam: hunc nos non, ut hominem, laudabimus ac celebrabimus, sed ut Deum quendam, aut certe ut hominem Deo simillimum, colemus, suspiciemus, admirabimur. Atque hoc est, quod Aristoteles felicitatem ἐ τῶν ἐπαινετῶν, ἀλλὰ κρεῖττον τῶν ἐπαίνων esse dicit. Quare teneamus hoc: bonorum quaedam esse inferiora laude, ut ἐπαίνους: quaedam digna laude, ut virtutes & praeclaras actiones: si quidem & ἔγκωμιον laus quaedam est, sed publica: quaedam, superiora omni laude, & admiranda potius ac colenda, quam laudanda, ut felicitatem. Nunc Aristotelem audiamus:

Δῆλον δὲ ὅτι τῶν μὲ δυνάμεων] Non esse τῶν δυνάμεων, vel ex eo intelligi potest, quod est ἐνέργεια. nulla autem δύναμις est ἐνέργεια. Videtur autem Aristoteles hoc loco nomen τῶν δυνάμεων porrigere ἐπὶ σχέσεις τὰς ἕξεις. quatenus αἱ ἕξεις cum ipsis operibus conferuntur.

Ἐκ τῶν περὶ τὰς θεὰς ἐπαίνων] Laudes quae vulgo diis tribui solent, ridiculae sunt, & multo infra ipsorum majestatem, cum referanturad beneficia, quae ipsi in homines contulerunt. Ut cum Jovem vocant κτήσιον, ἐπικάρπιον, χαριδότην. Plutarchus Στωϊκῶς ἐναντίωμασι. Dionysius ὡς τῷ περὶ τῶν παντηγυρικῶν de deorum laudationibus loquens, Ἃ δὲ τύπῳ, inquit, σχεδὸν συμπληρωθήσεται ἐξ ὧν ἔφημεν ἡ ἄνεμος ἡ παρέχει τοῖς ἀνθρώποις.

Μακαρίζομεν ἢ ἐυδαιμονίζομεν] Μακαρισμὸν ἢ ἐυδαιμονισμὸν nomine tantum differre, re autem ipsa idem esse, docet ipsemet primo rhetoricorum. qui locus videndus est. Continet enim paulo pleniorem harum rerum explicationem. Sunt & quaedam huc pertinentia apud Alexandrum in libro περὶ ἀκριβείας

C XIII. Ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις] Vetus opinio est, a multis clarisque confirmata scriptoribus, Aristotelis librorum duo genera fuisse: unum ἀκροαματικὸν, alterum ἐξωτερικὸν. Atque ἀκροαματικοὺς quidem libros limatius, & accuratius scriptos fuisse ajunt: ἐξωτερικοὺς autem crassius & accommodatius ad populi captum. Ad hanc divisionem respiciens Lucianus in dialogo, qui inscribitur βίων πρᾶσις, ita inducit colloquentes Mercurium, & eum qui Aristotelis

telis vitam licitabatur: Ἀγ. πῶς δέ τις ἐσί; Ἐρ. μέτριος, ἐπιεικὴς, ἀρμόδιος τῷ βίῳ, τὸ δὲ μίγνυσθαι, ἁπλοῦς. Ἀγ. πῶς λέγεις; Ἐρ. ἅμα μὲν ὁ ἔπαινος φανέρωσις, ἅμα δὲ ὁ ἔπαινος ὅταν δικαίῳ, ὥστε καὶ περὶ αὐτὸν, μίμησιν τὸν μὲν ἐπιεικῆ, τὸν δὲ ἐξωτερικὸν καλεῖν. Eandem divisionem confirmare videtur epistola Alexandri ad Aristotelem, in qua queritur, divulgatos esse ab eo acroamaticos libros. videtur enim, exotericos tantum divulgari solitos. acroamaticos autem tantummodo cum secretioribus, & interioribus discipulis communicari. Sed & Plutarchus eandem divisionem agnoscit. Cicero quoque lib. 5. finibus: *De summo autem bono, quia duo genera librorum sunt: unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant: alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt, non semper idem dicere videntur.* Et eodem pertinere videtur divisio illa, quae a Simplicio in categorias ex Alexandri Aphrodisiensis sententia traditur, εἰς ὑπομνηματικὸν, καὶ συντακτικὸν, in quo tamen a Cicerone discrepant. Gellius etiam multa de eo disserit lib. 20. cap. 4. At Joannes Sepulveda in tertium politicorum eam omnino damnat & rejicit, fretus duobus argumentis, quod Laërtius ejus nullam mentionem faciat, & quod Aristoteles quosdam libros accuratissime scriptos videtur interdum vocare ἐξωτερικὰς, ut τὰς περὶ φυσικῆς, τὰς περὶ ψυχῆς, & hos Ethicorum ad Nicomachum. Itaque affirmat, omnes libros ab Aristotele ἐξωτερικὰς vocari, qui sunt extra scriptionem ab eo tunc institutam. Ego Sepulvedae facile responderi posse puto, & veterum sententiam sequor.

Δοκεῖ δὲ ὁ περὶ τῶν ὕπνων] Sic in libro de somno & vigilia: τὸ δὲ ἔχειν τὸ αὐτὸ πάσῃ, τὸ ῥητικὸν μόριον, οὐ τῷ ταὐτόν, ἀλλὰ τῷ ἀνάλογον τοῦτο μόνον. τρίφυτον δὲ τὸ αὐξητικὸν τοῦτο μόριον.

Καὶ ταύτῃ βελτίων] Plato lib. 9. de repub. Cicero lib. 1. de divinatione: *Vide quid Socrates* &c. Zeno quantum interesse judicaret inter somnia flagitiosorum, & τῶν σωφρονούντων ἐπ' ἀρετῇ, disce ex Plutarcho, οὐ τῷ, πᾶς ἄν τις ἀνθοιτο ἑαυτῷ σωφρονοῦντος ἐπ' ἀρετῇ. Cicero de somnio Scipionis: *Fit enim saepe fere, ut cogitationes* &c. Claudianus: *Omnia quae sensu volvuntur*, &c.

M. A N-

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN LIBRUM SECUNDUM

ETHICORUM ARISTOTELIS COMMENTARIUS.

Ut superiore libro nulla alia de re, quam de felicitate dictum est; ita hic nihil aliud quam virtutis explicationem continebit. Cum enim docuerimus, ad felicitatem in virtute plurimum esse momenti, quicunque iter ad felicitatem commonstrare vult, ei necessario virtutis pervidenda, & pertractanda natura est. Igitur communem virtutis definitionem e fine ipso superioris libri didicimus, ubi dicebat Aristoteles, ἔξεων τὰς ἐπαινετὰς ἀρετὰς λέγεσθαι. Reciprocantur enim haec inter se, ut & omnis virtus sit habitus laudabilis, & omnis habitus laudabilis, virtus. Sed virtutum aliae cognitione, aliae actione cernuntur. Cum autem in omni disputatione, quae ratione, & via instituitur, a facilioribus ordiri debeamus, & facilior sit virtutum moralium tractatio, quam earum, quae sitae sunt in superiore animi parte, de moralibus prius disserendum videtur. Quare Aristoteles ab hoc libro usque ad sextum de virtutibus moralibus disseret, libro sexto τὰς διανοητικὰς explicabit.

Didicistis autem e Logicis, & e primo Physicorum, genus esse prius specie, &, nisi cognito genere, speciem cognosci non posse: quapropter in docendo semper a communioribus, ad minus communia progredi oportere. Et notum, Aristotelem, cum in Analyticis de demonstratione disputare instituisset, antequam ad eam accederet, syllogismi naturam in genere totis duobus libris sibi enucleandam putasse. Ita igitur hic quoque prius, quam ad singulas virtutes morales perveniat, quasi fundamentum quoddam totius hujusce disputationis communem virtutis naturalis definitionem reperiendam sibi, & reliquis partibus, ut ita dixerim, substernendam esse duxit.

Hunc autem librum, ut omnia facilius intelligantur, veterem morem secuti, tres in partes dividemus. Quarum in prima traditur, quae sit origo moralis virtutis, & quomodo

modo ea gignatur in nobis. In secunda ejusdem virtutis definitio. In tertia distributio ejusdem in species; & tum uniuscujusque speciei, tum vitiorum, quae ei adversantur, brevis quaedam, & τυπώδης explicatio. Quod autem nonnulli de virtute ipsa in genere disputari in hoc libro ajunt, aut id, quod verum est, non satis acute vident; aut id, quod intelligunt, non satis distincte eloquuntur. Non enim de virtute ἁπλῶς, sed de virtute morali sermo hic institutus est. & definitio virtutis, quae hic tradetur, non est communis, καὶ τῆς διανοητικῆς, καὶ τῆς ἠθικῆς: sed τῆς ἠθικῆς propria, ut luce meridiana clarius suo loco videbitur. Ait Aristoteles:

C. I. Διετῆς γὰρ ἀρετῆς οὔσης τῆς μὲν διανοητικῆς, τῆς δὲ ἠθικῆς, καὶ μὲν διανοητικὴ τὸ πλεῖστον, &c.] Cur ait τὸ πλεῖστον? quia quidam ingenii acumine praestantes sine ope magistri, labore, & industria sua rerum cognitionem consequuntur, ut de se ait Phemius apud Homerum: Αὐτοδίδακτος δ' εἰμί, θεὸς δέ μοι ἐν φρεσὶν οἴμας Παντοίας ἐνέφυσε. Verum id, ut alterius Homeri verbis utar, —— *pauci, quos aequus amavit Jupiter, aut ardens evexit ad aethera virtus, Dis geniti potuere*. major pars hominum doctoris opera indiget. Sed sive quis magistri ductu, sive naturali bonitate ingenii ad sapientiam perventurus est, ἐμπειρίας δεῖται καὶ χρόνου. Ac de experientia quidem recitabo verba Aristotelis ex primo de sapientia: Γίγνεται δὲ ἐκ τῆς μνήμης ἡ ἐμπειρία τοῖς ἀνθρώποις. αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τοῦ αὐτοῦ πράγματος μιᾶς ἐμπειρίας δύναμιν ἀποτελοῦσι. καὶ δοκεῖ σχεδὸν ἐπιστήμῃ καὶ τέχνῃ ὅμοιον εἶναι ἡ ἐμπειρία. ἀποβαίνει δὲ ἐπιστήμη, καὶ τέχνη διὰ τῆς ἐμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις. ἡ μὲν γὰρ ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ὥς φησι Πῶλος ὀρθῶς λέγων, ἡ δὲ ἐμπειρία τύχην. Ipsa autem experientia indiget tempore. Unde & senes propter aetatem & longum rerum usum prudentiores putantur, & apud Lacedaemonios ii, qui amplissimum magistratum gerebant, & erant, & appellabantur *senes*: & apud Athenienses primi rogabantur sententiam, non qui genere, aut opibus praestarent, sed qui annum quinquagesimum excessissent. Nota enim est illa, & celebrata vox: τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων. Et summum Romani consilium vocabant *senatum*, quod in id adlegerentur senes. Et jureconsulti testantur, semper in eadem civitate senectutem venerabilem fuisse, *l. semper in civit.* D. de jure imper-

per. In omni denique repub. bene instituta senum consilio maxima quaeque administrantur. *Temeritas enim*, ut ait Cicero, *est florentis aetatis, prudentia senectutis.* Plura dicentur lib. 6. Praeclareque Jocasta apud Euripidem: Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακά, Ἐτεόκλεες, σφόδρα, ἀλλ' ἡ μπειρία ἔχει τι λίξαι τῶν νέων σοφώτερον. Sed & virtutes morales indigent tempore: longa enim consuetudine opus est ad eas comparandas, ut ostendit Aristoteles, cum ait, ἡ δὲ ἠθικὴ ἐξ ἔθους περιγίνεται. ὅθεν καὶ τοὔνομα ἔσχηκε μικρὸν παρεγκλίνον ἀπὸ τοῦ ἔθους. quod ipsum confirmat etiam lib. 1. mag. mor. his verbis: ἡ δ' ἠθικὴ ἀρετὴ ἐντεῦθεν τὴν ἐπωνυμίαν ἔχει. εἰ δεῖ παράγραμμα λέγοντα τὴν ἀλήθειαν ὡς ἔχει σκοπεῖν, δεῖ δὲ &c. Sunt enim eadem prope quae hic. ἔθος Latini *consuetudinem* vocant, ἦθος, *mores*. Ait Aristoteles: ἐξ ᾗ δῆλον, ὅτι οὐδεμία τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν φύσει ἡμῖν ἐγγίνεται. Saepe a veteribus quaesitum est, quomodo pararetur virtus, natura, an doctrina, an consuetudine, quod M. Tullius ita expressit in Partitionibus oratoriis: *Quonam pacto virtus pariatur, naturane, an ratione, an usu.* Horatius bimembrem tantum hanc quaestionem fecit in epistola ad Lollium, hoc versu, *Virtutem natura paret, doctrinave donet.* Plato in Menone ita eandem quaestionem proponit: ἀλλ' ἔγωγε ἐκεῖνο ἀλλ' ἥδιστα ὅπερ ἠρόμην τὸ πρῶτον, καὶ σπεψαίμην, καὶ ἀκούσαιμι, πότερον ὡς διδακτῷ ὄντι αὐτῷ δεῖ ἐγχειρεῖν, ἢ εἰς φύσει, ἢ ὡς τινὶ ποτὲ τρόπῳ παραγιγνομένης τοῖς ἀνθρώποις τῆς ἀρετῆς. Disputatur & eadem de re in Protagora, & inter τοὺς Πλάτωνος νοθευομένους, unus est eodem argumento scriptus. Tractabo igitur hanc quaestionem, ut potero, & quia me in ea tractanda quaedam non indigna vestris auribus dicturum esse confido; peto a vobis, ut me attente audiatis. Sed in hac tota disputatione primum admoneo, me virtutis nomine virtutem moralem intelligere, & de ea tantum loqui. Qui igitur virtutem a natura esse volunt, his fere argumentis moventur. I. Aristoteles sexto Ethic. videtur dicere mores inesse a natura; ita enim scribit: πᾶσι γὰρ δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει πως, καὶ γὰρ δίκαιοι, καὶ σωφρονικοὶ, καὶ ἀνδρεῖοι, καὶ τ' ἄλλα ἔχομεν εὐθὺς ἐκ γενετῆς. II. Multi sapientissimi homines dixerunt, virtutem nihil esse aliud, quam naturam, ut Cicero cum alibi, tum apertissime primo de legibus. his verbis: *Est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta, & ad summum perducta*

ducta natura. III. Omnium philosophorum sententia summum bonum est ex natura vivere, quod ita expressit Cicero in eo, quem modo dixi, libro: *Et certe ita se res habet, ut ex natura vivere, eximium bonum sit. Itaque naturam vocant optimam ducem, & optimam magistram vivendi, & eam qui sequuntur, nunquam aberrare.* Atque id etiam oraculo comprobatum dicitur. Et saepe ait Ciro, nisi pravis opinionibus a rectitudine (*) abduceremur, fore, ut ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. IV. Et refertur Musonii dictum: ἄγει γὰρ ἡ ἑκάστου φύσις ἕκαστον, πρὸς τὴν ἀρετὴν τὴν ἐκείνου. Aristoteles tamen hoc loco aperte negat eas inesse a natura, idque multis argumentis docet. Neque desunt argumenta, quibus probabiliter ostendatur, eam doctrina comparari. Primum, quod optimi poëtae ita saepe de ea loquuntur, ut de re, quae doceri, discique possit. Ut Theognis, cum ait, ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι. Et Virgilius: *Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.* idemque alio loco: *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem.* Et idem significasse videtur Horatius his versibus: *Fervet avaritia* &c. Cicero quoque lib. 10. epistolarum ad Atticum ait, *sibi persuaderi non posse, quin virtus sit* διδακτόν. Et inter opuscula Plutarchi, libellus quidam est hoc argumento, ὅτι διδακτὸν ἡ ἀρετή. Adde Laërtii locum in Zenone: Διδακτὴν τε εἶναι αὐτὴν, λέγω δὲ τὴν ἀρετήν. Καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τέλους φησὶ, καὶ Κλεάνθης καὶ Ποσειδώνιος ἐν τοῖς προτρεπτικοῖς, καὶ Ἑκάτων. ὅτι δὲ διδακτή ἐστι δῆλον ἐκ τοῦ γίνεσθαι ἀγαθοὺς ἐκ φαύλων. Adde quod aut hujus ipsius disciplinae aliquis usus est, aut nullus: si nullus, quid in ea tempus frustra conterimus? si aliquis, quis tandem, nisi ut bonos efficiat? Atque hoc e secundo cap. hujus libri colligi potest.

Sed tamen, & multa dicuntur apud Platonem, tum in Protagora, tum in Menone, cur virtus διδακτὸν non sit, & ex eo aperte intelligitur, quod longe aliud est de virtute disputare, aliud virtutem exercere; & quod olim de Atheniensibus dictum est, eos *scire quidem, quae facienda essent, sed facere nolle*, idem de magna parte hominum dici potest. Et cap. 4. hujus libri quiddam Aristoteles dicturus est, quod ad hanc rem valde pertinet.

Nunc,

(*) Sic Edit. Ingolst. Sed scribendum, *a recto itinere.*

Nunc, ut, quid hac tota de re vere dici possit, breviter tradamus, tenenda est haec sententia. *Ad virtutem nos natura gignit, doctrina excitat, consuetudo perducit.* Non est enim dubium, quin semina, & igniculi quidam virtutum insint nobis a natura, usque eo, ut naturali quadam inclinatione alium ad alias virtutes propensiorem esse videamus. Atque hac de re loquitur Aristoteles lib. 6. & illa principia virtutes naturales, aut virtutes inchoatas vocat. Sed semina illa facile eliduntur, nisi excolantur; igniculi illi facile extinguuntur, nisi foveantur. Ad naturam igitur doctrina accedat necesse est, ut a teneris, quemadmodum Graeci dicunt, unguiculis, doceatur puer, quae honesta sint, quaeque turpia; quae amare, ac persequi, quae odisse, atque aversari debeat, ut assidue aures illius honestatis, & officii praeceptis circumsonent, ut eos libros diligenter evolvat, quibus bene vivendi ratio traditur, ut eas historias perlustret, quibus res a magnis, & praeclaris viris gestae continentur, ut tenerum pectus, paulatim magis ac magis ardore quodam imitandi ea, quae celebrari videt, incalescat. Colloquatur etiam iisdem de rebus cum aequalibus suis, & multo etiam magis, multoque saepius cum gravibus, ac bene moratis senibus, quorum voces, & consilia non auribus tantum, verum etiam animo combibat, ad quorum se praecepta componat, quorum revereatur auctoritatem. Basilius: ἡ γὰρ πρὸς τοὺς φαύλους τῶν λόγων συνήθεια ὁδός τίς ἐστιν ἐπὶ τὰ πράγματα. Ut enim vere dictum est a Menandro, *pravis sermonibus bonos mores corrumpi*, quem versum S. Paulus epistolae cuidam suae intexere dignatus est; ita non est dubium, quin graves, & honesti sermones multum valeant ad animos ad virtutem excitandos. Jubeatur etiam puer ille, quem ad virtutem formamus, atque instituimus, inspicere in hominum vitam, & aut a patre, aut magistro, aut a bono, & prudenti amico admoneatur, quae exempla fugere, quae sequi debeat. Antigenidem olim musicum celebrem ajunt perducere solitum discipulos suos, & ad audiendos eos, qui bene canerent, & ad eos, qui male, eisque dicere, *Ita canere oportet.* Et severus ille senex ex Adelphis eandem a se rationem in filio instituendo teneri ait: *Nihil praetermitto*, inquit, *consuefacio*, &c. Et Horatius eodem se modo a patre institutum ait, cujus versus, quoniam sunt pul-

pulcherrimi, & optime oſtendunt, quomodo doceatur virtus, recitare non gravabor: *inſuevit pater optimus hoc me* &c. Ac ne poëtas modo id dicere putetis, indicabo, ex quo fonte tum Terentius, tum Horatius illam docendae virtutis rationem hauſiſſe videantur. Plato igitur in Protagora eam & tradit, & commendat his verbis: Ἐπειδὰν γάττων συνίῃ τὶς &c. Sic Lacedaemonii ſolebant Helotas, quibus pro mancipiis utebantur, ebrios in conviviis liberis ſuis proponere, ut alieno exemplo pueri averterentur ab ebrietate, cum viderent, quanta in ea inesſet turpitudo. Sic Socrates ſuadebat adoleſcentibus, ut, cum ira excanduiſſent, inſpicerent ſe in ſpeculo, ut cum viderent, quantam oris diſtortionem, ac depravationem efficeret ira, ex eo intelligerent, majorem etiam in animo fieri. Sic Zeno ſaepe ducebat diſcipulos ſuos ad audiendos muſicos, & jubebat eos cogitare, cum tam pulchra exiſteret harmonia ex vocum, fidiumque concentu, quanto pulchrior eſſet illa, quam efficerent partes animi rationi obedientes, & inter ſe concinentes, ac conſentientes. Ita igitur docetur virtus tradendis praeceptis, & exemplis proponendis, eſtque virtus quodam modo ἀδιδακτὸν, rectoque Perſae ei ex liberis regiis, qui maximus eſſet natu, & mortuo patre regnaturus; adhuc puero virtutis magiſtros dabant. Ita enim tradit Plato in Alcibiade primo, quatuor ei magiſtros ex omni Perſarum gente delectos ſolitos dari, unum, qui ſapientiſſimus, alterum, qui juſtiſſimus, tertium, qui temperantiſſimus, quartum, qui fortiſſimus videretur. Primus docebat eum, quomodo Deus colendus eſſet, & quod eſſet regis officium. Secundus, ut vera ſemper diceret, neque ulla re ad mentiendum adduceretur. Tertius, frenandas eſſe cupiditates: ſervos enim eſſe omnes, qui ſequerentur voluptatem. Quartus, fortiter ſubeunda eſſe pericula, & honeſtam mortem turpi vitae anteponendam. Ergo & inchoatur a natura virtus, & doctrina promovetur. ſed haec duo nihil efficiunt, niſi acceſſerit conſuetudo. Quare ut ſummatim totam hanc diſputationem comprehendamus, virtutis principia naturae debentur, doctrinae progreſſus, conſuetudini perfectio. Nunc Ariſtotelem audiamus:

C. II. Ἐπεὶ δὲ] Hujus capitis ſumma eſt; cujusmodi eſſe debeant actiones, quae gignendae virtuti efficienter antecedunt. Initio autem ait, neceſſario hic diſputandum eſſe de actionibus, quod haec philoſophiae pars, non ut

ceterae, ad cognitionem referatur, sed ad actionem. Ait ὁ θαυμάσιος ἄνωθεν. quaedam discimus tantum ut sciamus, non etiam ut agamus, qualia sunt illa, quae canit Iopas apud Virgilium: *Unde hominum genus*, &c. & quae Horatius complectitur his versibus: *Quae mare compescant* &c. Atque ejusmodi omnia damnabat Socrates, eosque, qui in eis multam operam ponerent, insanire dicebat, tribus argumentis quae leguntur apud Xenophontem I. ἀπομνημονευμάτων. Quaedam alia discimus, non tantum, ut intelligamus, sed multo etiam magis, ut exerceamus, cujusmodi sunt, quae in morali, & politica philosophia traduntur. ἡ γὰρ ἴσις οὐδέν. Nihili enim est virtutis cognitio, nisi eam ejusdem exercitatio consequatur, ut multis locis tradit Aristoteles, quorum aliquot & citantur, & tractantur pulcherrime a Themistio in oratione, qua gratias agit Imperatori, a quo in senatu laudatus fuerat, ipsumque Imperatorem vere philosophum esse ostendit. Imo vero turpior etiam, & majori reprehensione dignus videtur is, qui virtutem noverit, deque ea splendide, ac magnifice disserat, nihilominus tamen in coeno vitiorum volutatur: ut Graeci dicunt, ἄλλων ἐπιβὰς αὐτὸς ἕλκεσι βρύει.

Πῶς περιττὸν αὐτὸς] Graeci, ac praecipue Attici, talibus ejusdem vocis repetitionibus gaudent. περίττευε περίττευε, ut hic, & statim λόγους λέγειν, μάφοσιν μίμψιν. Aristoph. μίμψιν δικαίαν μάφοσιμαι ταύτην. ἀναπέζεσθαι ἀναδός. Eurip. ἐγὼ γέ μοι τ' ἄναδος ἐξανοίδησας. Sic νικᾶν νίκην, βιῶν βίον, & similia. Latini eos in quibusdam imitantur, ut cum dicunt, *ludum ludere*. Terentius: *Quia consimilem jam olim luserat ille ludum*. Horatius: *Fortuna saevo laeta negotio, & Ludum insolentem ludere pertinax*. Sic *vivere vitam*. Terentius: *Nam ego vitam duram, quam vixi adhuc, Prope jam excurso spatio mitto. Gaudere gaudium*. Idem: *Nam hunc scio mea solide solum gavisurum esse gaudia. Dolere dolore*. Virgilius: *Et nostro doluisti saepe dolore*. Quanquam hoc quidem paulo aliud est. sed hoc loco dicere non possumus, *quomodo agendae sint actiones*, potius *quomodo suscipiendae*, aut *quomodo obeundae*. Lambinus *exercendas* dixit, quod loquendi genus & barbarum esse, & ineptum puto.

Τὸ μὲν δὴ κοινὸν τὸν ὀρθὸν λόγον] Commune hoc, inquit, est omnibus actionibus, quae ad virtutem gignendam qua-

quaſique procreandam valent, quod eas rectae rationi conſentaneas, ac convenientes eſſe oportet. nam ſi aliae forent, vitium, non virtutem gignerent. ſed quomodo poterit rectae rationi convenienter agere is, qui nondum rectae rationis uſum conſecutus eſt, ut puer: aut is, in quo praeter naturam ratio ancillatur, & ſervit cupiditati, ut vitioſus? Reſpondendum eſt, iccirco pueris magiſtros, & monitores dari, ut, qui ſuo conſilio nondum valent, alienum ſequantur, donec in ipſis procedente aetate, & uſu rerum recta illa ratio adoleſcat. Vitioſi quoque poſſunt recte monentibus parere, donec paulatim excutiant jugum cupiditatis. Et praeterea vix unquam ita oppreſſa eſt in homine ratio, ut non aliquo modo videat, quid rectum ſit; cum autem libera ſit in eo voluntas, paulatim poteſt abducere ſe a vitio, & ad honeſtas actiones animum applicare. Cum autem duo ſint, quae impediant homines a virtute, difficultas quaedam, & moleſtia, quae videtur ineſſe in honeſtis actionibus, & voluptatis titillatio, quae turpes actiones plerumque comitatur, aſſuefaciendo ſe ad honeſte agendum, utrique incommodo ſubvenitur; nam & quae initio dura, & difficilia videntur, molliora in dies, & facilliora fiunt, & viri facti ſpernimus eos cibos, quibus pueruli capiebamur; ita virtute confirmatus, & corroboratus animus omnes turpium voluptatum illecebras facile reſpuit. magna eſt enim vis conſuetudinis, rectèque dicebat Euenus, ut eſt in ſeptimo horum librorum, eam πλούσιον φύσιν εἶναι. Itaque Socrates admonebat adoleſcentes, ut ſibi proponerent eam vitam, non quae ſuaviſſima videretur, ſed quae honeſtiſſima eſſet. eandem enim adhibita conſuetudine ſuaviſſimam fore. Conſuetudo enim, ut ait Lucretius, *concinnat amorem.* Et conſtat, illius incredibilem quandam eſſe vim in omnibus animi partibus. In ea, qua alimur, ut conſtat ex iis, qui longo uſu aſſecuti ſunt, ut venenis non modo non laederentur, ſed etiam alerentur: quod de Mithridate legitur, in quem Martialis, *Effecit poto Mithridates ſaepe veneno*, &c. In ſenſibus etiam, ut pictores, & muſici oſtendunt. quorum illi primo aſpectu multa vident, quae omnes alios fallunt, hi ſentiunt etiam minima vocum diſcrimina, quae percipere nullus, niſi qui habet aures exercitatas, poteſt. In mente denique ipſa. Unde qui mendaciis aſſueti ſunt,

facile eis tanquam veris assentiuntur, ut est in primo minore τῶν μετὰ τὰ φυσικά.

Ὑπερκείσθω] Si hoc rectum est, significat, *differatur in alium locum*. sed & scholiastes Graecus, & omnes Latini legunt, ὑποκείσθω, idque melius videtur.

Ὕστερον] Nimirum lib. 6.

Πρὸς τὰς ἄλλας ἀρετὰς] Multi libri veteres, πρὸς τὰς ἀρετὰς, quod probo. nomine enim τῶν ἀρετῶν, hic αἱ ἠθικαὶ tantum intelliguntur.

Ἐκεῖνο δὲ] Repetit id, quod saepe jam dixit, subtilitatem in his rebus exigendam non esse.

Ὑπὸ παραγγελίαν] *Praeceptum*, rara vox, & cujus non multa exempla reperias.

Πίπτει] In aliis libris, ὑποπίπτει, idque aliquanto venustius videtur.

Τὰ πρὸς τὸν καιρὸν] Videre quid tempus postulet. οὐ γὰρ μόνον λέγειν χρὴ τὰ καίρια, ὡς ὁ Αἰσχύλος φησὶν, ἀλλὰ καὶ πράττειν. Et praeclare Sophocles in Electra: Καιρὸς ἀνδράσι Μέγιστος ἔργου παντός ἐστ' ἐπιστάτης. Et Anaxarchus: Χρὴ δὲ καιροῦ μέτρα εἰδέναι. σοφίης γὰρ αὐτὸς ὅρος.

Ὥσπερ ἐπὶ τῆς ἰατρικῆς ἔχει, καὶ τῆς κυβερνητικῆς] Artium quaedam constant praeceptis necessariis, & immutabilibus, ut grammatica, & geometria: quaedam iis, quae pro temporum ratione mutantur, ut ars imperatoria, ars dicendi, ars medendi, ars gubernandarum navium. Nam & imperator modo explicat copias, modo contrahit, modo aperto Marte, modo ex insidiis rem gerit, modo simulat metum, modo dissimulat, modo planitiem, & aperta loca, modo saltus, & angustias, & aspera montium petit, prout tempus postulare arbitratur. Et orator pro locorum, temporum, auditorum varietate artificium suum mutat; & medicus in curando, sexus, aetatis, virium, consuetudinis, temperaturae, regionis, tempestatis, anni maximam rationem habeat necesse est; & gubernator non semper eum cursum, quem cepit, tenet, sed interdum remigat, interdum vela facit, saepe etiam mutata velificatione eum, quo intendit, portum consequitur. Atque hoc est, quod ait Plato lib. 6. Πολιτειῶν· ὅτι ἀνάγκη αὐτῷ τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι ἐνιαυτοῦ, καὶ ὡρῶν, καὶ οὐρανοῦ, καὶ ἄστρων, καὶ πνευμάτων, καὶ πάντων τῶν τῇ τύχῃ προσηκόντων, εἰ μέλλει τῷ ὄντι νεὼς ἀρχικὸς ἔσεσθαι. Et Cicero in epistola ad Lent. *In navigando tempestati obsequi artis est.* Talia igi-

igitur hujus quoque disciplinae praecepta esse ait. Observavi autem, saepe a magnis scriptoribus conjungi has duas artes in comparationibus, artem medendi, & artem regendarum navium, ut hic ab Aristotele, & Cicerone 3. de finibus: *Nec enim gubernationi, aut medicinae fabilem sapientiam esse arbitramur.* Et paulo post: *Inscite autem medicinae, & gubernationis ultimum cum ultimo sapientiae comparatur.* Et apud Horatium: *Navem agere ignarus navis timet, abrotonum aegro Non audet, nisi qui didicit, dare.* Et apud Quinctilianum lib. 2. *Nam & gubernator* &c. Et Cyrus quidam rhetor in libello περὶ διαφορᾶς τύπων· ἐξαπάτησε μὲν, ἀλλ' ἐπὶ συμφέροντι. ὡς οἱ ἰατροὶ, καὶ οἱ κυβερνῆται δόξαντες ἐπίκλοπα τὰ ἀποτεταγμένα. Et Maximus Tyrius, ὁ τὸ, οἱ μαστιγίαι ὅσοι ἔσω ἐφ' ἡμῖν· ὅτου καὶ ἰατρὸς νοσοῦντα ἐξαπατᾷ, καὶ στρατηγὸς στρατόπεδον, καὶ κυβερνήτης ναῦται.

Περὶ τοῦτον δὲ] Explicat apertius, quod supra dixerat, actiones rationi consentaneas esse debere: docet enim, eas tales esse, quae moderatae sint. ὁ μὲν ὀρθὸς λόγος ἐν μέσῳ, ἔστι δὲ μεσότης τοιαύτης ἕξις. ut alio loco dicetur. ostendit autem exemplis ductis a robore, & a bona valetudine, immoderationem ad omnia corrumpenda, moderationem ad omnia conservanda aptissimam esse. μέτρον δὲ ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, ait Hesiodus.

φθείρεται δὲ] Meliori ordine leguntur haec in quibusdam antiquis codicibus, & constat, Argyropylum ita legisse: φθείρεται ὅσαπερ ἐπὶ τῆς ἰσχύος καὶ τῆς ὑγείας ἐρῶμεν. δεῖ δὲ, &c.

οὐ δὲ] Idem & iisdem verbis lib. 1. magnorum moralium, ubi etiam hunc locum fusius explicat, & ornatius tractat. Multa etiam in eandem sententiam disputat Socrates apud Platonem in dialogo, qui vulgo inscribitur ἔρασταί, cum inscribi debeat ἀνέρασταί.

c. III. Σημεῖον δὲ] Cum superiori capite docuisset, habitum frequentandis ejusdem generis actionibus comparari, proximum videri poterat, ut doceret, quam multae actiones, aut quam longum tempus requireretur ad habitum comparandum. sed cum id certo definiri non queat, docet, quo signo, atque indicio intelligere possimus, hunc aut illum habitum perfectum jam in animo, & absolutum esse. Id autem est ea voluptas, isque dolor, qui ex actionibus ipsis oritur, easque comitatur. Nam qui a corporeis voluptatibus abstinet, eoque ipso gaudet, tem-

Digitized by Google

perans est; at qui, cum eis caret, angitur animo, eaque absentes cogitat, atque desiderat, illum vere ac merito dixeris intemperantem. Eadem cognoscendae, atque explorandae fortitudinis ratio. Nam qui subit, cum occasio fert, ea, quae ceteros terrent, idque cum quadam alacritate animi, aut certe sine molestia facit, scias, eum fortem, & magno animo praeditum esse: at cui, cum periculum aliquod adeundum est, *rejugit*, ut ait poëta, *timido sanguen, atque exalbescit metu*, hunc nos ex albo virorum fortium expunctum, inter ignavos decuriandum esse censemus.

Ἡ μὴ λυπούμενός γε] Cum multa in Aristotele laudanda sunt, tum illud vel maxime, quod rationem philosophandi suam ad veritatem, & ad naturam quam maxime accommodavit; ceteri magna ex parte admirationem sui in vulgus excitare voluerunt, & dum nova, inaudita, admirabilia afferrent, quam vera dicerent, interdum non magnopere laborarunt. Huic nostro nihil veritate prius, nihil potius, nihil antiquius fuit. Ceteri saepe pro veris speciosa consectati sunt, hic quae vera essent, semper eo ipso satis specioса esse judicavit. Id adeo vel hoc ipso ex loco intelligi poterit, si, quod hic dicitur, cum iis, quae ab aliis philosophis eadem de re dicta sunt, conferatur. Alii tantam vim virtutis esse voluerunt, ut in quo ea esset, eum in rota, in equuleo, in maximis denique, & exquisitissimis tormentis ac cruciatibus non modo non doliturum, sed gavisurum etiam, & tanquam in rosa, aut viola mollissime substrata accubaret, magnam quandam ex eo voluptatem sensurum praedicarent. At quis homo hujus tam durae, tam severae, tam rigidae sententiae auctor fuit? Exspectatis, ut Epictetum vobis aliquem, aut Anaxarchum, aut Antisthenem proferam? Epicurus, ipse voluptariorum pater, voluptatis asserter, enervator philosophiae, cujus pleraeque disputationes in ganea, aut in popina natae videntur, non in schola, cujus is sermo est, ut in visceribus, ac medullis summum bonum condidisse videatur, ipse, inquam, Epicurus, cui dolor ultimum malorum omnium est, sapientem, si in Phalaridis tauro subjectis ignibus torreatur, dicturum ait, *quam hoc suave est? quam hoc non curo?* Quod quidem ita mihi absurdum, atque alienum videtur, ut non semel dubitaverim, joçone, an serio illa scripsisset Epicurus. Melius

lius & verius Aristoteles, qui, cum hanc quasi notam tradidisset nobis, qua virtute praeditos ab iis, qui ea carerent, dignosceremus, quod in quibus virtus est, ii alacriter, atque hilare munia virtutis obeant; intelligeretque, nonnullas ejusmodi esse fortium virorum actiones, quibus voluptas, ipsa repugnante natura, comitari non potest, moderationem quandam adhibuit, satis esse dicens, in ejusmodi actionibus ad fortitudinis laudem, si sine tristitia, & contractione animi obeantur. Non enim gaudebat Anaxarchus, cum in mortarium jussu Nicocreontis regis conjectus pistillis ferreis tunderetur, neque cum illam ederet nobilissimam vocem, *tundite, tundite Anaxarchi faccum, Anaxarchum ipsum tundere non potestis*; significabat, gratos sibi, & suaves esse illos ictus, sed nullam esse tantam vim doloris, quae dejicere se a gradu fortitudinis, & constantiae posset. Non gaudebat Mucius, cum, spectante & obstupescente Porsenna, dextram manum suam lento igne immotus combureret, sed ut hosti potentissimo metum incuteret, patriamque gravi obsidione liberaret, doloris acerbitatem ratione, ac virtute superabat. Non gaudebant Decii, cum se in armatos hostium globos certi mortis immitterent, non Regulus, cum a Carthaginensibus exquisitissimo supplicii genere necaretur; sed quod etiam fortissimis viris satis est, & mortem & cruciatum omnem, prae virtute, atque honestate contemnendum esse ducebant. Hoc igitur est, cur Aristoteles, cum dixisset fortem esse eum, qui gaudens exciperet, ac perferret ea, quae suapte natura terribilia essent Additur, (*)

Ἡ μὲν λυπήσεις γε] qua de re lib. 3. copiosius disputaturi sumus. Sequitur,

Περὶ ἡδονὰς δὲ ἡ λύπας &c.] Omnis enim, inquit, vis virtutis in voluptatibus, atque in molestiis cernitur, neque ulla re magis interest bonus vir ab improbo, quam quod ille honestis gaudet, hic turpibus, illum turpia offendunt, hunc voluptate perfundunt. Hoc autem *τὸν ἀρετὴν εἶναι περὶ ἡδονὰς, ἢ λύπας*, probat 7. argumentis, quae ordine explicabimus.

Δοκεῖ μὲν γὰρ τὸν ἡδονὴν] Omnes homines natura ad honestatem feruntur, turpitudinem aversantur & refugiunt: sed in honestis actionibus admista plerumque quaedam vo-

(*) Scribe, *addiderit*, & conjunge cum praecedentibus.

voluptatis illecebra nos in fraudem inducit: quaedam contra molestia, & difficultas honestis actionibus addita nos ab eis deterret, & abducit. Atque hoc est, quod Plato voluptatem vocat δέλεαρ κακῶν, quodque Archytas Tarentinus dicere solebat, *nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus a natura datam*, &c. Haec Ciceronis e libro de senectute verba recitare visum est, quod mirifice meo quidem judicio illustrant id, quod hic ab Aristotele dicitur, voluptatem peccandi illecebram esse. Ac plena est exemplorum tum historia, tum communis vita, ex quibus luce clarius perspici potest, homines ad flagitia voluptate incitari, ab honestis actionibus difficultate, & molestia avocari. Est autem hoc primum eorum, quae dixi, argumentum totum. Virtus in iis rebus moderandis, ac dirigendis versatur, quae homines aut ad flagitia impellunt, aut a recte faciendo absterrent: talia autem sunt voluptas, & molestia: igitur περὶ ταῦτα ἐστὶν ἡ ἀρετή.

Διὸ δεῖ ἠχθαί πως] Quocirca, inquit, cum tantam vim habeant voluptas, & molestia, ita statim a puero institui, atque assuefieri oportet eos, qui virtute excellere meditantur, ut gaudeant, utque offendantur iis rebus, quibus oportet. Nam ea demum, ut ait Plato, recta institutio est. Hoc autem totidem verbis apud Platonem non memini me legere, sed primo νόμων, quo in libro περὶ τῆς ὀρθῆς παιδείας disputat, quiddam dicit ab hoc loco non alienum. Duos enim fontes ait esse a natura ipsa apertos, voluptatem, & dolorem, ex quibus qui hauriunt, qua parte oportet, & quomodo, & quantum oportet, & publice, & privatim beatos esse, qui inscienter, & non habita ratione temporis, miseros. Sed propius accedit ad id, quod hoc loco ab Aristotele dicitur, dictum cujusdam Laconis, quod legitur apud Plutarchum in commentario, quo contendit, virtutem doceri posse. Is enim Laco interrogatus, quid conferret iis pueris, qui sibi in disciplinam traderentur: *efficio*, inquit, *ut quae honesta sunt, eadem ipsis jucunda sint.*

Ἔτι 5] Secundum argumentum. Si virtus in actionibus, & in animi motibus occupata est, sequitur, ut & iis versetur in rebus, quae omnem actionem, omnemque animi motum consequuntur. Nulla autem est actio, nullus animi motus, quem non aut voluptas, aut molestia consequatur. Quare cum in illis versetur virtus, in his quo-

quoque eam versari cernique dicendum est. Omnes autem actiones aut voluptati esse, aut molestiae, satis per se notum videtur. Illud de permotionibus animi, quod non ita perspicuum est, perpurgabitur, accurateque tractabitur a nobis explicatione cap. 5.

Μιωσέα ἢ πρὸς αἱ τολάσεις] Quod est morbus in corpore, id est vitium in animo: & quemadmodum medicamenta sanandis corporibus reperta sunt, ita ad sanandos animos poenae legibus in eos, qui vitiose quippiam fecerint, constitutae. Cum igitur contraria contrariis curentur, & ad sanandos animos adhibeatur aut aliquid, quod dolorem inurat, ut cum pueri verberantur a magistro: aut voluptatis alicujus detractio, ut cum iisdem interdicitur lusu, aut, cum, qui se inebriarunt, jubentur dies aliquot a vino abstinere, probabiliter ex eo colligi potest, eos, qui peccant, eo ad peccandum adduci, quod aut molestiam aliquam fugiant, aut voluptatem aliquam persequantur. Ex quo consequitur id, quod probare volumus, virtutem quoque in voluptatibus, molestiisque versari. Atque hoc tertium est eorum, quae dixi, argumentorum. In quo sunt quaedam praeterea, quae notanda videantur. Primum illud, poenas, & animadversiones cum medicamentis comparari, & eos, qui pro peccatis poenas exigunt, videri medicinam facere eis, quos puniunt; qua de re eloquenter, & copiose disputat Socrates apud Platonem in Gorgia, eaque in disputatione usque eo progreditur, ut, quod admirabile multis, & inauditum videri potest, affirmet, ostendatque, ut ei, qui morbo aliquo laborat, melius optabiliusque est, curari, quam non curari; ita ei, qui peccatum aliquod in se admisit, magis optandum esse, ut poenas luat, quam ut impune abeat. Et ut ii, quibus aliqua pars corporis vitiata, ac corrupta est, aut sua sponte urendos se, ac secandos medicis praebent, quamvis id non sine magno eorum cruciatu, ac dolore fiat, aut, si id ipsi facere nolint, malintque morbum alere, ab amicis etiam inviti traduntur medicis: ita qui peccarunt, si bene sibi consultum velint, debere suapte sponte, detegere peccatum suum, & indicare se judicibus, & ad poenam offerre. quodsi id facere nolint, boni, ac viri amici officium esse, accusare amicum, eumque tanquam in medicinam, ita ad judicum subsellia etiam invitum pertrahere, omniaque conari, non ut elabatur

Digitized by Google

tur ille, sed ut poenas luat; quod tamen adhibita aliqua moderatione intelligendum puto.

Deinde illud quoque admonendi estis, non quamlibet animadversionem, ac poenam medicinae similem esse, sed eam tantum, quae proprie a Graecis κόλασις, id est, *castigatio* dicitur, qua voce Aristotelem hic usum videtis. puniendis enim peccatis tres esse debere causas existimatum est. Una est, quae τιμία, vel κόλασις, vel παιδευτικὸς dicitur, cum poena adhibetur castigandi, atque emendandi gratia, ut is, qui deliquit, attentior fiat, correctiorque. Altera est, quam ii, qui vocabula ista curiosius diviserunt, παραδειγματικὸν appellant. Ea causa animadvertendi est, cum dignitas, auctoritasque ejus, in quem est peccatum, tuenda est; ne praetermissa animadversio contemptum ejus pariat, & honorem elevet. Iccircoque ei vocabulum a conservatione honoris factum esse putant. Tertia ratio vindictae est, quae παραδειγματικὸν a Graecis nominatur, cum punitio propter exemplum est necessaria, ut ceteri a similibus peccatis, quae prohiberi publicitus interest, metu cognitae poenae deterreantur. Iccirco veteres quoque nostri *exempla* pro maximis, gravissimisque poenis dicebant. Haec e primo lib. commentariorum Tauri philosophi in Gorgiam Platonis commemorat A. Gellius c. 14. lib. 6.

Postremo, ne illud quidem praetermittam, quod hic ab Aristotele dicitur, *contraria contrariis curari*, in medicorum scholis tritum, ac celebratum esse, & tradi ab Hippocrate, tum aliis in locis, tum aphorismo 22. sect. 2.

Ἔτι ὡς τῷ σώφρονι] Quartum hoc argumentum est. Docuimus, inquit, primo cap. hujus lib. omnem habitum animi, quibus ex rebus efficitur, sive melior, sive deterior, iisdem in rebus versari, posteaquam effectus est, exempli gratia, tractandis pecuniis aut liberales, aut avari, aut prodigi evadimus. ipsa quoque liberalitas, itidemque avaritia, & profusio non alia in re, quam in pecuniarum tractatione versatur, & prout quisque assuefacit se ad subeunda, detrectandave pericula, ita fortis aut ignavus evadit: ipsa quoque sive fortitudo, sive ignavia in periculis aut excipiendis, aut refugiendis cernitur. Cum igitur voluptatibus ac molestiis, hoc aut illo modo persequendis, fugiendisque, aut comparetur virtus, aut vitium contrahatur, necesse est, ut vitium, ita virtutem in vo-

Digitized by Google

voluptatibus, moleſtiisque verſari. Aſſumptionem hujus ſyllogismi ſatis duxit in ultimo oſtendere. Satis enim e ſuperioribus conſtat, quibus ex rebus efficitur vitium, ex iisdem, ſed alio modo inſtitutis, gigni virtutem. ἡ γὰρ αὐτὴ δύναμις τῶν ἐναντίων, ἡ ἐναντία, ut ait ipſe lib. 2. de arte dicendi.

Ἢ ἃς μὲν δεῖ] Haec utraque referenda ſunt & ad voluptates, & ad moleſtias. Conſectantur enim quidam eas voluptates, quas non oportet, & eam, quae ex commiſtione corporis cum aliena uxore percipitur, & fugiunt eam moleſtiam, quam non oportet, ut cum ardere ſe amore dicunt, & impares eſſe ferendo dolori, quem capiunt, niſi fruantur eo, quod concupiſcunt.

Ἢ ὅτι ἃ δεῖ] Ut ſi quis, cum de repub. deliberandum eſt, oblectare ſe aut (*) cithara velit: aut obſeſſa patria nolit pernoctandi ſub dio, & excubias agendi moleſtiam ferre.

Ἢ ὡς ἃ δεῖ] Ut ſi quis uxore legitima ſe oblectet ſecus, quam fas eſt, quod de Piſiſtrato ſcribit Herodotus lib. 1. aut a praedonibus captus, vitam ſuam aliqua turpitudine redimat.

Ἢ ἐπιεικῶς ἄλλως] Sunt enim aliae quoque μεσότητες, quas recta ratio in omni actione obſervandas eſſe praeſcribit, de quibus ſuo loco agetur.

Διὸ καὶ οἰόμενοι] Puto, hoc quintum eſſe argumentum, quamvis aliis non ita videtur. Argumentari autem Ariſtotelem arbitror ab auctoritate eorum, qui dicebant, virtutes eſſe quasdam affectionum vacuitates. Nam illi quoque oſtendebant, eas in compeſcenda, regendaque voluptate, & moleſtia verſari, cum omnem animi affectionem alterutrum ex his duobus conſequatur. Hactenus igitur recte ſentiebant; ſed in hoc minus recte, quod voluptatem, moleſtiam, ceterosque animi motus extingui prorſus, eradicarique a virtute dicebant, neque ullam rem viro bono aut voluptati, aut moleſtiae eſſe, cum haec non tollenda prorſus, ſed ex rectae rationis praeſcripto coërcenda, dirigenda, moderanda ſint.

Διὸ καὶ οἰόμενοι] Quos tandem hos fuiſſe dicemus? Num Stoicos? non deſunt quidem, qui ita accipiant: ſed eos hiſtoriae imperitos eſſe conſtat. Stoici enim vivo Ariſtotele nulli fuerunt. Sed ut Epicurus e Democriti,

(*) Dele *aut.*

Digitized by Google

ti, & Eudoxi sententiis disciplinam suam concinnavit, ita non est dubium, fuisse aliquos e veteribus, qui sparserint semina earum opinionum, quas postea amplexati sunt Stoici. recteque scholiastes Graecus, ἰστέον δὲ, inquit, ὅτι καὶ περὶ τῶν Στωϊκῶν ἦν ἡ δόξα αὐτὴ, ἡ τοὺς ἀρετὰς ἐν ἀπαθείᾳ τιθεῖσα. Illos igitur significat. Ut autem alia pleraque, ita hoc quoque Stoicorum placitum absurdissimum est, & pugnat cum ipsa natura, quae numquam illos animorum motus hominum generi insevisset, si illi eradidicandi, & evellendi, tanquam prorsus inutiles, essent. Ac si hoc maxime fieri posset, tamen eum hominem, qui nulla re doleret, nulla laetaretur, neque irasceretur improbis, neque ullius misericordia caperetur, nihil umquam cuperet, nihil speraret, nihil metueret, truncum potius aliquem, ac stipitem, quam hominem putaremus. Talem prope traditum est fuisse Claudium Imperatorem, pecudis, quam hominis similiorem. Neque tamen ullo modo fieri potest, ut affectiones ex homine radicitus evellantur. Lycurgum Thraciae regem accepimus, ne quis ex suis inebriaretur, vites omnes, quae in Thracia erant, excidisse. Idem faciunt Stoici. quod affectionibus interdum impelluntur homines ad flagitia, & scelera, non moderandas eas, & ratione dirigendas, sed ab ipsis radicibus extirpandas putant. At ne medici quidem id in corporibus faciunt. Non enim extinguendo prorsus calore, aut exhauriendo hoc, aut illo humore, sed temperandis, & ad mediocritatem perducendis omnibus bonam valetudinem efficiunt. Ac Stoici, ut fere in mendaciis accidit, pugnantia loquuntur. Nam & omnem commotionem animi peccatum esse dicunt, & omnia peccata aequalia. constat autem, animi motus alios majores esse, & alios minores. doluit morte Socratis Plato: doluit morte Cliti Alexander. at ille, ut cordatum virum, & perfectum philosophum decebat, dolorem suum ratione compressit: hic ut praecipitis, & effrenati ingenii adolescens prae doloris impotentia manus sibi afferre voluit. Quis horum dolorem aequalem fuisse dicat? Nicocreon rex Cypri offensus Anaxarcho ob quaedam liberius in se dicta, pistillis eum ferreis, ut heri dicebam, tundi, ac comminui jussit. Iratus de simili caussa Magas Philemoni comico, tortori imperavit, ut nudum ensem ad collum illius admoveret, neque ultra progressus, hominem salvum, incolumemque dimisit. Tamen-

ne

ne horum iram aequalem fuisse censebimus? Sed satis haec sint nunc quidem. Erit enim etiam alio loco docendum, ac confirmandum, moderandas esse affectiones, non ex homine tollendas. Nunc persequamur cetera.

Ἀλλ' οὐχ ὡς δεῖ, καὶ ὡς οὐ δεῖ, καὶ ὅτε] Vetus interpres legit, ἀλλ' οὐχ ὡς οὐ δεῖ, καὶ ὅτε οὐ δεῖ. Aretinus, ἀλλ' οὐχ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε. Eodem modo Argyropylus, & Felicianus. ceteri vulgatam scripturam Graecam secuti sunt, quam depravatam esse arbitror. Superiorum utramlibet ferri posse crediderim.

Ὑπόκειται ἄρα ἡ ἀρετὴ] Utcumque sit, inquit, sive optimum factu sit animi motus plane tollere, sive ad mediocritatem perducere, illud certe ut a nobis, ita ab ipsis quoque ponitur, virtutem in voluptatibus, ac molestiis effectricem esse ejus, quod optimum est: vitium autem contra.

Γένοιτο δ' ἂν ἡμῖν] Sextum argumentum. Virtutem in in eo praecipue versari oportet, quod omnem hominem maxime impellit ad agendum. talis autem est voluptas: omnes enim fere actiones nostras voluptate, & molestia dirigimus. Igitur in voluptate, & molestia virtus praecipue elaborat. Hujus syllogismi propositio per se nota est. Assumptionem multis modis confirmat. Primum, quod cum tria sint rerum expetendarum genera, honestum, utile, jucundum: totidemque fugiendarum, turpe, inutile, molestum, in iis omnibus recte se gerit vir bonus; improbus autem male quidem in omnibus, sed praecipue in voluptate: deinde quod voluptas omni animantium generi communis, & adjuncta est iis omnibus, quae expetuntur: nam & quae honesta, & quae utilia sunt, eadem voluptatem pariunt, cum tamen multa jucunda sint, quae neque honesta sunt, neque utilia. Deinde quod a puero una cum omnibus nobis voluptatis sensus adolevit. Nam honestatis quidem, & utilitatis tum demum cognitionem assequimur, cum jam aetate processimus; at voluptatis etiam pueruli sensum habebamus, ut perdifficile sit quasi abstergere, eluere, eradere hanc affectionem, qua vita nostra penitus tincta est, quaeque in ea tam alte insedit. quin etiam cum voluptatem persequantur, ac molestiam fugiant alii magis, alii minus, nemo tamen est, quin non illis duobus actiones suas dirigat.

Ἀπο-

Ἀποτρίψασθαι] Quasi de colore aliquo locutus est, eademque in metaphora perstitit, cum statim addidit ἐγκεχρωσμένον.

Τὴν πᾶσαν πραγματείαν] Τῇ ἀρετῇ δηλονότι. Ita autem & vetus interpres, & Aretinus, & Argyropylus legunt. In aliis libris legitur, τὴν παροῦσαν πραγματείαν, quam scripturam secutus est Felicianus. mihi, etsi non multum interest, tamen haec nostra magis arridet.

Οὐ γὰρ μικρὸν] Eandem sententiam ita expressit principio lib. 10. δικεῖ δὲ καὶ πρὸς τὴν τοῦ ἤθους ἀρετὴν μέγιστον εἶναι τὸ χαίρειν οἷς δεῖ καὶ μισεῖν ἃ δεῖ.

Ἔτι δὲ ζαλεπώτερον] Septimum, ac postremum argumentum. Ut ars, ita & virtus in eo, quod difficilius est, cernitur. Difficillimum autem est in agendis rebus voluptati reniti, & ejus blandimentis non commoveri. igitur in eo cernitur virtus. Ad haec autem intelligenda, primum animadvertendum est, facilius esse quidlibet facere, quam idem illud bene facere, ut pingere, quam bene pingere, canere, quam bene canere, eodemque modo in ceteris. Ex iis igitur duobus, ars in eo, quod difficilius est, sita est. non enim simpliciter canere, aut pingere, artis est, sed bene canere, beneque pingere. Deinde si duo artifices idem praestent, eum, qui in difficiliori materia idem efficiat, meliorem, ac praestantiorem artificem videri. Exempli caussa, eo quisque melior musicus habetur, quo difficiliora facilius, expeditiusque modulatur. Atque hoc est, quod ait Aristoteles, τὸ δὲ ἐν τῷ ζαλεπωτέρῳ βέλτιστον εἶναι. Eademque virtutum ratio est, ut cum bene, ac laudabiliter uterque faciat, & qui pecunia ad injuste judicandum adduci non potest, & qui ne proposito quidem mortis metu, hunc tamen eo laudabiliorem esse ducemus, quo difficilius est vitam contemnere, quam pecuniam. Nunc syllogismi assumptionem consideremus, in qua primum de Heraclito ipso nonnulla dicam, deinde de dicto ipsius, quod hic ab Aristotele refertur: postremo de veritate ejus, quod hic traditur. Heraclitus Ephesius de natura brevem libellum scripsit ita obscurum, ut ipse inde vocatus sit σκοτεινὸς, id est, tenebricosus, cujus intelligendi cupiditate incensus Darius, Persarum rex, Heraclitum ipsum ad se per litteras pellicere conatus est, sed frustra. Magno enim & elato vir animo aeque regis pollicitationes neglexit, atque regnum he-

hereditarium antea neglexerat, fratrique concesserat: Socrates, aut, ut alii dicunt, Crates quidem dixit, eum librum Delio natatore indigere, ut ne in eo mergeretur. De eo apud Ciceronem leguntur hi versus, quos suspicor esse Ennii: *ut ille γνωτοῦς, Heraclitus cognomento qui perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit.* Lucretius ejus auctoritatem valde elevat, aitque, eum tantum in pretio esse apud eos, qui obscura quam vera malunt, his versibus: *Heraclitus init quorum dux agmina primus, Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes. Quamde gravis Grajos inter, qui vera requirunt.* Et sane Plato quoque in Theaeteto breviter exagitat Heracliteos, quod nihil explicarent, sed mera aenigmata loquerentur, quae ne ipsi quidem satis intelligerent, atque ita vulgo facerent fucum. Sed nimis multa de homine. In ipso autem dicto, quo de hic agitur, dissentio ab omnibus interpretibus, tam Graecis, quam Latinis, unum veterem excipio; nam illi omnes putant Heraclitum dixisse, difficilius esse voluptati repugnare, quam irae, ego autem puto, eum dixisse tantum, difficile esse pugnare cum ira, Aristotelem autem accommodasse dictum illius ad sententiam suam hoc modo: Heraclitus dicebat, difficile esse pugnare cum ira. ego autem ajo, difficilius esse pugnare cum voluptate, quam cum ira, ita ut illud, καθάπερ φησὶν Ἡράκλειτος, non pertineat ad totam sententiam, sed tantum ad posteriorem partem illius, quae est, ἡ θυμῷ, iccircoque ita hunc locum converterim: *Difficilius etiam est pugnare cum voluptate, quam, ut dicebat Heraclitus, cum ira.* Integrum autem Heracliti dictum est: Θυμῷ μάχεσθαι χαλεπὸν· ψυχῆς γὰρ ὠνοῦνται. significatque homines iratos mortem ipsam negligere, dum iram expleant. Et fortasse eodem respexit Horatius, cum dixit: *cruenta Per medias rapit ira caedes.* Et Plato 2. Πολιτειῶν his verbis: ἄμαχον, ᾧ ἀνίκητον ὁ θυμός. Hoc ipsum dictum ita commemorat Aristoteles: ἔοικε δὲ Ἡρακλειτῷ λέγειν εἰς τὴν ἰσχὺν ἡ θυμῷ βλέψας. ὅτι λυπηρὸν ἡ κόλυσις αὐτῷ. χαλεπὸν γὰρ φησὶ, θυμῷ μάχεσθαι. ψυχῆς γὰρ ὠνοῦνται Ut autem hic Aristoteles accommodavit illud ad voluptatem, ita Plutarchus ad amorem, in dialogo, qui inscribitur ἐρωτικὸς. ἔρωτι δὲ, inquit, μάχεσθαι χαλεπὸν, ἢ θυμῷ, κατ' Ἡράκλειτον, ὅτι γὰρ ἂν φήσῃ, ᾧ ψυχῆς ὠνοῦνται, ᾧ χρήματων, ᾧ δεῖπνῳ. Citat & haec Stobaeus, tanquam Democriti: Θυμῷ μάχεσθαι μὲν χαλεπόν

μὲν, τὸ δὲ κεφάλαιον ἀδύνατον ἐλεγχθῆναι. Ut duo dissimillimi philosophi (alter enim perpetuo risu, alter perpetuis lachrymis philosophatus dicitur) in hoc saltem consenserint, eandemque sententiam iisdem verbis explicarint. Quamvis autem ira vehementissimos impetus habet, tamen multis modis confirmari potest, quod ait Aristoteles, difficiliorem esse pugnam cum voluptate, quam cum ira. I. Primum, quod magis naturalis est voluptatis cupiditas, quam ira. Nam voluptatem qui sequitur, tendit ad aliquod bonum suum, qui iram, ad malum alienum. Magis autem nos impellit natura, ut nobis bene esse cupiamus, quam ut alii male. II. Deinde quod plura nobis, & frequentiora obiiciuntur voluptatis invitamenta, quam irae incitamenta. est autem molestior hostis, qui saepius aggreditur, quam qui minus saepe. III. Adde, quod ira prodit se, & quasi aperto Marte congreditur: at voluptas insinuat se, & irrepit in animos clanculum. Unde Homerus Venerem, quae eadem est & voluptas, vocat δολόπλοκον, & tribuit ei cestum, in quo ineset. sunt autem occulti hostes vitatu difficiliores. πάντως γὰρ ἥδιον νίκης τῆς φρονήσεως. IV. Praeterea, ita rationem quodam modo sequitur, ut docetur septimo horum librorum: at voluptatis cupiditas nihil habet cum ratione commercii: ergo multi in media ira temperant sibi, ut Plato, cum illam celebrem vocem edidit, *verberarem te, nisi iratus essem*, & cum servum, cui iratus erat, verberare ipse noluit, sed Speusippo, aut, ut alii, Xenocrati puniendum dedit. V. Postremo, ex amatoribus maxime perspici potest, cupiditatem voluptatis potentiorem esse ira. cum enim illi irascuntur amoribus suis, si ira potentior esset, omnino amorem extingueret, contra autem videmus iram ab amore superari. Itaque recte poëta: *Amantium irae amoris redintegratio est.* His, & similibus de caussis, ait Aristoteles, pugnam cum voluptate, quam cum ira, difficiliorem videri.

Καὶ τῇ ἀριστῇ] In aliis libris, ᾗ τῇ ἀδικῇ. sed hoc sine controversia melius.

Καὶ τῇ πολιτικῇ] Idem confirmat Plato primo νόμων his verbis: νόμων δὲ περὶ διαγωγημάτων ἀνθρώπων ἁλίγα πάνυ ἐστὶν ἃ σαφῶς περὶ τε τὰς ἡδονὰς, καὶ τὰς λύπας.

Ὅτι μὲν δὴ] Brevis quaedam ἀναπεφαλαίωσις totius superioris disputationis.

c. IV. Primum dissolvit dubitationem quandam, quae ex superiori disputatione oriri posse videbatur: deinde graviter reprehendit eos, qui oratione tantum, non etiam vita, & moribus philosophantur.

Ἀπορήσειε δ' ἂν τις] Quomodo verum esse potest, quod dictum est, justis actionibus edendis, atque obeundis justos, fortibus fortes, temperatis temperantes effici, eodemque modo ceteras virtutes comparari? Nam qui justus fit, justus nondum est: at qui ea, quae justa sunt, exequitur, jam eo ipso esse justus videtur, ut oratio nostra ipsa se conficere, atque convertere (*), & sibi pugnare videatur. Cum enim eadem sit artium, & virtutum ratio, ut, qui emendate loquitur, grammaticus, qui modulate canit, musicus habendus est: ita cujus actiones justae sunt, justus, cujus temperatae, temperans.

Ἢ ὅτι ἐπὶ μὲν τῶν τεχνῶν οὕτως ἔχει] Duobus modis explicat eam, quae allata est, dubitationem. ac primum quidem confutat assumptionem syllogismi, aitque, etiam si quis ea, quae artis sunt, praestet, non tamen ex eo continuo effici, ut sit artifex: posse enim etiam imperitum aut casu, aut monente, aut praeeunte alio aliquid ex artis praeceptis facere, neque tamen ob id artificem esse, donec artem ipsam penitus animo combiberit, sitque in ea diligenter exercitatus.

Ἔτι δὲ ὁμοίως ἐστί] Haec altera solutio est, qua negatur illa artium, & virtutum similitudo: ostenditurque, multum inter has, & illas interesse. Primum quod in artibus magis spectamus, quale opus sit, quam qualis opifex, totaque perfectio, atque absolutio non ex opifice, sed ex opere ipso penditur. At in virtutibus non tam spectatur, cujusmodi sit actio, quam quomodo affectus sit animus ejus, qui agit. potestque evenire, ut & scelerate agat aliquis, cujus actio ipsa per se scelerata non sit: & recte, ac laudabiliter is, cujus actio si sola spectetur, neque consideretur, quo animo suscepta sit, turpis, & scelerata videri queat. Utriusque rei exemplum hoc fingamus licet. Cum urbs quaedam longa obsidione premeretur, quidam e custodibus portarum pactus est cum hostibus, se eorum globum certa quadam noctis hora in urbem immissurum. Forte accidit, ut ea ipsa nocte aliquot ex civibus viri fortes & strenui ex urbe alia quadam

(*) Forte scripsit, *convellere*.

dam porta egrederentur, castra hostium speculaturi, incidunt in eos, qui mittebantur, ut in insidiis essent, donec porta ipsis, ita ut constitutum erat, panderetur. Eductis utrinque gladiis virtute civium cadunt hostes. Cives occasione utendum, ac longius progrediendum rati, ut facilius hostem fallerent, arma eorum, quos occiderant, induunt, eoque ornatu in castra profecti, magnam stragem hostium edunt. Deinde alio itinere reversi, perveniunt ad eam portam, cui ille, quem dixi, patriae proditor praeerat. Qui ex armorum genere hostes esse ratus, sine more portam aperuit. Ingressi illi, in excubitorum manum incidunt, & quia hostili busarmis induti erant, pro hostibus habiti, partim caeduntur, partim sauciantur. Hic, si nudae ac simplices actiones considerentur, ille quidem, qui custodiendae portae praefectus erat, nihil turpe, aut nefarium egisse videbitur: egregiis enim civibus re bene, ac feliciter gesta revertentibus portas aperuit. At quia hoc animo erat, ut se hostes in patriam immittere putaret, inexpiabili se scelere obligavit. illorum contra, qui eos urbem ingressos aggressi trucidarunt, actio ipsa per se scelerata, & immanis est. Neque tamen scelerate ab eis factum est: putabant enim, illos hostes esse, & probabili argumento ducti putabant. Cum igitur quaeritur, honeste, an turpiter actum sit aliquid, non tam, quid actum sit, quam quo animo actum sit, spectari oportet. At in operibus artium nihil interest, quo animo aliquid artifex fecerit. operis enim ipsius perfectio, non artificis animus consideratur. Adde, quod quatuor requiruntur, antequam quisquam ex virtute agere dicatur. Primum, ut agat sciens: nam ex eo, quod quis agit insciens, neque laudem, neque reprehensionem ullam meretur. Deinde, ut προαιρούμενος, id est, cum capto consilio apud animum suum constituerit, ita agendum esse. Nam si aut casu agat, aut subito aliquo animi motu, aut coactus, non dicitur ex virtute agere. Tertio, ut in capiendo, sic agendi consilio dignitatem, atque honestatem ipsam sequatur. Nam si aut infamiam, aut supplicium fugiens, aut famam, aut lucrum, aut tale aliquid captans, ea, quae honesta sunt, exequatur, neque honeste aget, neque propterea vir bonus, ac virtute praeditus habendus erit. Postremo, ut perpetuo, ac constanter honestatem colat: nam si a se ipse desciverit, casu, non virtute aliquid boni aliquando fecisse videbitur.

tur. Itaque Cicero in Antonium de L. Trebellio loquens, qui cum aliquandiu bonus civis fuisset, postea se ad Antonium contulerat, *Quis*, inquit, *est, qui hunc non casu existimet recte fecisse?* Et de se ipso in Catilinam, *Ita me*, inquit, *in rep. tractabo, ut meminerim semper eorum, quae gesserim, curemque, ut ea virtute, non casu gesta esse videantur.* Et in septimo ad Atticum in extremo: *Reliqua sic a me aguntur, & agentur, ut non committamus, ut ea, quae gessimus, fortuito gessisse videamur.* Atque ea causa est, cur Jurisconsulti non brevem quandam, & ad tempus susceptam suum cuique tribuendi voluntatem, sed eam demum, quae constans, & perpetua sit, justitiam esse dicant. At horum omnium praeter scientiam artis nihil in artifice requiritur, quodque ad artes non praecipuum tantum est, verum etiam solum, id in virtutibus minimum momenti habet.

Τὰς ἄλλας τέχνας] *Artes* igitur etiam virtutes vocat, ut & supra: ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν, ut *artis* nomen πανταχοῦ etiam ad virtutes, & ad vitia accommodari posse constet. Sic & apud Latinos Sallustius: *Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque bonas artes subvertit.* Et paulo supra: *Agitabatur magis, magisque* &c. Sic Horatius: *Hac arte Pollux, & vagus Hercules Innixus, arces attigit igneas.* Cicero pro lege Manilia: *Sed multae sunt artes* &c.

Οὐδὲ μελήσεται] Non est dubium, quin legendum sit μελλήσεται.

Ἀλλ' οἱ πολλοὶ] Aptissima comparatione ostendit, nihil prodesse sermones philosophicos iis, qui vitam suam propterea non corrigunt. Est autem haec pars satis per se perspicua.

c. v. Πρῶτον δὴ τοῦτο] Haec secunda pars est hujus libri, in qua virtutis definitio inquiritur. Suo autem more primum quaerit, sub quod genus includenda sit virtus, deinde quomodo ab iis distinguatur, quae eodem genere continentur. Genus igitur, quod virtutem ambitu suo comprehendit, docet esse habitum: idque hoc modo. Trium omnino generum sunt ea, quae in ea parte animi, in qua virtus moralis est, reperiuntur. Aut enim sunt perturbationes, aut potestates, aut habitus. Horum trium aliquid necesse est esse virtutem: non est autem neque perturbatio, neque potestas: est igitur habitus. Hinc Aristotelis locum ita expressit Plutarchus in libro

Digitized by Google

περὶ τῶν ἀρετῶν. Τοῦτο γὰρ δὴ δοκεῖ μοι τὸ ὑπερβὰν ἐπιέχειαν, δυσμαν, πάθος, ἕξιν. ἃ μὲν οὖν δυσμας ἀρχὴ, καὶ ὅλη ὁ πάθος, οἷον ἐρωτικὸς ἢ φιλοτιμία, ἐπιθυμίαι. Τὸ δὲ πάθος, κίνησις πειθὼς τῆς δυσμάσεως, ἢ ἕξις ἐγκριτικὴ. καὶ διὰ μὲν, ἂν φαῦλος, ἕξις ἦ, ἢ παλαιὰ ὑπὸ τῆ λόγῳ πονηρὰ γεγενημένη τὸ πάθος.

Λόγος ἢ πάθος] Primum quaeramus, quomodo λόγος καὶ πάθος Latine dicantur. Cicero videtur indicare, *morbos*, aut *animi perturbationes*, dici posse. Sed haec Stoica videntur. Peripatetici enim qui λόγον utilia esse dicunt, & non tollenda, sed ad mediocritatem perducenda, nunquam vocarent ea *morbos*, aut *perturbationes*. Non enim potest utilis esse morbus, neque optandum est, ut mediocriter perturbetur animus noster, sed ut ne omnino perturbetur, cum perturbari videatur esse κακόν. Haec tamen de interpretatione ita Cicero 3. Tusc. *Videtur mihi cadere* &c. Easdem paulo infra *commotiones* vocat, & *perturbatas motus*. et in quarto eorundem librorum *perturbationes*, aut *motus turbidos*. Ut autem Cicero prudenter, & artificiose fecit, qui, cum vellet λόγον impugnare, & Stoicorum opinionem defendere, ita interpretatus est hanc vocem, ut ipso nomine significaretur vitiosum quiddam, & tollendum potius, quam moderandum: ita Perionius, & Lambinus, ut homines de verbis solliciti, rerum ipsarum non admodum intelligentes, parum considerate, qui easdem voces hoc loco adhibuerint, quae ad Stoicorum quidem sententiam confirmandam essent aptissimae, a sententia autem Aristotelis alienae. *Impulsiones* idem vocare videtur ὁρμὰς Ita enim scribit lib. 1. de inventione: *Impulsio est, quae sine cogitatione per quandam affectionem animi aliquid facere adhortatur, ut amor, iracundia, cupiditas, violentia*, &c. paulo post etiam vocat *impetum animi*, sed nec (*) illa quidem satis ad Aristotelem interpretandum accommodata sunt. nam *impulsio*, & *impetus* magis exprimunt ὁρμὴν, quam ὄρεξιν, & ut, qui concupierit, aut insciam, videtur tendere, & ferri aliquo, cum quodam impetu, ita is, qui voluptate fruitur, aut aliqua re gaudet, nusquam alio tendit, sed in eo, in quo est, quantum potest, quiescit. Quare ne *motus* quidem nomen satis aptum est ad amplectenda omnia. Etenim lib. 1. acoutare disputabitur, vo-

(*) Rectius, ne illa quidem.

luptatem non esse motum. Jam si voluptas Aristoteli est πάθος, & tamen non est motus; sequitur, non idem esse πάθος, & motum. Alibi vocat πάθος, *affectionem*, ut de inventione: *Affectio est animi, aut corporis ex tempore aliqua de caussa commutatio, ut laetitia, cupiditas, motus, modestia, &c.* Atque hoc longe optimum esset (plane enim πάσχειν nullo modo melius Latine dici potest, quam *affici*) nisi inesset in eo aliqua ambiguitas. Nam διάθεσιν quoque, quae longe aliud est, quam πάθος, Cicero *affectionem* vocat. *Affectus* nomen, hoc modo acceptum, legaturne apud Ciceronem, an minus, scitis nuper magnis contentionibus inter duos eruditissimos homines, quorum alter hic Latinas, alter Graecas litteras docet, disputatum esse. Ego interponere me in illam contentionem nolo: sed dicam tamen, quid mihi videatur. Non nego fieri posse, ut Cicero quoque fortassis aliquando ita hac voce usus sit; non tamen, si quis quaerat, locum ullam proferre possum, ex quo id aperte constet. Nam in iis, quorum memini, magis videtur significare διάθεσιν. Veruntamen cum Seneca, Quintilianus, & alii boni Latinitatis auctores manifeste vocent *affectus*, τὰ πάθη, quod ad me quidem attinet, non putaverim hanc vocem refugiendam. Cicero ipse videtur non potuisse sibi plene, ac cumulate satisfacere, in ea voce exprimenda, cum alicubi Graecam ipsam orationi Latinae admiscuerit, ut ad Atticum: *Ego te quoque ponam in eodem πάθει.* Sed de voce fortassis nimium multa. Nunc de re ipsa aliquid dicamus.

Τὸ πάθος definitionem nullam ab Aristotele hic poni videtis. Et animadvertendum est, quod monet Scholiastes Graecus, apud veteres Peripateticos nullam reperiri τοῦ πάθους definitionem.

c. VI. Μίλωνι μὲν γὰρ] Vide Scholiast. Theocriti εἰς εἰδύλλιον δ.

Τῷ δὲ ἀρχομένῳ τῶν γυμνασίων] Id est, τῷ ἔτι ἀσκοῦντι καὶ οὐδέπω ἠσκηκότι. Unde ἀσκητικὸς βίος, apud Platonem lib. 7. de legibus.

c. IX. Primum breviter repetit praecipua capita superioris disputationis. Deinde docet, quid facere oporteat eos, qui liberari a vitiis, & ad virtutem pervenire meditantur.

Διὸ καὶ ἔργον ἐστὶ ἀνουδαῖον εἶναι] Traditurus praecepta quaedam ad virtutem comparandam utilia, primum admonet

nos, magnam in re comparanda esse difficultatem. Id autem facit ad excitandam, & exacuendam industriam nostram, ne tantae rei indormiamus, neve nos eam, nisi magna adhibita diligentia, consecuturos esse credamus. Vulgare proverbium est apud Graecos, χαλεπὰ τὰ καλά, *difficilia, quae pulchra.* Et eodem pertinet versiculus Epicharmi: Ἅ πόνων πωλεῖτον ἡμῖν πάντα τὰ ἀγαθὰ οἱ θεοί. Quem ita expressit Horatius: *Nil sine magno Vitae labore dedit mortalibus.* Hesiodus quoque significat, laboriosam esse virtutis consecutionem, τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα, &c. Κίνυ positum videtur ἀντὶ τοῦ γίνεται: nam virtutem quidem assequi difficile est, sed facile, in ea jam acquisita permanere, ut copiose docetur in Protagora. Atque hoc est, quod ait Hesiodus: Ἐπὰν δ' εἰς ἄκρον ἵκῃ, ῥηϊδίη δ' ἔπειτα πέλει, χαλεπὴ περ ἐοῦσα.

Ἐν ἑκάστῳ γὰρ] Si medium rei, quod semper, & omnibus idem est, tam difficile assequimur, quanto difficilius virtutem, quae quaerit τὸ μέσον ἡμῖν μέσον, quod quidem pro personarum, temporum, locorum, actionum diversitate variatur.

Δεῖ δὴ] Primum hoc est praeceptum.

Ἡ Καλυψὼ] Est μνημονικὸν ἁμάρτημα. Dicit enim haec Ulysses ipse gubernatorem alloquens, Odyss. μ. Sic & Cicero lib. 2. de gloria *Ajacem* pro *Hectore*, ut notavit Gellius lib. 15. cap. 6. Eustratius haec, quae hic citantur, ait dici a *Circe*, cujus errorem sequitur Victorius cap. 3. Cicero rursum libr. 2. de divinat. *Agamemnonem* pro *Ulixe*, ut notat Politianus in Miscellaneis. Plutarchus in Nicia *Cleonem* pro *Agoracrito* nominat. Victorius lib. 6. Variarum lect. *primum* Iliados pro *nono*, & *Agamemnonem* pro *Achille* citat, quem errorem ipsius notavi cap. 6. lib. 8. Var. lect.

Κατὰ τὸ δεύτερον φασὶ πλοῦν] Hoc proverbio usus est Plato in Phaedone, in Politico, in Philebo.

Τὰ διεσκεμμένα τῶν ξύλων] Sic Plato in Protagora: ἅπερ ξύλοις θαυμασίοις, καὶ καρπίμοις ἀθρόοις. Videtur autem de arboribus loqui. Theodoretus dialogo 3. contra haereses: Τοῦτο δὴ καὶ τοῖς φυτηκόμοις φίλον πονεῖν. ὅταν γὰρ ἴδωσι πεπλεμένον φυτὸν, ἢ μόνον πρὸς τὸ ἀρχῆθεν ἀνιχθὲν κομίσαι, ἀλλὰ καὶ πίσω τὸ ἀρχῆθεν ἐπὶ τὸ ἕτερον ἀντιπλέξαι μέρος, ἵνα τῇ ἐπὶ πλέον εἰς τοὐναντίον ἐπιπλοκῇ τὸ ἀρχαῖον περιγένηται σχῆμα.

Οἷς ὑπερφέρουσι] Iliados Γ. Οὐ νέμεσις, Τρῶας, &c.

M. A. MURETI
IN LIBRUM TERTIUM ETHICORUM ARISTOTELIS COMMENTARIUS.

Cum de iis, quae ad communem quandam virtutis cognitionem pertinent, superiori libro abunde disputatum esset, sequi videbatur, ut ad propriam singularum virtutum tractationem accederemus, eaque traderemus, quae proprie ad unamquamque earum pertinerent. Sed Aristoteles, cui proprium, ac perpetuum est, nihil inchoatum, atque imperfectum relinquere, neque quidquam omittere, quod ad instituti operis absolutionem desiderari posse videatur, qui docuisset virtutes, & agendo comparari, & in actione consistere, antequam ad singulas pertractandas veniret, de quibusdam, quae ad actionum naturam, ac varietatem pertinent, sibi accuratius disserendum putavit. Principio igitur tenendum est, eas actiones, quae vel ad virtutem comparandam valent, vel ab ea comparata jam, acquisitaque manant, sponte susceptas esse debere. Ea enim quae invitis aliquis facit, neque laudari unquam, neque merito culpari, ac reprehendi queunt. Necessario igitur explicandum fuit, quid homines suapte sponte, quidque inviti aut agere, aut excipere dicerentur. Neque tamen id satis est. Sua enim sponte & pueri moventur, & bestiae; quae virtutis capaces esse dixerit nemo. Neque enim consulto agunt, quodque prius, re perpensa, atque examinata, apud animum suum statuerint, hoc potius, quam illo modo esse faciendum. Quare docendum fuit, quid sit *agere consulto*, sive ἐκ προαιρέσεως. Consulto autem agere nemo potest, nisi qui prius de eo quod facturus est, deliberarit. Perpurgandus ergo etiam ille locus fuit, & quid sit deliberatio, seu consultatio, quaeque res in deliberationem cadant, quae minus, disserendum. Cum autem consultatio nulla sit, quae non ad aliquid, quod consequi volumus, pertineat, ac dirigatur, visa est institutae disputationis ratio postulare, ut de ipsa quoque voluntate aliquid

runt, habere pro derelictis. L. *cum ilepida*; & leg. *quae levandae*. Dig. ad l. Rhod. de jactu.

Ἀνωλὸς μὲν ὁ ἄνθρωπος] Vide Scholiast. Homeri in illud Iliad. λ. ἐμοὶ γὰρ θάνατος γε ἔπειτα.

Τὸ δ' ἐπὶ τῷ πράγματι] Actio autem, non est quiddam quod maneat; & sit: sino vero remittatur eo ipso tempore, quo agimus; quare ex eo etiam tempore judicari debet, quo fit, an secus.

Ἔστι γὰρ ἃ ἐπαινοῦμεν] Actionum mistarum quaedam laudantur, quaedam reprehenduntur, quibusdam ignoscitur. De actionibus mixtis vide quaedam cognitu dignissima apud S. Augustinum in libro de mendacio, cap. 9.

Οἷον ὁ Ζώπυρος καὶ ὁ Ὀδυσσεὺς] De Zopyrus, Ulysses, Saguntini.

Ἂν δὲ ἀναξίου τινὸς] Sin pro re non magni momenti ea pertulerint? ut scurrae, qui sibi caussa adulantur, patiuntur se conputeri, sibi frangi ollas in caput, ut Dolon.

Εἰσὶ δὲ καὶ οἱ ἐπὶ τοῖς] Mulieres sunt, quae, cum per libidinem aliquid improbe, nequiterque fecerunt, in peccatis suis sibi blandiuntur, aiuntque, aequum esse sibi ignosci, fecisse enim vi amoris coactos, neque se, si quid egerunt immodestius, accusandos, sed illud decus, illam pulchritudinem formae, quae potuerit non suum modo animum mollem, tenerum, flexibilem, sed feras, sed saxa, sed scopulos commovere. Inde illa in poëtarum scriptis frequentia: *quis enim pugnarit amori?* &, *Fusit amor. contra quis ferat arma deos?* Horum delicias excutit, ineptias exagitat, impudentiam coarguit hoc loco Aristoteles, docetque, eos frustra vim amoris, frustra alienae formae decorem accusare, & praetendere flagitiis suis: suapte sponte peccare, neque quidquam aliud, quam intemperantiam, & nequitiam suam accusare debere. Nam quod dicunt, ejusmodi actiones esse violentas: id enim quo ipsi impelluntur ad agendum, & extrinsecus esse, & agendi necessitatem imponere: id quam leve, & nugatorium sit, facile perspici potest. Primum enim, quis est, cui ista ad excusandum via non pateat? aut quis unquam tam perditus reperietur, cui non in iis omnibus, quae dissolute, quae intemperanter, quae avare, quae perfide, quae crudeliter fecerit, ad hanc excusationem, tamquam ad aram, confugere liceat? nam si amatori licet dicere, Non

ego

ego culpandus sum, quod te ad stuprum, aut ad adulterium sollicitem, aut etiam per vim rapiam; sed formae tuae praestantia, quae tantum in pectore meo incendium excitavit, ut mihi temperare non potuerim, licebit itidem latroni, qui viatorem bene numatum, & bene vestitum comprehenderit, eumque paret aut spoliare, aut etiam occidere: quod spoliare te hominem mihi ignotum, aut etiam interficere cogitem, accusandus non sum, accusandus est vestitus tuus, accusandi sunt numi tui, qui tantam mihi cupiditatem sui injecerunt, ut imperare mihi non possim, ne omnia faciam, ut eis potiar. Licebit ebrioso, non se accusandum, sed naturam ipsam, quae tantam suavitatem vino admiscuerit, ut ab ejus immoderato usu ipse se continere non possit. Denique omnes, qui agunt aliquid, quod sibi suave est, in agendo sequuntur. Nam & honesta, & utilia suavitatem sibi admistam habent. Quare si hanc caussam justam esse ducimus, cur violenta actio censeatur; omnia quae agunt homines, hac ratione violenta esse dicentur.

Καὶ τὰ καλὰ] Alii, καὶ τὰ λυπηρὰ. utrumque delendum, etsi Scholiastes legit, καὶ τὰ λυπηρὰ. at vetus, καὶ τ' ἀγαθὰ. fortassis retinendum τὰ καλὰ.

Ἔξω ὄντα, πάντα, &c.] Cum dicimus τὴν ἀρχὴν τῶν βιαίων ἔξω εἶναι, non intelligimus de fine, sed de efficiente.

Καὶ οἱ μὲν βίᾳ] Alterum argumentum. Qui per vim, & inviti agunt, cum quodam doloris, & molestiae sensu agunt: πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον πρᾶγμ' ἀνιαρὸν ἔφυ, ait Panyasis, at qui cupiditatibus suis obsequuntur, voluptatem ex eo capiunt: non igitur agunt inviti.

Γελοῖον δὴ] Tertium argumentum. Quid aliena accusas? tu ipse culpandus es, qui tam facile irretiaris, atque in laqueos inducaris.

Καὶ τῶν μὲν καλῶν] Quartum. Si haec turpia agis invitus, sequitur, ut & ea, quae pulchra, & honesta sunt, agas invitus.

Ἔοικε δὴ] Quintum. caussam externam, qua te impelli dicis, adjuvas: non igitur agis invitus.

Οἷον ὀργάνῳ] Rhetoribus πριστατικὰ μόρια sunt πρόσωπον, πρᾶγμα, ὄργανον, τόπος, χρόνος, τρόπος, αἰτία.

Ὅλαρ

Ὥσπερ ἡ Μερόπη] De Merope vide quiddam apud Plutarchum, περὶ στερκοφαγίας λόγῳ β'. ad finem.

Τὰ διὰ θημὸν &c.] Plato nono de legibus: Ἐὰν δ' ἄρα τὰς αὐτόχειρ &c.

C. III. Βουλεύονται 3] Dictum est, προαιρετὸν εἶναι ἑκούσιον, οὐ πᾶν δ', ἀλλὰ τὸ προβεβουλευμένον. id autem nullo modo intelligi potest, nisi explicetur, quid sit βουλεύεσθαι, quidque βουλευτὸν. quare hoc explicare aggreditur. Deliberantne igitur, inquit, homines quibuscumque de rebus, neque quidquam est, quod in deliberationem, & consultationem venire non possit? an quaedam sunt, de quibus nulla deliberatio est? quibus verbis significat, non omnia in deliberationem adduci posse. quod ne quis forte calumniaretur, contenderetque, nihil esse, de quo non fatui, atque insani deliberare aliquando possent, ait, id se demum βουλευτὸν vocare, de quo aliquis mentis compos, ac prudens deliberare possit. Tum more suo removet ea, de quibus deliberatio institui non potest, ut, eis sublatis, quaenam sint illa, quae in deliberationem veniunt, intelligatur. Quinque igitur rerum genera proponit, a deliberatione prorsus alienarum, inter quas principem locum obtinent τὰ ἀΐδια, id est, ea, quae semper sunt, fueruntque, ex omni aeternitate, neque unquam desitura sunt: dictum est enim ἀΐδιον, quasi ἀεὶ ὄν: talia igitur cum immutabilia sint, eodemque se modo semper habeant, nullo modo in deliberationem cadunt. Aeternum autem duobus modis dicitur: si quidem & aeternas vocamus naturas illas, quae semper fuerunt: ut caelum, & enuntiationes absolute, & simpliciter necessarias, quales sunt Mathematicorum: igitur Aristoteles utriusque generis exempla ponit, prioris quidem τὸν κόσμον, posterioris autem, ὅτι ἡ διάμετρος, καὶ ἡ πλευρὰ ἀσύμμετρον. Κόσμον interdum Graeci vocant caelum, & ita saepe accipitur apud Platonem, interdum & caelum, & omnia, quae complexu illius continentur. Ita enim scribit Posidonius, ἐν τοιχείωσει μετεωρολογικῇ, qui liber vulgo inscribitur, sed falso, Ἀριστοτέλους περὶ κόσμου· Κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. Id autem caelo nomen tributum est a perfecta, & absoluta elegantia, quodque sit undique admirabili stellarum varietate ornatum, atque distinctum. Mundum igitur, sive

five caelum aeternum judicavit esse Aristoteles, idque multis argumentis confirmare conatus est, cum alibi, tum in libris de caelo. Platonem quoque, etsi nota est illa in Timaeo ὑπερβολὴ, tamen idem sensisse, & Proclus, & alii homines eruditissimi affirmant. Posterius exemplum, ut ab omnibus perspicue intelligatur, principio explicandae sunt voces aliquot Mathematicorum propriae. Ac primum illud, cum plura sint genera τῶν τετραπλεύρων, id est, earum figurarum, quae quatuor lateribus continentur, ea demum τετράγωνα dici, quae & ἰσόπλευρά ἐστι, καὶ ὀρθογώνια. Eam autem lineam rectam, quae ab angulo ad angulum ducta τετράγωνον in duo trigoni aequalia dissecat, vocari διάμετρον, aut, ut Vitruvius loquitur, *diagonion*. Plinius eam Latine vocat *lineam dimetientem*. Deinde quae debeant σύμμετρα μεγέθη vocari, ita docet Euclides prima definit. lib. 10. σύμμετρα μεγέθη λέγεται τὰ τῷ αὐτῷ μέτρῳ μετρούμενα. ἀσύμμετρα δὲ ὧν μηδὲν ἐνδέχεται κοινὸν μέτρον γενέσθαι. Et ἐὰν δύο μεγέθη πρὸς ἄλληλα λόγον μὴ ἔχῃ, ὃν ἀριθμὸς πρὸς ἀριθμόν, ἀσύμμετρα ἔσται τὰ μεγέθη. ἀξιώματα ια'. Illud, ὅτι ἡ διάμετρος ἀσύμμετρός ἐστι, commemoratur ab Aristotele primo Post in metaph. & saepe alias. Probatur autem apud Euclidem in fine ipso lib. 10.

Τὰς τέχνας ἢ τὰς ἐπιστήμας] Quanquam circa (*) illas quoque vide exemplum in Archimede ex Vitruvio cap. 3. lib. 9. & in Pythagora, in Archyta, in Eratosthene.

Τὸ βελτίω ἢ] Vetus interpres, βελτίω ἢ δεῖ. Sed male.

Ἐν τοῖς ὡς ἐπιτυχόν] Id est, in iis, quae quanquam plerumque eveniunt, incertum tamen est, quem exitum habitura sint. Non omnia igitur sunt βελτίω, sed ea tantum, de quibus deliberarit ὁ νοῦν ἔχων. Non τὰ ἄϊδια, ἅττα τὰ ὄντα, ὡς ὁ κόσμος, ἅττα αἱ ἀτροπίαι, ἅττα τὰ ἐξ ἀνάγκης μὲν, ἀεὶ δὲ γιγόμενα τὸν αὐτὸν τρόπον, ὡς αἱ τροπαὶ, ἅττα τὰ ἄλλοτε ἄλλως, ὡς αὐχμοὶ, καὶ ὄμβροι, non τὰ ἀπὸ τύχης. Ne humana quidem omnia: neque enim quae nihil ad nos pertinent; sed ea tantum, quae sunt ἐφ' ἡμῖν, quae & sola reliqua sunt. Causae enim sunt φύσις, ἀνάγκη, τύχη, νοῦς. Unusquisque deliberat περὶ τῶν δι' αὐτοῦ πρακτῶν. Non tamen de iis, quae pertinent ad artes ἀκριβεῖς, sed περὶ τῶν ἐπ' ἀεὶ ὡσαύτως. Et ut quaeque ars minus διακριβοῦται, ita plus loci deliberationi relinquit. Et magis περὶ τοῦ

(*) *Circa* hac potestate non est artaria optimae.

τὰς τέχνας, quam περὶ τὰς ἐπιστήμας. In magnis vero adsumimus σύμβουλους, ἢ ἐν ταῖς πόλεσι, ἀλλὰ καὶ τῶν κατὰ τὰ πλοῖα

ζητεῖται 3] Ut quaeri potest, quo medicamento depelli possit aliquis morbus, & quomodo eo reperto utendum.

Εἰς τὸ ἐγχείρημα] Εἰς τὸν νοῦν τοῦ ἀρχικοῦ Schol. vetus interp. & *ipsum in antecedens. Hoc enim est quod dicitur.* Ineptissime. Itaque D. Thomae fraudi fuit

C. IV. Τ' ἀληθὲς αὐτῷ φαίνεται] Protagoras dicebat, hominem πάντων χρημάτων μέτρον εἶναι, & tale esse quidque cuique, quale ipsi videretur. Plato in Cratylo, & in Theaeteto, ubi etiam urbane hoc dictum ipsius reprehenditur. Deinde ita corrigitur, ἐ τὸν ἄνθρωπον μέτρον εἶναι, ἀλλὰ τὸν ἐπιστήμονα, ἢ φρόνιμον. Coarguit etiam Aristoteles hoc dictum in metaphysic. vide & Galenum lib. 1. de simplic. med. facult.

Καὶ ἡσθῆναι γάρ ἐστι] Prout quisque affectus est, ita varie de rebus judicat. Amatoribus, ut ait Theocritus, καὶ ἀσχάλα πολὺ κἠδομαι. Chremes Terentianus sobrius anicillam meretriciam sprevérat: idem cum a coena bene potus rediret, *Vah*, inquit, *Pythias, quanto mihi formosior videre, quam dudum.* neque tamen mutata erat ancilla, sed mutatus ipse. Phaedria, ut Homerus, & Horatius ajunt, pulchrum fuit, *in medios dormire dies*, &, *ad strepitum citharae cessatum ducere curam.* at homini parce, & frugaliter educato, vita illa turpissima, & insuavissima esset; ut Plato negat sibi placuisse Italicas, & Siculas mensas. *Arguatis, & veternosis*, ait Varro, *etiam quae lutea non sunt, lutea videntur.* Ebrii saepe omnia vident gemina, & ea quae stant, moveri putant. Siculis jucundissimum videbatur, bis die saturum fieri, neque unquam pernoctare solum: at Plato, cum eo venisset, negat eam vitam sibi placuisse. Verum igitur est, quod ait Aristoteles, κατ' ἐνέργειαν εἶναι, &c.

C. V. Οὗτος] Perniciosa quaedam, & pestifera multorum animos occuparat opinio, neminem sponte peccare, aut sponte vitiosum esse. Quae cum protegere nequitiam, improbeque factis falsam necessitatis excusationem, quasi velum aliquod, praetendere, eademque opera omnia virtutis, & officii praecepta subvertere videretur, eam sibi Aristoteles, antequam ingrederetur de singulis virtutibus dicere, confutandam esse duxit, docendumque multis,

Digitized by Google

ac firmis rationibus, in unoquoque noſtrum ſitum eſſe, bene, an male agat, & ut bonos viros ſua ſponte ea, quae virtutis ſunt, exequi, ita improbos, & nefarios ſponte peccare, vitiorumque turpitudinem in ſe, ſuapte voluntate ſuſcipere.

Ὅτι δὲ] Primum oſtendit, virtutis conſecutionem in nobis ſitam eſſe, idque hoc modo. Cum finem quidem ſpectet voluntas, deliberatio autem, & προαίρεσις verſentur in iis, quae diriguntur ad finem, ſequitur, ut quaecunque actiones ad ea pertinent, & ſponte ſuſceptae ſint, & κατὰ προαίρεσιν: tales autem ſunt actiones virtuti conſentaneae: in nobis igitur ſitum eſt, ut ex virtute agamus.

Ἐφ' ἡμῖν ἢ] Lego δή.

Ὁμοίως ἢ τῷ ὁ κακία] Oſtendit, vitii quoque eandem eſſe rationem, idque hoc modo. Quaecunque ut agamus, in arbitrio noſtro ſitum eſt, eadem etiam ut ne agamus, ſitum eſt: nam ni ita eſſet, neutrum eſſet arbitrii noſtri, ſed alterum neceſſitatis. Si poſſumus igitur arbitratu noſtro ea, quae honeſta ſunt, agere, quod virtutis eſt, poſſumus etiam ea omittere, quod eſt vitii: &, ſi liberum eſt nobis abſtinere a flagitioſis actionibus, quod cum virtute conjunctum eſt, liberum eſt etiam, eas ſuſcipere, quod eſt vitii. Quodſi ſingulae actiones in poteſtate noſtra ſint, earumque frequentatione boni aut mali evadimus, perſpicuum eſt, ſua quemque ſponte, aut bonum, aut malum evadere, idque totum in ipſo ſitum eſſe.

Τὰ μὲν καλὰ πράττειν] Lego, τὸ μὲν καλὰ πράττειν, & paulo poſt, τὸ δὲ αἰσχρά.

Τὸ ἢ λέγειν ὡς οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ, Tragici alicujus veteris ſenarius eſt, quo, ut puto, ſignificaret, quisquis auctor ipſius eſt, neminem, cui eligendi poteſtas ſit, laborioſam, & aſperam vitam colere, ut neminem invitum beatum eſſe, atque affluere iis omnibus, quae ad vitam commode agendam pertinent. ſed philoſophi quidam, cum ſtatuerent, omnes improbos miſeros eſſe, omnes virtute praeditos felices, iidemque judicarent, virtutem quidem ſponte coli, ſed vitioſum eſſe neminem, niſi invitum, abuſi ſunt hoc verſiculo ad confirmandam ſententiam ſuam, & πονηρὸν interpretati ſunt, non eum, *qui dure, ac laborioſe viveret*, ſed *improbum, & vitioſum*, quod eadem vox, aut accentu mutato, ut

vulgo putant, aut eodem accentu, ut judicat Thomas Magister, & hoc, & illud significet. *Beatum* quoque acceperunt, non divitem, & facile agentem, sed virum bonum & ex virtute agentem. Citatur autem hic ipse versus hoc sensu ἐν τῷ περὶ δικαίου τοῦ Πλάτωνος νεθεσμένου. Et sane hanc sententiam tueri videtur Plato in Clitophonte, & lib. 9. de legibus. Aristoteles autem posteriorem partem veram esse fatetur, priorem falsam esse docet.

Καὶ γὰρ ἐπ' αὐτῷ] Ignorantia juris naturalis, aut gentium nemini prodest ad excusationem. Neque enim ferendus sit, si quis dicat, se ignorasse faciendam non esse caedem, non adulterium. Ignorantia autem juris civilis interdum non punitur, ut in rustico, in femina, in milite, toto tit. D. de jur. & facti ignor. & l. 2. in fine, D. de jure fisci. punitur autem in iis, qui aut sua prudentia instructi sunt, aut jurisconsulti copiam habent, l. ultima, D. de jur. & facti ignor.

Εἰ δέ τις λέγοι] Exponit argumentum quoddam, quo utebantur ii, qui negabant homines sponte peccare, idque ita dissolvit, ut doceat, etiam iis positis, quae ipsi volebant, tamen effici, ut nihilo magis sponte suscipiantur honestae actiones, quam turpes, & nefariae.

C. VI. Ὅτι μὲν οὖν] Quid esse tandem caussae putemus, cur Aristoteles de singulis virtutibus disputaturus, a fortitudine sibi potissimum exordiendum esse judicaverit. Quidam hoc propter ipsius fortitudinis praestantiam factum putant, ut, quemadmodum in magnarum aedium vestibulis pulcherrimae columnae, ac statuae collocari solent, ita in ipso disputationis ingressu omnium virtutum nobilissima & praestantissima collocaretur. Ita enim praecipit & Pindarus in Olympiis: ἀρχομένου δὲ ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές. Sed hanc opinionem multa sunt, quae labefactare videntur. Primum, quod Aristoteles, si in digerendis virtutibus earum praestantiam secutus esset, prius disputasset περὶ διανοητικῶν, ἢ περὶ ἠθικῶν. Deinde inter morales principem locum dedisset non fortitudini, sed justitiae. Praeclare enim Agesilaus interrogatus, *justitiane fortitudini, an justitiae fortitudo praestaret? si omnes*, inquit, *homines justi essent, nihil opus foret fortitudine: at si omnes fortes, tum vel maxime justitia necessaria esset.* Magni autem viri, ubi de virtutum

inter

inter ipsas comparatione agitur, nunquam primum locum dant fortitudini, sed alii tertium, alii quartum. Xenophon eam μεγίστων ἀρετῶν vocat 3. παιδείας. Tertium D. Thomas, qui hunc praecipuarum virtutum ordinem facit, ut primo loco statuat prudentiam, secundo justitiam, tertio fortitudinem, quarto temperantiam. Quartum Plato, qui libro primo de legibus cum duplicia bona esse dixisset, humana, & divina, humana quidem, ait, esse quatuor, bonam valetudinem, pulchritudinem, robur, & divitias: divina autem, quae eis, quasi e regione respondeant, totidem, prudentiam, temperantiam, justitiam & fortitudinem: quam postremam etiam vocat τὸ φαυλότατον, ᾗ σμικρότατον ἀρετῆς μόριον, ᾗ τῇ τάξει ὕστατον. Alii hujus ordinis eam causam esse dicunt, quod notissima sint nobis ea, in quibus versatur fortitudo. quae mihi sententia ita videtur infirma, atque imbecilla, ut, etiamsi a nemine tentetur, ipsa per se corruat. Quis est enim, qui, cum in voluptatibus temperantia, in periculis bellicis fortitudo cernatur, non videat, multis partibus notiores nobis esse voluptates, quam belli pericula? etenim voluptatis sensum ex alvo matris attulimus, ea nobis, ut Aristotelem dicere meminisse, συντέθραπται, estque πάθος ἐγκεχρωσμένον τῷ βίῳ. At in bello quotusquisque versatus est? sunt qui & id factum putent, quod fortitudo in rebus difficilioribus elaborat, in eoque animi motu regendo sita est, qui difficillime regitur: ἀήττητον γὰρ ὁ θυμός, ait Aristoteles in Eudemeis. Sed horum opinioni natura, prope dixerim, ipsa, & ratio reclamat. Scimus enim, a facilioribus ordiendum. Quam igitur ejus ordinis, quem Aristoteles in tractandis virtutibus secutus est, causam fuisse opinor, brevi oratione complectar. Primum igitur prius τὰς ἠθικὰς, quam τὰς διανοητικὰς persecutus est, quod faciliores essent ad intelligendum. Deinde, cum τῶν ἠθικῶν aliae magis versentur περὶ τὰ πάθη, aliae περὶ τὰς πράξεις; sintque τὰ πάθη ὡσπερεὶ τῶν πράξεων, prius eas, quae περὶ τὰ πάθη pertinerent, sibi expediendas esse duxit. Sunt autem duae, Fortitudo, & Temperantia. In duabus autem rationem ordinis non crediderim admodum anxie, & sollicite inquirendam. Etenim si quis Platonem secutus temperantiam fortitudini anteponi debuisse contendat, utemur eodem responso, quo olim pictor quidam usus esse perhibetur, qui conductus, ut equum curreutem pingeret, cum eum pinxisset in pulvere se vo-

vulgo [illegible] a conductore increparetur:
Magi [illegible]: *mox enim currentem vide-*
cepe [illegible] duarum virtutum ordinem
bonu [illegible] hac in parte communi ho-
vers [illegible] est, tribuisse aliquid videtur. Et-
Et [illegible] D. Thomae vera sententia est,
phon [illegible] laboramus, communis hominum
riore [illegible] fortitudini defert. Magnum enim,
se d [illegible] in publico civitatis metu, ac trepi-
K [illegible] hostium agmini opponere, non tu-
um [illegible] lituorum clangorem, non equorum
dus [illegible] fulgorem, non avida sanguinis
caed [illegible] tinctos caedibus gladios extimescere,
lis i [illegible] omnibus, & periculum ab aliis prae-
mili [illegible] periculo depellere, pro aris, & focis,
fine, [illegible] moenibus, pro salute, ac libertate com-
prud [illegible] vulnera, mortem denique, si res ferat,
l. ul [illegible] verum etiam ultro appetere. Haec
E [illegible] in omni aetate, apud omnes populos
uteb [illegible] honorati fuerunt. Illis ovationes, sup-
que [illegible] triumphi, illis statuae, arcus, tropaea, illis
voleb [illegible] publica, illis annuae laudationes; illis deni-
tur h [illegible] singularia, & divinis honoribus proxima orna-
C. [illegible] sunt, qualia aut nunquam, aut perraro,
cur A [illegible] liberalitati, justitiae tributa legimus. Duas
titudin [illegible] respublicas fuisse accepimus inter se simil-
Quidam [illegible] geminas, easdemque, ut opinio erat,
ctum [illegible] institutis, ac legibus temperatas, Cretensium,
vestibu [illegible] Lacedaemoniorum. Earum alteram Minos de Jovis,
solent, [illegible] Apollinis consilio Lycurgus temperasse puta-
tum no [illegible] quae autem id praecipue spectabat, eoque
praecip [illegible] omnia, ut cives quam fortissimi, ac bellico-
[illegible] ederent, ideoque scripsit Plato, *omnem morem*
quae l [illegible] *inflammatum esse cupiditate vincendi:*
si in di [illegible] pertinebant aut convivia illa in publico, quae
fet, pr [illegible] tum sysitia nominabant, aut laboriosae in
de inte [illegible] puerorum, tum virginum exercitationes,
dini, s [illegible] aut dolorum perpessiones, quam ut,
tus, *ju* [illegible] fert, iis in pace facile ferendis as-
vet? si [illegible] etiam Lacedaemonii, (*) cum ceteroqui
foret for [illegible] alieni essent, neque poëtarum cantus li-
stitia [illegible] ben-

[illegible] ad verbum repetiit ex Var. Lect. VI. 6.

benter audirent, lege tamen conſtituerant, ut quoties cum hoſtibus dimicaturus in procinctu conſtitisſet exercitus, convocarentur milites in tabernaculum regium, ibique audiendis Tyrtaei carminibus ad ſpernendam pro patria vitam incitarentur. Ille vero domitor orbis, victor omnium gentium, populus Romanus, quam virtutem pluris fecit, quam fortitudinem? Cujus rei cum alia argumenta habemus & plurima, & maxima, tum illud non minimum, quod ex fortitudine, tanquam omnium praeſtantisſima, ceteras quoque rectas animi affectiones *virtutes* nominarunt. Ut enim Graecis ἀνδρεία ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, ita Latinis *virtus* a *viro* dicitur. Qua de re Ciceronis haec verba ſunt, e 2. Tuſcul. *Atqui vide, ne cum omnes* &c. Idem etiam teſtatur Plutarchus in vita Coriolani, ſed verba, quibus id exprimit in Graecis exemplaribus depravata leviter, ob idque ab interpretibus intellecta non ſunt. legi autem debent hoc modo: Ὅλως μὲν οὖν ἐν τοῖς τότε χρόνοις ἡ ῥώμη μάλιστα τὰς ἀρετὰς, τὰ περὶ τὰς πολεμικὰς, καὶ σφριγητικὰς ἐκύδαινε πράξεις. ᾧ καὶ μαρτυρεῖ τὸ τὴν ἀρετὴν ἀπ' αὐτῶν εἰς τὴν τῆς ἀνδρείας ὀνομασθῆναι συνωνυμίαν. Sed de ordinis ratione ſatis, aut etiam fortaſſe plus ſatis. nunc Ariſtotelem ipſum audiamus.

Τὰ κακὰ] τὰ βλαβερὰ, καὶ τὰ μετὰ λύπης. πᾶς γὰρ μᾶλλον εἶναι μέγιστα δοκεῖ κακὰ, ὁ πάνυ φοβούμενος.

Διὸ καὶ τὸν φόβον] Platonis eſt ex Lachete, οἷον ἀδοξίαν. Itaque Horatius de viro bono, & forti: *Pejusque letho flagitium timet. Non ille pro caris amicis, Aut patria timidus perire.*

Λέγεται δ' ὑπό τινων, &c.] Ut in Phormione Terent. *O vir fortis, atque amicus. Verum id, Phormio, vereor, ne iſtaec fortitudo*, &c.

Ἄφοβον γάρ τις καὶ ὁ ἀνδρῶδες] Recte addidit τις: τὸ γὰρ ἄφοβον καὶ τὸ ἀνδρεῖον ἐ ταυτόν ἐστιν, ἀλλὰ τὸ μὴ φρενήσεως, ait Plato in Lachete. Eleganter autem, & acute diſputat Plutarchus in Agide, ut probet, fortitudinem non eſſe ἀφοβίαν τινὰ, ſed φόβον. Ejus haec verba ſunt: ἐπεὶ δ' Λακεδαιμονίοις ὁ φόβος μόνον, ἀλλὰ καὶ γέλωτος, καὶ τοιούτων ἄλλων πολλῶν ἐπάξιος. Τιμῶσι δὲ τὸν φόβον, οὐχ ὥσπερ ὑπὸ δοκιμάσαντες ἀκριβῶς, ἡγεμόνα βλαβερὸν, ἀλλὰ τῇ πολιτείᾳ μάλιστα συνεχῆ. ὡς φόβῳ νομίζοντες. Et paulo poſt: Καὶ τῇ ἀνδρείᾳ δὲ μᾶλλον ἐπιτιθέασιν, ἢ ἀφοβίᾳ, ἀλλὰ φόβον ψόγῳ, καὶ δίκῃ ἀδοξίας οἱ παλαιοὶ νομίζειν. οἱ γὰρ θεμιστοπῶλαι πρὸς τοὺς νόμους, γραμματεύσαντος

fatantem, ob eamque rem a conductore increparetur: *Inverte*, inquit, *tubulam: mox enim currentem videbis:* ita eum nos jubebimus duarum virtutum ordinem invertere. Sed Aristoteles hac in parte communi hominum judicio, ut par est, tribuisse aliquid videtur. Etenim sive Platonis, sive D. Thomae vera sententia est, non enim magnopere laboramus, communis hominum consensus plurimum fortitudini defert. Magnum enim, nec immerito, videtur in publico civitatis metu, ac trepidatione irruenti sese hostium agmini opponere, non tubarum sonum, non lituorum clangorem, non equorum hinnitum, non armorum fulgorem, non avida sanguinis tela, non crebris tinctos caedibus gladios extimescere, ire immo obviam iis omnibus, & periculum ab aliis praesenti vitae suae periculo depellere, pro aris, & focis, pro templis, ac moenibus, pro salute, ac libertate communi, ictus, vulnera, mortem denique, si res ferat, non excipere tantum, verum etiam ultro appetere. Haec qui praestiterunt in omni aetate, apud omnes populos clari, illustres, honorati fuerunt. Illis ovationes, supplicationes, triumphi, illis statuae, arcus, tropaea, illis monumenta publica, illis annuae laudationes; illis denique omnia singularia, & divinis honoribus proxima ornamenta decreta sunt, qualia aut nunquam, aut perraro, temperantiae, liberalitati, justitiae tributa legimus. Duas olim in Graecia respublicas fuisse accepimus inter se simillimas, paeneque geminas, easdemque, ut opinio erat, optimis institutis, ac legibus temperatas, Cretensium, & Lacedaemoniorum. Earum alteram Minos de Jovis, alteram de Apollinis consilio Lycurgus temperasse putabatur. Utraque autem id praecipue spectabat, eoque referebat omnia, ut cives quam fortissimi, ac bellicosissimi evaderent, ideoque scripsit Plato, *omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi:* neque alio pertinebant aut convivia illa in publico, quae tum phiditia, tum sysitia nominabant, aut laboriosae in gymnasiis tum puerorum, tum virginum exercitationes, aut venationes, aut dolorum perpessiones, quam ut, quae belli necessitas fert, iis in pace facile ferendis assuefierent. Quin etiam Lacedaemonii, (*) cum ceteroqui a poëticis studiis alieni essent, neque poëtarum cantus libenter

(*) Haec Muretus ad verbum repetit ex Var. Lect. VI. 6.

Digitized by Google

benter audirent, lege tamen conſtituerant, ut quoties cum hoſtibus dimicaturus in procinctu conſtitisſet exercitus, convocarentur milites in tabernaculum regium, ibique audiendis Tyrtaei carminibus ad ſpernendam pro patria vitam incitarentur. Ille vero domitor orbis, victor omnium gentium, populus Romanus, quam virtutem pluris fecit, quam fortitudinem? Cujus rei cum alia argumenta habemus & plurima, & maxima, tum illud non minimum, quod ex fortitudine, tanquam omnium praeſtantisſima, ceteras quoque rectas animi affectiones *virtutes* nominarunt. Ut enim Graecis ἀνδρεία ἀπὸ τῦ ἀνδρὸς, ita Latinis *virtus* a *viro* dicitur. Qua de re Ciceronis haec verba ſunt, e 2. Tuſcul. *Atqui vide, ne cum omnes &c.* Idem etiam teſtatur Plutarchus in vita Coriolani, ſed verba, quibus id exprimit in Graecis exemplaribus depravata leviter, ob idque ab interpretibus intellecta non ſunt, legi autem debent hoc modo: Ὅλως μὲν ὃν τὸν τότε χρόνοις ἡ ῥώμη μάλιστα τῆς ἀρετῆς, τὰ περὶ τὰς πολεμικὰς, καὶ σωματικὰς ἐκτάσεις. ὧν καὶ μαρτυρεῖ τὸ τῶν ἀρετῶν ἀπ' αὐτῶν εἰς τὴν τῆς ἀνδρείας ὀνομασθῆναι συνηθείαν. Sed de ordinis ratione ſatis, aut etiam fortaſſe plus ſatis. nunc Ariſtotelem ipſum audiamus.

Τὰ κοινὰ] τὰ βλαβερὰ, καὶ τὰ μετὰ λύπης. πᾶς γὰρ μαχίμου εἶναι μέλλει ὅσοις κοινὰ, ὁ πάνυ φοβούμενος.

Διὸ καὶ τὸν φόβον] Platonis eſt ex Lachete, οἷον ἀδοξίαν. Itaque Horatius de viro bono, & forti: *Pejusque letho flagitium timet. Non ille pro caris amicis, Aut patria timidus perire.*

Λίαν τι ἢ ἀπὸ πνοῆς, &c.] Ut in Phormione Terent. *O vir fortis, atque amicus. Verum id, Phormio, vereor, ne iſtaec fortitudo, &c.*

Ἄφοβος γάρ τις καὶ ὁ ἀνδρεῖος] Recte addidit τις: τὸ γὰρ ἄφοβον καὶ τὸ ἀνδρεῖον ἐ ταυτόν ἐστιν, ἀλλά τι μᾶλλον φρονήσεως, ait Plato in Lachete. Eleganter autem, & acute diſputat Plutarchus in Agide, ut probet, fortitudinem non eſſe ἀφοβίαν τινὰ, ſed φόβον. Ejus haec verba ſunt: ἐπὶ ἢ Λακεδαιμονίοις ἐ φόβος μόνον, ἀλλὰ καὶ γέλωτος, καὶ πιστῶν ἄλλων πολλῶν ἐστι. Τιμῶσι δὲ τὸν φόβον, οὐχ ὥσπερ ὑς ὀπτρίσπαντες ἀναίμονας, ἀγύμνους βλακεύειν, ἀλλὰ τὴν πολιτείαν μάλιστα συνέχειν ἐν φόβῳ νομίζοντες. Et paulo poſt: Καὶ τὴν ἀνδρείαν δὲ μᾶλλον ἐπαινοῦσιν, ἢ ἀφοβίαν, ἀλλὰ φόβον ψόγου, καὶ δέους ἀδοξίας οἱ παλαιοὶ νομίζειν. οἱ γὰρ θεὶ δοκοῦντες πρὸς τοὺς κινδύνους, παρρησιαζόμενοι

ἐστὶν ἐν πολλοῖς εἶναι. ᾗ τὸ παθεῖν ἥκιστα δεινὸν οἱ μάλιστα φοβούμενοι τὸ μικρὰς δαπάνας. Sed hanc Aristoteles negaret veram esse fortitudinem, πολιτικὴν fateretur. De qua inferius dicturi sumus.

πάντων δ' ὅλως] Docuit, fortitudinem non esse in iis non metuendis, quae metuere oportet. nunc docet, eam ne in iis quidem omnibus non metuendis versari, quae metuenda non sunt. Exempli caussa, paupertatem metuere non oportet, neque morbum, dummodo res non minuatur culpa nostra, neque morbus, aut negligentia, aut intemperantia contrahatur. Sed tamen, neque, qui ea metuit, timidus, neque qui non metuit, fortis habendus est; sed qui eam supra modum timet, avarus ut ille, qui apud Plautum dicitur quum dormitum iret, *follem sibi obstringere solitus ob gulam, ne quid animae forte amitteret dormiens*, quique cum unicam filiam in opulentam domum sine dote daret, ita secum cogitabat: *festo die si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris*; ut Uvidius ille Horatianus, qui cum ita dives esset, ut metiretur numos, ita erat sordidus, ut se non unquam melius servo vestiret, adusque supremum tempus, ne se penuria victus opprimeret, metuebat.

οὐδ' ὅλως] Nihil enim praestare sapientis, praeter culpam.

οὐδ' εἴ τις δέοιτο] Ut cum Darius matrem, uxores, filias venisse in Alexandri potestatem videns, metuebat, ne uxore, & filiabus, Alexander ad libidinem suam abuteretur, non ob id erat timidus.

οὐδ' εἰ θαρρῶν μᾶλλον μαχοῖτο] Ut ille apud Plautum: *Mei tergi hoc, non tui facio fiduciam.* Et ille Terentianus: *Herus si redierit, vapulandum, habendae compedes.*

περὶ ποῖα ὤν] Concludit, fortitudinem praecipue cerni in despicientia mortis. eam enim qui negliget, facile negliget cetera.

φοβερώτατον] Natura nihil est tam terribile, quam mors. Etenim, ut ait Theocritus: ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες. Itaque Euripides: κακὸς ζῆν χρήσιμος, ἢ θανὼν ἀγαθός. Quod tamen ex vulgi sententia, non tamen ex veritate dictum est: nam qui vitae nimium cupidi sunt, vituperantur, meritoque exagitatum est a sapientissimis

ho-

Digitized by Google

hominibus votum illud Maecenatis: *Debilem facito manu*, &c.

Πέρας γὰρ καὶ οὐδὲν ἔπ] Hoc quoque magis de vulgarium, quam de Aristotelis ipsius sententia dictum est. ipse enim audierat eum magistrum, ex quo haec Cicero expressit: *Imo vero hi vivunt, qui ex corporum vinculis, tamquam e carcere, evolaverunt. Vestra vero, quae dicitur vita, mors est.*

Δόξεις δ' ἂν περὶ τὸν θάνατον τὸ ἐν παντὶ] Ne in omni quidem morte despicienda elucet fortitudo, sed in bello, quod quidem justum, honestumque sit, quale est bellum pro patria, maxime cernitur.

Τοιοῦτοι δὲ] Virgilius: *Pulchrumque mori succurrit in armis.* Idem: *Pulchramque petunt per vulnera mortem.* Horatius: *Dulce, & decorum est pro patria mori.* Tyrtaeus: Τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα, Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον. Euripides: Τρῶες δὲ πρῶτον μὲν τὸ κάλλιστον κλέος, Ὑπὲρ πάτρας ἔθνησκον. Itaque omnis veterum rhetorum eloquentia consumpta est in laudandis trecentis illis Lacedaemoniis, qui Leonida duce, cum sese in Thermopylarum angustiis illi exsiccatori fluminum, complanatori montium, exercitui Xerxis se oponere ausi essent, occubuerunt pro patria, primique Xerxem, non multitudinem, sed virtutem in militibus spectari debere docuerunt. quorum imperator quanto opere mortem ipse pro patria appetendam potius, quam refugiendam duceret, vel haec ipsius vox declarat: *Pergite animo forti, Lacedaemonii: hodie apud inferos fortasse coenabimus.* Neque unquam reticebitur Epaminondas, qui cum ad Mantineam fortissime pugnans, lethale vulnus accepisset, ubi victoriam suorum esse accepit, tum denique jussit educi sibi telum de corpore, aequissimo se se animo mori dicens, quod patriam imperantem Lacedaemoniis reliquisset, quam acceperat servientem. Ne Codrus quidem Atheniensium rex praetereundus est, qui, cum ex oraculo responsum esset, pugnantibus inter se Atheniensibus & Peloponnensibus, utrorum rex cecidisset, eos victores fore, gregarii se militis (*famulari veste* Cicero) ornatu in hostes, ne agnosceretur, intulit, voluntariaque morte victoriam suis comparavit. Multitudo ipsa me terret animo, ac cogitatione intuentem in fortissimos viros, pro patria mortuos, quos olim haec urbs

innumerabiles protulit, deque illis aliquid verborum facere meditantem. Omnes enim omnium aliarum gentium fortes viri, qui omnibus saeculis floruerunt, si unum in locum conferantur, paucissimi prae infinita Romanorum multitudine videbuntur. Itaque quod interdum diserti homines augendi, atque amplificandi caussa dicunt, id ego possum hoc loco sine mendacio dicere: & dies me, & vox, & latera deficient, si eos, qui in hac urbe nati, fortitudine excelluerunt, enumerare, ac de singulorum virtutibus aliquid dicere voluero. Et sane, quid attinet recensere vobis, aut tres illos Decios, aut duos Scipiones, aut L. Aemilium Paulum, aut M. Claudium Marcellum, aut innumerabiles alios, quorum gloria iisdem, quibus solis cursus, regionibus continetur, cum legiones integras M. Cato scribat saepe in eum locum profectas, unde certo scirent se nunquam redituras? Adeo ut aliae laudes aliarum gentium, ita Romani generis, ac nominis propria fuit fortitudo. sed his, quae satis per se illustria sunt, omissis, ea, quae ab Aristotele dicuntur, persequamur.

Ὁμόλογοι δὲ τούτοις εἰσὶ] Huc referri potest consuetudo Atheniensium e secundo Thucydidis, e Menexeno Platonis, epitaphio Lysiae, & similibus. Fortes habendi sunt etiam, qui extra bellum offerunt se ad mortem pro patria, ut Menoeceus apud Euripidem in Phoenissis, & apud eundem Iphigenia. Et qui potius, quam turpitudinem aliquam suscipiant, mori malunt, ut aetate nostra Thomas Morus, & qui mortem, cum injuste damnati sint, magno animo ferunt, ut Socrates. Et qui adeunt periculum mortis, etiamsi non moriantur, ut Harmodius, & Aristogiton, ut Horatius Cocles, ut Scaevola. praeclare quidam sapiens: *Mortem pro patria vir fortis fugere nunquam potest, effugere interdum potest.*

C. VII. Τὸ δὲ φοβερὸν οὐ πᾶσι] Aliud enim puero, aliud viro, aliud avaro, aliud intemperanti, aliud viro bono, *Qui pejus letho*, ut Horatius ait, *flagitium timet*. Quam sit terribile avaro ἡ χρημάτων ἀποβολὴ, cognosci potest hoc exemplo Horatiano ex Satyra 3. lib. 2. *Pauper Opimius* &c. Addit & illud: *Ni tua custodis* &c.

Λέγομεν δὲ τὰ] Itaque id quod poëtae dicunt, *Si fractus illabatur orbis*, *Impavidum ferient ruinae*, καθ' ὑπερβολὴν dicitur, & meum illud: *Perge, tona, rue, verte ipsum*

a re-

radicibus orbem, Imparvidus qui te contueatur, habes.

Τὰ ἧττον φοβερὰ] Alia magis, alia minus terribilia sunt, aut θηριώδη.

Ὁ δὲ ἀνδρεῖος] Non exuit hominem, neque omnino metu caret. Itaque nugantur Stoici, qui sapientem suum faciunt quendam Caenea. Vide Plutarchi σύγκρισιν δ' ἐν τοῖς ἀντιλεγομένοις οἱ Στωϊκοὶ τῶν παντῶν λέγουσιν.

Καὶ ἐπὶ τὸ μὴ φοβεῖσθαι] Ut cum quis leporis occursum, aut soricis occentum metuit. Lucretius: *Nam velut pueri trepidant* &c.

Τίνες δὲ] Docet, quomodo in his rebus peccetur.

Ὁ μὲν δὴ] Definit virum fortem copiosius, & apertius, quam supra.

Τοῖος] Qualis quisque habitus est; tales sunt, quae ab eo manant actiones.

Τοὺς δ' ὑπερβαλλόντως] ὑπερβαλλόντως vocat omnes, qui a medio aberrant: πάντες δὲ, ὅσοι ὑπερβάλλουσι τοῖς, ἢ ἐλλείπουσι.

Τοὺς Κελτούς] Horatius: *Te, non paventis funera Galliae, Duraeque telluris audit Iberiae.* Strabo: τὸ δὲ σῶμα φῦλον, &c. Aelianus lib. 12. de varia historia: Γαλάταιν ἐγὼ οἶδα &c. Plutarchus, τὸ τὸν θυμὸν ἐκφοβῆσαι, tribuit Galatis. Ita enim scribit, οὐ τῷ περὶ θεοὺς δεισιδαιμονίᾳ· ἀλλὰ φοβούμενοι μὴ πλέον ἐπιλάβωσιν ὁ μὲν πλέον, ἀλλὰ πόδιμον· ὁ μὲν πρατὸν ὁμιλοῦσι, μὴ λάθωσι ὁ οἰκεῖοι, ἀλλὰ συμφύτῳ τινὶ πάθει ἀλλὰ φόβοις ἰδιώτης, ἀλλὰ θυμὸν ὁ ὁ Γαλάτης, ἀλλὰ περιωδὴν ὁ ὁ Αἰσχύλος. Ac fieri potest, ut nomine Galatarum Gallos intellexerit, ut videre est in iis, quae retulimus ex Strabone. Galatae tamen sunt in Ponto; sed oriundi a Gallis, *ingenio*, ut ait Hieronymus, *referentes originem.* Unde eos D. Paulus vocat ἀνοήτους. Sed tamen, si animadvertas, ad aliam causam hoc refert Aristoteles, ad aliam Plutarchus.

Ὁ δὲ τῷ θαρραλέῳ] Exponit naturam audacis.

Ὁ δὲ τῷ φοβητικῷ] Exponit naturam meticulosi.

Περὶ ταῦτα] ταυτὰ lege, ut Aret. at alii, *circa haec*, male, ut puto.

Καὶ οἱ μὲν ἥρωες] Pulchre utrumque exprimit Homerus in Trojanis, & Graecis.

Φόβητρα ποιεῖται] Ut fecit Apicius, de quo Seneca: *Apicius nostra memoria* &c.

Ἡ ἡδέα] Ut Euadne, ut Laodamia.

Ἡ τὸ λυπηρὸν] Ut Pomponius Atticus.

Μαλακία ἡδ] Euripides: Ἐπιψέγειν δὲ, καίπερ ἐν πράγμασιν ὤν, μὴ δειλίαν ὄφλω &c. Martialis: *Rebus in adversis*, &c. Vide quae dixi in capite 7. libri quarti variarum lectionum.

C. VIII. Αἰγύπτια] Gemmas fictitias & falsa medicamenta, & omnia denique, quae falsa cum sint, verum imitantur, nosse prodest.

Ἡ πολιτικὴ] Hanc videtur Plato in Lachete pro vera fortitudine describere. legendus est Plutarchus in Agide.

Παρ' οἷς οἱ δειλοὶ] Nestor Iliad. O. Ὦ φίλοι, ἀνέρες ἐστέ, καὶ οἷσιν ἐπὶ φρεσὶ θῆκε ἑκάστῳ Ἄρεσθαι ἀρήιον.

Ὅμηρος ὁ Ἕκτορος] Homer. Iliad. O. Ἕκτορι δὲ Τρώεσσι &c. At Agamemnon Iliad. B. Οἱ δ' ἔχον &c. Haec ipsa citat tertio politicorum sub persona quidem Agamemnonis, sed diminuta, & addit de suo illud, καὶ ἡμεῖς ἀκούσαντες.

Ἵνα τὰς ἀρχὰς] Ut Persae ad Thermopylas.

Οἱ περὶ τὸν πίθηκον] τοιχῶν, v. l. v. & interp. & Argyr.

Δειλὸν δὲ] Veget. lib. 2. *Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit.* οἱ πρακτῆρες ἀνθρώποι βαίνοντες ἐπὶ τὰ εἰδότα τὰ δοκὰ, ὡς Σωφάνης ἔλεγε, ἀσφαλῶς διὰ τὸ εἰδέναι τὰς φυσικὰς τῶν δοκῶν, lib. Γ. τῶν μεγάλων κινδύνων. Tacitus de Caecina lib. 1. *Quadragesimum id stipendium Caecina parendi, aut imperitandi habebat, secundarum ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus.*

Πολλὰ κινεῖ] Thucyd. lib. 3. Polyb. apud Suidam: cum luna defecisset, temporibus Persei Macedonum regis, vulgo rumor increbuit, regis interitum significari, eaque res pariter, & Romanis addidit animos, & Macedonas consternavit. addit: ὥστε ἀληθὲς εἶναι τὸ περιφερόμενον, ὅτι πολλὰ κινεῖ ἐν πολέμῳ. Cicero ad Atticum: *Scis esse quaedam πανικὰ, dici item* πολλὰ κινεῖ ἐν πολέμῳ. Plutarch. ἀλλὰ ἐν ἀνάγκαις· ὡς ἐν πολέμῳ τῇ ἀκροάσεως πολλὰ κινεῖ ἐστι. Curtius lib. 3. *Fama bella stare, & eum, qui recedat, fugere credi.* Idem lib. 5. *Fama maximum in bello momentum.* lib. 7. *Ea res, sicuti pleraque belli vana, & inania, barbarorum deditionem traxit.* lib. 8. *Fama bella constant, & saepe etiam, quod falso creditum est, veri vicem obtinuit.*

Διὰ τὴν ἀσυμφορίαν] Διὰ τὸ πολλὰ ἐν ἀσυμφόροις). Horat. *Spes*

Spes jubet esse ratas. Idem: *Spes donare novas Largus*, &c. Plato 1. de legib.

Ἔστιν οἱ Ἀσσύριοι] Xenoph. 6. Κυρ. παιδ.

Τυραννίδι] Legendum ὑπερφυεῖ, ex lib. M. S.

c. x. Μετὰ δὲ τοῦτο] Explicata fortitudinis natura, sequitur, ut de temperantia disseratur, ut, ea virtute patefacta, quae praestat, ne admotae dolorum faces, neu propositus mortis metus animum labefactare, aut concutere possit, quasique de gradu dejicere, evolvatur, & excutiatur ea, cujus munus est efficere, ne blanda conciliatrix sui, eademque facillima imitatrix boni, voluptas hominem enervet, ac molliat, & a recto itinere abductum, ad nequitiam, & ad libidinem, & ad omne flagitium adducat. Magnum hoc quoque virtutis munus, & singulari quadam cum difficultate conjunctum. Multos enim, quos non debilitarat dolor, superavit voluptas: quique sine ullo metu pericula adierant, labores pertulerant, vulnera exceperant, mortem ipsam, qua nihil terribilius est, pro nihilo putaverant, iidem appetiti voluptatis illecebris, non potuerunt eam rectis oculis contueri. Ultro etiam induerunt sese in illius retia, seque mollissimis illius vinculis devinciendos, ac constringendos praebuerunt. Quem unquam, vel in fabulis fortiorem Hercule accepimus? At ille Jovis, ut poëtae loquuntur, satu editus, ille monstrorum domitor, ille purgator orbis, in quem nihil unquam virium habuerat dolor, a voluptate devictus est, & in Omphales gremio cubans, iisdem illis manibus, quibus infans inusitatae magnitudinis angues extinxerat, quibus postea, delapso e luna leoni fauces eliserat, crescentem damnis, & vires ex ipsa sua caede ducentem hydram confecerat, pervigilem draconem in aeternum soporem collocaverat, pro corona populea mitellam, aut calanticam capite gestans, pro leonis pelle crocotam indutus, pro clava, & arcu colum, & calathos tractans, non tantum virtutis, verum etiam sexus sui oblitus, ad arbitrium dominae pensa carpebat. Nullum unquam haec Urbs hostem Hannibale infensiorem habuisse memoratur. At illum, quem non Pyrenaeorum montium asperitas, non Rhodani fluvii impetus, non objectus a natura ad tutandam ab incursibus exterarum gentium Italiam Alpium vallus retardaverat, cujus imbutum usque a pueritia capitali Romani nominis odio animum,

non

non fames, non frigus, non ulla denique mali vis domare potuerat, qui tot ad Thrasymenum lacum, tot ad Cannas Romanorum millia caeciderat, qui Romam ipsam capere noluerat magis, quam non potuerat, Campanus luxus, ac deliciae perdiderunt; ut vere a clarissimis scriptoribus dictum sit, Capuam Hannibali Cannas fuisse. Neque aliam ob causam apud divinum poëtam, Homerum Ulixes, qui quasi perfectum quoddam absolutae prudentiae exemplar nobis proponitur, praeter Sirenum insulam navigaturus, jubet se, tamquam prudentiae suae diffidens, ad malum navis alligari, nisi ut ex eo intelligamus, nihil esse difficilius homini, quantalibet prudentia praedito, quam voluptatis blanditias aspernari, neque earum suavitate irretitum, atque illaqueatum, ab instituto itinere averti. Quae igitur virtus earum cupiditati modum adhibet, neque auferri nos ab ea, si se audiamus, patitur, ejus nobis vis, atque natura hodierno die ex Aristotele explicanda est.

Δοκοῦσι δ'] Causam reddit, cur harum virtutum tractationem conjunxerit, ac continuaverit; esse enim eas conjunctas, atque affines inter se, cum partium animae ratione carentium propriae esse videantur. Est autem annotandum, magis id eum ex ea, quae tum a Platone profecta probabatur plurimis, quam ex sua sententia dicere. Plato enim tres animi partes fecerat. Unam, in qua inesset ratio, quam vocabat τὸ λογικὸν, eamque in capite esse dicebat. Duas rationis expertes, τὸ θυμοειδὲς, cujus sedes esset cor, & τὸ ἐπιθυμητικὸν, quod in jecore situm esset. Ajebat autem, τὸ θυμοειδὲς propriam virtutem esse fortitudinem, τὸ ἐπιθυμητικὸν temperantiam.

Τῶν ἀλόγων μερῶν] Plutarch. ὁ τῆς φησὶ τὸ μὲν ἄλογον λόγῳ πεῖθεσθαι· ἡ μὲν οὖν σωφροσύνη βραχύπους τίς ἐστιν ἐπιθυμιῶν, τῷ πείθεσθαι μὲν τοῖς ἐπιτάττουσι, τῷ πειττομένῳ παρὰ τὸ μετρίοις καὶ μικροῖς τοῖς ἀναγκαίοις.

Ὅτι μὲν οὖν] Primum redigit in memoriam id, quod libro secundo de temperantia dixerat, eam videlicet moderationem quandam esse, quae in voluptatibus cernatur, deinde incipit subtilius exquirere, quae materia illi propria proposita sit, quoque in genere voluptatum vis sibi lius eluceat. Eandem autem rationem, etiam in fortitudine tenuerat. Non est autem omittendum, σωφροσύνης nomen duobus modis accipi, interdum pro modestia, & mo-

moderatione quadam, quae per omnes vitae partes permanat, ac pertinet, ut saepe apud Platonem, interdum angustius pro ea virtute, quae corporeis voluptatibus adhibet modum, ut in hac disputatione. Dicta est autem σωφροσύνη, quasi σώζουσα τὴν φρόνησιν, ut docet Plato in Cratylo, & Aristoteles sexto Ethicorum. Nihil enim est prudentiae tam inimicum, aut adversarium, quam intemperantia, & libido.

Ἤπερ γάρ] Ut fortitudo cum versetur περὶ τὰ φοβερὰ, καὶ περὶ τὰ θαρραλέα, minus tamen cernitur ἐν τοῖς θαρραλέοις: sic temperantia περὶ ἡδονάς τε ἔστι καὶ λύπας, minus tamen versatur περὶ τὰς λύπας. Ea enim tantum ratione in molestiis versari dicitur, quod aufert, & eripit ex animis eas molestias, quas plerique capiunt, cum iis rebus, quae voluptatem afferunt, frui non queunt.

Ἐν τούτοις γάρ] Semper enim quibus in rebus cernitur virtus, in iisdem cernuntur vitia, quae ei virtuti adversantur.

Περὶ πολλὰ δὴ] Cum igitur multa, eaque magnopere inter se diversa sint voluptatum genera, statuamus, ac definiamus, inquit, in quibus earum versetur temperantia.

Διηρήθωσαν δὲ] Quatuor quasi membris haec tota disputatio continetur. Primo, cum voluptates aliae sint animi, aliae corporis, ad has tantum pertinet temperantia. Secundo, ne in his quidem omnibus cernitur, sed in eis tantum, quae tactu, aut gustatu sentiuntur. Tertio, minusque in iis quae gustatu, quam in iis, quae tactu. Quarto, earum etiam ipsarum, quae tangendo percipiuntur, quaedam sunt ingenuae ac liberales, quibus oblectari etiam supra modum non est intemperantis. Primum igitur, quod attinet ad eam, quae proposita est, voluptatum divisionem, intelligendum est, omnem voluptatem animo percipi. Recte enim Epicharmus: Νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει. τἆλλα κωφὰ, καὶ τυφλά. *Mens videt, mens audit, cetera surda, ac caeca sunt.* Sed cum aliae ipsius animi propriae sint, ita ut nullo modo ad corpus pertineant, aliae item sentiantur animo, ut afficiant etiam corpus, illas ψυχικὰς, has σωματικὰς Aristoteles vocat. Itaque haec divisio eundem habet sensum, quem illa, quae posita est a Xenophonte, principio Hieronis: ἐγὼ μὲν ἔφη ὅτι δὲ αὐτῆς ψυχῆς μοι δοκῶμεν ἥδεσθαι, ὅτι δ' αὖ λυπεῖσθαι. ἐγὼ δὲ ὅτι καινῇ καὶ ἀπὸ τῆς ψυχῆς, καὶ ἀπὸ τοῦ σώματος.

Οἷον

Οἷον φιλοτιμία, καὶ φιλομάθεια] Exemplum retulit non ad id membrum, quod proxime cohaerebat, sed ad superius. Amorem autem, ac studium pro voluptate posuit; quia quod quisque amat, id ei voluptati est, 5. 6. ἑκάστῳ δὲ ἐστὶν ἡδὺ πρὸς ὃ λέγεται φιλοτιμοῦντες. Cum igitur multi gloriam ament, neque ulla ex re majorem voluptatem capiant, quam cum se coli, laudari, honore affici vident (ut Themistocles dicebat, eum a se musicum libentissime audiri, a quo ipse optime laudaretur) non tamen aut temperans dicitur, qui ea re moderate gaudeat, aut qui immodice, intemperans, sed aliis quibusdam nominibus notabuntur. Maxima, maximeque naturalis est discendi voluptas. vere enim ait Aristoteles, omnes homines naturali quadam cognitionis, & scientiae cupiditate duci. Et alio loco, nihil esse suavius, quam citissime discere. Si quis igitur in eo immodicus sit, non eum propterea intemperantem esse dicemus. Archimedem accepimus ita delectatum esse studio suo, ut prae illius suavitate, eorum, quae ad corporis curam pertinebant, obliviscere-tur; itaque saepe solitum ex ancillis quaerere, numquid pransus, numquid lotus esset, quod idem etiam de Nicia pictore narrat Plutarch. Solonem ajunt etiam morientem aliquid discere voluisse. Eudoxus optare solitus erat, παρατὰς τῷ ἡλίῳ, καὶ καταμαθὼν τὸ σχῆμα τοῦ ἄστρου, καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὸ εἶδος, ὡς ὁ Φαέθων καταφλεγήσαι. Plutarch. in opus. ne suaviter quidem vivi posse secundum Epicuri decreta. Et notum est Jurisconsulti cujusdam veteris dictum, qui se ajebat etiam si alterum pedem haberet in tumulo, semper tamen ad aliquid discendum paratum fore. Notum est, quid Euclides, quid Cleanthes, quid alii propemodum innumerabiles admirabili quadam discendi cupiditate incensi fecerint, quorum multi, ut eam sitim explerent, rem familiarem, nonnulli etiam vitam ipsam neglexisse memorantur. Quis eos propterea intemperantiae accusandos duxerit? *Mori videbamus in studio dimetiendi paene coeli, atque terrae, Gallum familiarem patris tui, Scipio:* ait apud Ciceronem Cato. & addit: *Quoties illum lux noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit, cum coepisset mane? quam delectabatur, cum defectiones solis, & lunae multo ante nobis praediceret?* Haec Cato. Num quisquam igitur eo nomine Gallum illum, ut intemperantem, culpaverit? Atqui

&

& ipse, & ii, quos antea nominavimus, voluptati cuidam suae, aliis omnibus rebus relictis, toto pectore indulgebant. Ut, si quicunque plurimum operae, ac studii in consectanda aliqua voluptate ponunt, cujus ea cunque tandem generis sit, habendi sint intemperantes, praestantissimis omnium aetatum viris eam notam inurere, eosque in illum numerum includere necesse sit. Sed nimirum, cum in moderandis voluptatibus dicimus positum esse temperantiae munus, id non de voluptatibus animi, sed de corporeis tantum intelligendum est.

Ἐκείνερος γὰρ τούτων] Relatio est ad sensum, non ad vocem.

Τῆς διανοίας] τὴν διάνοιαν ἀντὶ τῆς ψυχῆς κοινότερον ἔλεξε.

Ὁμοίως δ' οὐδ' οἱ περὶ τὰς ἄλλας] Non tantum generosiores illae, ut ita dixerim, & excelsi atque ingenui animi propriae voluptates, cujusmodi sunt gloriae studium, aut discendi cupiditas, intemperantem hominem non efficiunt: sed ne aliae quidem humiliores, & abjectiores, quae modo ad corpus nihil pertineant, nihilque cum illo commune habeant. Exempli caussa, multos videas, qui fabulando, ac garriendo, & longas de rebus nihili narrationes contexendo alienas aures onerent, ex eoque mirificam quandam hauriant voluptatem, ita ut totos dies loquendo consumant, quidam etiam auditores sibi corrogent, ac libenter, si facultates suppetant, prandio excipiant aliquem, qui aures patientes habeat, tantum ut audiantur; quo vitio senes multi, & mulierculae laborant, usque eo, ut si soli sint, tamen secum loquantur. ut in Graecorum commentariis relatum est de muliere quadam, cui nomen erat Acco, quae ita erat silentii impatiens, ut, si quando neminem haberet, cui aures loquacitate sua obtunderet, domi tamen sederet ad speculum, & totum diem, cum imagine sua, tanquam cum alia quapiam muliere loqueretur. Quid multa? ut Aristophanes ait, *barbaros quotidie biduum bibere*, ita dici potest eos, qui hoc morbo laborant, *quotidie biduum loqui*: sed ne plura dicendo eos ipsos, quos reprehendimus, imitemur, quantumlibet garrulus, loquaxque sit aliquis, non tamen eo nomine illum intemperantem vocabimus, sed nugatorem potius, aut, ut Gellius locutos esse veteres ait, *linguacem*, *blaterionem*, *locutulejum*, &c.

Τοὺς γὰρ φιλομύθους] Φιλόμυθος duobus modis dicitur, interdum is, *qui delectatur audiendis fabulis*, ut in primo majore τῶν μετὰ τὰ φυσικά· Διὸ καὶ φιλόμυθος ὁ φιλόσοφός πως ἐστιν; ὁ γὰρ μῦθος σύγκειται ἐκ θαυμασίων. Interdum autem is, *qui ipse libenter fabulatur*, ut hoc loco; qualem Homerus ait fuisse Thersiten, quem vocat ἀμετροεπῆ, καὶ ἀκριτόμυθον.

Ἀδολέσχους] Ἀδολέσχης, aut ἀδόλεσχος, dictus videtur a nomine ἄδος, quod est *satietas*, & a nomine λέσχη, quod *facilem* quandam *loquacitatem* significat.

Ἀκολάστους δὲ οὐ λέγομεν] Eos tamen, qui commissa sibi secreta reticere non possunt, dicimus habere linguam ἀκόλαστον, ut Euripides de Tantalo: Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, εἰσχίστην νόσον.

Οὐδὲ τοὺς λυπουμένους ἐπὶ χρήμασιν ἢ φίλοις] Ut non omnis dolor, ita neque omnis molestia ad temperantiam pertinet: non enim si quis amissa pecunia nimis angatur animo, eamque ob rem se immodice afflictet, propterea habebitur intemperans: neque si quis moderari non possit ei dolori, quem ex amicorum morte, adversisve rebus capiat.

Περὶ δὲ τὰς σωματικὰς, &c.] Docuit, temperantiam non consistere in voluptatibus animi. nunc docet, eam versari in voluptatibus corporis; non omnibus tamen; sed iis tantum, quae nobis communes sunt cum belluis.

Τοῖς διὰ τῆς ὄψεως] Voluptates, quae capiuntur oculis; etiam si quis eas avidius, quam par est, consectetur, intemperantiae notam non inurunt. Ut, si quis verno tempore gemmea pratorum viriditate oculos pascat, si agros bene consitos, si *uda*, ut ait Horatius, *mollibus rivis pomaria*, si herbescentem segetem, si directas in quincuncem arbores tum primum se in novum florem induentes, libenter spectet: si figuras geometricas scite descriptas; si tabulas, aut signa egregii operis immodice amet, non tamen ob id intemperans habebitur.

Ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς περὶ τὴν ἀκοὴν] Eadem ratio est earum voluptatum, quae percipiuntur auditu, ut audiendis melicis, aut comoedis, ejusdemque generis artificibus: earum quoque, quae percipiuntur odoratu.

Πλὴν κατὰ συμβεβηκὸς] Etsi haec exceptio ab Aristotele videri potest relata tantum ad eas voluptates, quae percipi-

cipiuntur odoratu; intelligendum tamen est, etiam oculorum, & aurium voluptates ex consecutione quadam posse cum intemperantia esse conjunctas. Quoties enim aliquid aut aspicitur, aut auditur, ejusmodi, quod inhonestae alicujus voluptatis aut memoriam renovet, aut imaginem subjiciat animo, aut cupiditatem accendat, quicunque ea re spectanda, audiendave gaudet, aperte intemperantem se esse profitetur. Itaque quanquam paulo supra diximus, nullam in eo intemperantiam esse, si quis pictis tabulis, aut signis plus quam satis est, oblectaretur, si quis tamen obscoenas tabellas ex Elephantidos libellis, aut similibus libenter aspiciat, is quin libidinosus, intemperansque sit, caussam dicere nullam potest. Movetur enim animus pictura, & aut in memoriam redit talium flagitiorum, aut ad ea suscipienda incitatur. Tiberio Caesari quidam testamento legaverat Parrhasii tabulam, in qua picta erat Atalanta cum Meleagro id libidinis genus exercens, quo nullum foedius, aut flagitiosius cogitari potest, addita conditione, ut, si tam turpi argumento offenderetur, decies H. S. pro ea tabula acciperet: at ille tabulam non tantum pecuniae praetulit, verum etiam in cubiculo dedicavit. nimirum cujus oculi tantae turpitudinis aspectu pascebantur, eum, mirum non est, ea postea in Capreensi secessu, quae hodie ne legi quidem sine horrore possunt, perpetrasse. Legite, si lubet, quae apud Senecam in extremo primo Naturalium quaestionum de Hostii cujusdam impuritate referuntur: intelligetis, quasdam oculorum voluptates turpitudinis, & intemperantiae plenissimas esse. Idemque dicendum de voluptatibus aurium. Nam qui rebus turpibus aut narrandis, aut audiendis voluptatem capiunt, eosdem constat ne a rerum quidem turpitudine abhorrere. Praeclare Isocrates junior: ὁποῖα ἡ φύσις τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸν λόγον εἶναι. Ideoque praeclarum olim fuit Persarum institutum, apud quos, ut scribit Herodotus, ὁπόσα ποιέειν οὐκ ἔξεστι, ταῦτα οὐδὲ λέγειν ἔξεστι. Meritoque Aegyptios commendat Plato, apud quos & picturarum, & musicorum licentia legibus coërcebatur, quod permagni interesse judicarent, ut adolescentes a teneris annis honestis picturis, & honestis cantibus assuefierent. Quaedam igitur oculorum, & aurium voluptates κατὰ συμβεβηκὸς ad intemperantiam pertinent: quod idem verum esse in iis, quae capiuntur ex

odoribus, Aristoteles declarat his verbis, τὰς δὲ χαίροντας μύλαι, &c.

Θυμιαμάτων] Ita proprie vocabantur ea, quae adolebantur in sacris, *suffimenta*.

Μύρων καὶ ὄψων] Unguentis perfusi, ac delibuti veteres accumbebant, ubi se largius, ac liberalius invitare constituerant: itemque, cum Venereis operam daturi erant. Quorum utrumque e multis poëtarum locis facile intelligi potest. Horatius: *Huc vina, & unguenta, & nimium breves Flores amoenae ferre jube rosae.* Idem: *Cur non sub alta*, &c. Martialis: *Unguentum fateor* &c. Horatius: *Quis multa gracilis te puer in rosa, Perfusus liquidis urget odoribus.* Catullus: *Nam te non viduas jacere noctes.* Et: *Sertis & Syrio fragrans olivo.* Obsoniorum autem odore duci, eorum tantum est, qui gulae, ac ventri, & abdomini serviunt.

Ἥδεται δ' ἂν τις] Non quicunque obsoniorum odore delectatur, statim intemperans est: nemo est enim, qui dum esurit, odore illo non oblectetur; at intemperantes etiam, cum fames non urget.

Τούτων δὲ] Lego, τούτῳ δὲ, ut & vetus interpres, & Argyr.

Οὐκ ἴσα δὲ καὶ πᾶσι ἄνθρωποις ζῴοις] Diligenter animadvertendum est, quod hoc loco Aristoteles ait, cetera praeter hominem animalia duobus tantum sensibus voluptatem percipere, tactu, & gustatu: ceteris aut omnino non oblectari, (*) aut ex consecutione tantum quadam, & propter aliquid, quod ad duos illos pertineat. Atque id docet exemplis. Quanquam enim canes, ubi leporem odorati sunt, gestiunt, suumque gaudium & crebro latratu, & exultatione quadam significant, non tamen ipso per se odore gaudent, sed quia se, quod edant, nactos vident. Sic leo audito bovis mugitu laetatur, non quod ex illa voce, tanquam nos ex musico aliquo solemus, voluptatem capiat, sed quia prope adesse intelligit, quod voret. Eodemque modo, ubi cervum, aut capream videt, gaudio perfunditur, non quod per se suavis ei sit animalium illorum aspectus; sed quia adesse praedam dentibus suis sentit; iccircoque oculorum, aurium, nariumque propriae voluptates ad temperantiam, intemperantiamve non pertinent, quod illae in iis tantum cernuntur, quae communes sunt homini cum belluis, quales sunt, quae gustatus

(*) Addidi non, quod excideret.

tu capiuntur, quaeque tactu. Quod ipsum tradit etiam in problematis sect. 27. his verbis: οὐσῶν δὲ τῶν αἰσθήσεων πέντε, τὰ ἄλλα ζῶα ἀπὸ δύο μόνον τῶν προειρημένων ἥδεται. (nominarat autem ἀφὴν καὶ γεῦσιν) κατὰ δὲ τὰς ἄλλας ἢ ὅλως οὐχ ἥδεται, ἢ κατὰ συμβεβηκὸς τοῦτο πάσχει. quae verba eo recitavi, ut emendarem; nam in pervulgatis exemplaribus mirifice depravata sunt. Totum autem illum Aristotelis locum diserte sane in Latinum convertit A. Gell. cap. 2. lib. 19. Idem etiam docetur lib. 3. τῶν Εὐδημείων. Dubitationem tamen haec res aliquam habere adhuc potest. Neque vero illa nunc repetam, quae poëtae tradiderunt de Orpheo, cujus lyra leonum, & tigrium rabiem mollire potuit, mulierum non potuit: nec mirum: insigni enim eas, & non ferenda injuria affecerat. Sed enim quae nobilissimus historiarum scriptor, Herodotus de Arione narrat, si vera sunt, ostendunt pisces, cum vocales ipsi non sint, mire tamen affici suavitate vocum, &, ut Graeci loquuntur, κηλεῖσθαι. Sed illa quidem, & ejusdem generis alia, aut voluptatis caussa ficta sunt, aut pro monstris, & prodigiis habenda. Et ad ea respiciens Aristoteles in Eudemeis scripsit: οὐδὲν, ὅ, τι καὶ ἄξιον λόγου πάσχειν τὰ θηρία αὐτῇ τῇ θεωρίᾳ τῶν καλῶν, ἢ τῇ ἀκροάσει τῶν εὐαρμόστων, εἰ μή τι που συμβέβηκε τερατῶδες. Quid igitur ad ea respondebimus, quae vere, ac serio tradita sunt ab iis, qui animalium naturas, & ingenia posteris prodiderunt? *Cervi*, ait Plinius, *mulcentur fistula pastorali, & cantu*, quomodo, si nullam auribus voluptatem capiunt? *Delphinus*, ait idem, *non homini tantum amicum animal, verum & musicae arti, mulcetur symphoniae cantu, & praecipue hydrauli sono*. qui potest, si, nisi gustatu, & tactu, voluptatem percipere nullam potest? Gotthicarum rerum scriptores narrant, regionem illam ursis abundare, qui saepe in pastores impetum faciant, eosque devorent; cujus tam gravis periculi effugiendi caussa solere eos secum assidue tibias circumferre, quas inflant, simul atque ab urso aliquo peti se vident. Feram autem cantu illo captam subsistere, ac ubi se aliquantisper oblectavit, alio se ad pastum quaerendum convertere. Haec & alia ejusdem generis argumenta fecerunt, ut Plutarchus ab Aristotele dissenserit, eumque quodam modo hac in parte reprehenderit. Ita enim apud eum lib. 7. συμποσιακῶν loquens inducitur Callistratus: δοκεῖ δέ μοι μηδὲ Ἀριστοτέλης

φύσις δικαίως τοὺς ἐξ ἴσου καὶ ἀμφότερα δίποδας ἀνθρώπους εἶναι, ἢ μόνον ἀνθρωπικὰς ἕξεις. ταῖς δ' ἄλλαις καὶ τὰ θηρία φύσιν ἔχοντα χρῆσθαι, καὶ κοινωνεῖν. ἐφάμεν δ', ὅτι καὶ μουσικῆ τοιαῦτ' ἐπιτηδεύει τὰ ἄλογα, ὥσπερ ἔλαφοι συάγχοι. ἵπποις δὲ μιγνυμένους ἀπολείπειν νόμον, ὃν ἐπιθορὸν ὀνομάζουσιν. ὁ δὲ Πίνδαρός φησι καὶ ταῖς πρὸς ᾠδὰς ἀλίγκιον ἀνθρώποις ὑποκεῖσθαι. καὶ τὰ μὲν ἀκόμματα τοῦτο πάλαγμα· αὐλῶν δὲ κίνησιν ἐμμελῆ μόνον. ἐχόμενοι δὲ τούτων, χαίρουσιν τῇ ὄψει, καὶ μιμητικῶς ἅμα δοῦναι πάσαις τοῖς ὥραις συνδιαφέρουσιν. Ita enim totum illum locum, qui vulgo depravatus ita est, ut intelligi non possit, emendandum puto. Idem etiam confirmat in commentario, quo disputat, utra animalia prudentiora sint, quae in terra, an quae in aquis degunt, ubi ita scribit: ἐνίοις δὲ τῶν μὲν ἀλόγων &c. Aristoteles quoque ipse non diffitetur, bestias quasdam cantibus oblectari. Itaque 8. Polit. ait, adolescentes ingenuos usque ad eum finem debere musicam discere, μέχρι πότε ἂν δύνωνται χαίρειν τοῖς κρουσίοις μέλεσιν, καὶ ῥυθμοῖς, καὶ μὴ μόνον τῇ κοινῇ τῆς μουσικῆς, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἔνια ζώων, ἀπὸ καὶ πλήθους ἀνθρακιδίων, καὶ παιδιῶν. Sed quas voluptates percipiunt homines ex aspectu pulchrarum rerum, id est, quarum partes inter te cum quodam lepore consentiunt, earum negat sensum esse in belluis: neque enim illae intelligere possunt illam partium convenientiam, &, ut Graeci loquuntur, συμμετρίαν, in qua sita est pulchritudo, ideoque neque quid formosum, neque quid deforme sit, judicare ullo modo possunt. Quod Cicero ita expressit lib. 1. de officiis; *eorum, quae aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit*, eademque ceterorum ratio. Non enim sentiunt animalia in vocibus, ac cantibus quid ἔρρυθμον, ἢ ἄρμοττον: quid contra ἄρρυθμον καὶ ἀνάρμοστον, ut illo oblectentur, hoc offendantur: neque iis, quae suavem spirant odorem, oblectantur: ab iis autem, quae tetrum, adhorrent: ideoque ait philosophus, ea expertia esse voluptatum, ac molestiarum, quae sunt illorum sensuum propria.

Περὶ τὰς τοιαύτας] Versatur igitur temperantia, & intemperantia iis in voluptatibus, quae communes sunt homini cum ceteris animantibus, quae ob id serviles, & ferinae videntur. Sunt autem eae, quae gustatu capiuntur, quaeque tactu. Porro serviles esse eas, vel ex comoediis constat, in quibus servi, & parasiti, abjectissimum

mum hominum genus, inducuntur ventris caussa omnia patientes. Ex iisdem etiam cognoscere est, eos, qui meretriciis amoribus intricati sunt, ad alienum nutum dicere, ac facere omnia, & servire durissimam, atque acerbissimam servitutem. Constat autem, easdem & foedissimas, & omnium maxime noxias esse. Nam & corpus, & animum insigniter laedunt, & totas saepenumero labefactant civitates. Corpori quantum noceat cibi, & potus intemperantia, constat ex eo, quod nobilissimi medicorum affirmant, τὴν ὀλιγοσιτίαν, καὶ ὀλιγοποσίαν τῆς ὑγιείας μητέρα εἶναι. Plutarchus nominat πλεσμοσύνην πηγὴν νοσημάτων. Ac plane, si consideremus omnes morbos, quibus hominum genus expositum est, longe maximam eorum partem immoderatione cibi, & potionis gigni reperiemus. Illinc cruditates, gravedines, destillationes: illinc sensuum omnium debilitatio: illinc nervorum interdum contractio, interdum resolutio: illinc anginae, illinc articulorum dolores; illinc foedissimae vermium, & pediculorum toto corpore eruptiones, tanquam ex quodam perenni malorum omnium fonte manant. Itaque Persae, quos negat Xenophon quicquam ad panem adhibere solitos, praeter nasturtium, & optima valetudine utebantur, & diutissime vivebant. At istos, qui sibi omne bonum in ventre, ac visceribus condiderunt, semper sudantes, semper ructantes, qui in mensam vomunt, qui de conviviis auferuntur, qui se crudi postridie rursus ingurgitant, & gravissimis ac periculosissimis morbis conflictari videmus, & vix unquam ad senectutem pervenire. vereque Theognis ingluvie multo plures ait perire, quam fame: πολλᾷ τε πλείονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἤδη. cum contra, frugalitatem, & continentiam in victu siccitas, & integritas valetudinis consequatur. Recte igitur Timotheus Atheniensis, Platonicas coenas etiam postridie jucundas esse. At coenae asotorum saepe in totam vitam sunt injucundae, Eleganter, ut solet Horatius, *Accipe nunc*, inquit, *victus tenuis* &c. Et ut intelligamus, talem coenam animo quoque, non tantum corpori nocere, statim addit: *Quin corpus onusum* &c. Neque sane recta mente uti queunt, quorum corpus cibo & potione completum est. Unde veteres ebrietatem, *voluntariam insaniam* esse dixerunt. De ebrietate vide Plinium cap. 22. lib. 14. Vinum enim, ut vere cecinit Hesiodus ἐν ἐρατεῖναις, Σύν τε πόδας χείρας τε

δέει γλῶσσάν τε νόον τε Διαμοῖς ἀφρόνοις. Et Theognis: Ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκέτ' ἐκεῖνος Τῆς αὐτοῦ γνώμης καρτερὸς, οὐδὲ νόου. Et citatur Stheneli poëtae versus: Οἶνος καὶ φρονέοντας ἐς ἀφροσύνας ἀναβάλλει. Exemplo esse potest Alexander, tum cognomine, tum rerum gestarum praestantia, magnus, qui quos carissimos habebat, eos per ebrietatem interfecisse perhibetur. Quare & veterum legumlatorum alii ab aetate aliqua, alii ab aliquo sexu, alii ab ordine aliquo, vinum amovendum censuerunt. Plato adolescentibus usque ad annum duodevicesimum vini usu interdicit. Apud veteres Romanos mulieribus vinum gustare nefas erat, ita ut quidam, qui uxorem, quod vinum bibisset, fuste percussam interemerat, non accusatore tantum, sed & reprehensore caruisse dicatur. Apud Carthaginenses autem lege cautum erat, primum, ne ullus omnino in exercitu vinum attingeret, sed dum bellum gererent, aquae potu omnes contenti essent. Deinde, ne in urbe servus, neve serva vino unquam uteretur. Praeterea, ne praetor eo anno, quo jus dicturus erat, tum ut neque gubernator, neque judex, quam diu eo munere fungerentur. Ne is quidem, quicunque in senatum, ubi quippiam alicujus momenti agebatur, venturus esset. Postremo, ut interdiu quidem vinum sumere nemini liceret, nisi forte corporeae alicujus exercitationis, aut morbi caussa: noctu liceret, dum vir, & axor, qua nocte liberis operam daturi erant, vino se penitus abstinerent. Quas leges vehementer commendat Plato lib. 2. de legibus. Hujus urbis fundatorem, Romulum alii abstemium fuisse, alii parce admodum vino uti solitum esse tradunt. Quid jam ea commemorem, quae de Curii, quae de Fabricii, quae de ceterorum, qui temporibus illis fuerunt, frugalitate ac parsimonia scriptis omnium celebrata sunt? Tam diu stetit res Romana, quam diu eos mores coluit, & tam diu imperavit Roma exteris gentibus, quam diu suis voluptatibus imperavit. Simul ac remissa est prisca illa severitas, in deterius ferri coeperunt omnia. Victa Asia, victores suos perdidit: quosque neque Cimbrorum, neque Gallorum, neque Carthaginensium arma superare potuerant, eos illatae in urbem Asiaticae deliciae perdiderunt.

Ex iis, quae a me hactenus disputata sunt, puto utcunque intelligi posse, quanto opere & privatim, & publice no-

noceat intemperantia cibi & potus. Idem etiam de rebus Venereis dici poteſt. quarum uſus immodicus, quantum corpori noceat, vel illud argumento eſt, quod Clinias Pythagoreus interrogatus, quando eis opera danda eſſet, *cum homo*, inquit, *ſe ipſo deterior fieri volet.* Et Pythagoras admonere ſolitus erat, μὴ πυκνὰ τ ἀφροδισια ἀπὸ ἅπαξ ἀφροδισια, raro Venere utendum ſignificans. Epicurus quoque auſus eſt dicere, nullum earum uſum ſalubrem eſſe. qua in re, quanquam a Galeno reprehenditur, qui cum in libro, qui inſcribitur *ars parva*, eam ſuo tempore utilem, tum in lib. 6. de locis affectis, quibusdam etiam neceſſarium eſſe confirmat: hoc tamen Galenus ipſe non diffitetur, immodico, & intempeſtivo Veneris uſu, nihil bonae valetudini magis adverſarium eſſe. Neque vero aliter ſentire poterat, niſi ab eo, quem prope ut Deum quendam veneratur, Hippocrate diſſentire voluiſſet. Is enim prior affirmaverat, coitum partem quandam eſſe terrimi morbi, quem Graeci ἐπιλῆψιαν, Latini *comitialem*, nominarunt. Neque vero animo Venus minus inſigniter, quam corpori nocet. nulla enim res aut ingenii aciem magis retundit, aut memoriam magis debilitat, aut mentem denique ipſam a ſublimium, divinarumque rerum cognitione, & intelligentia magis avertit. Quodſi veterem hiſtoriam excutere libeat, a libidinis intemperantia graviſſima bella exorta, turbulentiſſimas ſeditiones concitatas, potentiſſima imperia ſubverſa, florentiſſimas reſpublicas ad interitum redactas videbimus. Trojanum bellum, quod ut antiquiſſimum, ita nobiliſſimum eſt, excitavit, Europamque cum Aſia commiſit libido, iisdemque facibus intemperantis adoleſcentuli pectus, & urbs eo tempore omnium potentiſſima, & opulentiſſima deflagavit. Annos ducentos, & quadraginta, & eo amplius, Roma ſub regibus fuerat. Quid igitur cauſſae fuit, cur aſſuefactus jam regum imperio populus aliam reip. formam depoſceret? effrenata, & praeceps unius adoleſcentis libido. Quid, cum plebes Aventinum occupavit, neque ſe inde prius deduci paſſa eſt, quam decemviri magiſtratu ſe abdicarent, quae res tam periculoſae ſeditioni cauſſam dederat? Appii Claudii Xviri libido. Semper enim qui libidini ſuae imperare non poterant, indigni habiti ſunt, qui aliis imperarent. Perſecutus ſum olim adoleſcens elegia quadam, mala, quae ex Venere

enaſcerentur, neque verebor ex ea recitare hoc loco verſus aliquot, qui mihi nunc in mentem veniunt. qui ſi invenuſti, ut ſunt, videbuntur, vos tamen aequum erit ignoſcere. non enim mirum eſt, ſi Venerem non habent, quae adverſus Venerem ſcripta ſunt. Cum igitur in Venerem multa alia maledicta cumulaſſem, ac congeſſiſſem, hoc quoque me ſubjungere memini: *Illa ſuis fraudat reſolutos viribus artus, Illa veternoſos, invalidosque facit. Quid loquar, ut podagram Veneris commercia ducant? Ante ſuum canos accelerentque diem? Quod multos, nitidae medio ſub flore juventae Elumbes dubiis paſſibus ire vides, Tardosque, fractosque, & nullis utibus aptos? Languorem hunc miſeris attulit una Venus. Sed levia haec aliquis, quamvis ſunt magna, putarit, Quantum animo noceat ſi Venus ipſa, notet. Ingenium Veneris repetito obtunditur uſu, Et fit hebes ſenſim, quod prius acre fuit. Relligio, integritas, probitas, pietasque, fidesque, Cumque ſua ingenuus ſimplicitate pudor. Haec, ſimul oppreſſa potitur jam mente libido, Ut Boreae nubes flatibus acta, cadunt. Ipſa Venus, prolis maculavit ſanguine matrem, Armavitque feras in ſua damna manus. Illa patri natas inceſto foedere junxit, Unius ut genitrix Myrrha, ſororque foret. Illa & Paſiphaen docuit ſuccumbere tauro, Armenti pellex eſſet ut ipſa jui. Quid memorem Alcidem furia haec ut adegerit iſtum Mollia robuſta carpere penſa manu? Quique peragratum monſtris purgaverat orbem, Imbellis dominae mollia juſſa pati? Nam urbes, ut totas ima ab radice revellat, Materies vatum Troja docere poteſt.* Plura neque memini, neque, ſi memin ſſem, referrem, ne frigidam per b anni tempeſtatem, frigidiſſimorum verſuum recitatio magis etiam refrigeraret. Et alioqui ſatius eſt, quando diu jam evagati ſumus, ad Ariſtotelem reverti. Qui cum duos ſenſus eſſe dixiſſet, quibus immodice oblectarentur intemperantes, guſtatum, & tactum, nunc addit, guſtatu eos, aut non admodum, aut nihil omnino uti, tantum tactu voluptatem percipere. Φαίνονται δ', inquit, οἱ τῇ γεύσει ἐπὶ μικρὸν, ἢ οὐδὲν χρῶνται. quod ipſum lib. 3. ad Eudemum his verbis complexus eſt: οἱ δὲ περὶ ἅπαντα τὰ ἡδέα ἀκόλουθοι εἰσὶν ἀλλὰ τῇ μὲν δόξῃ ὡσὶ δύο τῷ αἰσθητῷ, περὶ τε τὸ γεύσιν, καὶ τὸ ἁπτὸν, τῇ δ' ἀληθείᾳ περὶ τὸ ἁπτόν. Et conſtat ſane, eos, qui ſe vino obruunt, & ingugitant, qui

tota

tota in se dolia invergunt, qui infundunt, quod statim effundant, tanquam ad percolanda vina nati, non posse de sapore vini subtiliter & exquisite judicare. Nec illi quidem ciborum suavitatem sentiunt, qui inexplebi i quadam aviditate quantum plurimum, & quam citissime possunt, in ventrem tanquam in saccum congerunt, non aliter, quam si id modo operis habeant, ut eum referciant, ac distendant. quos etiam videmus, ubi quid in mensam allatum est, nihil tam male metuentes, quam ne alius occupet, atque antevertat, ferventia jura exsorbere, ferventia obsonia deglutire, ac devorare. Et tamen illo immodico fervore necesse est, & obtundi, & hebetari, &, ut Horatius loquitur, *exsurdari* palatum, ut nullo modo saporum discrimina sentire possint. Est tamen aliud quoddam intemperantium genus, quos Graeci λιχνοὺς vocant, mundos, lautos, elegantes, optimis coquis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, qui optimae notae vina, qui ciborum cupedias summo studio persequuntur, qui omnium condimentorum rationem tenent, qui bibentes pitisant, edentes liguriunt: quales erant, qui olim primo statim gustu lupum Tiberinum inter duos pontes captum ab eo, qui captus esset in alto, dijudicabant, quales P. Gallionem Gurgitem, Q. Hortensium, L. Lucullum, M. Apicium fuisse accepimus, qualem quendam elegantissime describit Horatius Sat. 4. lib. 2. quales nimium multos hodie quoque novimus. iis quin palatum sapiat, negari non potest. Sed Aristoteles hoc loco de iis proprie loquitur, quos ipse paulo post vocat γαστριμάργους. vide quae scripsimus lib. 4. var. cap. 8.

Τῆς γὰρ γεύσεως ἐστὶν ἡ κρίσις περὶ χυλῶν] Gustatus enim proprium est judicare de saporibus, quod si faciunt, qui vina praegustant, ut judicent, quod dulce sit, quod austerum, quod lene, ut illa apud Terentium meretrix, de qua ita conqueritur senex: *pitisando modo mihi quid veni absumpsit? sic hoc dicens asperum pater est; hoc aliud lenius sodes vide*. itemque coqui, & qui optime obsonia, & pulmenta condiunt. hos enim vocat τοὺς περὶ τὰ ὄψα ἐργαστικοὺς, quorum etiam ars ὀψαρτυτικὴ vocatur. Quam multi veterum, & Graecorum, & Latinorum suis scriptis complexi sunt: cui muneri apud eundem Terentium Syrus se praepositum esse significat, cum se ait conservis

ita praecipere: *hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum, illud recte. iterum sic memento.* Non admodum autem, aut nihil omnino gaudent hujusmodi rebus intemperantes, neque voluptatem capiunt explorando, ac praegustando vino, ciboque, sed utroque plene, atque arbitratu suo frui poscunt: quod totum & in cibis, & in potu, & in rebus Venereis positum est in tactu.

Διὸ καὶ ηὔξατό τις ὀψοφάγος ὢν] Confirmat hoc, quod dixerat, helluonis cujusdam voto, qui collum sibi dari optabat longius collo gruis, ut diutius ciborum voluptate frueretur. Hoc autem turpissimo voto aperte ostendebat, se tactu delectari, non gustu. non enim collo gustamus, sed lingua, aut palato. Plinius lib. 11. cap. 37. *Intellectus saporum est ceteris in prima lingua, homini & in palato*, quam linguam ob id Plutarchus, ἐν τῷ περὶ τοῦ τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι, ait τοῦ γλυκέος, καὶ δριμέος, καὶ αὐστηροῦ γνώμονα εἶναί τε καὶ λέγεσθαι. Magis id etiam ostendebat Pithyllus quidam, cognomento τένθης, id est, *helluo*, quem, traditum est, cum ad convivia itaret, non tantum manus armasse digitalibus, verum etiam linguam, membrana quadam obvolvere solitum esse, ut calida, & prope ardentia obsonia sine ullo impedimento devorare posset. Hunc autem satis constat lingua ita involuta nihil gustare potuisse. Sed eum, de quo hic agit Aristoteles, hoc quidem loco non nominat, etsi in quibusdam depravatis libris nomen ejus ipsum quoque depravatum legitur, quod & Argyropylo imposuit, & olim mihi: in Eudemeis autem vocat eum Philoxenum Eryxidis filium. Διὸ, inquit, οἱ ὀψοφάγοι οὐκ εὔχονται τὴν γλῶτταν ἔχειν μακρὰν, ἀλλὰ τὸν φάρυγγα γεράνου, ὥσπερ Φιλόξενος ὁ Ἐρύξιδος. De quo libet mihi commemorare ea, quae alibi legi. Fuit igitur hic Philoxenus genere Cytherius, poëta, scripsit dithyrambos, & poëma, quod inscripsit δεῖπνον, quo lauta edulia, & instruendi, apparandique convivii rationem exposuit. Hunc narrant non tantum ipsum studiosum fuisse laute, opipareque vivendi, verum etiam curam adhibuisse, ut cives sui bene conditis epulis vescerentur. Itaque ejus rei caussa quotidie cum lavisset, urbem circuibat, comitantibus pueris, vinum, oleum, acetum, aliaque ad cibos condiendos necessario ferentibus, & singulorum domos ingrediens

in

inſpiciebat, quid cuique in coenam paratum eſſet, ac, ſi quid minus recte conditum erat, ipſe de ſuo condiebat. Tum ita luſtrata urbe, domum reverſus epulabatur. Hic cum aliquando Epheſum veniſſet, ac forum cupedinarium vacuum offendiſſet, percontatus quid eſſet rei, cum accepiſſet, quicquid erat obſoniorum, in aedes cujusdam, qui nuptias celebrabat, delatum eſſe, ipſe quoque, quanquam & hoſpes, & invocatus, eodem ad prandium profectus eſt, & cum ceteris accubuit. Cumque dominus epuli, ejus ingenio delectatus, dixiſſet: *Philoxene, nunquid cras quoque nobiſcum epulaturus es? etiam*, inquit, *ſi, ut hodie, nihil erit in macello.* Adhibitus ad menſam aliquando a Dionyſio tyranno, cum ipſi quidem Dionyſio ingentem mullum, ſibi autem multo minorem appoſitum videret, ſuum a patina ſublatum ad aurem admovit, ſimulavitque, quaſi quiddam ex eo percontaretur. Quaerenti cauſſam Dionyſio, *ego*, inquit, *o rex, poëma quoddam de Galatea ſcribo. quare quaerebam ex hoc piſce quiddam de Nereidibus, quo poëma meum exornarem. ſed ipſe juniorem ſe captum ait, quam ut illa per aetatem cognoſcere potuerit, e grandiore illo, qui tibi appoſitus eſt, ſi quaeram, illum mihi facile, ea quae volo, explicaturum.* Converſus in riſum Dionyſius, piſcem, qui ſibi appoſitus erat, ad Philoxenum miſit. Ab hoc tamen ipſo tyranno conjectus eſt in latomias, cujus rei haec cauſſa a Plutarcho traditur libro de fortuna, & virtute Alexandri. Dionyſius ipſe quoque poëmata ſcribebat, eaque, cum inconcinna, & illepida eſſent, optima videri volebat. Cum igitur tragoediam quandam ſcripſiſſet, eam Philoxeno inſpiciendam dedit, ut corrigeret, ſi quid forte corrigendum videretur. Ille vero una litura totam emendavit. Indignatus Dionyſius, compegit eum in illum carcerem, quem modo nominavi. Unde tamen poſtea liberatus, cum iterum Dionyſium audiret ſua poëmata recitantem, adulantibus, & plaudentibus ceteris, exurgens ipſe, *mitte me*, inquit, *denuo in latomias: illic enim aetatem degere ſatius eſt, quam tam mala poëmata audire.* Athenaeus paulo aliter. Narrat enim, ea poena affectum, quod deprehenſus fuiſſet cum Galatea tibicina, quam Dionyſius ipſe amabat. Quin etiam in ipſo carcere conſcripſiſſe poëmation in Galateam, in quo ſe quidem Ulyſſem faceret, Dionyſium autem

autem Cyclopa. Solebat hic in balneis non modo manus in aquam ferventem demittere, & sic assuefacere se ad perferendum immoderatum illum calorem, verum etiam eadem aqua os sibi proluere, &, ut Graeci dicunt, γαργαρίζειν, ut postea in mensa, cum ad rem gerendam ventum esset, facilius & contrectare, & deglutire calidissima quaeque posset. Quin etiam orabat coquos, ut omnia ferventia in mensam inferrent, ut ceteris calorem illum reformidantibus, ipse bulgam arbitratu suo impleret. Narrat Plutarchus foedius etiam, & tetrius quiddam, quod legentibus prope nauseam moveat. Spuere eum, ait, solitum, & emungere se in patinas, ut ceteris a tanta foeditate abhorrentibus, solus ipse impleretur. idem & Gnathonem quendam Siculum factitasse. Hoc autem votum ipsius, cujus hic mentio est, refertur etiam apud Athenaeum lib. 1. & 8. Narratur & mors, ipsius vitae consentanea. Emerat Syracusis polypum bicubitalem, ejusque praeter caput nihil reliqui fecerat. Ex cruditate igitur ita laborare coepit, ut nulla spes salutis esset. Quare cum admonitus esset a medico, ut ordinaret suprema sua, sibi enim ante horam septimam esse moriendum, *de ceteris*, inquit, *non magnopere laboro: sed quando moriendum est, afferte mihi hic polypi caput, ut id quoque comedam, antequam oculos claudam.*

Ηὔξατό τις] Non est quidem dubium, quin Philoxenum intelligat, sed tamen idem votum Melanthio cuidam tribuit apud Athenaeum Clearchus his verbis: Τιθωνοῦ Μελάνθιος ὅνικε βουλεύσασθαι βέλτιον. ὁ μὲν γὰρ ἀθανασίας ἐπιθυμήσας ἐν θαλάμῳ κρέμαται πάντων ὑπὸ γήρως ἐστερημένος τῶν ἡδέων. Μελάνθιος δὲ τῶν ἀπολαύσεων ἐρῶν ηὔξατο τῆς μακραύχενος ὄρνιθος τὸν τράχηλον ἔχειν, ἵν' ὅτι πλεῖστον τοῖς ἡδέσιν ἐνδιατρίβῃ.

Τὸν φάρυγγα] Videtur φάρυγγα posuisse ἀντὶ τοῦ οἰσοφάγου. Nam φάρυγξ est proprie canalis ille a faucibus ad pulmones pertinens, per quem spiritum ducimus, & emittimus, quem medici τραχεῖαν ἀρτηρίαν vocant, Latini *gutturem*, aut *guttur*, idque manifesto docet Aristoteles ipse, lib. 3. de partibus animalium his verbis: ὑπὸ δὲ τὴν κεφαλὴν &c. Galenus quoque lib. 6, de usu partium corporis humani manifesto accipit pharynga pro arteria aspera, ubi disputat, quo artificio naturae factum sit, ut aër non attrahatur a corde statim, διὰ τῆς φάρυγ-

γος

φάγον, ſed pulmonibus interjectis. Et lib. 2. de placitis Hippocratis, & Platonis, aperte ait, aſperam arteriam alio nomine vocari pharynga. Paulus etiam Aegineta lib. 3. pharynga vocat non totam arteriam aſperam, ſed ſummam illius partem, ut videlicet idem ſit in arteria pharynx, quod in οἰσοφάγῳ ſtomachus. Sed Philoxenus fortaſsis reſpiciebat ad eam voluptatem, quae bibendo capitur. veteres enim putabant potum, accipi ab arteria aſpera, & ad pulmones pervenire. Unde eſt illud celebre Alcaei, πίγλα πνεύμονας εἶμι, τὸ γὰρ ἄκρον περιπίπτει. Et apud Eupolin quidam jubet alium bibere, ut ὡς ἂν κινῆς τὸν πνεύμονα ἴκλυον φορῇ. Et citatur Eratoſthenis verſus, ἐς βαθὺν ἀκρήτου πνεύμονα πηγήμενον, & ex Euripide, ἐπὶ μεγάλους πνεύμονας διαῤῥοάς. Atque hanc opinionem Plato in Timaeo aperte confirmat: ſed Ariſtoteles lib. 3. de partibus eam & reprehendit, & ut fatuam, & deliram exagitat. Inter medicos non convenit. Eraſiſtratus in Platonem invectus eſt, multisque argumentis docere conatus eſt, cibum & potum oeſophago, ſpiritum autem ſolum arteria accipi, neque ad pulmones praeter ſpiritum quicquam pervenire. E veteribus autem non deerant, qui Platonem defenderent. Nam & Philiſtion Locrenſis, & Dioxippus ab eo erant, & A. Gellius ait, ejus ſententiae, quae Platoni placuit, Hippocratem ipſum auctorem fuiſſe. Galenus lib. 8. de placitis Hippocratis, & Platonis, mediam quandam viam ſequitur; non negat enim eodem canali excipi & cibum & potum, idque ipſum Platonem ſenſiſſe contendit: ſed tamen exiguam quandam partem ejus quod bibitur, pervenire per arteriam aſperam, roris in modum ad pulmones, eosque irrigare, idque ipſum eſſe, quod dixerit Plato, ejusque rei hoc argumentum affert. Quodſi animali ſitienti aquam, aut caeruleo colore infectam, aut miniatam bibendam dederis, idque ſtatim jugulatum aperueris, pulmones eodem colore tinctos deprehendas. Sed hanc ſententiam, hocque ipſum argumentum ſumpſit ex Hippocrate in lib. περὶ καρδίης, prope totidem verbis. Fortaſsis etiam priſci illi pharynga vocabant non aſperam arteriam, ſed gulam ipſam. Homerus certe cum Cyclopem ebrium, ac vomentem deſcriberet, ait, ex ejus pharynge & vinum, & fruſta carnis humanae erupiſſe. Et Cyclopi apud Euripidem ita interroganti, ἔρευγε ἐμὲ

εὖ πεμεσκευασμένον, respondet Silenus, πάρεσιν. ὁ φάρυγξ εὐτρεπὴς ἔστω μόνον Et Chorus: εὐρείας φάρυγγος, ὦ Κύκλωψ, ἀναστόμου τὸ χεῖλος. & multis aliis eadem fabula locis, & apud Aristoph. saepe. Nisi forte Cyclops ut unicum oculum pro duobus habuit, ita unicum etiam canalem, per quem, & cibus, & potus, & spiritus mearet. Sed haec medicis, quorum propria sunt, relinquamus.

Μακρότερον γεράνου] Trium cubitorum, ut ait Machon, comoediarum scriptor: Φιλόξενός ποθ', ὥς φασι, Κυθήριος Ηὔξατο τριῶν ἔχειν λάρυγγα πήχεων. Huic voto simile est illud Catulli: *Quod tu cum olfacies, deos rogabis, Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.* Et illud Platonis. εἴθε γενοίμην οὐρανὸς, &c. apud Gellium,

Κοινοτάτη ζ] Nam ceteris sensibus genera quaedam animalium carent: tactu nullum, ut docetur in libris de anima.

Καὶ γὰρ καὶ ἐλευθεριωτά] Ne omnes quidem voluptates tactus ad temperantiam, & intemperantiam pertinent: sunt enim quaedam ingenuae, & liberales, ut eae, quae in gymnasiiis capiuntur ex frictione, caloris admotione, ac concitatione. Cetera per se satis facilia videntur.

C. XI. Ἡ μὴ, ὡς δὲ] Illud μὴ, puto esse μᾶλλον ἢ. compendium aliquod scribendi huic errori caussam dedit, cum una littera μ. addito aliquo significet μᾶλλον.

Ὥστε ἀντὶ τοῦ ἄλλων] Leg. est καλῶν, etsi Graecus Scholiast. aperte legit καλῶν.

M. AN-

M. A. MURETI

IN LIBRUM QUARTUM ETHICORUM ARISTOTELIS COMMENTARIUS.

C. I. Αἱ ἢ κατ' ἀρετὴν] Hesiodus: Δοὺς αἰζηῷ, πῆχυν δ' ἀπὸ, πῆχυν ἐπ' αὐτῷ, ἥνπερ ἀθανάτοις δίκαιος. Ὃς μὲν γάρ κεν ἀνὴρ ἐθέλῃσι, ὄγα πάρ μέγα δάσσῃ, Χαίρῃ τῇ δώρῳ, ἣν πέρπῃ δ' ὃν κατὰ θυμόν.

Οὐδὲ μὰ δῆ] Neque Vespasiano assentietur, dicenti Ὄσσον δ' ἐλέλιξε ἰὼν ὁ πλοῦτος κακόν. sed Hesiodum potius audiret praecipientem: Μὴ κακὸν ἐκδαίνυσο κακῷ. ἐέλδια ἶσα ἔπεσσιν. *Ne male lucreris, mala lucra aequalia damnis.*

Ὑπερβάλλων] Non ὑπερβάλλει τὸ δ' ἐρθῶ λόγῳ μέτρον, sed exsuperat, si consideres id, quod sibi retinet. paucis enim contentus est, at multis gratificari cupit.

Ἐλλιπεστέρους δὲ εἶναι δικαίους] Plato 1. πολιτειῶν· Πότερον δὲ, ὦ δ' ἐγὼ, ὦ Κέφαλε. &c. Vide quae notavi ad Catullum in epigrammate in Fusenum.

Διὸ τῇ ἐγκρατείᾳ] Vulgus antiquorum, opes a fortuna dari, adimique, credebat. quod autem plerumque contingit, ut, qui opibus dignissimi sint, egeant, contraque improbissimi, & injustissimi abundent, caecam, & rationis expertem Fortunam esse dicebant, quod bonos quidem egestate premi sineret, flagitiosos autem, facinorososque ditaret. Quidam autem negabant eam esse caecam, ejusque rei acutam rationem adferebant, quod, si caeca esset, nunquam posset ita certo bonos a malis internoscere, atque illos quidem premere, hos vero fovere. Sed Aristoteles ait, frustra accusari fortunam, vanasque, atque inanes esse, quae vulgo in eam jactantur querelas. manifestam enim caussam esse, cur liberales vix unquam ad magnas divitias pervenire possint: nam neque in eis parandis, neque in conservandis, augendisve magnum studium ponunt, & facile largiuntur. Inepte autem Lambinus, hoc loco legendum esse ait, ἐγκρατεῖται ἡ τύχη. qui, si quid tale Perionio excidisset, di boni, quomodo eum exciperet?

Ὥσπερ ὑπὸ τῶν ἄλλων] In eruditione, bona valetudine,

omnibus iis denique, quae diligentia, ſtudio, cura, comparantur, ac conſervantur.

Καὶ τῷ Σιμωνίδῃ] Plutarchus περὶ τῆς θείας βασιλείας πεφραμένος· Σιμωνίδης ἔλεγε παίζων &c. Stobaeus, λέγων ὁ Σιμωνίδης, ἀφιλάργυρός που &c. Idem: Σιμωνίδης ἐρωτηθείς &c. Athenaeus lib. 14. ὅτου] ὡς ἀληθῶς κιναίδῳ, ὁ Σιμωνίδης &c.

πλὴν ἐπὶ μικροῖς] Soli ex interpretibus Latinis Aretinus, & Argyropylus intellexerunt hoc πλὴν, quorum ille reddidit, *verum in parvis*, hic, *in parvis tamen*. Recte autem exponit Scholiaſtes Graecus particulam, *tamen*, niſi interdum apud Latinos eam vim habet.

Ἐπεὶ ὅτε τοῦτο] Deleo illud ἐπεὶ, & pro ὅτε lego ὁ Ν. Καθάπερ εἴρηται] Nusquam hoc dixit, ſed ſignificavit ſubobſcure, cum tradidit, τὰ τῆς ἀπορίας ἐ πάνυ συνδεόξασμα.

Ἡ δὲ ἀνιλαθησία ἀνίατός ἐστι] Id eſt, avaritia autem inſatiabilis eſt, & inſanabilis: nam & ſenectus, & omnis impotentia avaros efficere videtur. Eſt praeterea magis innata hominum generi, quam effuſio: plerique enim ad amandas potius, quam ad largiendas pecunias ſunt propenſi. Et vero late admodum pertinet, multiplexque eſt: multi enim eſſe illiberalitatis modi videntur. nam cum duabus in rebus ſita ſit, parum dando, & nimium accipiendo, non in omnibus tota ineſt, ſed diſtrahitur interdum, ac dividitur. Atque alii quidem accipiendo modum tranſeunt, alii minus dant, quam oporteret: nam quos pareos, ſtrictos, ſordidos dicimus, ii omnes minus, quam par eſt, largiuntur, ceteroqui aliena non appetunt, neque accipiendi ſtudio ducuntur; partim quidem bonitate quadam, & rerum turpium cautione: videntur enim quidam, (dicunt quidem certe) ſe ob id cuſtodire ſua, ne quando turpe aliquid facere adigantur. Horum autem eſt & is, qui cumini ſector dicitur, & quicunque talis eſt. Nomen autem invenit inde, quod ſupra modum obſtinatus eſt in eo, ut nemini quicquam largiatur.

De avaritia diſſerere incipit, quae, *omnium malorum radix*, in ſacris litteris nominatur, *quae* (ut ait Salluſtius) *fidem, probitatem, ceteraſque artes bonas ſubvertit*, &c. Eam ait inſanabilem eſſe: non enim ſanatur copia, & affluentia rerum. Recte enim Solon: πλούτου δ' οὐδὲν πέρας ἀφανὲς ἀνθρώποισι κεῖται. Οἱ γὰρ νῦν ἐμοῦ πλεῖ-

τὸν ἔχειν βλέπει, ἀπληστίαν ἐπάγουσαν. Et Juvenalis: *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.* Et Horat. epiſt. 2. lib. 2. *Si tibi nulla ſitim finiret copia lymphae, Narrares medicis, quod quanto, plura paraſti, Tanto plura cupis, nullinc fateriet audes, &c.* ex dicto Ariſtippi Plutarch. περὶ φιλοπλουτίας. Et idem: *Semper avarus eget.* Ut enim iis, qui aqua inter cutem laborant, *Quo plus ſunt potae, plus ſitiuntur aquae:* ita avari, quo plus habent, eo plus concupiſcunt. De quo idem Horatius: *Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops*, &c. Itaque dici poteſt Pluto: τὸ φάρμακόν σου τὸν πλοῦτον μᾶλλον ἀνιᾷ. Ὅσον δὲ τὸ ὕδωρ τοῦτο, τί δεῖ πίειν.

Καὶ τὸ μικρῷ ἐπὶ πολλῷ] Suſpicabar legendum, ἢ ἐπὶ μικρῷ, ἢ ἐπὶ πολλῷ: nunc video, ita & veterem Interpretem legere. Igitur ſive parvo, ſive magno foenore pecuniam ſuam locet aliquis, ſordidus, & turpis lucri cupidus habendus eſt.

c. 11. Δόξειε δ' ἂν ἀκόλουθον εἶναι τῇ περὶ μεγαλοπρεπείας] Id eſt, videtur autem ſequi, ut de magnificentia breviter diſſeramus. nam haec quoque videtur virtus quaedam eſſe, quae in pecuniis cernitur. Non tamen, ut liberalitas, ad quaslibet actiones, in quibus pecunia intercedit, pertinet: ſed ad ea tantum, in quibus magni faciendi ſunt ſumptus. Ut enim ipſo Graeco nomine indicatur, decorus ſumptus eſt in rebus magnis.

Περὶ τὰς δαπάνας] Forte, τὰς δαπανηρὰς, praecipue cum addat, ἐν τούτοις.

Nullius virtutis opera aut ſplendidiora, aut ſolidiora, & potentiora ad propagandam memoriam ſui, quam magnificentiae, videntur. Illa enim templa, theatra, baſilicae, arcus, aquaeductus, porticus, thermae, fornices, pyramides, obeliſci, columnae, quarum ruinas, fragmenta, veſtigia, quae temporis edacitati, & barbarorum, atque immanium gentium effrenato furori ſuperfuerunt, tot ſaeculis poſt, per hanc urbem magna cum admiratione ſpectamus, nihil nobis aliud loquuntur, quam veteres illos Romanos, ut aliis virtutibus, ita magnificentia, longe ceteris omnibus populis, ac gentibus praeſtitiſſe. De qua virtute antequam explicare ingrediar ea, quae ab Ariſtotele diſputata ſunt, pauca dicam neceſſe eſt de quaeſtione quadam, magnis olim inter homines

doctissimos contentionibus agitata. Quaesitum est enim, *sine magnificentia certa quaedam virtus distincta tum a ceteris, tum a liberalitate, an potius pars quaedam liberalitatis, quae sub ea, tanquam sub aliquo genere, contineatur.* Ac ii quidem, quibus placet, eam esse partem quandam liberalitatis, his fere argumentis moventur. Primum, quod eadem utrique materia proposita sit; utraque enim versatur in usu pecuniarum. Deinde, quod Aristoteles ipse aperte ait, liberalitatem quidem late patere, ac pertinere ad omnes actiones, in quibus pecunia intercedit: magnificentiam autem non: sed ad aliquas tantum, nimirum ad eas, quae magnos sumptus requirunt. Si ergo liberalitas ad omnes pertinet, magnificentia ad aliquas tantum, quam rationem habet genus ad speciem, eandem videtur liberalitas ad magnificentiam obtinere. Tertio, quod idem Aristoteles ait, omnem quidem magnificum necessario esse liberalem, sed non contra. id autem tale videtur, ut cum dicimus, omnem temperantiam esse virtutem, sed non contra: aut omnem hominem esse animal, sed non contra. Quarto, quod quamvis liberalitas in parvis, aut mediocribus sumptibus, magnificentia autem in magnis versari, cernique dicatur, tamen id satis non est, ut specie differant. Majus enim & minus, ut vulgo in scholis loqui solemus, non constituunt diversam speciem, quod facile multis exemplis ostendi potest. Postremo, quodsi in usu pecuniae duas virtutes esse statuimus, distinctas & separatas, unam in parva; mediocrive pecunia, alteram in magna: eadem ratione duas virtutes in voluptatibus constituere oportebit, in parvis, & moderatis unam, alteram in magnis, & vehementibus: & unam in parvis periculis, alteram in magnis: quae si absurda sunt, ut unam temperantiam in omnibus voluptatibus, unam fortitudinem in omnibus periculis, ita in omni usu pecuniarum, unam versari liberalitatem necesse est, sed ejus eam partem, quae in magnis sumptibus honesti, & decori rationem habet, proprio quodam nomine magnificentiam vocari.

Quae cum ita sint, mihi tamen hoc tempore probabilior eorum sententia videtur, qui eas duas esse virtutes existimant, magna quidem inter se, tanquam affinitate devinctas, sed distinctas tamen, ac separatas. Primum, quod

quod Aristoteles ipse de eis separatim disseruit, neque usquam docuit, magnificentiam esse partem liberalitatis. Deinde, quodsi magnificentia esset pars liberalitatis, sequeretur, ut ea quoque vitia, quorum in medio sita magnificentia est, partes essent eorum, quae liberalitati adversantur, ita ut βαναυσία esset pars effusionis, μικροπρέπεια autem avaritiae. quod tamen a vero abhorrere, satis e sequentibus intelligetur. Habent omnino inter se magna similitudinem, sed tamen qui acuti, perspicacesque sunt, earum inter se discrimen facile, ut spero, suis locis videbunt. Tertio, quod quarum virtutum fines diversi sunt (de proximis, ac propriis cujusque finibus loquor. scio enim, communem omnium virtutum esse honestatem) eas quoque diversas esse oportet. At alium sibi finem proponit magnificus, alium liberalis. Nam liberalis quidem hoc unum spectat, ut prosit, atque opituletur iis singulis, quos & egere, & dignos esse, qui subleventur, videt. At magnificus, ut ipsum nomen indicat, magnitudinem, amplitudinem, pulchritudinem, splendorem, admirabilitatem operum sibi proponit, & aut iis elaborat in rebus, quae neque privatim, neque publice prosunt, sed tantum ad ornamentum, & pulchritudinem civitatis pertinent, aut utiles sunt non huic, aut illi, sed publice: aut, etiam si cui proprie prodest, non tamen in agendo illius commodum spectat, sed eo tantum dirigit omnia, ut opibus suis aliquid amplum, memorabile, illustre, & in suo quodque genere singulare perficiat. Postremo, ut multa liberaliter fiunt, in quibus tamen nulla inest magnificentia, ita multa fiunt magnificentissime, in quibus nihil loci liberalitas habet. Divus Augustus moriens gloriatus est, *se urbem marmoream relinquere, quam lateritiam accepisset.* Qui si ea in re honestatem secutus est, quod equidem de eo facile adducor, ut putem, vere magnificus fuit. Num igitur illum eo nomine, ut liberalem commendabimus? Aliis quidem rebus fieri potest, ut liberalis fuerit: neque ego ei liberalitatis laudem adimo, neque id nunc agitur: sed in urbe magnificis aedificiis exornanda, nulla liberalitas fuit. Nisi forte illud audiendum, atque accipiendum putamus, quod saepe a quibusdam dicitur, qui, cum neque magnifici sunt, neque liberales, utramque tamen laudem falso

sibi vendicare conantur. Infinita, inquiunt, vis est in urbe hominum egentium, fossorum, fabrorum, architectorum, ceterorumque id genus artificum, qui, nisi nos aedificaremus, esurirent. Nonne igitur liberales sumus, cum eis alioqui cessaturis, & esurituris damus, ubi se exerceant, & alios egerenda, alios aggerenda humo, alios caedenda materia, alios lapidibus convehendis, caedendis, complanandis, quadrandis, collocandis, alios metandis, ac describendis aedificiis, alios denique aliis rebus ita occupatos tenemus, ut interea lucrentur, unde sibi, unde uxoribus, unde parvis liberis, unde parentibus aetate fessis ea, quae ad victum necessaria sunt, suppeditent. Mitto nunc id, quod verissime respondere possem, totam illam orationem vanitatis, & mendacii plenissimam esse: nihil enim facilius est, quam docere istos, cum, ut ait Horatius, *diruunt, aedificant, mutant quadrata rotundis*, nihil minus spectare, aut cogitare, quam ut egenos homines in opere contineant, & pascant; id tantum habere propositum, ut animum suum expleant, eique obsequantur. Sed hoc, ut dixi, omitto. illud ajo, si maxime haec essent, aut, etiam si isti vere essent magnifici, & in illis substructionibus suis nihil aliud, quam amplitudinem, & honestatem spectarent, liberales tamen propterea non fore. Non enim qui alii reddit, quod debet, sed qui de suo aliquid dat, liberalis est: neque qui eum, cujus operam conduxit, debita mercede non fraudat, munificus est, sed qui fraudat, injustus. Nam mercedem persolvere, & quasi mutuum reddere, ut non in eo faciendo benignitas sit; sed in non faciendo injustitia, & crudelitas. Liberam esse liberalitatem, nomen ipsum indicio est; ita ut id tantum liberaliter dari dicatur, quod liberum est, etiam non dare. At operarum merces, si leges, & judicia valent, etiam ab invito exigi potest. Nihil igitur vetat, quin actio aliqua magnifica sit, quae tamen liberalitatis laude careat. Ac videte, ne quis forte vestrum secus hoc accipiat, quam a me dicitur. Non enim dico fieri posse, ut magnificus sit aliquis, qui non sit liberalis; quod si dicerem, Aristoteli ipsi adversarer; sed actionem aliquam posse esse magnificam, quae tamen nihil pertineat ad liberalitatem. Theatrum Marcelli, theatrum Augusti, templum illud pulcher-

cherrimum a M. Agrippa conditum, quod etiam hodie ntuentes admiramur, arx Hadriani, thermae Diocletiani, partim fuerunt, partim etiam ſunt ejusmodi opera, ut eorum magnificentiam neque qui non viderit, mente concipere, neque qui viderit, verbis exprimere poſſe videatur. At in eis nihil ſibi vendicare liberalitas poteſt. Oportebat autem, ſi magnificentia liberalitatis pars eſſet, nullum poſſe eſſe opus magnificum a liberalitate ſejunctum. Sunt igitur hae duae virtutes vicinae quidem, & cohaerentes inter ſe, ſed tamen duae, quarum & utraque alteri propinqua eſt, & neutra tamen ſub altera continetur.

Neque vero difficile eſt, ad ea, quae ſuperius adverſus hanc ſententiam allata ſunt, reſpondere. Primum enim, non ſi utraque in pecuniis verſatur, continuo efficitur, aut eandem eſſe, aut alteram ſub altera contineri. Nam ea ratio ne in artibus quidem valet. Conſideratur corpus a geometra, conſideratur & a phyſico; ſed ab hoc, ut mobile eſt, ab illo ut quantum eſt, utque infinite dividi poteſt. Et politicus hominem conſiderat, & medicus; ſed hic, quatenus & bene valere poteſt, & aegrotare: ille quatenus ad ſocietatem civilem aptus eſt, & felicitatis, ac miſeriae capax. Sic pecuniam tractat, & liberalis, & magnificus; ſed ille ut inſtrumentum benigne faciendi iis, qui & egent, & indigni ſunt, qui egeant: hic ut inſtrumentum ad perficienda magna, & clara opera, & quorum memoria in omnem poſteritatem duratura videatur. Quod autem afferebatur ex Ariſtotele, liberalitatem ad omnes actiones, in quibus pecunia intercedit, pertinere, id ita intelligendum eſt, & in acquirenda, & in accipienda, & in conſervanda, & in donanda, & in conſumenda pecunia conſiſtere & liberalitatem, & vitia, quae cum ea pugnant. ſaepe enim diximus, qua in re cernitur aliqua virtus, in eadem cerni & vitia, quae illi adverſantur. Quare & in accipienda pecunia, quaerendave, poteſt aliquis eſſe avarus, ſi, unde, aut quomodo eam paret, nihil penſi habeat: & prodigus, ſi eam ne honeſtis quidem artibus parare, aut unde honeſtum eſt, accipere velit, & liberalis, ſi modum teneat. Eadem dici poſſunt in ratione conſervandae, donandaeve pecuniae, & ſumptuum faciendorum. Sunt

Digitized by Google

[illegible] haec eaque genera [illegible] in donis tantum; & in sumptibus certis [illegible] quibuslibet, sed magnis, & ad quos ne [illegible] quidem liberalitas. Vere enim Aristoteles hoc [illegible], cum [illegible], & [illegible]. Praetereaque alium finem sibi liberalitas, alium magnificentia proponit, ut jam diximus, tum illud alterum, quod asserebatur ex Aristotele, omnem magnificum esse necessario liberalem, sed non contra, cum eo ventum erit, explicabitur a nobis; ita ut omnes intellecturi sint, nullo modo ex eo effici, ut liberalitas eandem rationem habeat ad magnificentiam, quam ad speciem genus. Quartum argumentum ita demum aliquid concluderet, si nihil aliud inter has virtutes interesset; sed docuimus, inter fines ipsos interesse. Ne postremum quidem quicquam necessario efficit: non enim temperans est, qui leves, & exiguas voluptates contemnens, a magnis, & vehementibus auferri se sinit, neque fortis, qui levia pericula despicit, gravia reformidat: at liberalis etiam in parvae pecuniae usu cerni potest, cum magnificus nisi in magnis opibus elucere non possit.

Positum sit igitur, magnificentiam esse virtutem quandam per se, & a liberalitate distinctam. Nunc quid Aristoteles de ea disserat, audiamus.

Τὸ δ' μεγαλο- [illegible] Ut latius docetur in Categoriis. Magnus igitur dicetur sumptus, habita ratione ejus, a quo fit, & rei, in qua fit.

Τελειότερον, ἢ ἀρχιτριηρῶ] Imo vero major sumptus faciendus est τῷ τελειοτέρῳ. Legem tulerat Solon, ut quotannis deligerentur trecenti ex populo opulentissimi, qui ea munera publica obirent, in quibus maximi sumptus necesario faciendi erant. Hi trierarchi vocabantur, quod triremes ad patriae defensionem, gerendumve bellum omnibus rebus necessariis, & hominibus instructas, privatis sumptibus totum illum annum habere cogerentur. Quia vero evenire poterat, ut qui cuiplam e civibus incommodare, eumque ad paupertatem redigere vellent, cum suffragiis suis trierarchum crearent (ita enim quidam senex apud Aristophanem alii minans inducitur: [illegible]), ita huic rei occurrerat Solon. Quicun-

Digitized by Google

cunque creatus erat ex trecentis, si alios opulentiores praeteritos esse existimabat, poterat, quemcunque volebat, e civibus in judicium vocare, ab eoque petere, ut aut ipse munus illud susciperet, aut secum bona omnia permutaret. Qui autem provocatus erat, alterutrum facere cogebatur. Haec omnia constant ex orationibus Isocratis περὶ ἀντιδόσεως. Demosth. κατὰ Μειδίου, περὶ ἀντιδόσεως, περὶ δ' ἐπιτελουμένων, περὶ τῶν στεφάνων τῆς τελουμένης θεωροὶ autem dicebantur, tum qui mittebantur publice ad oraculum, aut ad panegyrin aliquam, tum qui sacra publica curabant, tum qui praeerant ludis, & spectaculis. Horum princeps ἀρχιθέωρος dicebatur. Cum his habebant quiddam simile Romae aediles curules.

Ἐν ᾧ, ᾗ περὶ ἃ] Aspasius legit ἐν ᾧ ἃ, ait haec duo, ἐν πραγμάτῳ, dicta esse ἐν ᾧ ᾗ περὶ ὁ. cui assentior.

Πολλάκις δ' ὅσιον ἀλίτῃ] Ulyxis apud Homerum verba sunt, Odyss. ε. Καὶ γάρ ἐγὼ πολλ' οἶδα κακὰ κατὰ μοῖραν ἀνῆκα, Ὅλῳ ἐφ' ἁρμῷ, ᾗ πολλάκις ὅσσα ἀλίτῃ Τόφρ', ὅπόθι μοι ἔτι καὶ ἄπυ κεχρημένος ἔλθοι. Ἀλίτησι Cicero vocat in Philippicis eos *qui vagam inopemque vitam persequuntur*.

Ὁ μὲν γὰρ μεγαλοπρεπὴς] In Topicis docetur, cui inest quod majus est, in eo etiam inesse quod minus. quare qui maximos sumptus facit honestatis causa, quod est magnificentiae, multo magis exiguos, aut mediocres faciet, quod est liberalitatis, non tamen contra. Et annota, posse aliquem unam virtutem habere, qui non omnes alias habeat, cum tamen Aristoteles credatur auctor esse illius sententiae, quam postea tantopere adamarunt Stoici, non posse unam virtutem habere, qui non habeat omnes. Sed hac de re disputandum erit lib. 6. Sunt autem quidam, qui, quod in aedificando, & in luxuriosis conviviis ingentem vim pecuniarum consumunt, vulgo persuadere conantur, se magnificos esse, & quamvis in ceteris rebus, ita sunt avari, ac tenaces, ut non tantum bonos viros, & honestarum artium cognitione praestantes egere patiantur, verum etiam multis persolvere nolunt ea, quae debent: tamen putant, a se facere hunc Aristotelis locum, &, quantum in se est, conantur hominibus oculos eruere, atque efficere, ut quos avarissimos vident, eos liberales esse fateantur. Quicunque magnificus est, inquiunt, liberalis est. sit ita sane. Nos magnifi-

Digitized by Google

ci sumus.] Qua tandem re id ostenditis? Multum aedificamus, & mensam quotidie plurimis, & exquisitissimis epularum generibus oneramus. Quid ex eo? Liberales igitur sumus. Vos vero liberalitatem ne pictam quidem unquam vidistis. Quod ni ita est, dicite, quantum quotannis in homines eruditos, in eos, qui nullo suo vitio paupères facti sunt, in adolescentes studiosos, quorum studiis sola paupertas impedimento est, fovendos, ornandos, adjuvandos insumatis. Producite aliquos, a quibus virtutis, aut doctrinae nomine paupertas vestris beneficiis depulsa sit. Proferte diaria vestra: inspiciamus, quantum his nominibus expensum ferre possitis. sin horum nihil, neque fecistis unquam, neque facturi estis, patimini eam, qua usi estis, argumentationem paulo aliter conformatam in vos retorqueri. Quicunque magnificus est, liberalis est. Vos liberales non estis: igitur ne magnifici quidem. Illae autem insanae substructiones; illae saliares mensae, ad ostentandas opes vestras, & ad inanem quandam popularis gloriae sitim diriguntur. De honestate ne per somnium quidem unquam cogitastis. Non quicunque multum aedificat, magnificus est. Sunt viva, & spirantia exempla, ex quibus intelligi possit, nihil prohibere, quin iidem & maximi aedificatores sint, & maximi bonorum omnium extortores, legum omnium contortores. Graecum proverbium est: Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι. Ita multi sumptuosi sunt, pauci magnifici.

Τῆς τοιαύτης δ' ἕξεως.] Neque μικροπρέπεια, neque βαναυσία Latine nominari potest. Quare pluribus verbis utriusque vis explicanda est. Sunt igitur μικροπρεπεῖς, qui suscipiunt quidem, & aggrediuntur res magnas, & illustres, sed sumptus, pro earum magnitudine non faciunt, lenti, cunctatores, procrastinatores, semper verentes, ne nimium magnam vim pecuniae consumant, magisque solliciti de minuendo sumptu, quam de augenda operis dignitate. Differunt autem ab avaris, quod avari talia ne aggrediuntur quidem. Dicti autem videntur, quod saepe μικροῦ τινος ἕνεκα τὸ πρέπον τῶν ἔργων ἀπολλύουσι.

Βάναυσοι sunt sordidi opifices, ii proprie, qui ad caminum opera sua elaborant. Βαῦνος enim *caminus* est: αὔω, *uro*. Et hoc nomen videtur expressisse Horatius, cum di-

dixit, *dum graves Cyclopum Vulcanus ardens urit officinas.* Significavit enim, Deum illum esse βάναυσον, ἅτε ἐν ταῖς βαναύσοις τὰς κυκλώπων. Quoniam autem ejusmodi homines, si quando volunt, aut magnificum aliquod convivium exstruere, aut aliquid aliud suscipere, in quo magni faciendi sint sumptus, quia judicio carent, & in talibus rebus inexercitati sunt, consumunt quidem magnam vim pecuniæ, sed sine ullo judicio, ita ut plurimum insumant in res nihili, omittant autem ea, quæ præcipue procuranda erant: iccirco omnes, qui idem faciunt, βάναυσοι vocantur. Iidem vocantur ἀπαίδευτοι, quod non teneant, quid sit in sumptu faciendo vere pulchrum, quid contra leve, ac nugatorium.

Καὶ ἔστιν τοιοῦτος] ἕξις ἡ κρείττων.

Βαδιουργήματος] jactantes, ostentantesque se, & inanem splendoris speciem captantes.

Οὗτος γὰρ ὁ λόγος ἐστίν] Cujus disputationis in principio, aut ubi hoc omnino in superioribus dixerit, non sane memini. Sunt etiam libri veteres, in quibus pro ὁ λόγος legatur ἡ ἀγωγή. Ac mihi de talibus locis nonnunquam venit in mentem subvereri, ne mutila in his libris multa sint, quæ non advertuntur, dum satis esse credimus, quoquo modo sententiam eruere, aut exprimere potius, & exorquere ex iis, quæ scripta reperimus. Quod quidem hic traditur, videtur habere hanc sententiam. Habitum omnem definite cognosci ex iis actionibus, quas edit, & ex iis rebus, in quibus versatur.

Αἱ δὲ μεγαλοπρεπεῖς] Non refero articulum αἱ, ad nomen δαπάναι, ut ceteri omnes faciunt, sed ad id, quod antecessit ἐνέργειαι, ut significet, proprias magnifici ἐνεργείας esse sumptus magnos, & decoros.

Ἡ γὰρ ἐπιστροφή] Ut in regia Solis apud Ovidium: *Materiam superabat opus.*

Καὶ ἐν ἅπασι τὸ πρέπον] Hoc est, facile, cum quadam ad largiendum facilitate, prolixe.

Ἡ δὲ ἀνελευθερία μικροψυχία] Id est, anguſti, & pusilli animi est. τὸ ἀνελεύθερον ἔχει πρὸς μικροψυχίαν, ᾗ ἐπὶ τὸ συμβολαίων, ᾗ ἐπὶ τὸ λόγων. ad finem primi minoris τὸ μετὰ τὸ φανερόν.

Περὶ ταῦτα τῶν] Puto legendum, περὶ ταῦτα δή, & mecum facit Bernard. Felicianus.

Θεοὶ ἔχουσι] Pindar. 1. ode olymp. Ἀρχὰν ἀνδρὶ μάλιστα κυδαίνει θεὸς, &c.

Καὶ ἐν ἱερὰ ἔργα πολλὰ ἐπίστασαι] Heus περισσότατα, puto, redundat. ut enim dixit, Δεινὸν ἀνθρώπου ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἐλθεῖν, ἐὰν μὴ τὰ τῶν θεῶν μόνα θεραπεύῃ. Ἱερὰ ἔργα.

Τὰ περὶ τοὺς θεοὺς ἀναθήματα] Distinguendum est post vocem θεοὺς. neque enim satis emendate dicetur, τὰ ἀναθήματα τὰ περὶ τοὺς θεοὺς, sed τὰ περὶ τοὺς θεοὺς. Vocat omnia, quae ad Deos colendos pertinent; deinde enumerat tria eorum genera. ἀναθήματα, κατασκευάς, ἐνθήκας. ἀναθήματα dicuntur ea, quae Deo dicantur, atque ita reponuntur in templis, ut ab omnibus hominis, ac profanis usibus penitus abdicentur. Latini ἀναθήματα dicunt ponere, aut suspendere, quod talia plerumque ex trabibus, aut extrodis, aut e parietibus templorum suspendantur. Tibul. *Et quodcunque mihi pomum novus educat annus, Libatum agricolae ponitur ante Deos.* Horatius: *Vixi puellis nuper idoneus*, &c. Idem: *Me tabula sacer votiva*, &c. *Suspendisse potenti Vestimenta maris Deo.* Virgilius: *Et tibi multa sacra pendebit, fistula, pinus.* Talia igitur vocabantur ἀναθήματα. Nam ἀνάθεμα quidem nusquam legi, nisi in sacris litteris. Interdum etiam *pensiles*, & *vasilitae* vocantur ἀναθήματα. Plutarchus in Catone Uticen. ἐκ τῶν καλλίστων περὶ βασιλεῖς πρώτων ἀναθημάτων καὶ κειμηλίων.

Κατασκευάς] Aretinus pro ἀναθήματα, κατασκευὰς videtur legisse ἀναθήματα, ἢ τὰ σκεύη, aut ἀναθήματα σκεύη, quod si reciperemus, interpretaremur lebetas, tripodas, pateras, aliaque vasa sacris ministeriis dicata. sed eam scripturam non probamus, accipimusque κατασκευὰς constructiones templorum, & talium. Nonnunquam tamen κατασκευὴ significat etiam supellectilem, & vasa. Ἐνθῆκαι autem sunt sacrificia, sive, ut veteres Latini loquebantur, *supplicia*, & hecatombae.

Περὶ πᾶν τὸ δαιμόνιον] Id est, ad omnem cultum deorum, & quaecunque in remp. honestae gloriae studio conferuntur.

Χορηγῶν] Id est, *ludos facere*, aut *praebere*. quid sit χορηγεῖν, docet Libanius in argum. orationis κατὰ Μειδίου.

Ἐπιδείκνυται μὲν οὖν ὁ ἀνὴρ ὁ ἐν τοῖς παροῦσι] Exemplum peti potest ex Plutarch. de Themistocle & Cimone. non enim vi-

Digitized by Google

videbantur tam magni sumptus decere Themistoclem, qui non erat ortus tam nobili genere.

Ἢ ὧν αὐτοῖς] Aut per eos, quos ipsi aliqua necessitudine attingunt. Argyropylus videtur legisse, εὐθὺς αὐτοῖς.

Τὰ τοιαῦτα] Lambinus, & D. Thomas, exponunt *tales opes*. ego malo sequi Aspasium, & Acciaiolum, qui exponunt, *talia opera*, *tales sumptus*. Docet igitur, eos, qui aut ipsi jam talia quaedam fecerint, aut ipsorum majores, aut propinqui, liberales esse debere. non enim oportet eos degenerare aut a se ipsis, aut a suis.

Ξένων] Non quoslibet hospites intelligit, sed magnos, & potentes, ut reges, & dynastas, qui quoquo veniunt magna pompa, magnoque & splendido apparatu publice excipi advenientes, & abeuntes deduci solent.

Καὶ δωρεὰς, καὶ ἀντιδωρεὰς] Hoc quoque ad hospitalia munera pertinet. solebant enim & qui veniebant ad aliquem hospitem adventu suo ei dona quaedam offerre, & ii, qui a se hospites dimittebant, aliis quibusdam eos remunerari. Exempla apud Homerum, & Virgil. crebra sunt. sic Menelaus Odyss. Δ. Telemachum alloquens, Καὶ τέτι, inquit, σ' οὐ πέμψω, &c. Et, Telemacho illa dona sibi inutilia fore dicente, aliis eum prosequitur. Sic & apud eundem Phaeaces abeuntem Ulyssem & deducunt splendide, & pulcherrimis muneribus donant. Apud Virgilium autem Aeneas ad Didonem veniens, cum arcessi Ascanium jussisset, *Munera praeterea* &c. Et in 3. Helenus, cum discessurum Aeneam multa monuisset, *Dona dehinc auro* &c. Et in 7. Ilioneus ad regem Latinum ab Aenea missus orator, *Dat tibi praeterea*, inquit, &c. Neque minus regiae Latini ἀντιδωρεὰ, *Omnibus ex templo* &c.

Τοῖς ἀναθήμασιν] ἔστι γὰρ ἡ φιλίου, ἢ ξενίου Διὸς ὡσανεὶ ἀναθήματα.

Μεγαλοτρεπῶς δὲ καὶ οἶκον] Cicer. 1. de off. *Et quoniam omnia prosequimur* &c.

Κατασκευάσασθαι] Non tantum ad aedificium pertinet, verum etiam ad instrumentum domesticum & supellectilem. eam enim Graeci κατασκευὴν vocant.

Καὶ ἐπὶ] Lego ἐπεὶ, ut & Felicianus, pendet autem oratio, usque ad illum locum διὰ τοῦτο.

Βραβεῖσας] De his plura dicentur lib. 8. Cetera partim sa-

satis aperta sunt, partim diligenter, & accurate ab Aspasio exponuntur.

Καὶ ἐπὶ τῶ ἀκινήτῳ] Felicianus legit ἐπὶ. recte omnino. at Argyropylus ἐν, quod non placet.

c. III. Ἡ δὲ μεγαλοψυχία] Μεγαλοψυχίαν possumus verbum de verbo *magnanimitatem* interpretari. ea enim voce Cicero in iis, quae extant, semel usus est, in extremo primo de officiis. Saepius tamen *magnitudinem*, aut *altitudinem*, aut *excelsitatem animi* dicit, aut *magnum animum*, & *excelsum*. Aristoteles 2. ἀρετῶν μεγαλοψυχίαν subindicat, duas esse species μεγαλοψυχίας, unam ὡς τῶν μάλιστα ἀνδρικῶν ὀνομαζομένων, quomodo magnanimos fuisse dicimus Alcibiadem, Achillem, Ajacem. Alteram δὲ τῶν ἀδιαφόρως ἐχόντων ἀνδρικῶν, qualis fuit in Lysandro, & Socrate. Sed illa prior magis ex populari consuetudine, quam ex veritate, hoc nomine affici videtur: posterior pars quaedam ejus virtutis, de qua hic disseritur. Haec autem virtus vix videtur tota in hominem Christianum convenire, quem semper summisse de se, & abjecte sentire oportet, ut scriptum est, *cum omnia feceritis, dicite, vos servos inutiles esse*. quaedam tamen magnanimi conditiones, quae ab Aristotele proponuntur, mirifice in hominem Christianum conveniunt, ut e sequentibus intelligetis.

Διὸ καὶ ὁ μεγαλόψυχος οὐκ ἂν, ὁ μεγάλων αὑτὸν ἀξιῶν] Ut Socrates se dignum judicavit, qui aleretur in Prytaneo: qui honos Olympionicis tribuebatur, maximusque habebatur. ut Iphicrates, cujus sunt illa, ex oratione de statua, sibi ab Atheniensibus posita, adversus Harmodium: *ut quisque virtute praestat, ita nobilissimus habendus est*, &c. quae scripsi lib. 8. var. lection. cap 22.

Ὁ δὲ μετρίως ἑαυτὸν ἀξιῶν, ἢ τοῖς ἀξίοις ταῦτα ἀξιῶν σώφρων] Σώφρων hic est, *moderatus*, *modestus*. Sic Plato in Rivalibus dixit hoc praecepto γνῶθι σαυτὸν, praecipi σωφρονεῖν ἢ δεδιέναι, & σωφρονίζειν est *castigare* & *compescere*.

Ἐν μεγάθει δὲ ὁ μεγαλόψυχος] Τὸ δὲ σμικρὸν οὐ μεγάθει, ἢ πλήθει, ait ὁ τῆς περὶ ποιητικῆς, quem locum omnino vide, & in primo Politicorum, τὸ σμικρὸν οὐ παιδὶ ἢ μεγάθει φησὶν εἶναι γίνεσθαι.

Κενῶν] Inde est *cavum*, quod solidum non est, sed inane, ut, *Cave sub robore condunt*. Et: *Nox atra ca-*

ve

circumvolat umbra. Et: *Ne doceat volitare cava sub imagine formas.* Et: *Ille cavum conversa cuspide montem.* Inde etiam *vanum*, quod idem est, detracta prima littera, & duabus sequentibus per metathesin transpositis. Quare χαῦνος interpretatur *vanos & inanes homines*, & χαυότητα *inanitatem*, aut *vanitatem*. Horatius: *Inanes hoc juvat.* Persius: *O quantum est in rebus inane!* Cic. in Bruto. *Nihil est in me inane* (id est, χαῦνον) *neque enim debet*, &c. Sallustius: *Huic homini non minor inerat vanitas, quam audacia.* Sic Livius: *vanum ingenium*, χαῦνον. Tacitus in vita Agricolae: *Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus.* & lib. 1. de Libone Druso: *Improvidum juvenem, & inanibus laetum.*

Παρασείσαντι] Victorius cap. 2. lib. 22. *dimissis manibus.* Plautus in Epidico, Noster de progressu animantium: ᾗ οἱ μὲν πάντα πάντα μέση, παρασείοντες τὰς χεῖρας. Machon, apud Athenaeum lib. 6. ἵνα μὴ παρασείων, ᾗ μακρὸν ἀκόντιον ὁδὸν βαδίζων τὰς γνάθους διαρίφῃς.

Τοῖς ἀγαθοῖς] τῷ ἀγαθῷ vetus interp. legit.

c. v. Περὶτης δ' ἐστὶ] Dicturo περὶ πραότητος, prius περὶ ὀργῆς disputandum videtur. Tenebo autem hunc ordinem, ut primum dicam, quid sit ira. Secundo, quam foeda, turpisque sit. Tertio, quam late pateat. Quarto, quibus de causis excitetur. Quinto, quam multorum malorum causa sit. Sexto, sitne tollenda, an moderanda. Septimo docebo, idem videri Stoicos, & Peripateticos dicere, sed non eodem modo. Postremo proponam aliquot remedia adversus iram.

I. Quid est ira? Non tractabo hoc loco finitionem illam physicorum, qui ajunt, *Iram esse fervorem sanguinis circa cor*, sed sequar eam, quae convenientior est huic instituto, dicamque, *Iram esse cupiditatem ultionis.* Utraque traditur ab Aristotele primo περὶ ψυχῆς. At lib. 2. Rhet. iram ita definit: ἔστι δὴ ἡ ὀργὴ ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης, διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ τῶν εἰς αὐτῶν τινα μὴ προσηκόντως. Cicero: *Ira est libido puniendi ejus, qui videatur laesisse injuria.* Stoici: ὀργὴ εἶναι ἐπιθυμίαν τιμωρίας τοῦ δοκοῦντος ἀδικεῖσθαι, ἢ προσηκόντως.

II. De illius deformitate ita Seneca: *Ut autem scias, insanos esse* &c. Ut igitur Hippocrates ait, gravissimum

esse

esse
scian
pore
tur.
omni
tis,
liberi
tribu
deniq
& in
si qu



aut mulo, quo vehebatur, quam saepe cani, aut feli, aut praetervolantibus muscis. Itaque dictum Socratis, *An si equus, aut mulus me calce percussisset, ei irasceret?* non in omnes valet. Quid? non saepe scripturi, aut calamo irascimur, aut atramento? Xerxes dicitur mare iratus verberasse, & compedes, quasi eis Neptunum vincire posset, in aquam demisisse. Misit etiam ad montem Athonem litteras, quibus ei, si se impediret, minabatur: Ἄθω βαρύθων ὀργισθήσομαι, μὴ ποιῆσαι ἑωυτὸν ὄρεος λίθους μεγάλους, καὶ ὑπερφερέας. εἰ δὲ μὴ, εἰς θάλασσαν ῥίψω σεωυτὸν, εἰς τὸν Θερμαῖον. Iratus Jovi Caligula clamabat: ἢ μ' ἀνάσεται, ἢ ἐγὼ σε, & Εἰ πάτερ, ἦτις σεῖο θεῶν ἀλεείνω ἀνώγει, Obsidente Tyrum Alexandro, Tyrii Apollini Deo suo irati, simulacrum illius aurea catena devinxere, aramque Herculis, cujus numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi illo Deo Apollinem retenturi. Curtius lib. 4.

IV. Διττὰ τὰ μάλιστα τῆς ὀργῆς, τὸ μὲν ἐπὶς, τὸ δὲ ἀπὸς. τὸ ἐπὶς πρόχειρον, ἢ κρίσις. ut qui sunt calidi, & sicci naturâ, & bilioſi, facile irascuntur, & ebrii, & qui esuriunt, aut sitiunt, aut diu vigilarunt, ἢ ἀθύμως, ut pueri, mulieres, senes, aegroti, convalescentes, τὸ ἦθος, quod maximam vim habet. Horat. *animum rege, qui, nisi paret, Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catenis.* Τὸ ἐπὶς σῆλα, opinio injuriae. Aristoteles lib. 5. *Opinione injustitiae ira commovetur*, opinio contemptus. Καὶ τὸ ἄλλως συμβαίνον ἐπῖναι μᾶλλον ἢ σπεύδοντας, ἢ ὡς βουλομένους, ut qui currere vult, irascitur equo tardo, qui dormire, muscis, qui legere, libro minutioribus litteris scripto.

Et

Et Plutarch. Δεῖ δὲ μανίας &c. Nero qui se canente discederent, aut dormitarent, in eos erat implacabilis. Alexander, quod erat gloriae cupidus, cum legerentur illa Homerica, Ζεῦ πάτερ, ἠὲ σὺ Τυδέος υἱόν, ἢ αὐτὸν Διομήδεα κελαινεφὲς Μενελάου. *Occidissem*, inquit, *&c.* non adulantes sibi Clitum, & Callisthenem interfecit.

V. Ira plurimorum, & gravissimorum malorum causa est. Horat. *Irae Thyestem exitio gravi Stravere*, &c. Seneca cap. 2. lib. 1. de Ira: *Jam vero, si effectus ejus*, &c.

VI. VII. De sexto & septimo jam in libro secundo disserui.

VIII. Remedia vero haec esse poterunt. Socrates speculum esse dicebat. Ac sane monet quemque aspectus sui.

Primo, Exemplum in Minerva abjiciente tibias neminem fugit. Sed qui potest eo animo in speculum inspicere, jam non videtur iratus.

Secundo, Utilius est, quam saepissime de irae turpitudine, cum placato animo fumus, cogitare.

Tertio, Considerare levitatem causarum. Seneca: *Frivolis turbamur* &c.

Quarto, Num quid ipsi quoque tale fecerimus, aut iterum possimus facere.

Quinto, Fugere occasiones. Augustus vasa vitrea comminui jussit. Fugiendi, qui incitare nos ad iram possint. Vide de Coelio oratore apud Senec. lib. 1. de Ira, cap. 8.

Sexto, Mora. Consilium ab Athenodoro philosopho ipsi Augusto datum, de Alphabeto Graeco. Est autem turpe, non posse rationem in nobis, quod in stultissimis valet mora.

Septimo, Considerare, quam saepe utilius sit, dissimulare, quam ulcisci, nec est semper verum illud, *veterem ferendo injuriam irritas novam.*

Octavo, Exempla magnorum virorum, & sapientum sententiae. Exempla. Catoni causam agenti Lentulus in os, mediamque frontem, quantum potuit, attracta pingui saliva, inspuit. Plutarchus. Democharis parrhesiastes Philippo. Senec. lib. 3. de Ira cap. 23. Tum Philippus, *ite*, inquit, *annuntiate Athenienſibus, multo*

su-

Digitized by Google

superbiores esse, qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt. Antigonus ducibus, militibus, manipularibus: *Longe discedite, ne vos rex audiat.* Idem: *maledicite Antigono, sed bene precamini ei, qui vos audivit.* Caesar Catullo ignovit, Augustus Timageni. Lycurgus, qualis in eum extiterit, qui oculum ipsi effoderat, narrat Plutarchus. Sententiae, ut Philemon: Ὡς οὐδὲν ἥδιον, οὐδὲ μυσικώτερον &c. Euripides: Δεινὸν λεγόντων θατέρου θυμουμένου, Ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις, σοφώτερος. Menander: Ἅπανθ' ὃς ὀργιζόμενος ἄνθρωπος ποιεῖ, Ταῦθ' ὕστερον λάβοις ἂν ἐμαρτυμένα. & similia, quae passim occurrunt.

ARI-

ARISTOTELIS
ETHICORUM
AD NICOMACHUM
LIBER QUINTUS,
IN QUO
DE JUSTITIA ET JURE ACCURATISSIME
DISPUTATUR,
M. ANTONIO MURETO
INTERPRETE.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANTONIUS MURETUS

AUDITORIBUS SUIS.

Cum hunc Aristotelis librum vobis explicaturus esſem, multis de causſis mihi faciendum putavi, ut eum prius Latine a me converſum ederem. primum, quoniam etſi in ceteris libris explicandis conatus eram efficere, ut ne ii quidem qui Graecarum litterarum rudes ſunt, aditum ſibi ad me audiendum peregrinitate ſermonis occluſum eſſe quererentur, non obſcuris tamen multorum ſermonibus aures meae quotidie verberabantur, conquerentium, crebro illa vocum Graecarum interjectu retardari intelligentiam ſuam: planiora ſibi multo, & expeditiora omnia fore, ſi Latine dicerentur. horum igitur ſtudio aliquid tribuendum eſſe duxi. deinde, ſubmoleſtum ipſi mihi nonnunquam erat, verum ut fatear, tantum quotidie operae ac temporis in reddendis ſingulis vocibus ponere: ut mihi quoque ſatius videretur, ſemel illo labore defungi. Nam cum ſingulae diſputationes noſtrae in unius horae curriculum concludantur, ex eoque ipſo aliquid ſaepe multis occaſionibus delibetur, ac detrahatur, adhibenda parcimonia eſt, videndumque omni ſtudio, ut id ſaltem quod datur, quam poſſumus optime & utiliſſime collocetur. Jam e tam brevi tempore non multum poteſt tractandis rebus reliqui, ſi aliquid ex eo ſingula verba decerpant. Praecipue autem hic liber propter mirificam quandam rerum ac ſententiarum ſubtilitatem poſtulare quodammodo videbatur, ut, quo liberiores animi noſtri totos ſe ad eas penitus cognaſcendas darent, illa altera pars laboris & vobis, & mihi demeretur. Fuere & aliae hujus meae conſilii cauſſae, quas nihil neceſſe habeo pluribus perſequi. Dedi autem operam, quantum quidem in me fuit, ut Ariſtotelis non ſententiam modo exprimerem, ſed genus ipſum dicendi,

quoad liceret, imitarer. Nam cum suo quisque modo, & loquatur, & scribat, aliosque angusta, pressa, concisa, alios ampla, copiosa, redundans delectet oratio: non satis probo consilium eorum, qui, cum Aristoteles siccitatem quandam tenuitatemque dicendi, contra Cicero copiam & ubertatem adamaverit, neque quicquam tam dissimile sit, quam eorum inter se dicendi genus, Aristotelem tamen interpretantes, quia se, quam possunt Ciceronis simillimos esse cupiunt, quae ab illo & breviter, & subobscure dicta sunt, ea hujus more dilatant, atque diducunt. Sed suum cuique, ut dicitur. Ego an, quod volui, assecutus sim, nescio, aut potius id non assecutum esse me, scio: certe quidem, quod in hoc genere optimum est, id me secutum esse, ac propositum habuisse confido. Neque damno industriam eorum, qui aut ante me, aut post me (si quidem jam duodecim anni sunt, cum hujus libri interpretatio mea primum edita est) in his rebus Latine tractandis elaborarunt: quorum etiam quidam auxilio ad eam rem meo usos esse se, non diffitentur. Neque tantum, ut ille dixit, posterior dies prioris discipulus est, sed etiam magister. Multa aliter olim accipiebam, aliter hodie accipio: Graecos etiam libros multo pluribus locis depravatos esse video, quam tunc arbitrabar. Itaque necesse est, multa longe secus in eorum interpretationibus, quam in meo, legi. De quibus non intelligentes modo, sed etiam eos, qui sibi tales videntur, quorum omnis aetas magnam copiam extulit, judicaturos esse prospicio. Horum ego neque alteros rejicio, neque alteros extimesco. est ejusdem ingenii, & eruditorum admonitiones amare, & indoctorum maledicta contemnere. Ubi, & cur a ceteris dissenserim, vos quidem quotidie ex me ipso, ceteri autem ex commentario, quem, cum primum licebit, edituri sumus, intelligent. Romae. Kal. Martii, Anno MDLXV.

ARI-

Digitized by Google

ARISTOTELIS ETHICORUM

AD NICOMACHUM

LIBER QUINTUS,

M. ANTONIO MURETO

INTERPRETE.

C. I. DE justitia autem & injustitia quaerendum est: tum cujusmodi in actionibus sitae sint, tum cujusmodi mediocritas, justitia, & jus quarum rerum medium sit. In his autem rebus exquirendis eandem viam rationemque teneamus, quam in superioribus secuti sumus. Videmus igitur, omnes justitiae nomine ejusmodi quendam habitum significare velle, quo homines propensi sunt ad agenda quae justa sunt, quoque ea & agunt, & volunt. eodemque modo injustitiam dicere habitum, quo res injustas & agunt, & volunt. Quocirca nobis quoque principio posita sint haec ad naturam utriusque adumbrandam. neque enim eodem modo se res habet in scientiis facultatibusque & in habitibus: nam facultas quidem & scientia videtur eadem contrariorum esse: at non idem habitus contrariorum. exempli causa, a bona valetudine ea tantum efficiuntur quae ipsi convenientia sunt, non etiam quae contraria. Dicimus enim valenter ambulare aliquem, cum ita ambulat, ut is qui bene valet. Saepe igitur contrarii quidem habitus ex contrario, saepe etiam ipsorum habituum ex rebus quae eis subjectae sunt cognitio capitur. Nam etsi bona corporis habitudo nota sit, mala quoque nota sit: (*) & ex bene habitis corporibus bona corporis habitudo, ex ipsaque vicissim bene habita corpora. Si enim bona habitudo est carnis soliditas: malam, esse carnis raritatem necesse est, & bene habitum id, quod habet

(*) Muretus in exemplo Aldino, quod Editor Veronensis a Jo. Bapt. Recanato habuit, corrigit, *fit.*

habet vim efficiendae soliditatis in carne. consequitur autem plerumque, si altera pluribus modis dicantur, ut & altera quoque. Ut si justum, etiam injustum. Videtur autem multis modis dici justitia & injustitia. Sed quia propinqua est homonymia ipsarum, latet: neque ita, ut in iis, quae longe distant, perspicua est. magna enim est formae dissimilitudo, ut constat clein vocari homonymos & jugulum, & clavim. Sumptum igitur ac positum sit, quot modis dicatur injustus. Videtur autem injustus esse, & is qui legi non paret, & is qui plus sibi sumit quam par est, neque conservat aequalitatem. Unde constat, justum quoque fore tum eum qui legi obtemperat, tum eum qui conservat aequalitatem. Quare justum quidem est tum id quod lege praescribitur, tum id quod aequale est: injustum autem tum id quod adversum legem committitur, tum quod inaequale est. Quando igitur injustus pluris quam par est, avidus est, in bonis haec ipsius affectio cernetur: non tamen in quibuslibet: sed in iis demum in quibus prospera adversaque fortuna, quae sunt illa quidem semper simpliciter, & absolute bona: sed huic aut illi non semper. Homines autem ea & optant, & persequuntur. at non ita oportet, sed optare quidem, ut ea quae simpliciter bona sunt, sibi quoque bona sint: sequi autem ea, quae sibi bona sunt. At injustus non semper id quod plus est sequitur, sed & id quod minus, in iis quae simpliciter sunt mala. Verum quoniam videtur & minus malum quodammodo bonum esse: pluris autem cupiditatem in bono dicimus, propterea videtur tum quoque pluris cupidus esse. est autem iniquus (hoc enim complectitur, & commune est) & contra legem facit. Quando autem qui contra legem facit, injustus est, qui vero ei obtemperat, justus: perspicuum est, omnia legitima justa quodammodo esse. nam & ea quae a scientia legum ferendarum definita sunt, legitima sunt, & eorum unumquodque justum esse dicimus. Leges autem omnibus de rebus publice loquuntur, spectantes aut id quod communiter omnibus utile est, aut id quod optimatibus, iisve qui principatum in civitate obtinent, seu propter virtutem, seu quo alio tali modo. Quare uno quidem modo justa ea dicimus, quae ad felicitatem ejusque partes civili societati conficiendas ac conservandas valent. Imperat autem lex & ea facere

quae

quae ſunt fortis viri, ut non deſerere ordinem, neque fugere, neque abjicere arma; & quae temperantis, ut non facere adulterium, neque alienae pudicitiae illudere; & quae manſueti, ut non percutere, neque maledicere: itidemque in ceteris virtutibus ac vitiis illa quidem jubens, haec autem prohibens: recte quidem ea quae recte poſita eſt, deterius autem ea quae temere inconſiderateque lata. Haec igitur juſtitia eſt illa quidem perfecta virtus, non tamen ſimpliciter, ſed ad alium relata. Ideoque ſaepiſſime juſtitia virtutum praeſtantiſſima videtur; ac neque heſperus, neque lucifer ita admirabilis eſſe. Et in proverbio eſt, Juſtitia in ſe ſe virtutem amplectitur omnem. & eo maxime perfecta virtus, quoniam perfectae virtutis uſus eſt. perfecta autem eſt, quoniam, qui ea praeditus eſt, etiam in alium virtute uti poteſt, non tantum ipſe ſecum. Multi enim ſuis quidem in rebus virtute uti queunt, in iis autem quae ad alium pertinent, non queunt. & propterea recte a Biante dictum videtur, Magiſtratus virum patefaciet. nam qui magiſtratum gerit, alium jam ſpectat, & in vitae communione verſatur. Atque ob eam ipſam cauſam juſtitia una ex virtutibus alienum eſſe bonum videtur; quoniam ad alium pertinet. ea enim agit, quae alii utilia ſunt, ut principi, aut communi. (*) Ergo peſſimus quidem ille eſt, qui improbitate, & in ſe ipſum, & in amicos; optimus autem, non qui in ſe ipſum, ſed qui erga alium virtute utitur. id enim difficile eſt. Haec igitur juſtitia non pars virtutis, ſed tota virtus eſt: nec quae ei adverſatur injuſtitia, pars vitioſitatis, ſed tota vitioſitas. Quid autem virtus, & haec juſtitia inter ſe differant, conſtat ex iis quae diximus. eſt enim eadem quidem, ſed non eadem utriusque ratio: nam qua ratione ad aliam pertinet, juſtitia eſt; qua talis quidam habitus eſt, ſimpliciter virtus.

c. 11. Quaerimus autem eam juſtitiam quae pars virtutis eſt: eſt enim quaedam, ut dicimus, itidemque de injuſtitia ea, quae pars eſt vitioſitatis. Eſſe autem, id argumento eſt, quod qui agit aliquid eorum quae ad cetera vitia pertinent, injuſte ille quidem facit, ſed nihil amplius conſequitur. Ut is qui clypeum per ignaviam

(*) Mureto in marg. libri ſui addit, aut ſocio.

abjecit, aut asperitate ductus est ad maledicendum, aut illiberalitate, ne pecunia juvaret alium, retardatus. cum autem plus aliquid consequitur, saepe nullo tali vitio peccat, at ne omnibus quidem, & aliquo tamen. vituperamus enim eum: idque injustitiae nomine. Est igitur alia quaedam injustitia, ut pars quaedam totius: & injustum quoddam, pars illius totius injusti, quo quicquid contra legem fit continetur. Praeterea si duorum unus quidem lucri causa cum aliena uxore rem habeat, & insuper aliquid mercedis accipiat: alter autem id faciat cum sumptu ac detrimento suo, ut cupiditatem expleat, hic quidem intemperans potius, quam pluris avidus, esse videatur; ille autem injustus, sed non intemperans. constat autem id ex eo evenire, quod lucrum facit. Praeterea omnia alia injuste facta referimus semper ad aliquod vitium: ut si quis adulterium fecit, ad intemperantiam; si eum qui sibi proximus erat in acie, deseruit, ad timiditatem; si percusit, ad iram. at si lucrum fecit, ad nullum vitium, praeterquam ad injustitiam. Unde constat, praeter totam illam injustitiam, aliam quandam esse illius partem synonymam, quoniam utriusque definitio in eodem genere est: ambarum enim vis est in quadam relatione ad alium. sed haec quidem in honore, aut pecuniis, aut salute, aut si quo uno nomine possimus haec omnia complecti, cernitur, & in ea voluptate quae capitur ex lucro; illa vero in ils omnibus in quibus versatur vir bonus. Non unam igitur esse justitiam; & esse aliam quandam, praeter eam quae tota virtus est, constat. quae autem ea, & cujusmodi sit, intelligendum est. Duobus modis injustum dici ostendimus: tum quicquid contra legem fit, tum quod ab aequalitate discedit: itemque justum & quicquid ex lege fit, & quod aequale est. Cum igitur injustum priori illo modo accipimus, tum ea, de qua prius dictum est, injustitia exsistit. Quoniam autem ab aequalitate discedere, & contra legem facere non est idem: sed eorum alterum habet eam rationem, quam pars ad totum: (nam facit quidem contra legem quicunque ab aequalitate discedit: sed non quicunque contra legem facit, ab aequalitate discedit) fit etiam, ut injustum, & injustitia non eadem sint, sed alia ab illis: sintque haec quidem ut partes; illa vero, ut tota. Pars enim est haec injustitia totius injustitiae: eo-

eodemque modo haec juſtitia illius juſtitiae. Quare de ea juſtitia & injuſtitia, quae partium rationem obtinent, itemque de juſto & injuſto dicendum eſt. Ergo juſtitia illa quidem, quae per totam virtutem pertinet, & injuſtitia, quarum illa omnis virtutis, haec omnis vitii erga alium uſus eſt, omittatur. nam & quae ex eis juſta injuſtaque ſunt, quomodo definienda ſint, conſtant. Fere enim pleraque eorum quae praeſcribuntur legibus, ſunt ea officia, quae ex omni virtute ducuntur. Unicuique enim virtuti convenienter vivere jubet lex: unumquodque otium ſequi vetat. Totius autem virtutis efficientia ſunt ea praecepta legum, quibus diſciplina civium ea quae rempublicam ſpectat, ad eamque dirigitur, continetur. Sed de privata cujusque diſciplina, qua quis ſimpliciter & abſolute vir bonus eſt, utrum ad civilem facultatem, an ad aliam quandam pertineat, poſterius disputandum erit. Non enim fortaſſis idem eſt bonum virum eſſe, & bonum civem quocunque in loco. Juſtitiae autem illius quae virtutis eſt pars, & ejus quod ex ea juſtum dicitur, unum quidem genus eſt, quod cernitur in diſtribuendo honore, aut pecuniis, aliisve rebus quae dividi poſſunt inter eos qui ejusdem reipublicae communione conjuncti ſunt. In iis enim fieri poteſt, & ut alter altero plus minusve, & ut aequam utrique partem ferat, alterum quo negotia quae inter ſe contrahunt homines diriguntur. Hujus autem partes ſunt duae. Nam eorum quae inter ſe homines contrahunt, quaedam ſponte fiunt, quaedam invite. Sponte quidem, quae talia ſunt, ut venditio, emptio, mutuum, fidejuſſio, commodatum, depoſitum, locatio & conductio. Sponte autem fieri dicuntur, quoniam talium negotiorum principium, ſponte inſtituitur. Eorum autem quae fiunt invite partim clandeſtina ſunt, ut furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, ſervi alieni circumventio, aut corruptio, per inſidias allata nex, falſum teſtimonium; partim violenta, ut verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio, maledictum, contumelia.

c. III. Quando autem & injuſtus inaequalis eſt, & injuſtum inaequale, conſtat eſſe & medium aliquod inaequalis. (*) id autem eſt aequale. Quacunque enim in actio-

(*) Muretus in marg. reponit, *injuſti.*

actione est plus & minus, est & aequale. Si igitur injustum inaequale est, justum aequale esse oportet. quod & videtur omnibus, etiam si ratio, cur ita sit, non afferatur. Cum autem aequale medium sit, justum quoque medium quoddam erit. est autem aequale quod minimum sit, in duobus. quare necesse est, justum, quod & medium, & aequale est, & ad aliquid referri, & aliquibus tale esse. Ac, qua quidem medium est, quorundam est, ea vero sunt plus, & minus: qua autem aequale est, in duobus cernitur: qua denique (*) justum, & quibusdam, & ad alios relatum. Necesse igitur est, justum, quod minimum sit, in quatuor versari. Nam & quibus justum est, duo sunt; & ea in quibus, duo. Eademque erit aequalitas, & iis quibus, & in iis quibus. ut enim altera inter se affecta sunt, sic & altera. Si enim aequales non sint, aequalia non habebunt. immo vero inde exsistunt pugnae, & expostulationes, cum aut qui aequales sunt, non aequalia, aut qui non aequales, aequalia ferunt, & ex distributione consequuntur. Praeterea ex eo quod pro dignitate sit, idem aperte colligitur. Omnes enim fateantur (†) in distributionibus, id quod justum est, pro dignitate esse oportere. Ipsam tamen dignitatem non eadem in re omnes collocant. Sed ii quidem qui popularem statum reipublicae probant, in libertate; qui paucorum potentiam, in divitiis, aut in nobilitate; qui optimatum, in virtute. est igitur justum analogum quiddam. analogum enim non tantum proprium est numeri monadici, sed omnino, numeri. analogia enim est aequalitas proportionum: idque quod minimum sit, in quatuor. ac dijunctam quidem in quatuor esse, manifesto appareret. sed & continens. uno enim ut duobus utitur, & bis dicit. exempli causa, ut prima ad secundam, sic secunda ad tertiam. bis igitur dicta est secunda. Itaque si bis ponatur secunda, quatuor erunt analoga. est autem, & justum, quod minimum sit, in quatuor: & eadem ratio. distant enim similiter quibus & quae. erit igitur, ut primum extremum ad secundum, sic tertium ad quartum. & vicissim igitur, ut primum ad tertium, sic

(*) Muretus in marg. delet verba, *qua denique justum, & quibusdam, & ad alios relatum.*

(†) Muretus in marg. *fatentur.*

Digitized by Google

ſic ſecundum ad quartum. Itaque, & totum ad totum, quod quidem diſtributio copulat. ac ſi quidem ſic componantur, juſte copulat. copulatio igitur primi extremi cum tertio, & ſecundi cum quarto, eſt jus illud, quod in diſtributione verſatur, ac medium. analogum enim medium eſt. jus autem analogum. Vocant autem mathematici talem analogian geometricam. in geometria enim evenit, ut & totum ad totum eandem rationem habeat, quam utraque pars ad alteram. Non eſt autem continens haec analogia. non enim fieri hic poteſt, ut idem numero ſit extremum, cui & quod. Jus igitur hoc analogum eſt: injuſtum autem, quod non eſt analogum. eſt autem alterum plus, alterum minus. quod quidem evenit etiam in rebus ipſis. Nam qui injuriam facit, plus boni conſequitur: qui accepit, minus. in malo autem contra. nam minus malum, comparatum ad majus, boni rationem obtinet. eſt enim minus malum magis expetendum majori. expetendum eſt autem bonum, & magis, majus. Hoc igitur unum juris genus eſt.

c. IV. Reliquum eſt alterum, in corrigendo ſitum: cui locus eſt in iis, quae homines inter ſe tum ſponte, tum inviti contrahunt. Hujus autem juris alia quaedam ratio eſt, quam ſuperioris. Nam illud quod in rerum communium diſtributione poſitum eſt, ſemper retinet eam quam diximus analogian. Etenim ſi communis pecunia diſtribuenda ſit, eadem proportio ſervanda erit, quam inter ſe habent ea quae a quoque illata ſunt. & injuſtum illud quod huic juri adverſatur, eſt, quod non retinet proportionem. Hoc autem jus quod in contrahendis negotiis ſitum eſt, aequale quidem eſt quiddam, & injuſtum, inaequale. non enim ad illam tamen analogiam, ſed ad arithmeticam. nihil enim refert, vir bonus hominem nihili, an homo nihili virum bonum fraudaverit: neque adulterium fecerit vir bonus, an is, qui nulli rei eſt. Sed in ipſam tantum damni differentiam intuetur lex: utiturque iis ut aequalibus: ſi ille quidem injuriam facit, hic autem injuria afficitur: & ſi ille quidem laeſit, hic autem laeſus eſt. Itaque injuſtum illud, cum inaequale ſit, ad aequalitatem perducere conatur. ſi quidem, & cum hic percuſſus eſt, ille percuſſit, aut etiam interfecit, hic autem mortuus eſt, diviſa eſt perpeſſio, & actio in partes inaequales. at conatur eam damno ad aequalitatem perducere,

do

de lucro detrahens. Dicitur enim proprie loquendo etiam in ejusmodi rebus (quanquam quibusdam satis proprium, & ad eam rem aptum nomen non videtur) lucrum, ut in eo qui percussit, & damnum in eo qui percussus est. sed tum demum cum dimensa est perpessio, vocatur alterum quidem damnum, alterum autem lucrum. Itaque pluris, & minoris aequale medium est. lucrum autem & damnum alterum plus est, alterum minus, contrarie. boni quidem plus, & mali minus, lucrum: contrarium autem, damnum. Inter quae medium est aequale, quod justum esse dicimus. Ergo jus quidem id quod corrigendi vim habet, medium est inter damnum, & lucrum. quocirca cum aliqua de re ambigunt, ac controversantur, ad judicem confugiunt. Ire autem ad judicem est, ad jus ipsum ire. Judex enim, si hoc nomen tueri, ac sustinere vult, est quasi jus animatum. & quaerunt judicem medium. ac vocant eos nonnulli medianos. ut, si medium assequantur, jus suum assecuturi. Jus igitur medium quiddam est: si quidem, & judex. Judex autem exaequat: & ut, si linea in partes inaequales divisa sit, quo major pars dimidiam superat, id aufert, & addit ad minorem partem. cum autem bifariam divisum est totum, tunc ajunt se suum habere, cum aequas partes acceperunt. aequale autem medium est majoris & minoris ad analogiam arithmeticam. atque ob id jus a Graecis dicitur dicaeon, quoniam est, dicha, id est, duas in partes aequales divisum. ut si quis dicat dichaon, (*) & ab iisdem judex vocatur dicastes, quasi dichastes Si enim duorum aequalium ab altero ablatum aliquid sit, & additum ad alterum, fit ut duobus tantis majus sit alterum. si enim detractum modo esset, non autem additum, uno tantum majus esset: medio igitur majus est, uno, & medium eo a quo ablatum est, uno. haec igitur nobis nota erit ad cognoscendum, quid tum auferre oporteat ab eo, qui plus habet, tum addere ei qui minus. quo enim quis medium superat, hoc addere oportet ei qui minus habet: quo autem medium superatur, id auferendum a maximo. Sint tres lineae inter se aequales AA BB CC. ex linea AA detrahatur pars AE, & addatur ad CC, sit-

que

(*) Muretus in marg. divisit sic, dicha on

que CD. Ita tota linea DCC lineam EA ſuperat parte CD & parte CF. ergo, & lineam BB parte CD.



Tralata autem ſunt haec nomina damnum, & lucrum ex eo quod ſponte contrahitur. nam habere plus ſuo, lucrum facere dicitur. minus autem quam principio, damno affici, ut in venditione, & emptione, aliisque quae per legem fieri poſſunt. quod ſi neque plus, neque minus, ſed ipſa ex ſe ipſis effecta ſint, ſua ſe habere ajunt, ac neque damnum, neque lucrum facere. Itaque lucri cujusdam, & damni medium eſt jus in iis, quae non ſponte contrahuntur: quod tantundem habeat uterque contrahentium poſterius, quantum prius habuerat.

c. v. Videtur autem quibusdam antipeponthos, id eſt, talio, ſive reciproca quaedam perpeſſio, jus eſſe ſimpliciter, & abſolute, ut Pythagorei dixerunt: definiebant enim ſimpliciter jus talionem. talio autem neque ad id jus, quod in diſtribuendo, neque ad id, quod in corrigendo ſitum eſt, accommodari poteſt. quanquam volunt Rhadamanthyos quoque id jus fuiſſe, Tum fuerit lex recta, ferat ſi quisque quod egit. multis enim locis conſonum non eſt. Ut ſi quis magiſtratum habens percuſſit alium, non oportet eum viciſſim percuti. & ſi quis magiſtratum percuſſit, non percuti modo eum oportet, ſed & puniri. Praeterea multum intereſt id, quod ſponte fit, & quod invite. ſed in communitatibus rerum ultro citroque permutandarum id jus, quod talio dicitur, continet ſocietatem analogia, non autem aequalitate. Factis enim proportione reciprocis manet conjunctio civitatis. Aut enim quaerunt, quod ſibi mali factum eſt reponere: ſin minus, ſervitus eſſe videtur: aut quod boni: ſin minus, tollitur officiorum viciſſitudo. officiorum autem viciſſitudine fit, ut una maneant. quocirca, & Gratiarum templum in propatulo ſtatuunt, ut ſit remuneratio. Id enim gratiae proprium eſt. viciſſim enim officio aliquo demereri oportet eum qui gratificatus eſt, & ipſum denuo aliud gratificandi principium facere. efficit autem remunerationem analogiae conſentaneam conjunctio per diametrum. verbi

bi causſa, ſit architectus ubi A, ſutor ubi B, domus ubi C, calceus ubi D.

a	b
architectus	ſutor
c	d
domus	calceus

Oportet igitur architectum a ſutore opus illius accipere, & viciſſim ei ſuum dare. Ergo ſi primum exaequata fuerint haec ad analogiam, deinde fiat antipeponthos, id eſt mutua acceptio, erit quod dicitur: ſin minus, non aequum eſt, neque conſiſtere poteſt. nihil enim prohibet praeſtantius eſſe unius opus opere alterius: oportet igitur haec exaequari. hoc autem locum habet etiam in aliis artibus. tollantur enim funditus, niſi & is qui facit, faciat tantum & tale, & is qui accipit, accipiat hoc, & tantum, & tale. non enim ex duobus medicis conſtat ſocietas, ſed ex medico & agricola, omninoque aliis, & non aequalibus. ſed eos exaequari oportet. quare oportet omnia, quorum permutatio eſt, quodammodo comparabilia eſſe, cujus rei cauſa numus in uſum venit: qui quodammodo menſura efficitur omnium rerum. omnia enim metitur. Ergo, & quanto quaeque res pluris minorisve ſit: & quot calcei domum, aut alimentum adaequent. Oportet igitur quam rationem habet architectus ad ſutorem, tot calceos cum domo aut alimento comparari. niſi enim id fiat, non erit permutatio, neque communitas. id autem non erit, niſi quodammodo aequalia ſint. quare oportet unam aliquam eſſe communem omnium rerum menſuram, ut prius dictum eſt. ea autem eſt re vera quidem indigentia, quae omnia continet: ſi enim nullius rei indigeant: aut non ſimiliter, aut non erit permutatio, aut non eadem. Succeſſit autem numus quaſi compacto in indigentiae locum: ob idque vocatur nomiſma, quod non natura, ſed nomo, id eſt, lege, valet, & in nobis eſt mutare eum, atque inutilem efficere. erit autem mutua illa acceptio, cum exaequata erunt omnia, ut quam rationem habet agricola ad ſutorem, eandem habeat opus ſutoris ad opus agricolae. In figuram autem analogiae ducendi ſunt, cum permutatuſi erunt.

Digitized by Google

erunt. alioqui alterum (*) extremum utramque exsuperantiam habebit. sed cum sua habent, sic tamen sunt aequales, & ad communitatem apti: quoniam haec aequalitas in ipsis effici potest.

agricola	sutor
a	b
alimentum	opus sutoris adaequatum cum alimento
c	d

Sublata autem hac accipiendi vicissitudine, tolleretur vitae communio. Indigentia autem contineri societatem hominum, ac si unum quiddam sit, ex eo intelligi potest, quod cum aut uterque, aut alter altero non indiget, non permutant: ut cum ejus, quod quis habet, alter indiget, verbi causa, vini, exportandi frumenti sit potestas. hoc igitur exaequari oportet. In permutationem autem futuram si nunc non indiget, fore eam, si indiguerit, nobis quasi sponsor est numus. Oportet enim, hunc ferenti licere id quo eget accipere. Idem autem accidit etiam numo. neque enim semper tantundem valet. stabilior tamen videtur esse. Quare oportet esse omnibus rebus pretia constituta. Ita enim semper erit permutatio, & quae eam consequitur, communicatio. Numus igitur symmetra omnia efficiens, adaequat. Neque enim communicatio sine permutatione, neque permutatio sine aequalitate, neque aequalitas, sine symmetria esse potest. Re vera igitur ea, quae tantopere distant, symmetra fieri non queunt, sed quantum ad usum satis est, queunt. Unum igitur aliquid esse oportet, idque hominum instituto, unde & nomisma vocatur. Id enim omnia efficit symmetra, cum omnia metiatur. Sit domus pretium quinque minae. lecti autem mina una: lectus igitur ipsius domus quinta pars erit. Quare constat, quot lecti domum exaequent: nempe quinque. Hanc autem ante numi usum fuisse rationem permutandi, perspicuum est. nihil interest enim, denturne lecti quinque pro una domo, an quanti sunt lecti quinque. Quid igitur justum injustumque sit, & mutua illa perpessio, quae antipeponthos dicitur, quemadmodum ad justum

(*) Marcus in marg. pro *alterum* scripsit *utrumque*.

ſtum, affecta ſit, dictum eſt. His autem definitis, conſtat, juſtam actionem faciendae & accipiendae injuriae mediam eſſe. alterum enim eſt plus habere, alterum minus. Juſtitia autem mediocritas eſt, non eodem modo, quo virtutes illae, de quibus antea diſputavimus, ſed quia medii eſt, injuſtitia autem extremorum. Et juſtitia quidem eſt habitus, ex quo dicitur propenſus ad conſulto agendum id quod juſtum eſt, & ad jus tribuendum tum ſibi, ſi cum altero contrahat, tum alteri cum altero contrahenti, non ita, ut ſibi plus ejus quod expetendum eſt, minus autem alteri, & ejus quod noxium eſt, contra, ſed & ſibi, & aliis id quod ad analogiam aequum eſt. Contra injuſtitia ad id quod injuſtum eſt. Id autem eſt nimium, & parum commodi & damni non ſervata proportione. Itaque injuſtitia eſt nimium & parum: quia eſt & ejus quod nimium eſt, & ejus quod parum. In ſua quidem cauſa nimium ſibi tribuens ejus, quod ſimpliciter utile eſt, ejus quod noxium eſt, parum. in aliorum autem negotio, generaliter quidem, eodem modo: diſcedit autem a proportione nunc in hanc, nunc in illam partem. Injuriae autem minus extremum eſt injuriam accipere: majus injuriam facere. De juſtitia igitur & injuſtitia, quae utriusque natura ſit, itemque de juſto & injuſto, hoc modo a nobis univerſe diſputatum ſit.

C. VI. Quando autem fieri poteſt, ut quis injuſtum quiddam faciat, neque dum tamen injuſtus ſit, quaenam ſint illae injuſtae actiones, quas qui ſuſcipit, jam injuſtus eſt in unoquoque injuſtitiae genere, ut fur, aut adulter, aut latro? an ſic quidem nihil intererit (*) nam & fieri poteſt, ut quis cum muliere aliqua rem habeat, ſciens quaenam ea ſit, neque tamen a ſuſcepto ſic agendi conſilio, ſed a libidinis motu actio illa tanquam a principio fluxerit. Ille igitur facit quidem injuſtum quiddam, neque tamen injuſtus eſt: ut neque fur, etſi furatus eſt: neque adulter, etſi adulterium fecit. eodemque modo in ceteris. non eſt autem ignorandum, totam hanc quaeſtionem eſſe de eo jure quod ſimpliciter jus eſt, id eſt, de jure civili. id autem eſt inter eos qui vitae ſocietatem inierunt, ne qua re ad vivendum neceſſaria egerent,

(*) *Inſpicienti autem cur quidque fiat intererit.* Tale quiddam videtur deeſſe. Haec Muretus ſcripſit in marg.

rent, liberi & aequales, aut ad analogiam, aut ad numerum. Itaque quibus hoc non est, eis inter se non est jus civile: sed jus quoddam & tantum ex quadam similitudine ita vocatum. est enim jus inter eos quos inter etiam lex. lex autem inter eos in quibus injustitiae locus est. judicium enim justi & injusti disceptatio est. In quos autem cadit injustitia, ii etiam injuste facere possunt. Id autem est plus sibi tribuere eorum quae simpliciter bona sunt, minus eorum quae simpliciter mala. Quare non hominem imperare sinimus, sed rationem. quoniam sibi ipsi id facit, & efficitur tyrannus. est autem magistratus custos juris. quodsi juris, & aequalitatis. Quoniam autem nihil ex eo videtur amplius consequi, si quidem justus est: neque enim plus sibi tribuit ejus quod simpliciter bonum est, nisi sibi proportione debeatur, ideo alii laborat. ac propter eam causam ajunt justitiam alienum bonum esse: ut & ante dictum est. Danda igitur ei aliqua merces. ea vero honor est & decus. Quicunque autem iis contenti non sunt, hi tyranni fiunt. Jus autem domini in servos, & patris in liberos non idem est atque haec, sed simile. neque enim proprie dicitur injustitia in ea quae sua cujusque sunt. Mancipium autem & filius usque, eo dum adoleverit, sejunctusque sit, tanquam pars patris est. jam nemo est qui laedere se consulto velit. quare nullius in se ipsum justitia est. ergo ne injuria quidem, neque jus civile. lege enim constat, & in iis est qui eam naturam habent, ut inter ipsos communis lex esse possit. Eos autem esse dicebamus, quibus est inter ipsos imperandi & parendi aequalitas. Quare magis cum uxore, quam cum liberis & cum servis, est juris communitas. Id enim est jus oeconomicum: quod tamen ipsum quoque aliud est a civili.

c. VII. Civile autem jus partim naturale est, partim legitimum. Naturale quidem quod ubicunque terrarum idem valet. non quod ita statutum sit, aut secus. legitimum autem, quod a principio quidem nihil interest, sic fiant, an secus: ubi autem constitutum fuerit, interest: ut mina redimi captivus, aut capram Jovi immolare, non oves, & quae praeterea de singulis rebus lege sanciunt. ut Brasidae sacra facere, & quaecunque populi suffragiis scita sunt. Videntur autem quibusdam omnia talia esse, quia quod naturale est, immobile est, & quocunque in

locum eandem vim habet. ut ignis urit & hic & apud Persas. jura autem mutari vident. neque tamen omnino id ita se habet: sed aliqua tantum ex parte. quanquam apud Deos quidem fortasis nulla ex parte ita se habet, apud nos autem est quidem aliquid naturale mobile, non tamen omne, sed nihilo minus aliud natura valet, aliud non natura. Quod autem eorum, quae aliter habere se possunt, naturale sit, quodque non natura, sed lege & consensu hominum valeat, etiam si utraque peraeque mutabilia sint, constat. eademque distinctio etiam ad alias res accommodari poterit. Natura enim dextra manus fortior est: etsi evenire potest, ut omnes homines aeque utraque manu utantur. Ea autem jura quae ex consensu, & quilitate nata sunt, similia sunt mensuris. non enim omnibus in locis aequales sunt vini frumentique mensurae: sed ubi quidem emunt, majores: ubi autem vendunt, minores. Eodem modo quae jura non naturalia, sed humana sunt, non quocunque in loco sunt eadem. quando ne reipublicae quidem status, etsi unus tantum est, omnibus in locis natura optimus. Unumquodque autem jus, & unumquodque legitimum eandem rationem habet, quam universum ad singula. nam ea quidem quae aguntur multa sunt. illorum autem unumquodque unum. universum enim est. Differunt autem injuria & injustum! eademque dicaeoma, id est, juste factum & justum. nam injustum quidem est aut natura, aut lege. id autem ipsum postquam factum est, injuria est: prius autem quam fiat, nondum, sed injustum. Similiter etiam dicaeoma. sed tamen (commune (*) nomen quo quicquid juste factum est vocatur, est potius dicaeopragema; dicaeoma autem proprie est correctio injuriae. Horum autem singula quas quotque species habeant, & cujusmodi versentur in rebus, posterius quaerendum erit.

c. VIII. Cum justa (†) injustaque sint ea quae diximus, tum demum quis injuste agit, & juste, cum ea sponte facit. at cum invitus, neque injuste, neque juste facit, nisi casu & ex consecutione quadam. ea enim agunt, quibus ut justa injustave sint, accidit. injuriam autem & juste factum

(*) Haec Muretus ita mutavit in marg. *Sed tamen quod juste factum est, vocatur potius dicaeopragema.*

(†) Muretus in marg. *Cum autem justa.*

ctum id demum esse definivimus, quod sponte fit. si enim sponte factum sit, tunc demum vituperatur, simulque injuria est. Quare erit quidem aliquid injustum, neque tamen injuria: nisi illud quoque adsit, ut sponte fiat. Sponte autem fieri dico, ut supra dictum est, quod quis eorum quae in sua potestate sita sunt, agit, sciens, neque ignorans, neque quem, neque quo quasi instrumento, neque cujus rei caussa: ut quem verberet, & quo, & quam ob caussam, atque eorum quodque non ex consecutione quadam, neque per vim. ut, si quis apprehensa alicujus manu alium verberet, is, cujus est manus, non agit sponte. neque enim in ipso situm est. Fieri autem potest, ut pater sit is qui percutitur: qui autem percutit, sciat quidem hominem esse, aut esse aliquem eorum qui adsunt, sed patrem esse nesciat. eademque distinctio adhibita intelligatur & in fine, ad quem dirigitur actio, & in tota denique actione. Quod igitur (*) ignoratur, aut non ignoratur quidem, sed in ipso situm non est, imo per vim fit, invite fit. Multa enim eorum etiam quae natura fert, scientes & agimus & patimur, quorum nihil neque sponte nostra, neque nobis invitis fieri dicendum est: quale sunt senescere, aut mori. Ut autem injusta, ita justa quoque multa sunt non proprie ac per se, sed ex quadam tantum consecutione. Nam & si quis invitus ac metu depositum reddat, neque justum facere dicendus est, nisi ex eventu: & eodem modo is qui necessitate subactus atque invitus depositum non reddit, ex eventu tantum dicendus est injuriam inferre, & injustum facere. Eorum autem quae sponte fiunt, partim capto prius consilio facimus; partim non capto, ac capto quidem consilio ea, de quibus prius deliberavimus, non capto autem, cum deliberatio nulla antecesserit. Cum igitur trium generum sint ea damna, quae in societatibus inferuntur: ea quidem, quae cum ignorantia conjuncta sunt, vocamus errata: cum quis neque scit quem, neque quid, neque quo (*) instrumento, neque cujus gratia se quid facere putabat, id evenit, sed quod non putasset,

(*) Muretus in marg. corrigit: *Quod autem.*

(†) Pro verbis, *neque quid, neque quo instrumento &c.* Muretus in marg. reposuit, *neque quo instrumento, neque cujus gratia. Sed id tamen legit quod non putasset.*

Digitized by Google

set. exempli causa, non ut vulneraret, sed ut pungeret: aut non illum, aut non illo modo. Cum igitur praeter opinionem damnum illatum est, infortunium est: cum autem non praeter opinionem quidem, sed tamen sine malitia, erratum. aberrat enim, cum in ipso est principium causae. infortunatus autem est, cum extra. Cum autem sciens quidem, sed nulla antegressa deliberatione, injuria est. ut quaecunque per iram aliosque omnes animi motus necessarios, aut naturales eveniunt hominibus. Nam qui eis impulsi laedunt alium, ac peccant, injuriam illi quidem faciunt: suntque talia facta injuriae, nondum tamen propterea injusti, neque improbi sunt. neque enim damnum est per improbitatem datum. Qui autem capto consilio laedit, injustus est, & improbus. Quocirca bene quae per iram facta sunt non judicantur facta consulto. non enim prior laedit, qui per iram facit, sed qui irascendi causam dedit. Praeterea vero ne ambigitur quidem, factum sit, nec ne sit, sed an jure factum. Ira enim opinione injustitiae commovetur. Neque in iis quae per iram facta sunt in controversiam venit, factum sit, nec ne: ut in contractibus, ubi necesse est alterum improbum esse, nisi obliti id faciant: sed cum de facto inter ipsos conveniat, de jure tota contentio est. At qui consulto, & cogitato aliquid fecit, non ignorat. (*) Quodsi quis capto consilio alium laedat, injuriam facit. & qui tales injurias facit, injustus jam est: cum aut ab analogia discedit, aut ab aequalitate. Itidemque justus est, qui capto ita agendi consilio id quod justum est facit. Ut autem justum aliquid facere dicatur, satis est, si sponte faciat. Jam eorum quae invite fiunt, quaedam venia digna sunt, quaedam non sunt. Nam quaecunque non inscientes tantum, sed etiam per inscientiam peccant homines, ignoscenda sunt: quae autem non per inscientiam, sed inscientes quidem, per aliquam tamen affectionem animi, neque naturalem, neque humanam, ignoscenda non sunt.

c. IX. Quodsi satis jam distincte a nobis accipienda (†) inferendaque injuria disputatum est, dubitare possit ali-

(*) Hic in marg. addit Muretus: *Itaque alter putat se injuriam accipere, alter se injuriam facere non putat.*

(†) Muretus in marg. *do accipienda.*

Digitized by Google

aliquis, primum quidem, ſitne ita, ut dixit Euripides, cujus illud eſt ſane admirabile, & abhorrens ab opinione communi: *Genitricem ut interfecerim, brevi eloquar, Sponte utriusque, aut ipſius, ſed non mea.* Utrum enim re vera fieri poteſt, ut quis ſuapte ſponte accipiat injuriam, an non poteſt? ſed ut quisquis injuriam facit, ſponte facit, ita quicunque accipit, invitus accipit? & numquid, ut omnis injuria ſponte fit, ita de accipienda injuria univerſe alterutrum dicere poſſumus, aut omnem ſponte accipi, aut omnem ab invitis: an quaedam ſponte accipiuntur, quaedam ab invitis? eademque dubitari poſſunt de ratione obtinendi juris ſui. Nam quisquis agit juſte, ſponte agit. quare conſentaneum eſt, eorum, quae utrique opponuntur, ſimilem eſſe rationem: ut aut & ſponte accipiant injuriam homines, & ſponte jus ſuum obtineant, aut utrumque inviti. Sed illud admirabile videri poteſt, ſi quisquis jus ſuum obtinet, ſponte illud obtinere dicatur. ſunt enim quibus jus ſuum non ſane ſua ſponte tribuitur. Nam id quoque dubium eſſe alicui poſſit, utrum quisquis injuſti aliquid perfert, ei fiat injuria: an ut in agendo, ſic in perpetiendo quoque ſe res habeat. In utroque enim poteſt aliquis ex eventu tantum quodam juſti particeps eſſe, ſimilisque injuſti ratio eſt. neque enim idem eſt, injuſtum aliquid facere, & injuriam facere; neque injuſtum aliquid perpeti, & injuriam accipere. idemque dicendum eſt de ratione juſti agendi, & obtinendi jus ſuum. Fieri enim non poteſt, ut quis afficiatur injuria, niſi ſit qui injuriam faciat; neque ut quis jus ſuum obtineat, niſi ſit qui juſte agat. Quodſi injuriam facere nihil aliud eſt, quam ſponte aliquem laedere: ſponte autem laedit, qui ſcit, & quem, & quo, & quomodo: incontinens autem ſponte ipſe ſe laedit: ſequitur, ut & ſponte accipiat injuriam, & ut quis ipſe ſibi injuriam facere poſſit. eſt autem hoc quoque unum ex iis quae in quaeſtionem vocari ſolent, fierine poſſit, ut quis ipſe ſe injuria afficiat. praeterea poteſt quis ſuapte ſponte propter incontinentiam ſuam ab alio laedi, qui ſponte eum laedat: ut ſponte injuriam accipere poſſe videatur. An vero recta non eſt ea, quam ſupra poſuimus, definitio: ſed ad illa, laedere ita, ut ſcias, & quem, & quo, & quomodo, addendum praeterea eſt, praeter ejus qui laeditur voluntatem? laeditur ergo aliquis, & injuſtum

Digitized by Google

aliquid perfert ſumpte ſponte: ſed ſua ſponte injuriam accipit nemo. nemo enim id vult, ne incontinens quidem: ſed praeter voluntatem ſuam agit. neque enim vult quisquam, quod bonum eſſe non cenſet. at incontinens id agit, quod agere non oportere judicat. Qui autem ſua dat; ut Homerus ait Glaucum dediſſe Diomedi aurea pro aereis, quaeque centum bobus aeſtimarentur, pro iis, quae novem, ei nulla fit injuria. In ipſius enim arbitrio eſt dare, injuria autem affici non in ipſo eſt, ſed eſſe oportet qui injuriam faciat. injuriam igitur ſponte quidem non accipi conſtat. Reſtant duo explicanda ex iis; quae propoſuimus: Uter tandem injuriam faciat, isne qui praeter dignitatem plus tribuit, an qui plus habet: & poſſitne quis ſibimet ipſi injuriam facere. nam ſi illud eſt, quod priore loco diximus. facitque injuriam, non qui plus habet, ſed qui tribuit: ſequitur, ut ſi quis ſciens, & ſponte plus alteri, quam ſibi tribuat, injuriam ipſe faciat ſibi, quod quidem moderati homines facere videntur. etenim vir bonus facile de ſuo jure decedit. An ne hoc quidem ſimplex eſt? fieri enim non poteſt, ut alterius boni plus conſequatur, ut gloriae, aut ejus, quod ſimpliciter honeſtum eſt Praeterea diſſolvitur hoc ea, quam tradidimus, faciendae injuriae definitione. nihil enim patitur praeter ſuam voluntatem. Quare injuria non afficitur propterea: ſed, ſi forte, laeditur ſolum. Conſtat autem fieri injuriam ab eo qui diſtribuit, non ſemper ab eo, qui plus habet. neque enim, ut cuique ineſt, quod injuſtum eſt, is injuriam facit: ſed in quo ineſt ſponte id facere: id eſt, unde eſt actionis principium, quod quidem eſt in eo, qui diſtribuit, non in eo qui accipit Praeterea quando facere multis modis dicitur; & quodam modo etiam inanima interficiunt, & manus, & ſervus ejus qui mandavit: haec injuriam quidem non faciunt, etiam ſi res injuſtas faciant. Praeterea ſi quis ignorans judicavit, non facit injuriam, quod ad jus legitimum attinet, neque injuſtum judicium eſt: ſed tamen quodam modo injuſtum Aliud enim eſt jus legitimum, aliud primum. at ſi ſciens judicavit injuſte, plus ipſe quoque conſequitur, dum aut amico gratificatur, aut inimicum ulciſcitur. Ut igitur, ſi quis partem ferret ejus, quod injuſte tribuit, ita is quoque, qui ea in judicando ſecutus eſt, plus habet. Nam, & in illis, qui agrum

agrum adjudicavit, non agrum, ſed pecuniam accepit. Homines autem in ſua poteſtate poſitum eſſe putant injuſte agere: quocirca, & facile eſſe, juſtum eſſe. id autem ſecus eſt. Nam facile quidem eſt, & in ipſis ſitum, cum uxore vicini rem habere, & percutere alterum, & manu pecuniam dare: ſed certo quodam modo affectos haec facere, neque facile eſt, neque in ipſis ſitum. Eodem quoque modo nullam magnam ſapientiam putant eſſe, noſſe quae juſta, quaeque injuſta ſint: quia ea, de quibus loquuntur leges, intelligere difficile non eſt. At ea juſta non ſunt, niſi ex conſecutione: ſed ita demum juſta, ſi certo quodam modo fiant, & certo quodam modo tribuantur. Id autem operoſius eſt, quam quae ſalubria ſunt noſſe. Nam illic quoque mel, & vinum, & elleborum, & uſtionem, & ſectionem facile eſt noſſe: at noſſe quomodo haec ad ſanitatem adhibenda ſint, & cui, & quando, ita difficile eſt, ut medicum eſſe. Ob id autem ipſum etiam juſti hominis eſſe exiſtimant nihilominus injuſte agere. quoniam nihilominus, ac magis etiam, poteſt juſtus eorum unumquodque facere. nam & rem habere cum muliere, & percutere. & vir fortis clypeum abjicere, & in fugam verſus utramlibet in partem currere. At timide agere, & injuſta agere, non haec facere eſt, niſi ex conſecutione: ſed ea facere certo quodam modo affectum. Ut medicare & ſanare, non aut ſecare, aut non ſecare. aut medicamenta adhibere, aut non adhibere eſt, ſed certo quodam modo ea facere. In iis autem jura locum habent, qui participes eſſe poſſunt eorum quae ſimpliciter bona ſunt, quique praeterea eorum & plus minus, quam ſat eſt, conſequi poſſunt. Nam aliis quidem nimium tribui non poteſt, ut fortaſſe diis: aliis autem nulla eorum particula utilis eſt, ut inſanabilibus, & malis: immo eis obſunt omnia. aliis autem usque ad aliquem modum. idque humanum eſt.

c. x. Sequitur, ut de aequitate, & de aequo bono, quam rationem aequitas ad juſtitiam, quam aequum bonum ad jus habeat, diſſeramus. Inſpicientibus enim neque idem omnino, neque aliud genere videtur. Atque interdum quidem id quod aequum bonum eſt, & ejusmodi hominem laudamus. Itaque Graeci nomen epiices, quod nos aequum bonum dicimus, etiam ad

alia quae laudant transferunt, & epiices vocant quod bonum est. & nomine epiicesteron significant aliquid melius esse. Interdum autem rationem sequentibus mirum; atque absurdum videtur, si aequum bonum, cum sit quiddam diversum a jure, laudabile est. aut enim jus non est, aut epiices non est bonum, si aliud est: aut si utrumque bonum est, idem est. Haec igitur fere sunt, quae de aequo bono dubitari solent. Quae omnia quodam modo vere dicuntur, neque inter se dissident. Nam & aequum bonum ita quodam jure melius est, ut ipsum quoque jus sit: neque ita est jure melius, ut sit aliud quoddam genus. Idem igitur & jus est, & aequum. Cumque ambo sint bona, melius est aequum bonum. Inde autem oritur dubitatio, quod aequum bonum, jus quidem est; non tamen jus legitimum, sed legitimi juris correctio. Cujus rei haec causa est, quod lex omnis generalis est. Quibusdam autem de rebus universe, & generaliter recte praecipi non potest. Quibus igitur in rebus generaliter loqui necesse est: id autem recte fieri non potest, accipit lex id, quod plerumque fit, non illa quidem peccati nescia. ac nihilominus recta est. culpa enim non in lege, neque in legislatore, sed in ipsa rei natura est. Jam enim talis est rerum agendarum materia. Cum igitur lex quidem universe loquitur, accidit autem postea aliquid praeter generale illud, tunc rectum est, qua parte praetermisit aliquid legislator, atque aberravit, universe locutus, corrigere quod omissum est: quod & legislator ipse diceret, si praesens adesset, & si scivisset, lege cavisset. Quare jus quidem est, & jure aliquo melius. non tamen jure simpliciter. sed eo peccato quod ex generali sermone natum est. Atque haec est natura aequi boni, correctio legis, qua parte manca est, quia generaliter loquitur. Nam haec causa est, cur non omnia legibus comprehensa sint: quod de quibusdam lex ferri non potest. Quocirca psephismate opus est. Interminatae enim rei interminata est & regula: ut & aedificationis Lesbiae regula plumbea. nam transfertur, & inflectitur ad figuram lapidis, neque eadem manet: quomodo & psephisma ad ea quae aguntur. Quid igitur sit aequum bonum, & quid jus, & quo jure melius, constat. Ex quo perspicuum etiam est, quis sit vir aequus & bonus. qui enim talia consulto sectatur, agitque,

que, neque ſummum jus in deteriorem partem ſequitur, ſed de ſuo concedit, tamen etſi lex a ſe facit, aequus eſt: & habitus ille aequitas, quae juſtitia quaedam eſt, non alius aliquis habitus.

c. XI. Ecquid autem ſibimet ipſi aliquis injuriam facere poſſit, necne poſſit, ex iis, quae diximus, conſtat. Nam eorum, quae juſta ſunt, partim quidem omni virtuti convenientia legibus conſtituta ſunt. exempli cauſſa, lex non jubet, quenquam ſibi mortem conſciſcere; quae autem non jubet, vetat. Praeterea cum quis cui contra legem nocet, neque vicisſim nocet, & ſponte nocet, injuriam ei facit, ſponte autem, qui ſcit, & cui, & quomodo. At qui ſe per iram interficit. ſponte id facit, contra rectam legem, quod lex non ſinit. injuriam igitur facit. at cui? an non ſibi, ſed civitati? ſponte enim patitur, injuria autem ſponte afficitur nemo. Quare etiam eum civitas multat: & ignominia quaedam inuritur ei, qui ſibi necem conſcivit: ut qui civitatem injuria affecerit. Praeterea qua ratione injuſtus eſt is tantum, qui injuriam facit, non qui omnino vitioſus eſt, fieri non poteſt, ut ſe quis injuria afficiat. eſt enim hoc aliud ab illo injuſtitiae genus: quo qui injuſtus eſt, ita vitioſus eſt, ut ignavus: non ut qui omni vitio contaminatus eſt. Ne in hoc quidem igitur genere injuriam facit. ſequeretur enim, ut idem eidem ſimul & detrahi, & adjici poſſet. quod fieri nequit. ſed ſemper in pluribus eſſe juſtum, & injuſtum neceſſe eſt. Praeterea ut quis injuriam facere dicatur, & ſponte faciat oportet, & capto conſilio, & prior. qui enim, quod ſibi factum eſt, idem vicisſim facit, injuriam facere non videtur. at qui ipſe ſe laedit, eadem ſimul & patitur, & facit. Deinde ſequeretur, fieri poſſe, ut quis ſuapte ſponte acciperet injuriam. Accedit, quod nemo injuriam facit, quin certam aliquam injuriam faciat. at nemo cum uxore ſua adulterium facit, nemo parietem ſuum perfodit, nemo ſua furatur. Denique diſſolvitur hoc, ſibi quenquam injuriam facere, iis quae jam definita & conſtituta ſunt de eo, poſſitne quis ſua ſponte injuriam accipere. Conſtat autem, utrumque malum eſſe, & accipere injuriam, & facere. alterum enim eſt minus, alterum plus medio habere: quod quidem eſt, ut in medicina ſalubre, in arte exercendorum corporum bene habitum. Sed tamen pe-

Digitized by Google

jus est injuriam facere. est enim cum improbitate conjunctum, & vituperandum, & aut cum improbitate absoluta, & proprie dicta, aut ei finitima. Non enim quicquid sponte fit, cum injustitia conjunctum est. at accipere injuriam, sine improbitate, & sine injustitia est. Quare per se quidem minus malum est injuria affici: ex consecutione autem nihil prohibet, quin sit majus malum, sed de hoc ars non laborat: quin immo lateris dolorem majorem morbum esse dicit, pedis offensione. Etsi contra interdum evenire potest ex consecutione: si eveniat, ut is qui alicubi offendit, propterea quod ceciderit, capiatur ab hostibus, & moriatur. Tralatione autem quadam, & similitudine est jus quoddam non quidem alicui erga se ipsum, sed partibus quibusdam ipsius inter se. neque vero quodlibet jus: sed quale est quo dominus in servum, aut paterfamilias in familiam suam utitur. His enim rationibus distat ea pars animi quae ratione praedita est, ab ea quae caret. quae intuentibus videtur esse aliqua injustitia erga se ipsum. quod in iis fieri potest, ut aliquid alienum ab appetitionibus suis perferat. Ut igitur imperanti, & parenti, sic his quoque jus inter se quoddam est. De justitia igitur, ceterisque virtutibus moralibus hoc modo explicatum sit.

M. AN-

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN LIBRUM QUINTUM ETHICORUM ARISTOTELIS COMMENTARIUS.

De justitia autem, & injustitia] Cum contraria, qua ratione contraria sint, inter se conferantur, eorum autem, quorum vis, & natura in contentione, ac comparatione ad alterum sita est, unum sine altero definite cognosci non queat, ita ut utrumque, aut neutrum ignorari oporteat, necessario fit, ut omnibus in rebus contrariorum tractatio, & cognitio ad eundem artificem pertineat. Sic paris & imparis cognitio arithmeticorum est, recti & curvi geometrarum: sic quid consonum, quid dissonum sit, musicus, quid salubre, quid insalubre, medicus judicat: sic denique haec nostra philosophia, & ejus alumna jurisprudentia non justi modo, sed etiam injusti cognitionem complecti se se, ac tradere profitetur. Haec causa est, cur & Aristoteles de justitia, & injustitia quaerendum esse dixerit, & l. *justitia* Dig. de just. & jure. Ulpianus jurisprudentiam definiens, non justi modo eam, verum etiam injusti scientiam vocaverit. Cum autem paullo post tradituri simus, justitiam, injustitiamque duobus modis dici, interdum enim justitiae nomine totam virtutem, injustitiae totam vitiositatem intelligi, interdum justitiam certam quandam virtutem, injustitiam certum quoddam vitium vocari, non est ignorandum, hoc posteriori modo utrumque nomen hic accipi. Quaerendum igitur esse ait, *tum cujusmodi in actionibus sitae sint*, omnes enim virtutes morales, & quae eis adversantur vitia, in agendo cernuntur: ut temperantia & intemperantia in capiendis, praetermittendisque voluptatibus: fortitudo, & ignavia in subeundis, refugiendisque periculis: liberalitas, & avaritia in dandis, accipiendisque pecuniis: eademque ceterarum ratio. Actiones autem, in quibus justitia, & injustitia versantur, sunt διανομαὶ καὶ συναλλάγματα, id est, distributiones, & negotia, quae inter homines contrahuntur, ut e sequentibus magis intelligetur.

Tum

Digitized by Google

Tum cujusmodi mediocritas, justitia, & jus, quarum rerum medium sit. Non enim eodem modo mediocritas est justitia, quo ceterae virtutes, de quibus antea disputatum est. Primum quod in illis non spectatur mediocritas ex rebus ipsis, sed ex animo ejus, qui agit. Non enim qui mediocria pericula subit, fortis est, neque qui mediocri voluptate fruitur, temperans: sed qui in maximis periculis, maximisque voluptatibus moderationem animi retinet, neque illa supra modum extimescit, neque has immodice concupiscit. At justitia rerum ipsarum medium inquirit, modo geometrica ratione, modo arithmetica, ut suo loco docebimus. Deinde eae quarum naturam hactenus pertractavimus, medium quodam modo locum inter duo extrema vitiosa, quorum unum ab altero distinctum est, obtinent: ut fortitudo inter audaciam, & timiditatem, liberalitas inter effusionem, & avaritiam: at justitiae una adversatur injustitia. Postremo in ceteris quicunque a medio abest, in vitio est, sive medium non attingat, sive transeat. hujus alia ratio. non enim qui minus consequitur quam par est, injustus est, sed is qui sibi plus occupat, quique alium fraudat. *Jus* autem *medium* est, inter plus & minus. qui enim neque plus, neque minus aut tribuit, aut consequitur, quam oportet, is jus suum cuique tribuere, & jus suum obtinere dicitur: atque ita accipitur nomen juris in definitione justitiae apud jurisperitos.

In his autem rebus exquirendis] Nimirum ut non accuratas, exquisitasque rationes consectemur, quas harum rerum tractatio non capit, sed probabilibus nitamur, eisque contenti simus. Itaque cum ea vel maxime probabilia sint, quae videntur omnibus, apte admodum, & convenienter instituto suo, exorditur a communi quadam omnium hominum opinione de justitia, hoc modo:

Videmus igitur omnes] Est autem haec quaedam nominis ipsius interpretatio potius, quam rei definitio. neque obscurum est ex analyticis, prius aut intelligendum, aut explicandum esse τὸ τί ἐστ ὃ ὀνόματος, quam intelligi explicarive possit τὸ τί ἐστ ὃ πράγματος. Justitiam igitur vocant omnes, non impetum quendam animi, neque susceptam ad tempus voluntatem agendi ea quae justa sunt, sed *habitum quo homines propensi sunt*, & suapte sponte inclinantur ac feruntur *ad agenda*, &c. Neque tantum eo pro-

propendent: ſed etiam, cum omnis virtutis laus in actione conſiſtat, ea, quoties datur occaſio, & *agunt*, & *volunt*. Quod poſtremum eo additum eſt, quia voluntas in hac virtute praecipue ſpectatur: ejusque major etiam, quam ipſarum actionum, habetur ratio. Multis enim modis evenire poteſt, ut etiam homo injuſtiſſimus multa faciat, quae juſtitiae conſentanea ſint: ut ſimulate, ut per errorem, ut infamiae, aut ſupplicii metu. Poteſt etiam evenire, ut homo juſtiſſimus, aut juſtum aliquid non faciat: ut ſi caſu aliquo ad inopiam redactus, non reddat mutuum: aut etiam injuſtum aliquid faciat: ut ſi praetor falſas teſtamenti tabulas ſecutus, adverſus quas nihil ſatis firmi ab eo, qui eas impugnat, allatum ſit, ſecundum eas bonorum poſſeſſionem dederit, & hereditatem a legitimo herede abjudicatam alii addixerit. Et horum tamen neuter erit injuſtus. dum & ille eo animo ſit, ut velit, ſi quo modo poſſit, creditori ſatisfacere: & hic nihil aliud ſpectare, quam, ut Ulpianus loquitur, l. *Illicitus* Dig. de off. praeſidis, *fidem eorum quae probantur*. Ideoque praeclare idem juriſconſultus, *juſtitiam eſſe*, ait, *conſtantem, & perpetuam voluntatem jus ſuum cuique tribuendi*. Non enim ſatis eſt ad juſtitiae laudem, ut quis ſuum cuique tribuat: niſi id & facere velit, & conſtanter, ac perpetuo, &, ut Ariſtot. ἀεὶ ἔχων velit. Atque haec conſtans, & perpetua voluntas juſtitia eſt, etiam ſi quis caſu aliquo impeditus ſuum cuique tribuere non poſſit, dum in eo nulla ipſius culpa ſit. Quanquam autem, ut hoc praeteriens admoneam, in illa Ulpiani definitione verbum *tribuendi*, magis videtur exprimere τὸ διανεμητικὸν, pertinet tamen etiam καὶ τὸ ἀποδοτικὸν. nam is quoque, qui mutuum, commodatum, depoſitum reddit, qui pro re empta pretium ſolvit, ſuum jus alteri tribuere videtur. Sed, ut ad inſtitutum redeam, ea, quae ante dixi, cogitantes veteres illos puto interdum legibus, edictisque caviſſe, non, ne quis quid faceret: videbant enim fieri poſſe ab invitis: & invite factis veniam dandam eſſe: neque etiam, ne quis quid facere vellet: voluntas enim legibus alligari non poteſt, & nudae voluntatis, ſive, ut Ulpianus loquitur, l. *cogitationis* Dig. de poenis, *cogitationis poenam nemo patitur: ſed ne quis quid feciſſe vellet*. quo loquendi genere ſignificabant voluntatem, quae foras erupiſſet, ſeque jam

actio-

actione aliqua prodidisset. Ejus quod dico, exempla haec sunt. Livius lib. 39. *Edixerunt deinde, ne quis quid fugae caussa vendidisse, neve emisse vellet.* Macrobius lib. 2. Saturnaliorum: *Lapidatus a populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, ut aediles edicerent, ne quis in arenam, nisi pomum, misisse vellet.* & ex illa consuetudine dictum est ab Horatio: *Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?* quod tamen usque adhuc a nullo eorum, qui commentarios in illum poëtam scripserunt, animadversum est. & a Catone in tradendis villici officiis: *Ne quid emisse velit, insciente domino, neu quid dominum celavisse velit.* Et mox: *Haruspicem, augurem, hariolum, Chaldaeum ne quem consuluisse velit.* C. Gracchus in oratione de legibus promulgatis (citat Gellius cap. 3. lib. 10.) *Caleni ubi audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet, cum magistratus Romanus ibi esset.* Terentius Hecyra: *Interdico, ne extulisse extra aedes puerum usquam velis.* Supersunt etiam pauca quaedam, quae in his Aristotelis verbis consideremus, primum illud, hanc justitiam, ut Michaël Ephesius eam vocat, ὑπηγραφὴν, tum in eam justitiam, quae omnem virtutem complectitur, tum in eam, quae pars virtutis est, communiter convenire. In illis autem verbis exprimendis, ἀφ' οὗς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ, non Lambinus modo, & Perionius, sed ipse, quod magis mirum est, Argyropylus lapsus est: ita enim vertit: *quo homines apti sunt ad res justas agendas.* At non justitia, sed natura ipsa homines ad res justas agendas aptos, & idoneos efficit. & injustissimi quoque apti sunt ad agenda ea quae justa sunt; alioqui ne injusti quidem esse possent. Sed vox πρακτικοὶ hoc loco significat propensionem quandam, &, ut praeclare interpretatus est S. Thomas, *inclinationem ad opus justitiae.* sic lib. 4. ληπτικὸς, φυλακτικὸς, ἀποστικὸς, θαυματικὸς, ἐπαινετικὸς, dicitur non qui aptus, & idoneus, sed qui propensus est ad accipiendum, ad custodiendum, cetera.

Habere autem dubitationem aliquam potest, cur Aristoteles ad explicandam justitiam, & injustitiam, *justi* & *injusti* nomina adhibuerit, quae videntur nihilo notiora & clariora esse iis, ad quae illustranda, & patefacienda afferuntur: cum conjugata sint. Sed hoc facile dissolvemus, si revocabimus in memoriam id quod in categoriis,

lis, ubi de qualitate agitur, doceri solet, multo nobis notiora esse concreta, & compolita simplicibus, &, ut vulgo vocantur, abstractis: &, ut Graeci expeditius, & significantius dicunt, τὰ μετέχοντα τῶν μετεχομένων.

Neque enim eodem modo] Quoniam justitiam ad ea, quae justa, injustitiam ad ea, quae injusta sunt, propensos efficere homines dixerat, docet nunc, aliam scientiae, & facultatis, aliam habitus esse rationem. Nam eadem est facultas, seu potestas contrariorum, ut idem sensus albi, & nigri, idem calidi, & frigidi, idem dulcis, & amari: eadem etiam scientia contrariorum: ut Galenus principio Artis parvae ait, medicinam esse scientiam salubrium, insalubrium, & neutrorum: at non etiam idem habitus contrariorum, sed contrarius. non enim eadem corporis constitutio, aut quatuor humorum, ex quibus constamus, temperatio efficit, & integritatem, ac firmitatem sensuum, & eorundem imbecillitatem: & facilem cibi concoctionem, & cruditatem: & ut partes corporis suum quaeque munus sine ulla difficultate obeant, & ut in eo obeundo laborent: immo vero ut haec inter se contraria sunt, ita efficiuntur ab habitibus contrariis: partim a bona valetudine, partim a mala. Itaque quem incedere videmus erecto corpore, firmis passibus, non anhelantem, non insistentem, nisi cum libet, eum valenter ambulare dicimus: at quem tremebundum, lapsantem, aegre trahentem vestigia, tertio quoque passu recipiendae animae causa, interquiescentem: nunquam eum valenter ambulare dicemus. Atque haec, ut videtur, horum Aristotelis verborum sententia est: sed in eis quaedam praeterea diligentius excutienda, & examinanda sunt.

Primum igitur, non injuria suspicetur aliquis, haec in Platonem dirigi, cujus in disputationibus *scientia*, *facultas*, & *virtus* non satis accurate interdum distingui videntur. Itaque in extremo Hippia minore, Socratis verba sunt: *Responde mihi denuo. nonne justitia facultas quaedam est, aut scientia, aut horum utrumque? an non necesse est, unum certe aliquod eorum esse justitiam?* cui quidem interrogationi hoc loco ita respondere Aristoteles videtur. Illa vero neque scientia est, neque facultas. nam si eorum alterutrum esset, contrariorum esset, & actionum tum justarum, tum injustarum efficiens: quod secus est. justae enim actiones, ut dixi, a justitia, injustae

ſtae ab injuſtitia manant. Quod autem ἐπιστήμας *ſcientias* (*) verti, ut fere ceteri ſolent, ſcio eſſe qui non probent, contendantque, *ſcientiam* Latine dici, *ſcientias* non dici. Ego autem non ſum neſcius, eas etiam, quae a nobis *ſcientiae* dicuntur, a Latinis ſcriptoribus, adeoque a Cicerone ipſo ſaepiſſime *artes* vocari. neque mihi peccare viſus eſſem hoc quidem loco, ſi eo vocabulo uſus eſſem: praeſertim cum hic non habeatur ratio diſcriminis illius, quod alibi conſtituitur inter ἐπιστήμην & τέχνην: immo vero utraque, ut ſaepe alias, eodem nomine comprehendantur. Sed in iis diſputationibus, quibus philoſophi τὰς ἐπιστήμας, ἢ τὰς τέχνας, tam accurate diſtinguunt, quaeſo, quomodo me, Latine loquens, explicabo, niſi *artes*, & *ſcientias* dixero? Nam quod id negant a bonis Latinitatis auctoribus unquam factum eſſe, videlicet fugit eos, ita ſcriptum eſſe in Catone majore: *Quid multa? ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio: cum tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria praeteritorum, futurorum prudentia, tot artes, tot ſcientiae, tot inventa, non poſſe eam naturam, quae eas res continet, eſſe mortalem.* ita enim legitur in optimae notae libris, non, ut in vulgatis, *tot artes, tantae ſcientiae*, & ita legiſſe conſtat eruditiſſimum virum, Theodorum Gazam, qui ita interpretatus eſt: τοσαῦται τέχναι, τοσαύτη ἐπιστήμαι. Sed haec fortaſſis alicui γραμματικαπερα videantur: quae tamen praetermittenda non erant. Nunc ad rerum explicationem revertamur.

Quod dicitur, *eandem eſſe ſcientiam contrariorum*, ita verum eſt, ut ſit tamen quaedam adhibenda diſtinctio. Nam cum contrariorum neutrum altero melius aut praeſtantius eſt, tum aeque utrumque ab eodem artifice conſideratur; ut par & impar ab arithmetico: cum eorum alterum bonum eſt, alterum malum, tum ars illud per ſe conſiderat, hoc autem non niſi κατὰ συμβεβηκός, ut in ſalubri, & noxio, in juſto, & injuſto videri poteſt. Eſt etiam cum cura inſpiciendum, ac diſtinguendum quod hic dicitur. *eandem eſſe facultatem, ſeu poteſtatem contrariorum.* Primum enim *poteſtas* alia eſt efficiendi, alia accipiendi, quaſique patiendi. *Poteſtas patiendi*, ſive *accipiendi* eadem eſt contrariorum: & hoc eſt quod ſaepe a philoſophis dicitur, contraria εἶναι τὸ αὐτὸ ἀλλήλοις

(*) Vide quae diximus ad T. II. p. 577.

μενον. Exempli caussa, quod potest bene valere, potest & aegrotare. Idem enim est ὑγιεινόμενον & bonae, & malae valetudinis, nempe corpus animalis. Idem virtutis, & vitii, animus humanus. Et hoc est, quod docetur in categoriis, *subsiantiam, cum una eademque numero sit, vicissim excipere contrarias qualitates.* sic in materia prima inest potestas excipiendi formam ignis, & formam aquae. Quare si de hac potestate intelligamus, recte & vere dicitur, eandem esse potestatem contrariorum, id est, in quocunque inest vis, ac potestas excipiendi unum e contrariis, in eodem esse etiam potestatem accipiendi alterum. Sin de potestate efficiendi sermo sit, distinguendum est. Earum enim aliae sunt logicae, aliae alogi, id est, aliae cum ratione conjunctae, aliae rationis expertes. Quibus nihil cum ratione commune est, eae agunt quadam necessitate naturae, &, si sit in quod agant, neque quicquam impediat, necessario agunt. ut ignis, si paratum sit in quod agat, neque impediatur, necessario agit. tales autem potestates non continent in se efficientiam utriusque contrarii: sed alterius tantum. ut ignis non potest & calefacere, & refrigerare, sed tantum calefacere. At eae quae cum ratione conjunctae sunt, cohibent in se efficientiam utriusque contrarii: ut grammaticus potest & emendate, & vitiose loqui: medicus & quo levetur morbus dare, & quo intendatur. Quibus de rebus Aristotelis haec verba sunt ex octavo τῶν μετὰ τὰ φυσικά, qui Latine nonus est: Constat etiam, *potestatum* alias esse cum ratione conjunctas, alias quae cum ea nihil commune habeant. Atque eae quidem quae cum ratione conjunctae sunt, omnes sunt eaedem contrariorum, quae autem sine ratione sunt, una unius: ut calidum habet tantum vim calefaciendi: at ars medendi, eadem est & morbi, & bonae valetudinis. Alia quaedam quae puto ad hanc totam rem intelligendam non inutilia esse, jam pridem disputata sunt a me capite septimo libri octavi Variarum lectionum.

Sed quaerendum est, quomodo haec inter se conveniant, esse eandem scientiam contrariorum, & tamen non esse eundem habitum contrariorum. Nam si scientia est habitus, ut est, & eadem est scientia contrariorum: sequitur, ut & idem sit habitus contrariorum. Hoc vulgo ita dissolvunt, ut dicant, nomine habitus hic intelligi solum habitus practicos, non autem eos, qui sunt cogni-

tionis & intelligentiae, qualis est scientia. Sed mihi magis probatur alia solutio, qua docetur, nullum omnino habitum, ne scientiam quidem ipsam, ea ratione qua habitus est, esse contrariorum. Nam scientia duobus modis considerari potest, qua ratione refertur ad ea, quae sciri possunt, & qua ad ipsam scientiam, relata ad ea quae sciri possunt, scientia est: & sic est eadem contrariorum: percipit enim contraria, ut jam docuimus. Relata ad ipsum scientem est habitus, id est, certa quaedam qualitas acquisita, ac comparata, quae firmiter in illius animo inhaeret: & hoc modo non est contrariorum, id est, non efficit contraria. Ut enim bona valetudo non efficit in corpore ea, quae malam valetudinem comitari solent, sed ea tantum, quae sibi convenientia sunt: ita scientia non efficit in animo ea quae inscientiae & ignorationi conjuncta sunt, ut errorem, ut impotentiam docendi, ut instabilitatem & inconstantiam opinionum: sed ea tantum, quae sibi propria sunt: id est, liberat animum erroribus, eum in quo est aptum ad docendum facit, stabile & firmum de iis, quae sciuntur, judicium efficit: ita ut semper de iisdem eadem; & dicat, & sentiat, quemadmodum ait Socrates in Gorgia. Scientia igitur, quatenus est praeceptio quarundam rerum sibi propositarum, est eadem contrariorum: at quatenus est certa quaedam animi conformatio, & firme inhaerens affectio, non est contrariorum, id est, non efficit in eo contraria. τῶν ἐναντίων ἡ αὐτὴ λόγοτε ἐπιστήμη, 2. Topicorum.

Restat, ut exponam, quae me caussa commoverit, ut hoc loco ab omnibus aliis interpretibus discedere ausus sim, etiamque Graeca ipse aliter legerim, quam in omnibus pervulgatis libris leguntur. Cum enim eorum nullus sit, in quo non ita legatur, ἔξις δ' ἡ ἐναντία τῶν ἐναντίων οὐ, eamque scripturam omnes interpretes sequantur: ego pro ἡ ἐναντία legendum censeo ἡ αὐτὴ: idque in interpretando sum secutus. Movit me primum ipsa orationis consecutio & ἀκολουθία, quae, si quis diligenter inspiciat, postulat, ut ἡ αὐτὴ, non ἡ ἐναντία legatur. deinde de sententia ipsa, quae quamvis eadem, quam nos volumus, e vulgata quoque scriptura utcunque elici potest, multo tamen planius, multoque, ut ita dixerim, rotundius exprimitur ea quam nos sequimur. Immo vero, ut recte & vere dicitur ἐναντίων ἐναντίων ἰήματα, Hippocr. ὁ τῶν πρὸς φυσῶν, ita vere dici

pot-

poteſt, ἐναντίαν εἶναι ἕξιν τῶν ἐναντίων. Exempli cauſſa, contrariae actiones a contrariis habitibus proficiſcuntur. Itaque principio ſuſpicabar, legendum eſſe, ἕξις δ' ἡ ἐναντία τῶν ἐναντίων, deleta tantum particula, quae negandi vim habet. ut hoc diceret Ariſtoteles, non modo non eſſe eundem habitum contrariorum, ſed eſſe contrarium. Sed cum poſtea reperiſſem in margine unius eorum librorum, quibus utor, notatum hominis eruditiſſimi manu, in quibusdam veteribus libris legi, ἡ αὐτὴ τῶν ἐναντίων, non habui dubium, quin ex αὐτὴ factum eſſet ἀντὴ, librariorum errore propter characterum & ſoni vicinitatem: deinde ex ἀντὴ, cum vox illa hoc loco nullam idoneam ſententiam efficeret, ἐναντία, duabus litteris principio, una ad finem addita. Duo praeterea fuerunt, quae me ita in hac ſententia confirmarunt, ut omnem dubitationem ſuſtulerint: unum, quod Michaëlem quoque Epheſium ita legiſſe probabili argumento adducor ut credam. hunc enim locum tractans, his verbis utitur: ὅτι δὲ αἱ ἀρεταὶ ἕξεις λεγόμεναι οὐκ εἰσὶ τῶν ἐναντίων αἱ αὐταὶ, ἔδειξε σαφῶς ἐπὶ τῆς ὑγιείας ἀρετῆς οὔσης σώματος. profecto enim, ſi ita legiſſet, ut nunc vulgo legitur, non dixiſſet αἱ αὐταὶ, ſed potius ἐναντίαι. Alterum, quod cum liber quartus moralium ad Eudemum cum hoc noſtro unus idemque ſit, is qui eum olim interpretatus eſt, Leonardus Aretinus, manifeſte oſtendit, ſe in libro ſcriptum habuiſſe ἡ αὐτὴ, non, ut vulgo nunc legitur, ἡ ἐναντία. Hujus emendationis meae approbatorem, atque adſtipulatorem habeo Joannem Antonium Lucatellum, acutiſſimo hominem ingenio, & in philoſophiae ſtudio diligentiſſime exercitatum. In illo autem Ariſtotelis quod paulo poſt ſequitur, *valenter ambulare*, eſt ita ambulare, ut ipſa ambulatio ſignificationem bonae, ac firmae valetudinis habeat.

Saepe igitur contrarii] Quoniam ex eo quod injuſtitia multis modis dicitur, demonſtraturus eſt, juſtitiam quoque multis modis dici, & earum utriusque naturam *e ſubjecto*, id eſt, juſto, injuſtoque, explicaturus, ne cui forte ea docendi ratio abſurda, & aliena videatur, prius admonet, eam & aptam, & uſitatam eſſe. Saepe enim evenit, ut duorum contrariorum habituum unus altero aut notior ſit, aut facilior cognitu: ac tum commoda docendi via eſt, ex eo quod notius eſt, ad id quod minus notum progredi. neque dubium eſt, quin ea in qui-

bus habitus insunt, quae vulgo *subjecta* dicuntur, quam vocem ne nos quidem in docendo refugiemus, notiora habitibus ipsis, aut certe ad cognoscendum facilliora sunt. igitur ex eis quoque ad ipsorum habituum cognitionem pervenitur. Atque illud in omnibus fere iis contrariis, quorum alterum bonum est, alterum malum, animadverti potest, majorem & acriorem esse sensum mali, quam boni: meliusque sentiri bonum ab iis, qui malum quoque senserunt: ut magis sentiunt pacis commoda, qui experti sunt belli calamitates: melliusque intelligant, quantum boni sit in bona valetudine, qui aliquando aegrotarunt. Quod M. Tullius in oratione ad Quirites post reditum, copiosissime, & ornatissime, ut solet, expressit his verbis: *Etsi homini nihil est magis optandum*, &c. Cumque enumerasset magnam partem eorum, quae in vita jucundissima sunt, addit: *Quibus ego omnibus*, &c. Cui loco alterum ex eodem oratore genitivum citat Ammianus Marcellinus lib. 15. quem ipsum quoque lubet adscribere: *Et quamquam optatissimum est*, &c. *Nam &, si bona*] Quod dixerat, ostendit exemplis. proponit enim duo contraria, bonam corporis habitudinem, & malam: quarum qui utramlibet noverit, ambas noverit. utraque etiam e corporibus ipsis agnosci potest. ac vicissim qui, quid bona habitudo sit, tenet, is etiam quae sint bene habita corpora intelligat. Ex uno autem contrariorum alterum intelligi posse, docent etiam Jurisconsulti, ut Cajus lib. 1. institutionum, leg. 1. Dig. de iis qui sunt sui, vel alieni juris. *Videamus*, inquit, *de iis personis, quae alieno juri subjectae sunt. nam si cognoverimus quae istae personae sunt, simul intelligemus, quae sui juris sunt.* *Euexian*, quo verbo hic Aristoteles utitur, malui interpretari, ut Argyropylus, *bonam corporis habitudinem*, quam, ut alii, *bonam constitutionem*. propterea quod bona corporis constitutio videtur potius esse *ipsum*. at longe aliud est euexia. etenim bona corporis constitutio potest esse etiam in iis qui gracili, ac tenui sunt corpore, neque multa carne, neque admodum densa, atque compacta. at tales nunquam dicemus euectios. Sed eos qui carnem habent multam, & solidam, ut neque ab aëre laedi facile possint, neque a ceteris rebus externis. talem euexian olim sibi, miserrimum hominum genus, athletae plurimo cibo, plurimisque laboriosissimis exercita-

citationibus comparabant, ut postea spectante populo gravissimos ictus, quibus se mutuo contundebant, facilius excipere, ac perferre possent. Itaque Hippocrates aphorismo tertio primae partis pronuntiat euexian, cum ad summum pervenerit, summe periculosum esse. Extat & libellus Galeni περὶ εὐεξίας, quem qui legerit, sciet aliud esse euexian, aliud bonam corporis constitutionem. Docet autem Galenus, duplicem esse euexian: unam quae simpliciter, & absolute dicitur, alteram athleticam: quarum illa quidem est optima corporis constitutio, &, ut ipse loquitur, ἐπιτηδειότης τῆς ὑγιείας, altera posita est in copia, & firmitate carnis. & de hac posteriore Aristotelem loqui constat. Hanc Latini interdum *corpulentiam* vocant. Plinius: *Somno concoquere corpulentiae utilius, quam firmitati* Et euecticos homines, *corpulentos*. Plautus Epidico: *Euge corpulentior videre, atque agilior.* Talem quandam corporis affectionem significat Cicero in Antonio, cum in secunda Philippica ait, eum esse *gladiatoria totius corporis firmitate.* Plautus in eadem, quam modo citavi, fabula. *Quid herilis noster filius valet? Pugilice, atque athletice.* interdum *habitudinem.* Terentius: *Viden me ex eodem ortum loco? Qui color, nitor vestitus, quae habitudo est corporis? Habitudinem* dixit euexian. & in eadem fabula: *Haud similis* &c. *Habitionem* dixit εὐσαρκότερον. quod ipse statim ita expressit: *Quid tua istaec? nova figura oris. papae. Color verus, corpus solidum & succi plenum.* Eodemque modo Lucilius: *Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas Pectore marmoreo.* Itaque hoc nos secuti, diximus πυκνότητα σαρκὸς, *carnis soliditatem:* quam alioqui Pliniano verbo usi, *spissitatem*, aut *spissitudinem* dicere poteramus. *Sabinus Masurius lib. 7. memorabilium* (citat Gellius lib. 4. cap. 20.) *Censores P. Scipio Nasica & M. Popilius, cum equitum censum agerent, equum nimis strigosum, & male habitum, sed equitem ejus uberrimum, & habitissimum viderunt. Et cur, inquiunt, ita est, ut tu sis, quam equus, curatior? Quoniam, inquit, ego me curo: equum Statius meus. male habitum* equum dixit macilentum, & tenuem, equitem autem *habitissimum*, εὐσαρκότατον, id est, pinguem, & nitidum & bene curata cute, ut alicubi de se loquitur Horatius. Duobus etiam modis dicitur *cachexia*, uno modo, ut hic

Digitized by Google

Ariſtoteles loquitur, quaedam raritas carnis, & aſſimilis ſpongiis mollitudo, quae in quibus eſt, delicati ſunt, & ad omnem caeli ac ceterarum externarum rerum accipiendam injuriam paratiores. altero modo genus quoddam tabis, quod differt a phthiſi & ab atrophia: eo quod *phthiſis* quidem eſt, cum a capite in pulmones deſcendens deſtillatio eos exulcerat. *atrophia*, quoties corpus non alitur, decedentibus ſemper aliquibus, nullis vero in eorum locum ſuccedentibus. quo malo affectos Plinius vocat *qui cibum non ſentiunt*. *Cachexia* vero, cum malus corporis habitus eſt: ideoque omnia alimenta corrumpuntur. quod fere fit, cum longo morbo vitiata corpora, etiam ſi illo carent, refici tamen, & recipere priſtinum robur non queunt. quem malum corporis habitum principium eſſe ſubeuntium cutem aquarum, Paulus Aegineta teſtatus eſt: ut doctisſime disſeruit Marcellus Virgilius lib. 1. commentariorum in Dioſcoridem, ex quo haec prope ad verbum deſcripta ſunt. *Euectica* interpretor corpora ipſa bene habita, non autem cauſſas efficientes τῆς εὐεξίας, ut alios accipere, & interpretari ſcio. Nam quamvis illa quoque dicuntur euectica, quae valent ad euexian comparandam, ut exercitationes corporis, ut certa quaedam vivendi ratio: tamen hoc quidem loco ita hoc verbum accipere non poſſumus. Illa enim nullo modo dici poſſunt ὑποκείμενα τῆς εὐεξίας. at tale aliquid requirunt ea, quae ab Ariſtotele propoſita ſunt paulo ſupra. Dixit enim, *interdum e contrario contrarium cognoſci, interdum habitum e rebus ſubjectis*. prioris exemplum poſuit in bona habitudine, & in mala. poſterioris hoc exemplum eſſe voluit, quod ipſa euexia cognoſcitur ἐκ τῶν εὐεκτικῶν. Oportet igitur τὸ εὐεκτικὸν εἶναι ὑποκείμενον τῆς εὐεξίας. id aliud eſſe non poteſt, quam corpus, in quo ipſa euexia eſt tanquam in ſubjecto. etſi autem puto notius eſſe eam vocem apud Graecos hoc quoque modo accipi, quam ut id accuratius docere neceſſe ſit, unum tamen locum Platonis proferam, in quo ita accipitur. eſt autem lib. 3. de legibus, his verbis: τὸ δέ γ' ἐστὶν ἀγαπητὸν πολλάκις, εἰ καί τις μετὰ λύπης μὴ μεγάλης δύναιτο εὐεκτικά τε καὶ ὑγιῆ σώματα ἀπεργάζεσθαι. Quodſi quis putet, hanc interpretationem ab Ariſtotele ipſo refelli, cum ſubjungit, *euecticon eſſe id, quod habet vim efficiendae ſoliditatis in carne*: cogitet, id demum eſſe bene habitum corpus,

quod

quod habet in se vim insitam & internam efficiendi assidue in se ipso carnis soliditatem. Ita quidem, ut ego accipio, sine dubio accepit vetus interpres, qui euecticon interpretatus est *bene habens*: & e posterioribus homo accuratus, & eruditus, Joan. Bernardus Felicianus. Sed & is, quem supra nominavi, Joan. Antonius Lucatellus, cum de hac tota re, rogatu meo, diligenter cogitasset, in eadem se quoque sententia esse respondit.

Consequitur autem plerumque] Hoc quoque praeceptum dialecticum est, & primo Topicorum accurate tractatur. exempla nota sunt, & obvia. Sed tamen docendi caussa aliqua proponamus. *Grave* multis modis dicitur. nam *grave corpus* dicitur, quod suapte natura inferiorem locum petit. at *gravem hominem* vocamus, in quo inest auctoritas & fides. sic & *leve* quidem *corpus* dicetur, quod sursum fertur: *levis* autem *homo*, abjectus, & nulla auctoritate praeditus. *Acutum* aliter de ferro, aliter de ingenio dicitur. eadem igitur ratio erit *obtusi*. Sed cur addidit Aristoteles *plerumque*? quia hoc etsi in plurimis verum est, non est tamen in omnibus. Etenim *volo & nolo*, ut Latino utamur exemplo, contraria sunt: (contraria enim hoc loco dicimus, quae quomodocunque opponuntur) & tamen alterum eorum multis modis dicitur, alterum non item. *Volo* enim aliter dicit qui vult, aliter qui volat. non eadem alterius ratio. volatui enim nihil est contrarium. Primo Topicorum hoc exemplum adhibetur, cujus vim Latini sua lingua assequi non queunt. φιλεῖν & μισεῖν contraria sunt. eorum tamen prius duobus modis dicitur, posterius uno tantum. nam φιλεῖν est *amare*. est etiam *osculari*. Unde φίλημα, *osculum*, & nomen scorti apud Plautum, *Philematium*, quasi tu *basiolum* dicas, & in epigrammatis, Εἴ με φιλεῖς, ὦ φίλε, μή με φίλει. Adversatur autem amori odium, osculationi nihil. Haec ergo caussa est, cur addiderit *plerumque*. Sed quid est, quod *altera* dixit, non, ut alii interpretati sunt, *alterum*? Duo cum duobus comparantur. & contrarium ipsum per se cum altero contrario: & subjecta ipsa contraria affecta, id est, ut in eodem exemplo insistamus, *injustitia*, *& injustum*, cum *justitia & justo*. Aristoteles enim in libro περὶ ἀντικειμένων, qui non extat, sed citatur a Simplicio, tradidit, justitiam quidem & injustitiam contraria esse: justum autem & injustum

non satis proprie dici contraria, sed contrarie affecta. Ait igitur, si altera, id est, injustitia & injustum dicuntur pluribus modis, sequi, ut & altera, id est, justitia & justum. etsi autem in reddit:one satis esse duxit, subjecta ipsa ponere, justum, & injustum; mox tamen subjunxit *justitiam & injustitiam*, dicens:

Videtur autem multis modis dici] Homonyma sunt, ut in Categoriis docetur, quae vocantur quidem eodem nomine: sed ita tamen, ut id nomen eis non eadem ratione tribuatur, ut homo verus, & homo pictus. cum enim uterque *homo* dicatur, longe tamen alia unius, alia alterius ratio. nam homo verus eo homo dicitur, quod animal est consilii particeps. at pictus, quod imago quaedam veri hominis, & adumbrata similitudo. *Homonyma* autem quaedam ita distant, & dissimilia sunt, ut ipsorum homonymia cuivis perspicua sit, neque ita sit quisquam retuso ingenio, ut non intelligat, ea non eadem ratione eodem nomine affici. ut aliter dici *pedem* animalis, aliter *pedem* lecti, aliter *pedem* veli, aliter *pedem* carminis. aliter *linguam* animalis, aliter *linguam* quae excurrit in mare, aliter *linguam* Graecam, aut Latinam. aliter *oculum* in homine, aliter in vitibus. aliter *manum* hominis, aliter *manum* militum, aliter in illo Ciceronis: *manum Alexidis amabam* aliter *canem* marinum, aliter venaticum, aliter sidus. aliter *taurum* in illo Tibulli: *Quantus & intonsos Taurus alat Cilicas*. aliter in illo Virgilii: *Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere*. aliter in illo Manilii: *At quos prima creant nascentis sidera tauri*. At quaedam homonyma quidem sunt, sed ita vicina & finitima, ut homonymia ipsorum, non tam facile cognosci queat. Ut *ens* dicitur homonymos, id est, ut vulgo loquuntur, *aequivoce*, de substantia & accidente: neque tamen id quivis facile intelligit. *motus* sive *mutatio* homonymos dicitur de ortu, interitu, incremento, imminutione, commutatione, quam *alterationem*, & mutatione loci, quam *lationem* vocant. Sed eam latentem homonymiam pervidere non cujuslibet ingenii est. *bonum* aliter dicitur quod honestum est, aliter quod jucundum, aliter quod utile. ea quoque obscura homonymia est. Sic ait Aristoteles, duobus modis dici justitiam & injustitiam. Sed quia utraque justitia, & utraque injustitia valde alteri vicina est, ma-

magnamque cum ea similitudinem habet, fieri, ut homonymia illa minus pateat, neque ita facile percipi possit, ut in iis, quae cum eodem nomine vocentur, magna tamen eis inter se est dissimilitudo. Cum igitur homonyma, nisi principio distincta, & declarata sint, obscuritatem, & confusionem in disputando parere soleant, recte, atque ordine, antequam in rem ipsam ingrederetur, utramque sibi distinguendam esse duxit. Sed cum exemplo ostendere vellet, qualia essent homonyma ea, quorum homonymia facile cernitur, id exemplum posuit, quod in Latina oratione usui esse non potest. Quare de eo mihi pauca dicenda sunt: ne quid non satis explicatum omittatur.

Graeci sua lingua vocant *clein*, quem Latini *jugulum*, id est, os, quod a summo humero ad imum collum pertinet, & eodem nomine vocant *clavim*. Unde jocus elegans Philippi, Macedonum regis, cui cum laesus in bello jugulus esset, medico a quo curabatur, astiti numorum aliquid poscenti, *At tu*, inquit, *quantumvis sume: habes enim in manu tua meam clavim.* hoc Latine friget: quia Latini ad significandum *jugulum* *clavis* nomine non utuntur: Graece autem propter illam nominis ambiguitatem elegantissime dicitur. Omisi hoc loco quasdam voces Aristoteli Graece loquenti necessarias, in Latina oratione, ut opinor, supervacaneas: ὃ τὸ κλεῖν τὸν αὐχένα τῶν ζώων, ᾗ ἡ τὰς θύρας κλείουσι. Nam Latini neque *clavem* vocant eam, quae subest collo animalium, neque *jugulum*, quo claudunt fores. Sed haec ut re distincta sunt, ita etiam nominibus distinguunt. Talia sunt in primo Topicorum ὄνος, quo nomine & asinus, & lapis molaris indicatur: & apud Alexandrum, & Simplicium ὁρος.

Sumptum igitur, ac positum sit] *Sumi* dicuntur ea quae non probantur, sed tanquam certa, & indubitata ponuntur. ut hic non probatur, duobus modis dici injustum, sed ex usitata loquendi consuetudine, tanquam omnibus notum sumitur. Saepe autem apud Demosthenem, & alios ἀδικεῖν, & ἀδίκημα pro eodem ponuntur. & apud Xenophontem primo commentariorum, ubi legitur, ἀδικεῖ Σωκράτης, ὃς μὲν γε πόλιν νομίζων θεοὺς, οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέρων. ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων, ἀδικεῖν non est plus sibi aut pecuniae, aut honoris,

aut talium, vel sumere, vel deponere: sed si aperiatur adversus leges facere. Est igitur injustitia quaedam quae complectitur quicquid adversus leges: & contra justitia quaedam quae est obtemperatio legibus, non in eo tantum, ne tibi aliive plus aut minus tribuas quam par est, sed in iis omnibus, quae legibus sancita sunt. & ab hac justitia Aristides praeclarum illud *justi* cognomen invenit. Est etiam alia *injustitia*, quae in eo proprie cernitur, si plus tibi sumas quam par est, aut quo alio modo non serves proportionem: & ei quoque adversatur alia quaedam *justitia*, quae posita est in conservanda ac retinenda aequalitate. Unde τὸ ἴσον καὶ τὸ ἄνισον, saepenumero apud eosdem conjunguntur, ut κατὰ Μειδίου Demosthenes: τὸ ἴσον, καὶ τὸ ἄνισον ἐκεῖνος ἔγραψεν ἐπὶ μισθῷ, ὁ δημοσθένης.

Quando igitur injustus] Pluris aviditas in rebus malis non dicitur. nemo enim sibi depoſcit plus mali. Cum malum ipſum nemo, qua ratione malum est, appetat. Injuſtus igitur, cum pluris avidus ſit, in bonis quibusdam cernatur neceſſe eſt. non tamen in omnibus. neque enim, ſi quis cupiat doctior eſſe aliis, aut fortior, aut temperantior, & in eo vires omnes contendat, ut iis rebus ceteros vincat, injuſtus propterea habendus erit: imo eo vir melior, quo majus ſtudium ponet in quam maxima copia ejus generis bonorum comparanda. neque etiam, ſi quis forma ſtudeat anteire ceteros, aut bona valetudine, aut celeritate, aut denique aliis corporis bonis. Sed ſi quis plus eorum bonorum, in quibus proſpera adverſaque fortuna locum habet, ut pecuniae, honoris, auctoritatis, potentiae, ſumere, quam par eſt, atque occupare conetur, aut etiam in iisdem rebus inter alios dividendis ac diſtribuendis ab aequalitate diſcedat, is demum injuſtus habendus eſt.

Quare ſunt illa quidem ſimpliciter] Stoici ea bona quae a fortuna tribui, & auferri poſſunt, negabant bona eſſe: neque ea, quae iis adverſarentur mala. Sed illa quidem *proegmena* vocabant, id eſt, *producta* ſive *praepoſita*, haec *apoproegmena*, id eſt, rejecta. Bonum etiam nihil eſſe, quod eum in quo eſſet, meliorem non faceret: quodque etiam malus conſequi poſſet. Itaque praeter animi bonum nihil eſſe dicebant. Alia eſt Ariſtotelis ſententia. nam ea quoque ſimpliciter, & per ſe bona ait eſſe: ſed interdum hominum vitio fieri mala. quam ſen-

ten-

tentiam Terentius in Heautontimorumeno optime, & elegantissime expressit: *Quid relliqui est, quin habeat*, &c. Hoc ipsum est, quod ait Aristoteles, ea simpliciter, & per se semper bona esse: sed huic aut illi non semper: ut enim lib. 1. dictum est, multis opes, multis forma, multis corporis vires exitio fuerunt.

Homines autem ea & optant] Aureola παρέκβασις, qua hominum stultitia notatur, qui ea sibi optent, eaque omni studio persequantur, quae bona sibi, an minus, futura sint, nesciunt. Simulque docetur, quid a Deo petere, & quibus in rebus consequendis studium collocare oporteat. Optandum enim, & a Deo petendum est, non ut tribuat nobis opes, honores, liberorum copiam, & similia: quibus saepe quanquam per se bona sunt, carere tamen melius, quam abundare; tum aliis de caussis, tum quia haec omnia, nisi justi ac boni viri simus, nobis nihil aliud sunt, quam injustitiae instrumenta: ut is qui a virtute alienus est, eo miserior, atque infelicior sit, quo in majore talium bonorum copia affluentiaque versatur: ut praeclare scriptum est a Platone lib. 7. de legibus: τὰ γὰρ ὑπὸ τῶν πολλῶν &c. Non haec igitur optanda sunt: sed optandum, ut haec, cum bona sint suapte natura, nobis quoque bona sint. Ea autem optanda, & sequenda simpliciter quae nobis sunt bona, quaeque ita bona sunt, ut nemini mala esse possint. quod idem Plato divine, ut solet, conclusit paucis verbis libro tertio de legibus: *Optandum est*, inquit, *non ut ea omnia quae nos volumus eveniant: sed ut ea velimus quae velle debemus.* Sic Juvenal. — *Nocitura petente Militiae, nocitura domi — Evertere domos totas optantibus ipsis Dii faciles*, &c. Qua de re fusius etiam disputatur in Alcibiade secundo, sive ille Platonis, sive Xenophontis est: ubi merito laudatur haec precandi formula: Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις, καὶ ἀνεύκτοις Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ, καὶ εὐχομένοις ἀπάλεξον.

At injustus non semper] Objicere poterat aliquis, injustum nihilo magis πλεονέκτην esse, quam μειονέκτην. Ut enim in bonis quod plus est sequitur, ita in malis quod minus. Ut, si conferendum sit tributum ad usus reipub. si sumptus faciendus e communibus pecuniis, si navis aliqua communis absorpta sit, minus se jacturae facere, quam ceteros, volet. Sed id dissolvit Aristoteles, aitque,

que, cum tum quoque videri sibi plus boni deposcere, cum mali minus perferre vult. nam minus malum cum majori comparatum, bonum quodammodo videtur.

Est autem iniquus] Ostendit, quibus nominibus vocari possit ad omnem ambiguitatem tollendam. potest igitur vocari ἄνισος, id est, *iniquus*, sive *inaequalis*. quod quidem nomen commune est, complectiturque & plus, & minus. nam sive plus, sive minus sibi aliquis aut sumat, aut deposcat, ab aequalitate discedit. potest etiam vocari παράνομος. quo nomine significatur apud Graecos quicunque quomodocunque adversus leges aliquid facit. Cum autem scripsisset Aristoteles: ἔτι δὲ ἄνισος· τοῦτο γὰρ περιέχει, καὶ κοινόν ἐστι. καὶ παράνομος. quidam qui videret, verba illa interjecta habere aliquid obscuritatis, addidit ad ea brevem declarationem, supplens orationem, additis iis, quae praeterea intelligi debere opinabatur, hoc modo: τοῦτο γὰρ, ἡ παρανομία, ἤτοι ἡ ἀνισότης, περιέχει πᾶσαν ἀδικίαν, καὶ κοινόν ἐστι πάσης ἀδικίας. atque haec postea ita recepta sunt a plerisque omnibus, quasi ab Aristotele ipso scripta essent; cum tamen & declarationem tantum quandam verborum Aristotelis contineant, & eam non satis accuratam. neque enim ad verbum περιέχει, addendum est supplendae orationis caussa, πᾶσαν ἀδικίαν, sed τὸ πλέον, καὶ τὸ ἔλαττον. ut cohaereat cum eo quod proxime dictum est. quomodo etiam Michaël Ephesius interpretatur. Ea igitur resecuimus, idque jam pridem testati sumus, cap. 8. lib. 6. Variarum lectionum. Veteres libri Aldini magis etiam hoc confirmant. habent enim & aliud hoc ipso loco scholion insertum textui.

Quando autem qui contra legem facit] Argumentum est a casibus. sed ejus vis in Latina oratione non aeque, atque in Graeca perspicitur. nam Graeci vocant νόμιμον, id est, *legitimum*, eum qui legibus paret. Cum igitur omnis *legitimus* (ita enim nobis semel loqui liceat) justus sit, sequitur, ut & omnia legitima quodammodo justa sint. Cur autem addiderit illud, *quodammodo*, alia ratio redditur a Michaële Ephesio, alia a Divo Thoma Ille eo id factum esse ait, quod quaedam, quae aliarum virtutum sunt propria, quatenus legibus jubentur, justa dicantur. Exempli caussa, qui alienis uxoribus se abstinet, omnemque illicitum veneris usum refugit, quatenus id facit, temperans est: quatenus in eo legibus obtemperat, justus.

Qui

Qui fortiter pro patria dimicat, neque abjicit arma, neque ordinem in acie deserit, proprie, ac per se fortis est: sed quatenus in eo legis praescriptum sequitur, justus. Divus Thomas hoc alio trahit. putat enim, additam esse particulam, *quodammodo*, quia in quibusdam rebus publicis quaedam justa sunt, cum legibus comprehensa ac sancita sint, quae tamen simpliciter, & absolute justa non sunt. Ut in statu populari justum est, omnium, qui liberi sint, aequam esse auctoritatem: quod tamen per se ac simpliciter justum non est. Utraque interpretatio defendi potest. atque ego quidem utroque respexisse Aristotelem puto.

Nam & ea] Occurrere videtur dubitationi cuidam, quae ex iis, quae modo dicta sunt, existere posse videbatur. Nam si omnia quae legibus continentur legitima sunt, & omnia legitima justa, sequitur, ut omnia, quae legibus continentur, justa sint. quo posito, videtur nihil esse tam tetrum, tam horribile, tam nefarium, quod non justum effici possit, si tyrannus id aliquis, aut stultus populus jusserit. Qua de re ita Cicero primo de legibus: *Jam vero illud stultissimum*, &c. & paulo infra: *Quodsi populorum jussis*, &c. Ait igitur se ea demum legitima & justa dicere, quae a ferendarum legum scientia definita sunt. Nam ut non continuo salubre est, si quis quid medicinae imperitus imperaverit: ita nec legitimum, si quis quid legibus sanxerit, ad libidinem suam: sed ita demum, si id quod constitutum est, apte & scienter constitutum sit.

Leges autem omnibus] Paulatim eo progreditur, ut manifeste doceat, in ea justitia, quae est obtemperatio legibus, omnem virtutem quodammodo contineri. Nam cum dixerit omnia quae legibus scita sunt justa quodammodo esse, ait nunc, nullum esse boni viri officium, nullum virtutis munus, de quo non leges aliquid statuant ac definiant. Quod enim ait, *omnibus de rebus*, intelligendum est de omnibus officiis vitae, περὶ πάντων τῶν πρακτῶν. At quod scriptum est in libris nostris, *publice loquuntur*, ita enim interpretatus sum ἀγορεύουσιν, in quibusdam legitur ὁρίζουσιν, id est, *definiunt*: neque desunt, quibus ea vera scriptura videatur, & melius cohaereat cum eo, quod paulo ante dixit, τὰ ὡρισμένα ὑπὸ τῆς νομοθετικῆς. hanc autem alteram putant fluxisse e scholiis Michaëlis, qui ita scribit in hunc locum: ἀλλὰ μὴν περὶ

πάν-

πάντων οἱ νόμοι ἀρίζουσι τῶν κατὰ τὰς ἀρετὰς, καὶ πᾶς ἀγαθός.
Sed utrum ſit, conſtat, ſyllogiſmum ita inſtitui poſſe: *Quaecunque legibus comprehenduntur, quodammodo juſta ſunt. omnia autem virtutis officia legibus comprehenduntur. omnia igitur virtutis officia quodammodo juſta ſunt.* Oſtendit etiam, qui ſit finis legum: cum ait, eas ſpectare, aut id quod communiter omnibus utile eſt, aut id quod optimatibus, aut iis qui principatum in civitate obtinent, ſeu propter virtutem, ſeu quo alio tali modo. In quo non videtur multum abeſſe a ſententia Thraſymachi, qui apud Platonem primo de rep. pronuntiat, juſtum eſſe in quaque civitate id quod utile eſt potentiori. Non enim dubium eſt, ferri leges ab iis, qui plus poſſunt. Ubi igitur ſumma rerum penes populum eſt, ibi leges ad utilitatem populi diriguntur: ubi penes paucos, ad utilitatem paucorum: ubi penes unum, ad utilitatem illius. Itaque putabat Thraſymachus, principes, reſtoresque populorum in ſciſcendis legibus nihil aliud ſpectare, aut propoſitum habere, quam commodum ſuum: neque curare commoda eorum quibus praeſunt, niſi quatenus ex eis aliquid etiam commodi ad ipſos redundat. Atque in eam ſententiam accipiebat id quod ab Homero multis locis dictum eſt, reges eſſe *populorum paſtores*. Ut enim paſtor ſtudet oves ſuas quam optime paſcere, a furibus, lupisque defendere, ab eis frigus, imbrem, aeſtum, ceterasque caeli injurias propulſare, easque quam maxime poteſt curatas, & nitidas habere, non quod eis bene cupiat, ſed ut ex earum lacte, lana, foetibus, carnibus ipſe quam maximum lucrum capiat: ita reges, ceterosque qui imperarent, curare quidem, ut bene ſit populis ſuis, non tamen ipſorum populorum cauſſa: ſed quoniam intelligunt in eo ſitam eſſe potentiam ſuam: quoque populus copioſior, & abundantior eſt, eo plus ab eo tributorum, ac vectigalium exigi poſſe. Sed eam orationem Socrates diligenter refellit, oſtenditque, omnem, qui in quacunque re imperat, ſi officio ſuo fungi velit, alienam in eo utilitatem ſpectare, non ſuam. Medicus, cum imperat pharmaca aegrotis, non ſuam, ſed illorum utilitatem reſpicit. quod etiam ſi mercedem aliquam ex eo conſequitur, non tamen poteſt lucrum illud ſpectare ea ratione, qua medicus eſt, ſed ea tantum, qua artifex eſt cogendae, ac conciliandae pecuniae, & quidem, ut Graeci loquuntur,

Digitized by Google

tur, χρηματιστής. Nauta in regenda navi, non suam, sed vectorum salutem propositam habet: & quamvis ipse quoque cum eis servetur, portumque attingit, id tamen evenit, non qua ratione regendae navis peritus est, sed qua ipse quoque unus ex iis qui vehuntur. Pastor, quatenus pastoris munus exequitur, id tantum spectat, ut oves saluberrimas, pinguissimas, nitidissimas habeat. quodsi ea res cum ipsius utilitate lucroque conjuncta est, quoniam ita demum ipse quoque ex eis maximam pecuniam facit: at quatenus lucrum illud facit, non jam amplius pastor, sed quidam quasi mercator est. Ipsum quidem pastionis munus nusquam alio, quam ad ovium ipsarum salutem refertur. Pervenit autem ad eum quoque utilitas, quia earum non tantum pastor est, sed etiam dominus. Sic & princeps, rectorque civitatis, *cui populi*, ut ait Homerus, *commissi, ac concrediti sunt*, si vult is esse qui dicitur, in ferendis legibus debet, non quid sibi, sed quid iis, quos regit, utile sit, intueri. In hanc fere sententiam Socrates. Aristoteles autem videtur hoc loco non abhorrere a sententia Thrasymachi, si verba tantum leviter inspicias: si quidem, ut ille justum esse ait, quod utile est ei qui in civitate plus potest, ita hic leges ad utilitatem potentioris referri, ac dirigi, eumque finem sibi propositum habere. Sed si sententiam ipsam Aristotelis bene penitus inspiciamus, longe aliud eum, aliud Thrasymachum, sentire intelligemus. Nam Thrasymachi sententia tyrannica, & inhumana est: eum qui se aliorum rectorem profiteatur, in eo munere obeundo servire utilitati suae, negligere alienam: nisi quatenus ea sibi quoque fructuosa est. Quid igitur est, cur magistra-stratus tantam venerationem habeant? cur tanto opere colantur? cur prope in Deorum loco, ac numero habentur? Quis ei magnum ullum habere honorem potest, quem sibi tantum servire, ac consulere, cogitare nihil aliud nisi de commodis suis, & omnia sua caussa facere arbitretur? An quisquam eum consulem esse ducat, qui sibi, non reipublicae consulat? Immo vero ii semper in civitatibus clari, ac praestantes viri habiti sunt, qui, cum ad reipub. gubernacula admoti essent, in illius praeclari muneris procuratione commodorum suorum obliti de utilitate publica toto, ut dicitur, pectore cogitarunt. Qui autem ita imperat, ut non de publica, sed de sua utilita-

te

te laboret, ac ſollicitus ſit, ut populorum, quos regit, domos exinaniat, facultates exhauriat, ſanguinem, & medullam ipſam, ſi poteſt, exugat & exſorbeat, ut non pro populo excubet, ſed populo incubet, ut in legibus ferendis non ad dignitatem, & ad id quod publice expedit, ſed ad fiſcum, & ad praedam ſuam, oculos intentos habeat: cum nos non rectorem, ſed raptorem: non paſtorem, ſed lupum: non regem, ſed tyrannum: non hominem, ſed importunisſimam, & teterrimam belluam, ſed peſtem ac perniciem civitatis eſſe dicemus. Recte enim dicebat optimus imperator, Trajanus, idem eſſe in republica fiſcum, quod in corpore lienem. non poſſe eum ſupra modum creſcere, quin cetera membra contabeſcant. Longe igitur abeſt Ariſtoteles ab hac tam turpi, immanique ſententia. neque cum dicit, leges ſpectare id quod utile eſt iis qui in civitate imperant, eam utilitatem dicit, quae cum ceterorum damno ac detrimento conjuncta ſit: ſed eam potius, qua totius civitatis ſalus continetur. Quod ut magis perſpiciatur, utar ſimilitudine & perſpicua, & valde, niſi me fallit animus, ad id quod docere inſtitui, accommodata.

Cogitemus, rempub. aut civitatem ſimilem eſſe corporum noſtrorum, & ſingulos cives ſingularum corporis partium rationem obtinere. Ut igitur non omnium corporis partium eadem eſt dignitas, ita neque civium. In corpore noſtro quaedam ſunt non magni momenti, ut pili, ut ungues, ut dentes. Itaque capillum tondemus, ungues reſecamus, dentes ipſos, ſi quando aut computruerunt, aut vehementius condoluerunt, eximi, evelliique patimur. Tales ſunt quidam etiam in republica cives. Aliae quaedam partes ſunt magni illae quidem momenti, quasque nemo ſanus non cariſſimas habet: ſed tales tamen, ut ſine eis vivi poſſit: cujus generis ſunt, aures, oculi, nares, manus, pedes. Itaque haec quanquam valde amamus, tamen & dolorem ſaepe aliquem eis afferri patimur, & eorum quaedam interdum, ſalutis noſtrae cauſſa, aequo animo amittimus. Aliae ſunt in quibus vitae ac ſalutis, quaſi domicilium conſtitutum eſt: ita ut eis noceri ſine manifeſto interitus periculo non queat. tales ſunt cerebrum, cor, pulmones, jecur. Ac quod ſunt haec in corpore, hoc ſunt principes, ac rectores in republica. Quae illis in corpore partibus utilia, ac ſalu-

ta-

Digitized by Google

taria sunt, ea talia toti corpori censenda sunt. Sic & quicquid utile est bono principi, idem etiam toti reipub. utile est. Quodsi casus aliquis partium utilitatem separet ac distrahat: ut aliquid, exempli causa, utile sit oculis, aut cruribus, sed cordi, aut pulmonibus noceat, nemo dubitat, quin iis sit potius, in quibus plus momenti ad vitam est, consulendum. Sic & in reipublicae procuratione ea potissimum quaerenda sunt, quae vere utilia sint iis, a quibus ea gubernatur. Ex eis enim ceterorum quoque salus, & incolumitas pendet. Neque pugnant quae a Socrate disputantur, cum iis, quae hoc loco Aristoteles tradit, dum utraque recte intelligantur. Sed Aristoteles, quasi aliud agens, tetigit tria genera rerumpublicarum, statum popularem, gubernationem optimatum, & imperium unius. de quibus singulis alio loco dicendum erit. cum autem ait, *seu propter virtutem, seu quo tali modo*, ostendit, non unam esse rationem eorum populorum, qui ab uno reguntur. Quidam enim sunt, apud quos qui virtute ceteris aut antecellit, aut certe antecellere putatur, ei aut populi, aut certorum, quibus eligendi jus est, suffragiis summa omnium rerum potestas permittitur: ut fit in pontificibus maximis, & ut ajunt fieri apud Polonos. & fortasis ita creantur imperatores. Apud alios imperium hereditarium est, & cuicuimodi sit, is qui mortuo principi suus, ac legitimus heres est, imperat, ut fit in Gallia, & Hispania, & in plerisque Italiae civitatibus. & apud Lacedaemonios quamvis reges suffragiis deligebantur, tamen erant semper ex genere Heraclidarum. Narrat etiam Aristoteles, quosdam Indorum populos in mandandis imperiis olim formae pulchritudinem, & corporis proceritatem solitos sequi.

Quare uno quidem modo] Vel ex hoc perspici potest, ea demum dici utilia principibus, quae publice utilia sunt, sive, ut ipse hoc loco loquitur, *civili societati*. Felicitatis autem partes quas dicat, ex nullo melius, quam ex ipso cognosci potest. Cujus e primo libro rhetorices haec verba sunt: Εἰ δὲ ἐστι, δύναμθαι τιθέντων, ἀνάγκη αὐτὰς εἶναι μέρη, εὐγενείας, πολυφιλίας, χρηστοφιλίας, πλούτου, εὐτεκνίας, πολυτεκνίας, εὐγηρίας. ἔτι τὰς ἐν τούτοις ἀρετὰς, οἷον ὑγίειαν, κάλλος, ἰσχύν, μέγεθος, εὐάγωνίαν, φυσικὴν, δεξιάν, μνημονικὴν, ἀγχινοιαν, ἀγωγίμην, φρόνησιν, σοφίαν,

ἀριστίνδην, ἀποφαίνειν. quanquam enim illae partes felicitatis magis singulos attingere videntur, non obscurum tamen est, easdem esse partes felicitatis publicae: & leges id spectare, ut haec omnia, quoad ejus fieri potest, aut in omnibus, aut in quam plurimis civibus reperiantur. Ac primum videre est, quasdam leges pertinere ad conservandam nobilitatem civium. ut olim Romae cautum erat, ne patribus cum plebe jus connubii esset, quanquam id postea sublatum est; & postea lege Julia senatoribus libertinas, aut infames uxores ducere non licebat. L. *lege Julia* Dig. de rit. nupt. Apud Veneros quoque non quascunque uxores hodie fas est nobilibus ducere: & ignominia quaedam inuritur, si quis parum se dignam duxerit. ad amicitias parandas, & conservandas pertinent leges omnes quae de collegiis licitis latae sunt. ad divitias omnia, in quibus census, & facultatum ratio habetur. Ut apud Athenienses ii qui pauperrimi erant, quos *thetas* vocabant, nullum magistratum gerere poterant. & in hac urbe prima classis erat opulentissimorum, & senator ex censu legebatur, eques ex censu. & decoctoribus in quatuordecim primis theatri gradibus sedere non licebat. quae omnia excitare videntur civium animos ad rem familiarem honestis artibus parandam, conservandam, amplificandam. ad bonos liberos illa lex Solonis, qua cavebatur, ne filius eum parentem, qui ipsum nulla arte imbuendum curasset, alere cogeretur. ad eorum copiam poena τῆς ἀγαμίας apud Lacedaemonios. in hac urbe leges de maritandis ordinibus, lex Papia, Poppaea, immunitates quae tribuuntur iis, qui tres, aut plures liberos habent. ad corporis virtutes leges publicorum certaminum, ac iudicrorum. & apud Lacedaemonios leges περὶ τῆς εὐφορίας, & illa quae olim fuit apud Gallos, qua multabatur is cui venter supra modum excrevisset. Idem in ceteris facile videri potest. neque nos omnia persequi, sed tantum rem ipsam propositis aliquot exemplis illustrare voluimus.

Imperat autem lex] Distinctius & enucleatius explicat id quod antea universe dixit, leges omnia virtutum officia praescribere. proponit enim aliquot virtutes, ostenditque, ea quae cum illis conjuncta sunt legibus imperari. Atque in iis proponendis, quae fortis viri esse ait, non injuria suspicetur aliquis, eum respexisse ad sacramentum

que

quo olim Athenis ephebi adigebantur. ejus enim hoc principium erat: οὐ καταισχυνῶ τὰ ὅπλα τὰ ἱερὰ, οὐδ' ἐγκαταλείψω τὸν παραστάτην ὅτῳ ἂν στοιχήσω. Ceterum deserere ordinem, quod Graeci aut λιπεῖν τὴν τάξιν dicunt, ut hic, aut etiam uno verbo juncto λειποτακτεῖν, duobus modis dicitur. nam & in acie, qui ordines turbat, locumque suum non obtinet, dicitur λειποτακτεῖν, & is qui munus aliquod publicum deserit ac subterfugit, cum suae partes sunt illius obeundi. Ulpianus in Olynthiacam tertiam: λειποτάκτης, ὁ παρὰ τὴν μάχην καὶ τὸ στρατόπεδον τὴν τάξιν καὶ τοὺς συνασπιστὰς ἀπολιπών. Plato in symposio: ἐρῶν γὰρ ἀνὴρ ὑπὸ παιδικῶν ὀφθῆναι, ἢ λιπὼν τάξιν, ἢ ὅπλα ἀποβαλὼν ἧττον ἂν δήπου δέξαιτο, ἢ ὑπὸ πάντων τῶν ἄλλων. Posterioris significationis exempla aliquot sunt in oratione κατὰ Μειδίου. vide etiam orationem Lysiae κατ' Ἀλκιβιάδου λειποταξίου. Prioris generis λειποτακτῶν poena erat, ut interficerentur, & abjicerentur insepulti, quemadmodum Eustathius tradit in o Iliados. posterioris generis pro muneris quod subterfugerant magnitudine poenam infligi solitam puto. Militiae quidem desertores varie puniri solitos, e jurisconsultorum libris cognosci potest. L. *non omnes desertores* Dig. de re milit. De iis autem qui se in fugam dedissent, ita proditum est, eum qui in acie prior fugam fecit, spectantibus militibus, propter exemplum, capite puniendum esse. Fugit tamen aliquando Demosthenes, defenditque se illo notissimo versu, Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται, *Qui fugerit pugnabit etiam denuo.*

Arma autem non tantum abjici, sed ne amitti quidem, aut alienari honeste posse, vel ex Modestino jurisconsulto intelligitur, a quo scriptum est, *militem, qui in bello arma amisit, vel alienavit, si summo jure cum eo agat imperator, capite puniri, sin humanius, militiam mutare.* L. *desertorem* Dig. eod. tit. Immo vero, cum cetera fere quae in hostium potestatem venerunt, jure postliminii reverti, ac recuperari possint, id in armis non obtinet. consuerunt enim ea non sine flagitio amitti. L. 2. de capt. postlim. & red. ab host. Ac puto apud Lacedaemonios, praecipue observatas esse summa diligentia eas leges, quae ad fortitudinem pertinebant. eorum enim tota reipublicae ratio ad virtutem bellicam potissimum dirigebatur: ut est apud Platonem 1. de legibus. Itaque multas mulieres Lacedaemonias legimus, cum filios suos

δικαιοσύνην, σωφροσύνην. quanquam
citatis magis singulos attingere vi
tamen est, easdem esse partes felic
id spectare, ut haec omnia, quo
in omnibus, aut in quam pluri
Ac primum videre est, quasdam
servandam nobilitatem civium. u
erat, ne patribus cum plebe ju
quam id postea sublatum est; &
ribus libertinas, aut infames uxo
L. *lege Julia* Dig. de rit. nupt.
non quascunque uxores hodie f
& ignominia quaedam inuritur,
duxerit. ad amicitias parandas, &
leges omnes quae de collegiis l
tias omnia, in quibus census, &
tur. Ut apud Athenienses ii qu
thetas vocabant, nullum magistr
in hac urbe prima classis erat op
tor ex censu legebatur, eques
bus in quatuordecim primis the
licebat. quae omnia excitare vi
rem familiarem honestis artibus
dam, amplificandam. ad bonos
qua cavebatur, ne filius eum
nulla arte imbuendum curasset,
rum copiam poena τῆς ἀγαμίας a
hac urbe leges de maritandis or
paea, immunitates quae tribuunt
res liberos habent. ad corporis
rum certaminum, ac ludicrorum
leges περὶ τῆς σωμασκίας, & illa q
los, qua multabatur is cui ven
visset. Idem in ceteris facile
omnia persequi, sed tantum ren
exemplis illustrare voluimus.

Imperat autem lex] Distincti
id quod antea universe dixit, le
cia praescribere. proponit enim
ditque, ea quae cum illis conjun
Atque in iis proponendis, quae
injuria suspicetur aliquis, eum re

redeuntes vidissent, lanceas eis per
manibus suis confodisse. qua-
bellum proficiscenti clypeum tra-
ἐπὶ τῷ. id est, *aut hunc ad*
in hoc ad me referare. Ergo hac
ad Thermopylas, cum se infi-
certi mortis opposuissent,
ad postremum non victi,
mercatoribus suis terribi-
Dic hospes Spartae
patriae legibus

nesciam in eis
omnium Graeco-
superque celebrata
& dicturi su-

perantis: ut non
aliter olim
ei qui adulterii
ejus legis
est, cum eam
commiserit,
ut lege agere-
motus, pro
non po-
alterum
ex suis legi
tem tamen
riorum re-
tondere-
uteretur.
tulit.
re la-
eque
ulte-
u-

ensium legibus adulterum depre-
at, ut e Plutarcho in vita Solo-
e de caede Eratosthenis constat.
igendum est, si deprehensus es-
t *lex*. Dig. ad l. Jul. de adult.
Lucianus, ἄρτρα ἐν ἄρτροις ἔχων.
apud Horatium Sat. 2. lib 1.
is εἰς νεφέλας. Lacedaemonio-
rte mihi quidem absurdae, ac
um filios optimos, & robustis-
telligerent autem id fieri non
it alter parentum vel aetate
cillo corpore esset, hanc ra-
ebant. Si quis apud eos se-
lus uxorem formosam ac flo-
t ei, ut juvenem aliquem ho-
et, cui faceret copiam sui.
at ex animi sui sententia, du-
baturque eos ad commiscen-
loco habebat. Eodem mo-
& formosa, interdum eam
xores aut deformes, aut ste-
rocreandos. Ita natos ale-
Neque talia, aut ab alio
pe ducebant. Quin etiam
m irridere stultitiam alio-
ut canem generosam habe-
m aut equum optimum,
ribus idem non faciunt:
valentes, ac robustos
s habere. Iis moribus
supplicium proposue-
n Lacedaemonius inter-
m apud ipsos supplicio
lem, inquit, *ulli apud*
quis existeret? Cogere-
re ejus magnitudinis,
exerto, *posset ex Eu-*
erenti, quomodo ullus
set: *Aeque facile*, in-
ulter esse. Apud Ro-
adulterum cum filia,

abjectis armis e bello redeuntes vidisset, lanceas eis pectora exegisse, eosque manibus suis confodisse. quarum etiam una filio in bellum proficiscenti clypeum tradens, *Fili*, inquit, ἢ τοῦτο, ἢ ἐπὶ τοῦτο. id est, *aut hunc ad me farito relatus, aut in hoc ad me referare.* Ergo hac disciplina imbuti trecenti ad Thermopylas, cum se infinitae Persarum multitudini certi mortis opposuissent, diuque cum illis conflixissent, ad postremum non victi, sed vincendo fatigati, ipsis interfectoribus suis terribiles occiderunt, in quos Simonides: *Dic hospes Spartae nos te hic vidisse jacentes: Dum sanctis patriae legibus obsequimur.*

Leges igitur invictam illam, & cedendi nescium in eis animi fortitudinem effecerunt. Sed ea omnium Graecorum, Latinorumque monumentis satis superque celebrata est: nosque de ea plura & diximus alias, & dicturi sumus.

Imperant etiam leges ea quae sunt temperantis, ut non facere adulterium. id autem qui fecissent, aliter olim apud alios puniebantur. Apud Locrenses ei qui adulterii convictus esset, eruebantur oculi, conditore ejus legis Zaleuco: de quo illud memoriae proditum est, cum eam legem tulisset, primum qui adversus eam commiserit, fuisse filium ipsius. In quem cum pater, ut lege ageretur, imperasset, populus ipse misericordia motus, profilio patrem deprecatus est. Ille ulterius inflecti non potuit, quam ut juberet, unum oculum filio erui, alterum sibi. Ita unum ex oculis filii populo, unum ex suis legi dedit: & paterna caritate patefacta, severitatem tamen in observanda lege retinuit. Demonassa, Cypriorum regina, lege sanxerat, ut mulier adulterii convicta, tonderetur, & in lupanari ad omnium libidinem prostitueretur. Hujus quoque filia prima maternae legis poenam tulit. Gortynii adulterum convictum reliquo vitae tempore lana coronatum infamiae causa incedere jubebant: neque ei ad publicos honores patebat aditus. Lepraei adulteros triduo vinctos per civitatem ducebant: mulieres autem undecim diebus in foro discinctas, & veste amictas pellucida stare cogebant, & utrosque notabant infamia. Apud Arabas & Osroënos non tantum adulterii convictae occidebantur: sed ne impune quidem ferebant quae aliquam suspicionem adulterii dedissent. Eusebius lib. 6.

Digitized by Google

περὶ τοῦ παρατα. Athenensium legibus adulterum deprehensum interficere fas erat, ut e Plutarcho in vita Solonis, & Lysia in oratione de caede Eratosthenis constat. id quod ita demum intelligendum est, si deprehensus esset ἐν ἔργῳ, *L. quod ait lex.* Dig. ad l. Jul. de adult. coërc. seu, ut ait jocans Lucianus, ἄρτρα ἐν ἄρτροις ἔχων. Alias poenas videre poteris apud Horatium Sat. 2, lib 1. & Scholiasten Aristophanis εἰς νεφέλας. Lacedaemoniorum autem leges in hac parte mihi quidem absurdae, ac ridiculae videntur. Nam cum filios optimos, & robustissimos habere cuperent, intelligerent autem id fieri non posse, si aut uterque, aut alter parentum vel aetate confectus, vel alioqui imbecillo corpore esset, hanc rationem, quam dicam, tenebant. Si quis apud eos senex, aut alioqui parum validus uxorem formosam ac florentem habebat, permittebat ei, ut juvenem aliquem honestum, ac formosum diligeret, cui faceret copiam sui. ipsemet, si aliquem nactus erat ex animi sui sententia, ducebat eum ad uxorem, hortabaturque eos ad commiscenda corpora, idque in beneficii loco habebat. Eodem modo is, cui uxor erat honesta & formosa, interdum eam utendam dabat amicis, quibus uxores aut deformes, aut steriles essent, ad liberos ex ea procreandos. Ita natos alebant, & educebant pro suis. Neque talia, aut ab alio petere, aut alii gratificari turpe ducebant. Quin etiam Lycurgum ajunt hac in re solitum irridere stultitiam aliorum hominum: qui, si equam aut canem generosam habeant, omni studio quaerunt canem aut equum optimum, ex quo illa gravida fiat: in uxoribus idem non faciunt: cum tamen multo pluris intersit valentes, ac robustos liberos, quam canes, aut equos habere. Iis moribus cum uterentur, nullum adulterio supplicium proposuerant. Quin etiam Geradas quidam Lacedaemonius interrogatus a quodam hospite, quonam apud ipsos supplicio afficerentur adulteri: *ne sunt quidem*, inquit, *ulli apud nos adulteri.* Tum ille, *quid, si quis existeret? Cogeretur*, inquit Geradas, *taurum pendere ejus magnitudinis, ut capite supra Taygetum montem exerto, posset ex Eurota fluvio bibere.* Miranti, & quaerenti, quomodo ullus ea corporis vastitate reperiri posset: *Aeque facile*, inquit, *atque Lacedaemone ullus adulter esse.* Apud Romanos patri jus erat occidendi adulterum cum filia,

quam in potestate haberet: marito autem non quemlibet. L. *patri*, & l. *marito* Dig. ad l. Jul. de adult. coërc. Sed quid hac in re Romani observarint, melius e Pandectarum libris cognosci potest. Damnatae quidem adulterii Romuli lege a viro, & cognatis ipsorum arbitratu necari poterant. quod qui lege Julia confirmatum esse tradunt, errant. Posterioribus autem temporibus cogebantur togam induere, & prostare. togam enim e mulieribus eae tantum gerebant, quae impudicitiam profitebantur. unde est illud e secunda Philippica: *sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti*. & quae a me in scholiis in eum locum jam pridem notata sunt. Verbo autem ὑβρίζειν, quod ego interpretatus sum, *alienae pudicitiae illudere*, stupra, & alias nefarias libidines intelligit, de quibus plura dicere non est animus. Ita autem *illudendi* verbo utuntur optimi Latinitatis auctores.

In eos qui percussissent alium, eive maledixissent, dabatur jure civili Romanorum *actio injuriarum*, & apud alios populos alia quae ei responderet: ut ὕβρεως, aut κακηγορίας.

Quod ait Aristoteles, legem alia quidem jubere, alia autem prohibere: jurisconsulti quoque ajunt, legis virtutem esse, *imperare*, *vetare*, *permittere*, *punire*. L. *legis virtus* Dig. de leg. & senatusc. & Chrysippus apud Marcianum ait, νόμον εἶναι προστακτικὸν μὲν, ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ, ἂν ᾖ ποιητέον. Ex ejusque & Zenonis sententia Cic. 1. de legibus, & 1. de natura Deorum, ait, *legem esse rationem summam insitam in natura, quae jubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria.*

Haec igitur justitia] Haec, inquit, justitia, quae est obtemperatio legibus, virtus perfecta, & omni ex parte absoluta est: cum leges, ut diximus, omnis virtutis praecepta contineant. non tamen simpliciter, sed quatenus ad tuendam, & conservandam civilem societatem refertur. Perfecta virtus tribus modis dicitur: uno modo, quae rudis, & inchoata non est, quales sunt quas naturales virtutes dicimus: ut cum dicimus in hoc, aut illo esse naturalem quandam fortitudinem, aut liberalitatem, sed confirmata consuetudine, & ad summum perducta. altero modo perfectam virtutem vocamus cumulum virtutum omnium. postremo virtutem perfectam vocamus legitimam illam justitiam, de qua hic disseritur: quae est

est quidem quodammodo eadem cum illa secunda: sed hoc tantum differt, quod illa consideratur per se, haec in quadam ad alium relatione.

Ac neque hesperus] Haec justitiae commendatio poëticum quiddam olet. Sidus Veneris omnium pulcherrimum est, solis & lunae, ut Plinius ait, aemulum. Id & mane, & vespere cernitur. mane vocatur *phosphorus*, *lucifer*, *matuta*. vespere, *hesperus*, *noctifer*, *vesper*, *vesperugo*. Ejus pulchritudinem minorem esse ait, quam pulchritudinem justitiae. *Virtus*, ait Plato, *si oculis cerneretur, mirabiles excitaret amores sui*. & in proverbio est: *Justitia in sese virtutem amplectitur omnem. Justitiae virtus cumulatim est omnis in una.*

Hic versus a Theophrasto modo Theognidi, modo Phocylidi tribuitur. in Graeco autem legendum est metri caussa, πᾶσ' ἀρετή 'στι, ut in Aldinis libris, non, ut in Florentinis, πᾶσ' ἀρετή ἐστι.

Et eo maxime perfecta virtus] Perfecta virtus usu cernitur, ac dijudicatur: estque usus quiddam quasi γνώσιμον, quo perfectam virtutem cognoscimus. itaque quo latius patet virtutis usus, eo ipsa perfectior censenda est. Inde igitur justitiae perfectio maxima intelligitur, quod ejus usus ad totam civilem societatem pertinet. Nam multos reperias, qui in suis, ac domesticis rebus, satis commode se gerunt, ut cum uxore, cum liberis, ceterisque domesticis: in aliis, quia rerum usum non habent, idem praestare non possunt. At is, qui hac justitia de qua loquimur praeditus est, non tantum cum domesticis suis, sed etiam cum omnibus civibus ita se gerit, ut oportet: scit enim quid cuique debeatur, idque in tota vivendi ratione sequitur.

Et propterea recte a Biante] De hoc dicto ita scriptum est in proverbiis Graecis: Ἀρχὴ δ' ἄνδρα δείκνυσιν. ἐπὶ τῶν ἀφ' μὲν τῆς ἀρχῆς ἐπιεικῶν, οὐ αὐτὴ ἦτῆ ἀρχῆ βιαίων γεγομένων. Σόλωνος ἦ εἶναί φασιν αὐτὸ ἀποφθέγμα. Ἀριστοτέλης δὲ καὶ Θεόφραστος, Βίαντος. Creon apud Sophoclem in Antigone: Ἀνὴρ ἅπαντα ἦστις ἐκμαθὼν ψυχήν τε καὶ φρόνημα, καὶ γνώμην, πρὶν ἂν Ἀρχαῖς τε καὶ νόμοισιν ἐντελὴς φανῇ. quem locum explicans scholiastes, οἱ μὲν, inquit, Χίλωνι τοῦτο τὸ γνώμην, οἱ ἦ Βίαντι, ὅτι, Ἀρχὴ δ' ἄνδρα δείκνυσιν.

Melius autem legatur, δείκνυσιν, an, ut in libris Florentinis scriptum est, &, ut ego interpretatus sum, δείκνυ, non

facile dixerim. neque ad ſententiam intereſt. illo modo eſt dimeter acatalecticus, hoc catalecticus, quales ſunt plerique Anacreontis. Sed ad ſententiam ipſam quod attinet, quod ille pater Terentianus ait, ſe non potuiſſe ingenium filii ſui noſcere, *Dum aetas, metus, magiſter prohibebant: neque Denique, donec liberius vivendi fuit poteſtas*. id in hominum vita latius patet. neque enim poteſt cujusquam hominis ingenium plene, perfecteque cognoſci, dum privatus eſt, neque eam facultatem habet, ut omnia more, ac modo ſuo facere audeat. Multorum enim libidines in privata vita legum, ac judiciorum metus domitas, ac compreſſas tenet: quae poſtea in magiſtratu, atque imperio licentiam nactae, erumpunt, produntque ſe, & quaſi ſolutae vinculis, huc illuc & in ſuam, & in aliorum perniciem ruunt. Multi etiam fuerunt in omni aetate, qui diuturna virtutis, innocentiae, frugalitatis ſimulatione, viam ſibi ad amplisſimos, maximosque honores munierunt, quos conſecuti, retexerunt naturam ſuam, & quaſi exuta perſona, omnibusque involucris & integumentis nequitiae abjectis, ac repudiatis, pro modeſtia ſuperbiam, & arrogantiam, pro contemptu pecuniae avaritiam, & rapacitatem, pro continentia libidinem, pro clementia crudelitatem prodiderunt. Itaque qui, dum ad illum honoris gradum affectarent viam, ultro omnes obvios ſalutabant, idem quod volebant conſecuti, neminem agnoſcunt; quos amplectebantur, vix eis oſculandam manum porrigunt; quos ſibi fratrum loco ſemper fore jurabant, eos vix in mancipiorum numero habere dignantur: quodque omnium turpisſimum eſt, quarum artium opinione illo conſenderunt, eas ipſas in aliis deſpiciunt, ac faſtidiunt. Neque usquam magis verum eſt, quod alicubi ait Plautus: *Fere maxima pars morem hunc homines habent: Quod ſibi volunt, dum id impetrant, boni ſunt. Sed id ubi jam penes ſeſe habent, Ex bonis peſſimi, & fraudulentiſſimi fiunt.* M. Cato ille cenſorius in oratione, quam in cenſura de veſtitu, & vehiculis habuit, cum alia multa ſapienter, ac graviter dixit, tum illud inprimis: *Perjurum eſt*, inquit, *cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos datur: ubi datus eſt, tamen uti eos mutem, atque alii modi ſim.* Non ita multi: qui mutata veſte, ac fortuna, ita repente alii ſiunt, ut honorum acceſſione mores mutari, factum

jam

jam ſit tritum conſuetudine proverbium. Plerique enim usque eo ſe dignos honoribus praebent, dum eos adipiſcantur: adepti ita ſe gerunt, ut illud honoris inſigne Circaeum aliquod poculum fuiſſe videatur. Qualia mihi nonnunquam intuenti, venit in mentem clamare: o Bias, Bias, merito es & apud aetatis tuae homines, & poſtea in omni poſteritate opinionem magnae cujusdam, ac ſingularis ſapientiae conſecutus. Tu praeclare intelligebas, multas eſſe in hominum animis latebras, multos receſſus: multos reperiri, qui luxurioſe, intemperanter, flagitioſe vivere, ſuperbiam, injuſtitiam, crudelitatem exercere non tam nollent, quam aut non poſſent, aut non auderent: eos verſare, & regere naturam ſuam ad tempus: ubi ad honores, & ad potentiam pervenisſent, alios fieri: itaque de nullius natura, ingenio, moribus, ſatis certo judicari poſſe dicebas, quam diu privatus eſſet, ut aurum igne, aut Lydio lapide, ſic hominum ingenia, magiſtratibus, poteſtatibus, imperiis, explorari, & patefieri. Nam ut non attingamus exempla aetatis noſtrae, orationemque abducamus ab iis, qui quo plura ſciunt in ſe dici poſſe, eo plura in ſe dicta ſuſpicari queunt, Tiberium (*) Caeſarem ita mutatum eſſe adepto imperio, accepimus, ut dictum ſit ab hiſtoricis, *eo neque meliorem ſervum, neque deteriorem dominum unquam fuiſſe.* At contra Cimon Athenienſis cum in adoleſcentia ſtupidus, & excors habitus eſſet, populi ſuffragiis ad munera publica evectus, multa dediſſe, & virtutis, & prudentiae documenta dicitur. Ita in utramque partem verum eſt, quod a Biante dictum eſſe Ariſtoteles ait, magiſtratus, & imperia eam vim habere, ut neque vitia, neque virtutes, eorum a quibus geruntur, atque obtinentur, occultas eſſe patiantur.

Atque ob eam ipſam cauſſam] Capitalis, & peſtifera olim multorum animos occupaverat opinio, juſtitiam ſtultitiam quandam eſſe, injuſtitiam autem, quae modo cum conſilio ac calliditate conjuncta eſſet, prudentiam vel maximam. quod qui defendebant, ajebant, hominem juſtum negligere utilitatem ſuam, aliorum commoda procurare, injuſtum autem ſibi proſpicere, & ex aliorum ſimplicitate, ac ſtultitia commodum ſuum comparare. Hanc ſententiam ita exprimit Iolaus apud Euripidem prin-

ci-

(*) Imo, *Caligulam.* Vide Suetonium in ejus vita cap. 10.

cipio Heraclidarum: Πάλαί πυτ' ἐστὶ τοῦτ' ἐμοὶ δεδογμένον. Ὁ μὲν δίκαιος τοῖς πέλας πεφυκ' ἀνήρ. Ὁ δ' εἰς τὸ κέρδος λῆμ' ἔχων ἀνειμένον, Πόλει τ' ἄχρηστος, καὶ συναλλάσσειν βαρὺς, Αὐτῷ δ' ἄριστος. id est, *Jam pridem ego hoc apud animum statui meum, Justum virum aliis esse natum, non sibi. At cujus animus fertur omnis ad lucrum, Inutilis ille civibus quidem est suis, Et contrahendis asper in negotiis, Sibi sed ipsi optimus, & utilissimus.* Itaque multa Thrasymachus apud Platonem 1. de repub. in eam sententiam disputat, ὅτι ἡ μὲν δικαιοσύνη, &c. Addit argumenta, quibus impiam illam, & sceleratam sententiam confirmet: quae ex eo reperire non difficile est. Glauco etiam secundo eorum librorum ulterius progreditur, ac contendit, omnes homines, etsi sedulo dissimulant, tamen ita sentire, neque se alia re, quam metu, ab injustitia abstinere, neminemque esse, qui, si talem aliquem annulum habeat, qualem Gyges habuisse dicitur, aut alio quo modo prorsus impune injustus esse possit, non dicturus sit justitiae multam salutem, seque totum injustitiae, ut rei optimae, atque utilissimae traditurus. Haec omnia Socrates copiosissime, & accuratissime refutat: neque aliud fere in eis dialogis Platonis propositum est, quam ut per Socratis personam doceat, meliore semper conditione esse justum, quam injustum: & justitiam cum omnibus multum, tum possessoribus suis plurimum prodesse: ex injustitia autem ad nullum plura aut graviora mala, quam ad ipsum injustum, pervenire. Sed Aristoteles ex eo natam esse illam opinionem docet, quod justitia ea facit, quae aliis potius, quam ei, in quo est, prodesse videantur. Quod & Cicero ita expressit lib. 2. de repub. *Justitia foras spectat, & projecta tota est, atque eminet.* & in eodem libro: *Quae virtus praeter ceteras totam se ad alienas utilitates porrigit, atque explicat.*

Ergo pessimus quidem ille] Non est dubium, quin ut quisque agit in ea, in quae agere difficilius est, ita majore quadam vi in quoque genere praeditus judicetur: exempli caussa, si e duobus gladiis unus ligna modo scindat, & dividat, alter etiam ferrum: majorem in hoc, quam in illo scindendi, penetrandique vim esse statuemus: & cum audimus, sublatum ab Aenea saxum tantae magnitudinis, ut vix illud *bis sex lecti cervice tulissent, Qualia nunc hominum producit corpora tellus:* ex eo intelligimus, multo majus in eo robur, quam in posterioris aeta-

aetatis hominibus, fuisse. Ac ne in re perspicua sim longior, difficultas ejus quod efficitur, vim ejus a quo efficitur arguit. Cum igitur vix quisquam usque eo improbus reperiri posse videatur, ut in eo improbitas vincat eam, quae cuique a natura indita est, in suos benevolentiam & caritatem, si quis existat ejusmodi, pessimum eum esse, & singulari quadam improbitate praeditum judicamus. *Qui fallere*, ait Terentius, *insuerit patrem, Aut audebit, tanto magis audebit ceteros.* Ita qui in uxorem, aut in patrem, aut in liberos, in fratres, in amicos erit injurius, multo se minus ab imponenda iis, quibus nullo tali vinculo conjunctus est, injuria abstinebit. Sed non, ut ex eo maxima quaedam injustitiae vis cognoscitur, si in eos quoque grassetur, quos carissimos habere debet, ita & ea maxima, & perfectissima justitia habenda est, si quis se in suos justum praebeat. immo vero is justissimus, qui non tantum in suos, sed etiam in alienos talis est. id enim difficile est. & qui justus est etiam in alienos, multo magis talis erit in suos. Sed quid est, quod ait Aristoteles, *in se ipsum*, cum, ut infra docebitur, nemo in se ipsum neque justus, neque injurius esse possit? An eo loquendi genere eos, qui quodammodo idem nobiscum esse videntur, intelligit? Tales autem sunt parentes: eorum enim ipsi pars sumus: liberi: sunt enim pars nostri: uxor: efficitur enim unum, & idem cum viro: fratres: ab eodem enim semine oriundi sunt: & sunt quibus videatur frater dictus esse, quasi *fere alter*: (quod tamen lepidum, & acute excogitatum potius videtur esse, quam verum:) amici: scitum est enim illud Pythagorae, ὁ φίλος ἕτερος ἐγώ: ut quod cis quisque boni, aut mali facit, id ipse sibi facere videatur. Aristotelis Graeca leviter depravata esse arbitror. quod enim vulgo legitur, τοῦτο γὰρ ἔργον χαλεπὸν, puto, mucosum, ut ita dixerim, esse, deberique ἀπομύττειν, abstersa illa voce χαλεπὸν. quam glossam esse ostendunt libri quidam, in quibus scriptum est, τοῦτο γὰρ ἔργον τοῦτ' ἐστὶ χαλεπὸν. Ἔργον autem saepe idem valere quod ἐργώδες, aut χαλεπὸν, ita notum est, ut putidum sit, in eo probando velle operam sumere. & ita quoque a Latino poëta dictum est: *Hoc opus, hic labor est.*

Haec igitur justitia non pars] Quae hic dicuntur, satis per se aperta, & perspicua sunt: nisi quis sibi forte

id

id apertius ostendi postulet, quod in extremo dicitur, esse quaedam, quae re eadem sint, sed ratione differant; in quo tamen nihil obscuritatis est. Idem homo est, & filius, & pater: non tamen eadem ratione: sed hujus filius, illius pater. Cum medicus se ipsum curat, idem est qui curat, & qui curatur: non tamen eadem ratione. curat enim ut medicus: curatur ut aegrotus. Sic eadem animi conformatio vocatur & virtus simpliciter, & justitia legitima. non eadem tamen ratione: sed quatenus refertur ad alium, justitia, quatenus est talis quidam habitus, virtus.

Quaerimus autem eam justitiam] Nunc demum ingreditur in id, quod sibi proprie, ac praecipue in hoc libro proposuit, ut disserat de ea justitia, quae certa quaedam sive pars, sive species virtutis est, deque ea injustitia, quae ei adversatur. Nomen autem *generis* aut *totius* interdum proprie ad aliquam partem accommodari, neque novum, neque inusitatum est. In categoriis *diathesi*, id est, affectio, dividitur in affectionem proprie dictam, & habitum. *Adoptionem* jurisconsulti dividunt in eam, quae proprie adoptio dicitur, & in arrogationem. l. 1. Dig. de adopt. Idem cognatorum eos, qui per virilis sexus cognationem conjunguntur, *agnatos* vocant, eos, qui per feminas, nullo proprio nomine afficiunt, sed *cognatos* vocant, l. *jurisconsultus* Dig. de grad. & adfinibus. Ita *genus*, & certam quandam generis partem eodem vocabulo notant. Nos quoque *justitiam*, & continens quoddam nomen esse dicimus, quo omnis virtus continetur, & certam tamen quandam virtutem eodem nomine adficimus. Michael Ephesius hoc ipsum alio quodam simili illustrat. ait enim, ita proprium esse hujus virtutis id nomen, quod ceterarum quoque commune est, ut olim nomen *hominis*, quod omnibus hominibus commune est, cujusdam Olympionicae proprium fuit. Id male a quibusdam accipitur, qui putant, eum, qui vicissee Olympia, quocunque tandem nomine vocaretur, cum victor pronuntiaretur a praecone, non suo proprio, sed communi omnium nomine *hominem* vocari solitum esse. In quo errore versatus est etiam vir clarissimus & ornatissimus, Franciscus Connanus, cap. 2. lib. 1. commentariorum juris civilis: quod tamen a me quasi vituperandi ipsius causa dictum accipi nolim. non enim mirum est, si homini in gravissimarum rerum tractatione occupato, quas ita persequebatur, ut quemadmo-

Digitized by Google

modum Apellis Venerem nemo repertus est qui auderet absolvere, ita his, quae ille inchoata immatura morte praereptus reliquit, nemo unquam ultimam manum impositurus esse videatur, aliquid excidit, quod olim puer in grammaticorum commentariis legerat. in aliis, qui hoc litterarum genere praecipue censentur, idem minus ferendum est. Nam vel ex verbis Michaëlis ipsius intelligere poterant, eum non de omnibus Olympionicis, sed de certo aliquo loqui: cum ait, ἐκεῖνος ὁ Ὀλυμπιονίκης. quod ipsum satis ostendunt verba Aristotelis e septimo ethicorum, ubi de hoc ipso ita loquitur: ὥσπερ Ἀνθρωπος ὁ τὸν Ὀλυμπικὸν νικήσας· ἐκείνῳ γὰρ ὁ ἀγὼν λόγος ἕν ἰδίῳ μικρῷ διέφερεν, ἀλλ' ὅμως ἑτέρου ἦν. Omnem autem dubitationem tollit Eustathius in Iliados λ, cujus haec verba sunt: Ὀλυμπιονίκης τις κατὰ κυριωτέραν ἐκλῆψιν Ἄνθρωπος. Sed nos ad institutum revertamur.

Esse autem, id argumento est] Disputaturus de ea justitia, quae pars virtutis est, primum ostendit eam esse, id enim in omni disputatione primum esse, docet ipse in posterioribus Analyticis. Esse autem ostendit ex eo, quod est quaedam injustitia, quae certum quoddam vitium est. Unde fit, ut iti & justitia quaedam, quae ad virtutem eodem modo affecta sit, ut illa ad vitium. Atque ad hanc rationem docendi ipse sibi viam munivit, cum principio hujus libri docuit, *ex uno contrariorum altero saepe cognosci*. Esse autem talem quandam injustitiam, probat tribus argumentis, quae ordine explicaturi sumus. Eorum igitur hoc primum est in secunda figura. Nullus eorum, qui agit aliquid eorum, quae ad cetera vitia pertinent, πλεονεκτεῖ. aliquis injuste faciens πλεονεκτεῖ, aliquis igitur injuste faciens, nihil agit eorum, quae ad cetera vitia pertinent. Aut igitur omni se injustitia contaminat, aut certa aliqua injustitiae parte, cui idem quod toti nomen est. non est autem primum. secundum igitur, primam illam sumptionem probat tribus exemplis: quorum in primo illud non indignum est, quod notetur, summam olim infamiam fuisse eorum, qui clypeum abjecissent, quos contumeliae causa ῥιψάσπιδας vocabant. Plutarchus in Pelopida: οἱ δὲ τῶν Ἐπαμεινώνου μαθητὰς τὸν ῥίψαντα κραυγάζοντες, ἐκ τῶν ξίφους ἐδὲ λόγχης ἄρχειν μέτον, ἐδιδάσκοντες ὅτι ἢ μὴ παθεῖν κακῶς ἀσπίδος, ἢ ἕ ποιῆσαι τοὺς πολεμίους φόβον μέλλει σωτήριον. καλεπίπτω malui vertere

assi-

asperitatem, quam, ut alii, *iracundiam*. nam *iracundiam* puto esse ὀργιλότητα. & ita hoc nomine Horatium usum censeo in illo versu: *Asperitatis, & invidiae corrector, & irae*. Illud quoque animadversione dignum est, eum, qui illiberalitate ab ope alii ferenda retardatur, videri injuste facere, & adversus leges. Quamvis enim nulla ejus rei actio legibus prodita est, non obscurum tamen est, eum facere adversus legem naturae, quae omnibus hominibus inter se quandam, ut jurisconsulti ajunt, cognationem constituit. l. *ut vim* Dig. de just. & jur. Quin etiam id Charondas Catanaeus in legibus suis posuerat. in quibus haec leguntur: Ἐπαινείσθωσαν δὲ καὶ εὐδοκιμείσθωσαν ὅσοι ἂν ὄντες εὔποροι τοῖς ἐνδεεστέροις ἐπαρκῶσιν, ὡς τέκνα καὶ ἀμύντορας σώζοντες τῶν ἑαυτῶν πατρίδος. ἐπαρκείτωσαν δὲ τοῖς διὰ τύχην πενομένοις, καὶ μὴ διὰ βίον ἀργὸν καὶ ἀκρατῆ. ἡ μὲν γὰρ τύχη πᾶσι κοινὸν. ὁ δὲ ἀργὸς, καὶ ἀκρατὴς βίος κακοῖς ἀνδράσιν ἴδιος. id est, *Laudentur autem, & bona existimatione sint quicunque ex divitibus tenuiorum inopiam sustentant. ut qui patriae suae filios propugnatoresque servent. suppeditent autem iis, qui fortuna ad inopiam redacti sint, non iis, qui ignavo. & luxurioso vivendi genere. Nam fortuna quidem omnibus communis est: ignavia autem, & luxuriosa vita malorum hominum propria.*

Praeterea si duorum] Aliud argumentum, quo idem probat. Videtur autem ita esse perspicuum, ut in eo declarando opera sumenda non sit. Tertium autem hoc est.

Praeterea omnia alia] Praeter injustitiam illam universam.

At si lucrum fecit] Lucrum dicit illicitum & inhonestum.

Unde constat] Quomodo quam antea homonyman dixerat, nunc, quasi mutata sententia, synonyman esse dicit? Intelligendum est, inter ea, quae plane homonyma sunt, & ea, quae plane synonyma, esse quaedam, quae mediam quodammodo naturam obtinent. ea modo synonyma, modo homonyma dicuntur. quatenus enim communis quaedam eorum ratio, & natura est, synonyma dicuntur: rursus quatenus non prorsus eadem, homonyma. Ut justitia universa, & ea, quae pars virtutis est, synonymae sunt, quatenus earum utraque virtus quaedam est, quae refertur ad alium. at quatenus illa latius patet, haec angustior, & adstrictior est, homonymae.

Sed

Sed haec quidem in honore] Salutis nomine hoc loco intelliguntur omnia, quae ad vitam tuendam necessaria sunt: sive ut simus, sive ut bene & commode simus. Quod autem addit, *& voluptatem, quae capitur ex lucro*, eo pertinet, quod omnis virtus moralis versatur περὶ ἡδονὰς, καὶ λύπας: ut dictum est lib. 2.

Non unam igitur esse justitiam] Haec ita perspicua sunt e superioribus, ut nulla declaratione indigere videantur.

Cum igitur injustum] In quadam admirabili exemplarium tum veterum, tum recentium varietate secutus sum eam scripturam, quae mihi visa est optima. est autem haec: ἐπεὶ δὲ τὸ ἄνισον, καὶ τὸ παράνομον οὐ ταυτὸν, ἀλλ' ἕτερον ὡς μέρος πρὸς ὅλον (τὸ μὲν γὰρ ἄνισον ἅπαν παράνομον, τὸ δὲ παράνομον οὐ πᾶν ἄνισον) καὶ τὸ ἄδικον, καὶ ἡ ἀδικία, &c. quae scriptura, ut mihi quidem videtur, & veram, & perspicuam sententiam continet. Quae ab aliis interjiciuntur de comparatione τοῦ πλέονος καὶ τοῦ ἀνίσου, vera quidem sunt, sed nihil, ut arbitror, faciunt ad id quod hic docetur.

Ergo justitia illa quidem] Quod vulgo legitur, ἡ μὲν ἦν κατὰ τὴν ὅλην ἀρετὴν τεταγμένη, malo legere, ut in aliis libris scriptum reperio, τεταμένη. In his autem declarandis opera abutendum non puto: cum ea tantum ipsa breviter repetantur, de quibus supra satis fuse disputatum est.

Totius autem virtutis] Primum admonebo, me hic legere, περὶ παιδείας τῆς πρὸς τὸ κοινὸν, non, ut vulgo, περὶ παιδείας τὴν πρὸς τὸ κοινόν.

Antiqui legumlatores multa legibus sanciebant de ratione adolescentum educandorum: eamque vel plurimum momenti habere ad salutem reipub. judicabant. cum enim ea firmissime in animo haerere soleant, quae a teneris annis imbibuntur, qualiscunque tandem prima illa educatio fuerit, tales etiam in omnem vitam mores, taliaque studia consequi constat. Aetas autem succedit aetati: deficientibusque iis qui nunc rempublicam administrant, alios in eorum locum substitui, ac succedere necesse est. Qui si apte, & accommodate ad eam rempublicam, in qua nati sunt, educati erunt, non temere quicquam in ea novarum rerum molientur, sed eam, qualem acceperunt a majoribus, talem studebunt etiam poste-

steris tradere: neque quorum una eademque in pueritia fuerit omnium institutio, valde unquam eorum in tractandis publicis negotiis sententiae discrepabunt. Sin, ea tota re neglecta habita, alii aliis moribus imbuti, atque instituti ad rempubl. accedent, dum quo sua quemque natura ducet, eo etiam civitatis formam inflectere conabitur, non mediocre periculum est, ne variis discordantium, ac dissentientium opinionum, quasi fluctibus agitata, in uno eodemque statu diutius permanere non possit. Itaque apud Platonem in Euthyphrone Socrates, primam in civitate curam instituendae juventutis esse debere pronuntiat: & libro septimo de legibus Atheniensis ille hospes, sive ille Plato, sive quis alius est, ait: *Si juvenes, ut oportet, educati sint, atque educentur bene ac prospere succedentia omnia: sin minus, ea evectura, quae ipse ne dicere quidem vult, ne ei quam instituit civitati videatur male omnari.* Aristoteles quoque principio libri octavi politicorum, & hac de re idem sentit quod magister, & magnopere commendat Lacedaemonios, quod in instituendis publice pueris plurimam operam collocarent. Quod quidem de Lacedaemoniis, & ex Plutarcho in vita Lycurgi, & melius etiam e Xenophonte in commentario, quem de ipsorum republica scripsit, cognosci potest. Pro variis autem reipub. generibus varium quoque esse instituendi rationem oportet. Ubi enim aequo omnes jure utuntur, ita assuefaciendi sunt, ut olim alternis vicibus & parere, & imperare possint: ut neque ipsi plus posse de quam ceteros velint, neque, quantum in ipsis erit, quenquam alium ad eam potentiam, ut unus ceteris imperet, pervenire patiantur. Ubi optimatum consilio omnia gubernantur, ita, ut ab eorum qui praesunt voluntate, ac jussis pendeant, eos observent, eis pareant, quod ipsi scierint, ab eo discedere nefas putent. Ubi unus rerum potitur, ut ei omnibus in rebus obtemperent, ut ipsius jussa, non hominis jussa, sed Dei propemodum alicujus oracula esse existiment, neque quod ipsi placuerit, id justum necne sit, dubitare fas ducant. Atque in iis quidem civitatibus, ubi communis imperandi, & parendi vicissitudo est, communis quaedam omnium institutio esse debet: ubi alii semper imperant, alii semper imperio parent, aliter hos, aliter illos institui, atque educari consentaneum est.

Illa

Illa igitur publica inſtitutio, quae ad ipſum reip. genus dirigitur, & accommodatur, effectrix eſt totius virtutis, id eſt, juſtitiae illius univerſae, de qua tam multa jam diximus. Ingenerat enim in animis amorem quendam patriarum legum talem, ac tantum, ut ſuas quisque optimas putet, neque eas ullo modo mutari velit. Itaque qui in regno educati ſunt, unius imperio parere optimum ducunt: qui in populari republica, ab unius auctoritate pendere, mortis inſtar putant. Tantum educatio virium habet. Sed illa quidem publica bonos cives efficit, & amantes earum legum, quibus patria ſua utitur. Eſt alia quaedam privata, & reſpiciens ad ea tantum, quae ſimpliciter & abſolute pulchra, atque honeſta ſunt. Haec viros bonos efficit, neque, ut illa ſuperior, pro rerum publicarum varietate alia atque alia eſt, ſed omnibus locis eadem. Nullus eſt enim locus, in quo non eos, qui viri boni futuri ſunt, ad juſtitiam, ad fortitudinem, ad temperantiam, ad liberalitatem, ad omnem denique honeſtatem inſtitui oporteat. Neque haec alia ſunt in regno, alia ubi praeſunt optimates, alia ubi populus: ſed eadem ubicunque terrarum. natura enim conſtant. De hac privata cujusque diſciplina, ait Ariſtoteles, fore ut poſterius diſputetur, numquid ea ad civilem facultatem, an ad aliam quandam pertineat. Nam in perfecta quidem, & optime temperata repub. ejusdem facultatis eſt bonos cives efficere, & bonos viros. Illic enim is demum bonus civis eſt, qui vir bonus. At in vitioſo, & depravato reipub. ſtatu aliud eſt bonum virum eſſe, aliud civem bonum. Nam bonus civis eſt qui praeſentem reipub. ſtatum maxime amat, eumque modis omnibus conſervare conatur. At ea quae vitioſa ſunt, viro bono placere non poſſunt. Itaque Dio Syracuſanus eo quidem ingenio, ac moribus fuit, ut neminem ex omni vetere hiſtoria eo meliorem, atque omni virtute ornatiorem virum proferri poſſe arbitrer. idemque in rep. bene temperata optimus, ac praeſtantiſſimus civis fuiſſet. Sed Syracuſis, cum omnia unius impuri, atque impotentis adoleſcentuli libidine gererentur, bonus civis eſſe non poterat. Non facile dixeris, cum haec urbs olim innumerabiles viros omni virtutis laude cumulatos extulerit, quem eorum M. Catoni anteponere debeamus. Is & ſemper vir optimus, & dum ſtetit resp. optimus civis fuit. In

regno, aut tyrannide nunquam vivere potuisset. Itaque vitam projecit, ne Caesarem regnantem videret. Selgam Lacedaemoniorum in Pisidia coloniam fuisse accepimus, cujus omnes cives erant viri boni. Id si verum est, (aliter enim ab aliis traditum est) oportet eundem ibi fuisse & optimum virum, & optimum civem. Contra Philippus Macedonum rex oppidum quoddam in Thracia condidisse dicitur, in quod omnes, quos improbissimos cognoverat, congregabat. idque ex re Poneropolim, id est, improborum civitatem, nominavit. Eo si casu vir bonus aliquis deductus esset, nunquam sane in illa teterrimorum hominum colluvione bonus civis esse potuisset. Hoc igitur est, quod Aristoteles ait, non idem esse bonum virum, & bonum civem πάντη, id est, ut ego interpretatus sum, *quocunque in loco*. Sed ea de re plura lib. 3.

Justitiae autem illius] Dividit eam justitiam, quae certa quaedam virtus est, in duo genera, quorum unum cernitur in distributione honoris, pecuniarum, & similium inter cives: alterum in iis negotiis, quae homines inter se contrahunt, ad aequalitatem dirigendis. in illo habenda est ratio personarum: ut tantum cuique tribuatur, quantum pro dignitate debetur. In hoc non spectatur personarum dignitas: sed tantum res ipsae. exempli caussa, in emptione, ac venditione non laboramus, qua dignitate sit is, qui emit, aut qui vendit: sed tantum quanti res ipsa sit, ut cum ea pretium adaequetur. Sed de his agetur postea. Nomen συναλλάγματος, quo hic Aristoteles utitur, latius hic patet, quam apud jurisperitos. Illi enim συνάλλαγμα *contractum* modo vocant, id est, ubi ultro citroque obligatio est, ut venditionem, locationem, & similia. l. *Juris gentium*. Dig. de pactis. l. *Labeo*. Dig. de verb. significat. Itaque subtiliter distinguunt eas obligationes, quae nascuntur ex contractu, aut quasi contractu, ab iis, quae ex maleficio, aut ex quasi maleficio. At Aristoteles ea omnia uno συναλλάγματος nomine comprehendit; ut constat ex ea divisione, quae proxime sequitur.

Hujus autem partes] Ea justitia, quae in synallagmatis ad aequalitatem dirigendis cernitur, duplex est. Nam synallagmatum alia sponte fiunt, quae dicuntur ἑκούσια, alia invita, quae ἀκούσια. ἑκούσια sunt, quibus consensus utriusquo

que contrahentium principium dedit: ut quae hic enumerantur, quorum ſingillatim naturam attingere fortaſſis non ab re erit. *Venditio* igitur eſt, cum, ut res accipiatur, datur pecunia. l. *Naturalis.* Dig. de praeſcrip. verb. l. 1. Dig. de oblig. & act. Hanc ſponte inſtitui conſtat. Vendere enim rem ſuam invitus cogitur nemo l. *Non enim aequum eſt.* Dig. de act. rer. amot. Quod oſtendit & Terentius in Adelphis, his verbis: *Quid, ſi ego illam nolo vendere, coges me?* Eademque ratio emptionis. *Mutuum* eſt, cum alienum rei noſtrae, earum quae functionem in ſuo genere recipiunt, dominium in alium transferimus, ea conditione, ut nobis aut eadem, aut ejusdem generis alia aeque bona reddatur. l. 2. & l. 3. Dig. ſi cer. petatur. *Fidejuſſio* quid ſit, ita explicat Cajus lib. 2. *aureorum* l. 1. Dig. de oblig. & act. Aut proprio nomine quisque obligatur, aut alieno. qui autem alieno nomine obligatur, fidejuſſor vocatur. & plerumque ab eo quem proprio nomine obligamus, alios accipimus, qui eadem obligatione teneantur, dum curamus, ut quod in obligationem deduximus, tutius nobis debeatur. *Commodamus* quod utendum damus. itaque Graeci *commodatum* χρῆσιν vocant. neque quicquam intereſt commodare, & utendum dare, niſi quod illud in rebus tantum mobilibus dicitur, hoc etiam in rebus ſoli. l. 1. Dig. commod. *Depoſitum* eſt, quod cuſtodiendum datum eſt. l. 1. Dig. dep. *Locatio & conductio* uno μισθώσεως nomine a Graecis comprehenduntur. Locamus autem, cum pro rei noſtrae uſu, aut pro opera noſtra de mercede, quam exigere debeamus, convenimus. Quod autem dicunt, interdum non eum qui locat, ſed eum qui conducit, mercedem accipere, inane eſt. nam qui opus faciendum conducit, operas ſuas locat. Haec autem ἐκδόσεις dicuntur, quod principio liberum eſt contrahentibus, utrum velint facere: etſi poſtea multa ſunt, quae facere coguntur etiam inviti. ut venditor rem tradere, emptor pretium ſolvere: ut illud Chilonis dictum etiam conſecratum fuerit: ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. itidemque in ceteris. Sed, ut dixi, principii ratio habetur.

Eorum autem quae fiunt invite.] Haec omnia juriſconſulti non ſynallagmata, ſed maleficia, aut crimina vocarent. Ariſtoteles autem ſynallagmata, ſed *acuſia*, id eſt, invite facta, quoniam praeter alterius eorum, quorum

res agitur, voluntatem. Itaque cum dictum sit libro tertio, invitum aliud esse per ignorantiam, aliud per vim, horum quoque in aliis ignorantiam, in aliis vim intercedere videmus. Non erit autem alienum, ut in superioribus fecimus, ita in his quoque uniuscujusque naturam breviter, & strictim attingere. *Furtum*, ait Paulus l. 1. Dig. de furtis, est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve. *Adulterium* proprie in nuptam committitur, ut *stuprum* in virginem, aut in viduam. l. *inter liberas* Dig. ad l. Jul. de adult. servum alienum corrumpit, qui dolo malo tale aliquid persuadet, quo eum deteriorem faciat. l. 1. Dig. de ser. corr. Venefici, homicidae, falsi testes in crimine capitali, jure Romano, lege Cornelia de sicariis coërcentur. toto tit. Dig. ad l. Cornel. de sic. Sed quid vocat Aristoteles *lenocinium*? si enim id quod vulgo, habere mulieres prostitutas ad omnium libidinem, ex quibus quaestum faciat, clandestinum id esse non potest. sed potius dicere videtur sollicitationem alienae uxoris ad adulterium, inscio marito. In violentis mortem cum numerat, *mortis* nomine caedem intelligit. προπηλακισμὸν verti *contumeliam*. ea aut in re posita est, aut in verbis. in re, ut cum Demosthenes ait: ὕβρισμαι μὲν ἐγὼ, καὶ προπεπηλάκισται τὸ σῶμα τ' ἐμὸν, significans colaphum sibi a Midia impactum: in verbis, ut apud Sophoclem in Oedipo Tyranno: Πρὸς ταῦτα καὶ Κρέοντα, καὶ τὐμὸν σῶμα Προπηλάκιζε. Utroque modo apud Romanos dabatur *actio de injuriis*.

Quando autem & injustus] Ostendit, justum aequale esse, argumento a contrariis ducto: quod videlicet injustum sit inaequale. Vis autem hujus argumenti pendet ab eo loco, qui traditur primo Topicorum, *Contraria de contrariis dicta probabilia esse*.

Cum autem aequale[Syllogismus est in prima figura, quo probat, justum medium quoddam esse.

Quoniam autem, quae statim sequuntur eo pertinent, ut ostendatur, justum in quadam analogia situm esse, iccirco mihi, prius quam ea explicare ingrediar, de Analogia, quid sit, quotuplexque sit, quantum ad haec tractanda satis, & breviter disserendum est. *Analogia* est quatuor numerorum inter se cum quadam aequalitate comparatio. Eam etsi poteram Latine *pro-*

por-

portionem dicere, malui tamen retinere vocem Graecam. (*)

Videtur autem quibusdam] Examinat opinionem Pythagoreorum de justitia, ostenditque tum quid in ea insit vitii, tum etiam quomodo intellecta vera esse possit. Illi igitur censebant, absolute, ac simpliciter jus esse talionem: id est, ut quod quisque alii fecisset, idem ipse pateretur. Habet haec sententia primo aspectu magnam probabilitatis speciem, estque, ut quodam loco Aristoteles loquitur, ἀνάπαλμος ἀκούσαι. Videtur enim summam aequalitatem efficere. Itaque multis auctoritatibus nititur. Primum enim communi hominum sententia comprobari videtur: multaque dicta in ore sunt omnibus, quae tale quiddam significant: ut, *Ab alio exspectes alteri quod feceris*: Et, *ut sementem feceris, ita metes*. & apud Jurisconsultos celebre est, *quod quisque juris in alium statuerit, eo ut ipse utatur*. quo in edicto summam ait Ulpianus esse aequitatem. Deinde divinarum quoque litterarum auctoritate jus hoc confirmari videtur, in quibus ita scriptum est, *Oculum pro oculo*, &c. Exod. 21. & alibi. *Qui irrogaverit maculam* &c. Levit. 24. Deut. 19. Ergo hoc senserunt Pythagorei. & Rhadamanthyos quoque, quem justissimum fuisse ajunt, eandem in judicando rationem fuisse accepimus, quae hoc versu Hesiodio continetur; Εἴ κε πάθοι τὰ κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο. Et lege 12. tabul. videtur idem jus constitutum fuisse. ita enim in eis scriptum erat: *Si membrum rupit meum, e pacto talio esto*. Sed & Locrenses Epizephyrii eodem jure utebantur: etsi postea id correxerunt. quod qua occasione factum sit, non est ab hoc loco alienum recensere.

Locrensibus leges tulerat Zaleucus, qui, cum intelligeret, nihil tam periculosum esse in republica, quam, abrogatis vetustis legibus, novas ferri, statuit, ut qui novam legem rogare vellet, collo in laqueum inserto id faceret, &, si quidem lex justa & honesta ab eo ferri videretur, id

(*) Hanc de Analogia disputationem desiderari doleo. Erat enim magnus hic hiatus, sive nondum auctor limasset, sive per negotia describere non vacavit. Itaque petendam censeo, quando aliud non licet, e Michaëlis Ephesii, Divi Thomae, Donati, Acciaioli, Petri Victorii, & aliorum commentariis. *Editor Ingolstadiensis.*

id illi impune esset, sin minus, fracta laqueo gula moreretur. Rem totam graviter, & luculenter narrat Demosthenes orat. adversus Timocratem, his verbis, ut ea quidem Germanus interpres Latine reddidit: *Narrabo vobis, judices*, &c. Est & apud eundem oratorem, de legibus non temere antiquandis, novisque condendis locus insignis in ea adversus Leptinem. Sed hoc agamus. Illi igitur ita cognoverunt, evenire posse, ut in talione injustitia inesset.

Multis autem argumentis intelligi potest, quod hoc loco ait Aristoteles, talionem neque ad id jus, quod in distribuendo, neque ad id, quod in corrigendo situm est: & idem semper pro eodem reddi neque posse, neque debere. Horatius Cocles solus in ponte sublicio irruentem in urbem hostium vim sustinuit. Si justum esse statuas idem ipsi fieri, quod ipse fecit, quomodo tandem id consequeris? C. Mucius manum suam combusit, & admiratione virtutis suae, regem illis temporibus potentissimum, & infensissimum populo Romano pacem facere coëgit: quid ei facies, si talionem jus esse statuas? Quid Codro, quid Deciis, quid ceteris, qui se pro patria devoverunt? liberavit te aliquis lethali morbo laborantem: alius a piratis redemit ut justus in utrumque sis, hac quidem ratione oportebit illum quidem aegrotare, te vero medicum fieri: & qua ipse fortuna in te curando usus est, eandem in ipso curando experiri: hunc autem in piratarum manus, ac potestatem venire. Pater te genuit, & educavit: numquid, ut in eum justus sis, idem te illi facere oportebit? est qui alienam uxorem corruperit. hanc quisquam justitiam esse dicat, ut ejus uxor vicissim ab eo, cui haec imposita injuria est, adulteretur? Quid autem, si qui adulterium fecit, uxorem non habeat? Caesari in Hispania siti confecto, cum ad fontem potissimum accedere non posset, miles quidam aquam periculo salutis suae petitam in galea attulit. huic videlicet Caesar, si in eum justus esse vellet, plenam aquae galeam reddidisset. Dario in fuga esurienti cibarius panis datus est. debuitne, si ad meliorem fortunam pervenisset, ei a quo eum acceperat, tantundem panis reddere? Pigeat plura congerere: cum innumerabilia nullo negotio congeri possint. sed mihi venit in mentem illud Aristotelis

e ter-

Digitized by Google

e tertio de partibus animalium: εὐηθές ἐστι τὸ τοὺς εὐήθεις τῶν λόγων λίαν ἐζετάζειν.

Hoc quoque loco accreverant multa. ita enim in quibusdam libris legitur: τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει οὔτε ἐπὶ τὸ νόμιμον, οὔτε ἐπὶ τὸ πολιτικόν. πολιτικὸν δὲ λέγω τὸ κοινωνικόν. τὸ δ' ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει οὔτε ἐπὶ τὸ διανεμητικὸν δίκαιον, οὔτε ἐπὶ τὸ διορθωτικόν. quod silentio praetermisissem, (etenim jam pridem ab aliis purgatus erat hic locus) nisi ex hoc, & similibus locis existimari vellem, quae quorundam hominum in hoc libro depravando, aut arrogantia, & impudentia, aut stupiditas & inscitia fuerit. Lege, περὶ Ῥαδαμάνθυος. quae apud poëtas & historicos pervulgata sunt.

Multis enim locis] Aliquot exemplis ostendit, multa evenire, in quibus talio manifestam injustitiam contineat. Cum Ulysses apud Homerum Iliad. β. Graecos huc illuc fugientes partim verbis castigat, partim etiam percutit, non fuisset aequum eum ab iis quos percutiebat, vicissim percuti. Cum ephori Lacedaemoniorum eos quos nequiter aliquid agentes deprehenderant, verberabant, injustum fuisset, ipsos quoque vicissim verberare. Et si quis magistratum percutiat, is non percuti modo, sed etiam supplicio affici debet. qua de re multa graviter, & copiose dicuntur a Demosthene κατὰ Μειδίου.

Praeterea multum interest] Aliud argumentum, quod ita explicatur a Gellio cap. 1. lib. 20. ictus fortuitus, & consultus non cadunt sub ejusdem talionis similitudinem. Demosthenes κατὰ Μειδίου· τῷ δράσαντι δὲ οὐκ ἴσην &c. Cicero 1. de officiis: *Sed in omni injustitia* &c.

Sed in communitatibus] Posteaquam ostendit, quid vitii insit in sententia Pythagoreorum, docet nunc, quomodo accepta, vera esse possit. Atque in distributionibus quidem talioni locus omnino nullus est. Sed in commutationibus dici potest, justam esse talionem, si modo ad proportionem, non ad aequalitatem exigatur. id est, ut non semper idem fiat cuique, quod quisque fecit: sed aliquid, quod ei proportione respondeat. idque tum in beneficiis, tum in injuriis intelligendum est. exempli caussa, si quis me aut artem aliquam docuerit, aut morbo affectum sanaverit, ut ei gratiam referam, & paria cum eo faciam, non opus erit eum vicissim a me aut doceri, aut sanari; sed aliquid ei tribui, quo ipsius opera com-

penſetur. Itemque, ſi quis mihi colaphum impegerit, non jubebit judex ei vicisſim a me colaphum impingi; ſed eum fortasſis tantae pecuniae damnabit mihi, quanta ad illam improbitatem coërcendam, & ad factam mihi contumeliam aliqua ratione compenſandam ſatis eſſe videatur. Tale vicisſitudine civitatum conjunctio continetur. Aequum eſt enim, ut & ulciſcatur ſe is cui impoſita injuria eſt: alioqui ſervitus videtur, cum accipienda, & musſitanda eſt injuria: &, ut qui ab alio boni aliquid accepit, aliquid ei vicisſim tribuat. neque enim quisquam facile reperietur, qui ſocietatem ſibi ullam intercedere cum quoquam velit ea lege, ut ſuae ſempea ſint partes tribuendi beneficii, nunquam recipiendi. Notum eſt illud Epicharmi: χεῖρ χεῖρα νίπτει. &, δὸς τι, ἵνα λάβῃς τι. & illud Heſiodi: Καὶ δόμεν ὅς κεν δῷ, καὶ μὴ δόμεν ὅς κεν μὴ δῷ. & ſimilia, quibus indicatur, utilitatum communicatione hominum ſocietatem contineri. Hic quoque aliter lego, quam ut eſt in vulgatis exemplaribus. In eis enim legitur. ἢ γὰρ τὸ κομιδῆς ζητῆσαι, εἰ ἢ μὴ, δηλοῖ δικαίως εἶναι, οἱ μὲν ἀπαναίνεσθαι, ἢ τὸ δεῖ. εἰ δὲ μὴ, μισπίδους ἐ χάριτος. Ego autem illud, οἱ μὲν ἀπαναίνεσθαι, deleo, ut inculcatum ab aliquo, qui declarare voluerit illud Ariſtotelis, ἢ ἢ μὴ. Abeſt autem etiam a quibusdam veteribus libris.

Quocirca & Gratiarum] Officiorum vicisſitudinem inter cives eſſe debere docuerunt ii, qui primi *Gratias* retulerunt in Deorum numerum, eisque templa poſuerunt. etenim nihil eſt tam proprium gratiae, quam officium pro officio reddere: idque, ut ait Heſiodus, αἴνῳ μέτρῳ, ἢ λαΐου, αὖ τι δοίησι. Atque hoc ipſum ſignificat Ariſtoteles, cum ei, qui beneficium accepit, primum quidem faciendum eſſe, ut vicisſim demereatur officio aliquo eum qui gratificatus eſt: deinde ut eum etiam novo aliquo officio provocet. Imitari enim debemus agros fertiles, qui id, quod acceperunt, reddunt cum foenore.

Eſt autem hoc loco mihi dicendum aliquid de *Gratiis*: ne quid, quantum in me eſt, praetermittatur, quod ad Ariſtotelem intelligendum pertineat. Eas igitur quidam duas fecerunt Hegemona & Auxo, cum ſignificarent, ei, qui beneficium accepiſſet, omni ope conandum, ut illud auctius, cumulatiusque rependeret ei, qui princeps fuiſſet ad bene merendum. Alii tres, unam quae bene meretur, duas quae beneficium referunt, idque propter eam ipſam,

ipſam, quam modo dixi, cauſam. eas pingebant aut nudas, aut ſolutis ac pellucentibus tunicis: quod beneficia aperta eſſe debent. ridentes, quod hilari animo dandum eſt. juvenes, &, ut Homerus loquitur, ἀπλοπίδας, quia nunquam debet beneficiorum memoria ſenescere. conſertis manibus, quod continuari debent beneficia, & ad dantem redire. Nomina earum Heſiodus haec prodidit, Aeglen, Euphroſynen, Thalian. At Homerus Iliados ξ. earum unam vocat Paſithean. Neque de parentibus eorum convenit. ſed ſubtiliorem harum rerum perveſtigationem grammaticis, quorum propria eſt, relinquentes, alia perſequamur.

Efficit autem] Rurſus id quod docere vult geometrarum more, oculis ſubjicit. eſt autem tota res facilis, ſi quis intelligat, id quod nemini paulum modo in litteris verſato ignotum eſt, diametron vocari lineam, quae quadratum dividit in duo trigona aequalia, qualis eſt in propoſita deſcriptione ea, quae ab A ad D, aut a B ad C porrigitur, ac pertinet.

Ergo ſi primum exaequata] Id eſt, erit juſta permutatio, & qua neuter ſe laeſum conqueri poſſit. lego autem Graece, τὸ ἐκείνου ἴσον, non, ut alii, ᾧ ἐκείνου ἴσον, & paulo poſt, τὸ αὐτῷ, non, ᾧ αὐτῷ. *Sin minus*, id eſt, ſin autem non exaequentur, ſed ſimpliciter alterum altero mutetur. *Non aequum eſt, neque conſiſtere poteſt.* alter enim jacturam, alter lucrum injuſte facit. *Nihil enim prohibet praeſtantius eſſe unius opus opere alterius.* ut domus multo pluris eſt, quam calceus. *Oportet igitur haec exaequari.* antequam fiat permutatio. *Hoc autem*, quod in architecto, & ſutore oſtendimus. *Locum habet etiam in aliis artibus. tollantur enim funditus, niſi & is qui facit.* qui opus artifici ſuo effectum cum alio permutat. *Faciat tantum, & tale*, quantum & quale eſt id, quod pro eo accepturus eſt. *Et is qui accipit, accipiat, & tantum, & tale.* quantum videlicet, & quale eſt id, quod pro eo perſolvit. Atque his verbis, quae hic optime quadrant, ſuperius non ſuo loco poſita totam ſententiam perturbabant, nihil aliud ſignificatur, quam perituras artes, niſi artificum operibus pretium pro cujusque dignitate ſtatuatur. Sed in illis, ὑπάρχῃ τοῦτο ἢ τοιοῦτον ἢ τοιοῦτον, illud τοῦτο redundare arbitror. Jam cum Ariſtoteles Graece dixerit τὸ πάσχον, ἢ τὸ ποιοῦν, ego tamen, ut

sententia facilius perciperetur, genera mutare veritus sum. quod mihi aequos harum rerum aestimatores facile ignoturos esse confido.

Non enim ex duobus] Si societas constaret tantum ex hominibus ejusdem artis, fieri posset, ut sine ullo discrimine talioni inter eos locus esset. traderent enim inter se operas mutuas. neque quisquam in eo laederetur, si tanti esset opus opera unius, quanti alterius. Nunc plerumque constituuntur societates e diversis artificibus, iisque inter se minime aequalibus: ut, exempli caussa, ex medico, & agricola. Immo vero civitas, quae praecipua est omnium societatum, aliter constitui, quam ex diversis artificibus, non potest. Oportet igitur aliqua ratione exaequari opera eorum, antequam permutatio fiat.

Quare oportet] Fieri non potest, ut exaequentur res, nisi inter se contendantur ac comparentur. omnia autem, quorum permutatio est, exaequanda sunt. omnia igitur comparabilia esse oportet. Atque hujus rei caussa homines numi usum excogitarunt; ut quoniam res ipsae non semper commode comparari poterant, numo, tanquam communi quadam mensura, ad dimetiendum omnium rerum aestimationem uterentur, nulloque negotio cognoscerent, quanto quaeque res pluris, aut minoris altera esset, & quot res unius generis ad unam alius generis adaequandam requirerentur. Si enim par calceorum duobus denariis venditur, modicus autem frumenti viginti denariis, constat, pro uno frumenti modio, ut permutatio justa sit, danda esse decem paria calceorum. Quod autem Graece legimus, ἐφ' ᾧ τὸ νόμισμ' ἐλήλυθε, καὶ γίνεταί πως μέσον. malo, ut in aliis libris est, pro ἐφ' ὃ legere ἐφ' ᾧ, & pro μέσον, μέτρον. etsi non nego illa quoque ferri posse. sed in discrepantia librorum libera, ut opinor, judicia esse debent.

Oportet igitur] Oportet igitur, quam rationem habet architectus ad sutorem, id est, quo plus laboris, temporis, pecuniae consumit in faciendo opere suo, quam sutor, aut etiam quo praestantius opus efficit, tot calceos ei pro opere suo dari. Sed cum architectum tantum nominasset, postea subjunxit, *cum domo, aut alimento*, quasi dixisset, *quam rationem habet architectus, aut agricola ad sutorem*. quod puto de industria factum esse, ut ostendat, nihil interesse, cujusmodi artifices sint. in omnibus

nibus enim eandem tenendam esse rationem. Id enim nisi fiat, id est, nisi exaequentur eorum opera, non erit permutatio, saltem justa, neque communitas. statim enim is cujus opus pluris est, a tali communitate abhorrebit. Id autem non erit, id est, nunquam exaequabuntur, nisi quodammodo, id est, vi, & potestate, aequalia sint. Quare oportet unum aliquid esse, quo utamur in omnibus rebus dimetiendis, ut ante dictum est.

Ea autem est] Communis mensura omnium rerum, quae permutantur, duplex est: naturalis una, altera hominum ingenio excogitata. Naturalis mensura est, *indigentia:* quae quo major, minorve est, eo quaeque res pluris, minorisve habetur. Ut, si frumento egemus, vino abundamus, multum vini dabimus pro pauco frumento: sin contra, multum frumentum pauco vino mutabimus. Ita igitur quaeque res pluris, minorisve est, prout ea magis, minusve indigemus. Ejus rei hoc argumentum esse vult Aristoteles: quodsi homines aut nullius rei indigeant, aut non similiter indigeant, futurum est, ut aut nihil inter se permutent, aut non eodem modo permutent, quo, si indigerent. Sint duo, quorum utrique nihil desit eorum, quae habet alter. constat, inter hos nullam permutationem fore. caussa enim permutandi est, ut quo tu abundas, ego egeo, id abs te accipiam, aliquidque tibi pro eo rependam. Fac, egere quidem utcunque, sed non similiter egere. Nempe oportebit eum, qui majore inopia premitur, descendere ad conditiones ejus, qui ita eget, ut tamen carere possit. itaque longe alia futura permutatio est, quam si uterque altero aeque egeret. Ex quo intelligitur, veram, & naturalem mensuram omnium rerum, quae permutantur, esse indigentiam. Cui quidem praeclaram sane laudem tribuit Aristoteles, cum ait, ea omnia contineri. Si enim singulis hominibus omnia, quae ad bene, beateque vivendum requiruntur, ex se ipsis suppeterent, ita ut nullus ab alio neque utilitatem ullam, aut commodum, neque fructum ullum jucunditatis percipere posset, nulla plane inter eos esset vitae societas, nulla communio. Nunc natura, quae eos inter se vellet necessitudine quadam implicatos, ac colligatos teneri, ita totam rem temperavit, ut neque quisquam ita copiosus, locuplesque sit, qui tenuiorum utilitatibus carere, neque quisquam ita nudus, & egenus,

qui

Digitized by Google

qui non aliquem ſui uſum praebere etiam abundantiſſimis poſſit. Ita ſummos cum infimis, opulentiſſimos cum pauperrimis mutua utilitatum perceptione copulavit. Ut non immerito apud facetiſſimum veteris comoediae ſcriptorem, Ariſtophanem in Pluto gloriari videatur paupertas, ſe hominibus bonorum omnium causſam eſſe.

Succeſſit autem] Fieri ſemper non poterat, ut, cum ego abs re aliquid conſequi vellem, haberem aliud, quo tu ſimiliter indigeres. Ne igitur ea res commutationibus impedimento eſſet, excogitarunt homines numum, eumque quaſi communi quodam conſenſu, ac conventione ſubſtituerunt, ac ſuffecerunt in indigentiae locum. Ita, ut ſi mihi quidem opus ſit aliqua re tua, neque ullam habeam, qua tibi vicisſim ſit opus, non tamen iccirco oporteat te a contractu mecum ineundo retardari. Poſſum enim tibi pro re tua dare aliquid ejusmodi, quod tibi, quacunque tandem re, aut nunc, aut poſtea egeas, ad eam parandam uſui eſſe poſſit. Haec eſt altera illa communis omnium rerum, quae ſub permutationem cadunt, menſura, quam hominum ingenio excogitatam diximus. Numum autem quis primus percuſſerit, ſcire ſi quis avet, legat Agricolam in libro *de pretio metallorum*, & *monetis*, qui omnia ad hanc rem pertinentia diligentiſſime perſecutus eſt.

Ob idque vocatur] Numi ipſius Graeca appellatio oſtendit eum, non natura, ſed hominum inſtituto valere. vocatur enim νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ. Itaque poſſunt homines illius uſum mutare. Ut aureos numos videmus aut edicto principum, aut etiam tacito populi conſenſu modo pluris, modo minoris eſſe. poſſunt etiam numum plane inutilem reddere. ut multorum uſus, aut vetuſtate, aut principum conſtitutionibus ſublatus eſt. & Lycurgus aureos, & argenteos numos Lacedaemoniis prorſus inutiles reddidit, cum inſtituit, ut ferreo tantum numo uterentur. Non igitur naturalis eſt vis, ac poteſtas numi. nam quae naturalia ſunt, hominum voluntate neque tolli, neque mutari queunt.

Erit autem mutua] Ut, ſi agricola duplam rationem habet ad ſutorem, etiam in permutando opus ſutoris habeatur tantum pro dimidia operis agricolae. Fuiſſet autem hoc modo apertior oratio, ſi dixiſſet: ut, quam rationem habet agricola ad ſutorem, eandem habeat opus agri-

agricolae ad opus sutoris. sed tamen nihil interest. re vera enim, cum duo inter se comparantur, unica tantum est proportio inter illa: etsi duobus nominibus afficitur. ut inter duo, & quatuor, est unica tantum proportio. sed quae eadem cum sit, vocatur dimidia, si a duobus incipias; dupla, si a quatuor. eodem plane modo, quo idem est actio, & acceptio sive perpessio: ascensus & descensus, iter Athenis Thebas, & Thebis Athenas.

In figuram autem] De sententia hujus loci inter omnes convenit: quamvis quidam legant δεῖ ἄγειν, quidam ἢ δεῖ ἄγειν. in qua librorum, & opinionum discrepantia, malui eos sequi, qui particulam ἢ delent. Hoc igitur ait, ducendos esse in figuram analogiae, id est, comparandos inter se artifices, & eorum opera, antequam permutent: alioqui fore, ut alterum, aut potius utrumque extremum (valde enim vereor, ne ubi legitur ὑπερ, legendum sit ὑπὸ τοῦ) id est, uterque permutantium habeat utramque exsuperantiam, id est, & plus, & minus. Alter enim plus dabit, minus accipiet; alter plus accipiet, minus dabit.

Sed cum sua habeat] Sed cum ad haec quisque suum habet, ante videlicet, quam permutent, sic tamen sunt aequales, non quidem re, &, ut vulgo loquuntur, actu, sed potestate. possunt enim ad aequalitatem redigi.

Sublata autem] Nihil enim eam magis continet, quam mutua illa utilitatum perceptio.

Indigentia autem] Illud, ac si unum quiddam sit, videtur aut ad indigentiam, aut etiam ad societatem hominum referri posse. cetera per se satis plana sunt.

In permutationem] Si ego eo quod tu habes egeam, tu eo quod ego habeo, in praesentia non egeas: do tibi numum quasi sponsorem: ut certo scias, si quando usus venerit, ut tu quoque egeas meo, te id a me, eodem illo dato sponsore, consecuturum.

Id autem accidit] Quemadmodum indigentia certa, ac stabilis mensura esse non potest: propterea quod eadem re alius eget, alius non eget, & idem eadem re modo eget, modo non eget, aut etiam aliquando magis ea indiget, aliquando minus: ita numus quoque videtur incertus, & instabilis esse. Jactatur enim frequenter, & modo pluris est, modo minoris. sed tamen stabilior videtur. ideoque eo potius utimur.

Quare

Digitized by Google

Quare oportet] Quarum rerum certa, & definita pretia sunt, earum facillima permutatio est. neque enim ambigitur, quantum unius pro altera dandum sit. at ubi pretium incertum est, discordiae ac dissensiones existunt: cum fere homines permutaturi, sua pluris, aliena minoris aestimare soleant. Ut igitur permutandi ratio facilis, & expedita sit, oportet omnibus rebus, quoad ejus fieri potest, pretia publice constituta esse.

Numus igitur] Symmetra dicuntur, quaecunque eadem mensura metiri possumus. Asymmetra autem, quorum nulla communis mensura reperiri potest; ut diametros, & latus quadrati. Euclides lib 10. Numus igitur symmetra omnia efficit, quoniam eo metimur, quanti quaeque res sit. *Symmetra & symmetrian* etiam Latine loquens dixi, quia Latinas voces, quibus illae exprimantur, nullas esse arbitror. nisi forte quis symmetrian *commensum* vocet, in quo habebit auctorem Vitruvium. neque me quidem piguisset eum sequi, si potuissem aeque commode dicere *symmetra*. Quidam hoc loco interpretantur symmetrian aptam quandam rerum compositionem & convenientiam: quam interpretationem neque probo, neque refellendam esse duco.

Neque enim communicatio] Sententia per se aperta est. sed adnotanda est orationis concinnitas, quae in Graeco magis etiam apparet. Rhetores *gradationem* vocant: cujus hoc ex Calvo afferunt nobile exemplum: *Non ergo magis pecuniarum repetendarum, quam majestatis, neque majestatis magis, quam Plautiae legis, neque Plautiae legis magis, quam ambitus, neque ambitus magis, quam omnium legum judicia perierunt.*

Re vera igitur] Graeca quibusdam in libris ita leguntur: Οἰκία ἐφ' ᾗς α'. μναῖ β'. κλίνη γ'. τὸ δὴ α' τοῦ β' ἥμισυ, εἰ πέντε μνῶν ἀξία ἡ οἰκία ἢ ἴσον. ἡ δὲ κλίνη ᾗ δέκατον μέρος τὸ γ' τοῦ β'. δῆλον τοίνυν πόσαι κλίναι ἴσον οἰκίᾳ, ὅτι πέντε. In aliis brevius, &, ni fallor, dilucidius, hoc modo: Οἰκία ἐφ' ᾗ α', μνῶν πέντε. κλίνη ἐφ' ᾗ β' μναῖς ἀξία, κλίνη δὴ πέμπτον μέρος οἰκίας ἔσται, δῆλον τοίνυν, &c. quae scriptura & veteri interoreti magis placuit, & mihi.

Hanc autem] Quod hic dicit Aristoteles, id ab eo acceptum, his verbis Paullus jurisconsultus exponit L. 1. Dig. de contrah. emp. *Origo emendi, vendendique* &c. Et paulo post ad eam rem citat versus Homeri ex Iliad.

H.

H. Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ, Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ, Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσιν, Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι. quos ita interpretemur licet: *Inde parant igitur Graeci sibi vina comantes, Aere alii, ferro autem alii, pars terga boum, pars Ipsas laeta boves Bacchi pro munere mutat, Pars etiam captos bello.* Atque hac in re illud observatione non indignum est, veteres illos, cum aliis quoque rebus numorum loco uti solerent, nulla tamen re saepius quam pecoribus usos esse. Ergo & Homerus cum quanti essent Glauci & Diomedis arma, significare vellet, illa quidem vocavit Ἑκατόμβοια, haec vero, ἐννεάβοια. Et cum viri uxoribus, non, ut nunc fit, uxores viris dotem dare solerent, alphesiboean vocarunt puellam ea forma praeditam, ut inveniret, qui sibi multos boves dotis nomine dare vellent, cujus generis etiam nomina sunt πολυμήλη, πολύβοια. Et verba, quibus Graeci in emendo & vendendo utuntur, fere a pecore ducta sunt. πωλεῖν, *vendere*, ἀπὸ τῶν πώλων, id est, *a pullis equinis*. ὠνεῖσθαι, *emere*, ἀπὸ τῶν ὄνων, mutata litera brevi in longam. ἄρνυσθαι, *redimere*, ἀπὸ τῶν ἀρνῶν, id est, *ab agnis*. *Mulcta*, ait Varro, *etiam nunc bubus & ovibus dicitur*. & eadem de re Plinius: *Multa*, inquit, *non nisi ovium, boumque impendio dicebatur*. Non omittenda priscarum legum benevolentia. Cautum quippe est, ne bovem prius quam ovem nominaret, qui diceret multam. Festus: *Ante aes, aut argentum signatum ob delicta poena gravissima erat duarum ovium, & triginta boum*. eam legem sanxerunt T. Menenius Lanatus, & Sex. Capitolinus Consules. quae pecudes, quam aere signato uti coepit populus Rom. Tarpeja lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus aestimaretur. Gellius cap. 1. lib. 11. *Conjectare autem ob eandem caussam possumus*, &c. Haec Gellius. Ego autem iis rebus omnibus hanc subesse caussam puto, quod priscorum hominum divitiae maxima in parte in pecoribus sitae erant, eorumque *illustrissimus quisque*, ut ait Varro, *pastor erat*. Unde & πολυβούτας, πολύβους, εὐμήλους, πολυμήλους, πολύαρνας vocabant, quos divites volebant intelligi. Populus Rom. diu admodum nulla vectigalia percipiebat, nisi e pascuis. Unde etiam postea aucta repub. propagatoque imperio, cum multis ex aliis rebus vectigalia caperentur, omnia tamen, ex quibus populus reditus habebat,

in

in censorum tabulis *pascua* vocabantur. Neque aut ovis illa aureo vellere, ad quam rapiendam profecti sunt Argonautae, aut aurea Hesperidum mala, quae rapuisse Hercules dicitur, quicquam aliud significant, quam summam illis temporibus pecudum caritatem. Ea ipsa causa fuit, cur & *a pecore pecuniam* dixerint, & primos numos ovium, boumque effigie signaverint. Bovem quidem apud Athenienses, & apud Delios numi genus quoddam fuisse constat: unde & *bovem in lingua habere* dicebantur, qui pecunia corrupti tacebant.

Ne illud quidem praetermittendum est, permutationis nomen commune esse multis contractibus. nam & in locatione usus rei, & pretium, aut opera. permutationem numerari a jurisconsultis inter contractus innominatos, l. *Juris gentium.* Dig. de Pactis. nihil enim interest inter contractum, *do ut des*, & permutationem, nisi quod permutatio latius etiam patet. nam etiam, cum emimus, aut vendimus, rem pretio mutamus, & cum locamus, aut conducimus, usus rei mutatur itidem pretio; & in plerisque aliis contractibus idem perspici potest. Itaque in permutatione solo consensu non contrahitur obligatio. l. 1. Dig. de rerum permut.

Quaesitum est autem ab hominibus eruditis, utrum magis e re humani generis fuerit, durare veterem illam permutandarum rerum consuetudinem, an conflari ac percuti numos. Plinius aperte pronuntiat, aetatem illam sibi feliciorem videri, qua res rebus permutabantur, numusque, qui postea factus est omnium scelerum, omniumque flagitiorum interpres quasi quidam, & sequester, ignorabatur. Verior tamen eorum sententia videtur, qui negant numis adscribenda esse hominum vitia, neque propterea deterrentur, quo minus usum numorum antiqua illa permutatione commodiorem esse pronuntient. quam sententiam vir doctissimus, Agricola tribus argumentis confirmat. Primum, quod numus longe est ad pretia rerum adaequanda ipsis rebus accommodatior. Deinde, quod minoribus plerumque impensis pecuniae paucae, & parvae portari, & vehi possint, quam multae, magnaeque merces. Postremo, quod nonnullae gentes nostris rebus non indigent, quarum tamen rebus nos indigemus. Neque tamen obstat moneta, quo minus etiam nunc mercatores, si velint, res rebus

Digitized by Google

bus mutare posſint. Sed ſatis jam, ut opinor, hac de re diſputatum eſt.

Quid igitur injuſtum] In omnibus, quos ego quidem viderim, libris ita tantum legitur: Τί μὲν οὖν τὸ ἄδικον, καὶ τί τὸ δίκαιόν ἐστι εἴρηται. Sed cum conſtet, hic demum concludi totam diſputationem περὶ δ' ἀνταπποδόσεως, neque poſtea de eo verbum ullum fieri, cenſeo, verba illa, quae aliquanto poſt leguntur, πῶς μὲν οὖν ἔχει τὸ ἀνταπποδοτὸς εἶναι τὸ δίκαιον εἴρηται πρότερον, loco ſuo mota, ac dejecta eſſe, & in eum reſtituenda, quare illinc quidem deleo, hoc autem loco lego: Τί μὲν οὖν τὸ ἄδικον, καὶ τί τὸ δίκαιόν ἐστι, καὶ πῶς ἔχει τὸ ἀνταπποδοτὸς εἶναι τὸ δίκαιον, εἴρηται. Nimis me audacem fortaſſe aliquis judicabit. Sed ſuus cuique ſenſus: mihi quidem ipſa rerum conjunctio, & continuatio aliter conſtare non videtur. In iis autem, quae proxime ſequuntur, quaſi ſummam quandam facit eorum, quae hactenus diſputata ſunt, & addit alia quaedam eis conſentanea, cum ait:

His autem definitis] Medium autem inter plus & minus, eſt analogum, id eſt, quod cuique proportione debetur, quod quidem juſtum eſſe docuimus.

Non eodem modo] Haec quoque ab aliis praetermiſſa adjeci.

Ceterae ſunt inter duo extrema diſtincta. hic injuſtitia utrumque extremum occupat. Nam Judex ſive plus, ſive minus aliis tribuat, quam oportet, injuſtus eſt. In contrahendis tamen negotiis non & qui plus, & qui minus aut petit, aut obtinet, injuſtus eſt: ſed is tantum, qui injuriam facit, non etiam qui accipit.

Et juſtitia quidem] Ex iis quae hactenus diſputata ſunt, colligit finitionem quandam juſtitiae, & injuſtitiae, in quarum utraque nihil ineſt obſcuritatis, ſi quis ea quae antecesſerunt cognoverit.

Eodem modo] Id eſt, ſemper a proportione diſcedens.

Diſcedit autem] Quoniam modo huic, modo illi, modo plus, modo minus tribuit.

Injuriae autem] Qui minus conſequitur eo, quod ſibi debetur, injuriam accipit; qui plus ſibi ſumit, injuriam facit.

De juſtitia igitur] Hac ἀναλυτικῶς utitur, ut poſtea tranſeat ad alias quasdam quaeſtiones, quae ipſae

quoque ad juſtitiae, injuſtitiaeque naturam perfecte cognoſcendam pertinent, explicandas.

Quando autem fieri] Abſoluta juſtitiae, & injuſtitiae tractatione, diſſerit de aliquot quaeſtionibus mirifice pertinentibus ad utriusque naturam penitus pervidendam. Earum prima haec eſt. Quando non omnes injuſtae actiones habent eam vim, ut eas, qui ſuſcipit, propterea injuſtus eſſe dicatur, quae tandem eae ſunt, quae hominem in unoquoque genere injuſtum efficiunt, ut furem, adulterum, latronem? Non enim quicunque rem alienam invito domino contrectat, fur eſt: neque adulter, quisquis corpus cum aliena uxore commiſcet: nec quisquis alium ſpoliat, latro. Haec igitur eſt quaeſtio, quae hic proponitur. Quam ne quis ſit admiratus, ſciendum eſt, non ſtatim explicari. Multa enim alia interjecit Ariſtoteles, antequam eam diſſolveret. neque eam diſſolvit, niſi eo demum loco, ubi ſcriptum eſt, *Cum igitur trium generum ſint ea damna, quae in ſocietatibus inferuntur*, &c. Quare nos quoque in eum locum illius explicationem rejiciemus.

An ſi quidem nihil] Multos locos antea in hoc libro indicavi, quibus aliquid accreviſſet. hunc contraria quadam ratione corruptum exiſtimo. veterum enim librariorum culpa omiſſae hic aliquot voces videntur. Atque idem, ut opinor, ſentiet, quisquis conſideraverit, primum particulae μὲν, nihil poſtea ſubjici quod reſpondeat: quod tamen, ut notum eſt, contra fieri ſolet. Quodſi quis dicat, & apud alios Graecos ſcriptores, & apud hunc ipſum reperiri eo modo quaedam ἀνανταπόδοτα, cum hoc ei concesſero, petam ab eo, ut totius loci ſententia diligenter inſpecta ſtatuat, num hic quoque tale quiddam ab Ariſtotele factum, an potius, ut dixi, a librariis aliud agentibus aliquid omiſſum eſſe videatur. Certe quidem verba illa, *Nam & fieri poteſt*, & quae ſequuntur, non oſtendunt nihil interesſe, immo potius aliquid interesſe inter ea, quae capto prius laedendi conſilio, & ea quae repentino aliquo motu animi, aut ſine ulla laedendi alterius voluntate fiunt. Ea cauſſa eſt, cur eam notam appoſuerim, qua vulgo jam notare mutilos, aut alioqui depravatos locos ſolemus. Jam cum graviſſimi ſcriptores medicinam eſſe dicant πεῖσιν, καὶ ἀφαίρεσιν, vellem, ut quaedam in ſuperioribus a me detractione percurata eſſe confido, ita hic aeque facile divinare, quid

in-

interciderit, eoque addito hanc lacunam explere possem. Quod cum optare magis quam sperare liceat, indicabo tamen, & quid librariis errorem objecisse, & cujusmodi quiddam ab eis omissum esse suspicor. Vix igitur existimo ullo in genere saepius ab eis peccatum esse, quam cum unam, eandemque vocem haud ita longo intervallo bis saepiusque positam reperiebant. Facile enim tum eveniebat, ut properantes, & operi suo non satis intenti, modo voces, modo versus, interdum etiam paginas totas transilirent. Innumerabiles propemodum locos, si opus sit, proferre possum ex Hippocrate, Platone, Aristotele, Polybio, Plutarcho, Athenaeo, Galeno, Laërtio, & aliis optimae notae scriptoribus, in quibus per ejusmodi oculorum errorem factae sunt maximae, ac foedissimae labes. Tale quiddam etiam hic contigisse arbitror. Cum enim, ni fallor, dixisset Aristoteles, si quis actiones tantum ipsas, nulla adhibita distinctione, &, ut Michaël loquitur, δίχα προσδιορισμοῦ proponeret, nihil interesse: sin finem etiam ipsum consideraret, interesse: hoc fortassis aut his, aut non valde dissimilibus verbis expresserat, ἢ οὕτω μὲν οὐδὲν διοίσει, ἐπιβλέποντι δὲ εἰς τὸ οὗ ἕνεκα, διοίσει; id est, *An sic quidem nihil intererit, si quis autem finem, ad quem quaeque actio refertur inspiciat, intererit.* Bis igitur posita vox διοίσει, fraudi, ut opinor, librario fuit. Jam, ut qui amant, etiam cum ab amico longissime absunt, quocunque tamen convertunt oculos, sibi ejus imaginem cernere videntur, (quod de se ait pastor quidam apud Theocritum) ita fieri potest, ut ego, quia meam hanc opinionem amo, ejus imaginem mihi, etiam ubi non est, cernere videar. Sed tamen aut vehementer fallor, aut quoddam illius in scholiis Michaëlis vestigium est. explicans enim verba illa, ἢ οὕτω μὲν οὐδὲν διοίσει, ita loquitur: ἔστι δὲ ὁ λέγει οὕτω μὲν δίχα προσδιορισμοῦ λεγόμενον δόξειεν ἂν μηδεμίαν ἔχειν διαφορὰν, ἀλλὰ πάντα τὸν ἄδικόν τι πράττοντα, εὐθὺς καὶ ἄδικον εἶναι. εἰ δέ τις ἐπιβλέποι εἰς τὸ τέλος, καὶ οὗ ἕνεκα ποιεῖ τὸ ἄδικον, εὑρήσει πολλοὺς ἄδικα μὲν πράττοντας, ἀδίκους δὲ μὴ ὄντας. Hanc sententiam ex verbis Aristotelis nunquam profecto elicere potuisset, nisi aliquid amplius in exemplari suo, quam nos in nostris habemus, habuisset. Hoc igitur, ait Aristoteles, fieri posse, ut quis injustum aliquid faciat, neque tamen sit injustus. ut, exempli caussa, si repentino ali-

quo libidinis ardore incitatus, alienam mulierem a libidine sua non abhorrentem praesto habens, quam ipse, neque donis, neque pollicitationibus, neque blanditiis flexerit, cujus denique pudicitiae nullas omnino insidias fecerit, cum ea commisceatur. Non enim id facit aut ἰφ' ἕξεως, aut ἐκ προαιρέσεως, sed subito quodam animi motu, qui nonnunquam ita vehementer urget, ut superari vix queat. Ita neque fur est quicunque furatur. non enim, si quis furenti, & aut se, aut alium interficere paranti, gladium subtrahat. neque adulterum vocabimus, si quis, ut patriam liberet, cum aliter ad tyrannum interficiendum pervenire non possit, corrumpit uxorem illius, & ita in tyranni cubiculum perducitur, eumque obtruncat Adulter enim libidinis, & intemperantiae nomen est, quam ab hoc abesse constat. Atque haec eo pertinent, ut intelligatur, quaestionem illam, quam paullo ante proposuit, non sine caussa propositam fuisse.

Non est autem ignorandum] Non statim dissolvit propositam quaestionem, ut jam ante admonui: sed multa interjicit, & ad eam, & ad illas, quae postea proponentur, explicandas necessaria. Ac primum, cum jus multis modis dicatur, commonefacit nos, se in hac tota disputatione loqui de eo jure, quod simpliciter & proprie, & sine ulla adjectione jus dicitur, id est, de jure civili. Sunt enim alia quaedam jura, quae minus proprie, & cum quadam adjectione *jura* dicuntur, ut jus patris in liberos, domini in servos, viri in uxorem: de quibus paulo post quaedam dicentur. Quid autem juris civilis nomine intelligat, ipse explicat his verbis:

Id autem est] Aliter hic accipitur jus civile, quam in jurisconsultorum libris. illi enim jus civile vocant, quod unaquaeque civitas sibi proprie constituit, idque distinguunt ab eo, quod omnium gentium commune est. Ita enim Cajus scriptum reliquit: *Omnes populi, qui legibus, & moribus reguntur, partim communi omnium hominum jure utuntur.* L. *omnes populi.* Dig. de just. & jure. Nam quod quisque populus ipse sibi jus constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque jus civile, quasi jus proprium ipsius civitatis. quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraeque custoditur: vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utuntur. At Aristoteles omne illud jus,

quo

quo omnes populi reguntur, ſive commune omnium ſit, ſive alicujus civitatis proprium, *juris civilis* appellatione complectitur. Itaque paulo infra dicturus eſt, jus civile aliud naturale eſſe, aliud legitimum. Ubicunque terrarum igitur coetus aliquis eſt hominum, qui civitatis nomine cenſeri poſſit, ac debeat, quo illi inter ſe jure utuntur, id jus civile ab Ariſtotele vocatur. Nam jus civile eſt, quo cives non hujus, aut illius, ſed cujuſcunque civitatis utuntur. Noluit autem uno verbo cives dicere, ſed quod uno verbo dici poterat obſcurius, id perſpicuitatis cauſſa, in plura ſparſit. *Eos*, inquit, *qui vitae ſocietatem inierunt*, non tam ut unis, iisdemque moenibus ſepti eſſent, quam ut unis, iisdemque legibus uterentur. Nam ſine moenibus eſſe civitas poteſt, ut Sparta, ſine legibus non poteſt. Deinde oſtendit, cujus rei cauſſa initio congregati ſint homines, & quam ob rem conditae, ac celebratae civitates. αὐτὸς αὐτάρκειαν, inquit: id eſt, ut quando unus homo omnia, quibus indiget, ipſe ex ſe ſibi ſuppeditare non poteſt, collecti, ac conſociati, & ſuam quisque quaſi ſymbolam conferentes, tradentesque operas mutuas, nulla re ad vivendum neceſſaria egerent. Quodſi ab Homero dictum eſt, duos ſimul euntes facilius omnia perficere, & virtutem hominum etiam per ſe imbecillorum, tamen collectam, & conglobatam multum valere, quanto idem de civitate dici verius, ac juſtius poterit? Addit, *liberi*: ut intelligamus, ſervis non eſſe hujus juris communionem. qua de re non ita multo poſt accuratius diſſeremus. Addit etiam, *aequales*: ut intelligamus, hoc jûs aliud eſſe ab eo, quod eſt inter parentes, ac liberos, inter virum, & uxorem, quos natura ipſa aequales non eſſe conſtat. Sed *aequalitas*, ut ante diximus, duplex eſt, altera geometrica, quam hic vocat ad analogian, altera arithmetica, quam hic vocat ad numerum. In quibusdam civitatibus, ut quisque virtute, aut opibus, aut nobilitate praeſtat, ita ei plurimum tribuitur, ut in paucorum, aut optimatum gubernatione. In aliis aequa eſt omnium divitum dignitas, ut in ſtatu populari. In illis cives ad analogian, in hoc ad numerum aequales eſſe dicuntur.

Quibus hoc non eſt] Id eſt, inter quos non eſt illa aequalitas, eis inter ſe non eſt jus civile, ſed jus quod-

dam, ut δισποτικὸν, πατρικὸν, οἰκονομικὸν, quod quidem non proprie, ſed ex quadam tantum ſimilitudine ita vocatum eſt.

Eſt enim jus] Brevia haec ſunt, ſed multis obſtructa difficultatibus. Quare attentione opus eſt, ut intelligantur. Probaturus, jus civile non eſſe inter patrem, & liberos, dominum, & ſervos, utitur hoc argumento, quod jus inter eos tantum ſit, quos inter etiam lex. Ex quo aperte intelligitur, eum negare legem ullam inter eos eſſe. eſt enim ſyllogiſmus in ſecunda figura, cujus hic ponitur tantum concluſio, quae probanda eſt, & major ſumptio. Concluſio eſt: Inter patrem, & liberos, dominum, & ſervos non eſt jus civile. Major ſumptio: Eſt enim jus inter eos, quos inter etiam lex. Sequenti igitur viam illam, quae in primo Analyticorum tradita eſt, conſtat, minorem ſumptionem non poſſe aliam eſſe, quam hanc: Inter patrem, & liberos, dominum, & ſervos nulla lex eſt. Eodemque modo oſtendi poteſt, ex iis, quae hoc loco ab Ariſtotele ponuntur, intelligi, inter eos non eſſe locum injuſtitiae: neque patrem in liberos, dominum in ſervos quicquam injuſte facere poſſe: quae omnia multas, magnasque dubitationes habent. Quare de eis paulo accuratius diſſeramus. Ac primum illud exquiramus, nullamne dominus ſervo injuriam facere poſſe videatur? Certe enim videmus, quandam ſervitutem juſtam nominari. ita enim ſenex ille ex Andria libertum ſuum alloquitur: *Ego poſtquam te emi a parvulo, ut ſemper tibi Juſta, & clemens fuerit ſervitus, ſcis.* Quodſi juſta ſervitus eſt, in qua nihil injuſtum imperatur, ex contrario intelligimus, injuſtam eſſe eam, in qua multa imperantur injuſta, & talem dominum in ſervos ſuos injuſtum eſſe. Deinde, cum res hominum incertae, inſtabilesque ſint, neque quisquam ſit ea virtute, nobilitate, opibus, potentia, qui non aliquo caſu in ſervitutem redigi poſſit: immo vero ſaepe eveniat, ut deteriori melior ſerviat: abſurdum videtur, ſi vilem quempiam, & abjectum hominem, propterea quod alium multo ſe praeſtantiorem, bello fortaſſe captum, mercatus ſit, eo pro ſua libidine abuti, & nullam ipſi in eo injuriam facere poſſe ſtatuamus. Serviit ſapientiſſimus ille fabularum ſcriptor, Aeſopus, ſerviit perfectiſſimum optimi animi in peſſima fortuna exemplar, Epictetus, ſerviit Diogenes

nes Cynicus, ſerviit clariſſimum illud doctrinarum omnium lumen, Plato: digni omnes, qui non iis modo, a quibus empti erant, ſed qui populis, ac gentibus imperarent. Etiamne in tales viros dominis, quicquid libuiſſet, ſine injuria licuiſſe dicemus? Qui quam non ſervili animo, atque ingenio fuerint, res ipſa declarat. Aeſopus quidem, cum emptus eſſet a Xantho, *Vide*, inquit, *ſi tibi bene eſſe vis, ut mihi pareas*. nec injuria. ea enim erat ſapientiae magnitudine, ut miſer eſſe non poſſet, ſi quis ejus praeceptis paruiſſet. Epictetus autem, qua teterrima, & foediſſima ſervitute major pars hominum premitur, libidinum, & cupiditatum, ab ea, non tantum ipſe liber fuit, verum etiam, quomodo nos ad tam multa ſaecula liberi eſſe poſſemus, edocuit. Nam quid dicam de Diogene? qui, cum in auctione venderetur, interrogarentque eum, qui emere volebant, quid facere ſciret, *liberis*, inquit, *imperare*. De quo viro nobilis eſt illa vox Alexandri, *ſi Alexander non eſſem, Diogenes eſſe vellem*. Qui tamen, ſi vere de ſe atque illo judicare potuiſſet, multo Diogenem eſſe ſe quam Alexandrum maluiſſet. Non ebrietati, non irae, non ambitioni ſerviiſſet, non totos nonaginta dies perpotaſſet, non inter pocula Clitum ſuis manibus trucidaſſet, non Calliſthenem, nare, auribusque amputatis, in cavea ferrea incluſum, tanquam ſaevitiae, ac rabiei ſuae quam plurimos teſtes colligens, circumtuliſſet, non ſtultiſſima ambitione Jovis ſe filium haberi, praedicarique voluiſſet, non inſatiabili, & ne mundi quidem contenta terminis imperandi cupiditate totum orbem terrarum ſanguine, ac caedibus miſcuiſſet. Sed ut inſtitutum pertexamus, ſi dominus in ſervos ſaevus ſupra modum ſit, ſi ſine cauſſa eos verberibus lacereret, ſi alimenta deneget, ſi in compedibus habeat, ſi ad impudentiam, aliave turpia, aut inhoneſta adigat, nullamne eis injuriam facit? Haec ut explicentur, principio dicendum puto, non omnium ſervorum eandem eſſe rationem. Alia enim cauſſa eſt eorum, qui ſervi nati ſunt, alia eorum, qui, cum liberi eſſent, aut bello, aut a praedonibus capti, aut quo alio modo in alienam poteſtatem pervenerunt. De hoc poſteriori ſervorum genere dubitandum non arbitror, quin eis injuriae fieri poſſint. Neque enim fortuna ita poteſt naturae jura vertere, ut qui heri par tibi, aut etiam fortaſſe ſuperior fuit, is ho-

Digitized by Google

die, quia a te captus est, ita vilis, abjectusque sit, ut tibi in eum pro tua libidine illudere, aut saevire sine injuria liceat. alioqui ne Carthaginenses quidem in M. Atilium Regulum injusti fuissent, cum eum omni acerbissimorum suppliciorum diritate excarnificatum enecarunt, servus enim eorum erat jure belli. & tamen omnia saecula hujus fidem, ac justitiam depraedicabunt, illorum injustitiam, ac crudelitatem execrabuntur. Omninoque semper immanes, ac feri habiti sunt, qui in captos saevierunt. Quin etiam, qui bonis, ac claris parentibus nati sunt, ii ne bello quidem capti, satis proprie servi vocari queunt. Non enim magnificentius, quam verius apud Theodectem loquitur Helena: Θείων δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἐκγόνοιν ῥιζώματα Τίς ἂν προσειπεῖν ἀξιώσειε λάτριν; *Satu Deorum stirpe ab utraque editam, Quis quaeso servam me vocandam duxerit?* Tales igitur non solum qui tractant immitius, verum etiam qui ad sordida ministeria adigunt, injuriam eis faciunt. quod qui ex eis majori animo sunt, si aliter non possunt, morte effugiunt: ut puer quidam Lacedaemonius fecisse dicitur, cui cum recens empto de praeda dominus turpe quiddam imperaret, & verbera, nisi id faceret, comminaretur, *Quaere*, inquit, *alium, cui talia imperes. Lacedaemonii, cum volumus, liberi sumus.* simulque, cum capite parietem maximo impetu percussisset, a turpi dominatu se morte voluntaria vindicavit. In iis etiam, qui servi nati sunt, duplex ratio est. Aut enim eos consideramus qua servi sunt, aut qua homines. si simpliciter eos consideremus ut servos, & summo jure agamus, nulla eis a domino injuria fieri potest. Nam omnis injuria, aut attingit existimationem, aut pecuniam, aut corpus. Existimatio servorum laedi non potest. nulla enim est. ne in pecunia quidem injuriam accipere servus a domino potest. nam ipse quicquid acquirit, domino acquirit. & quamvis interdum domini permissu, servi peculii aliquid habebant, tamen domini arbitratu suo, & servo, & peculio uti poterant. Corpus quoque domini est. qua de re apud Aristophanem ita queritur Carion: Τοῦ σώματος γὰρ οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον Κρατεῖν ἡ ἐαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον. *Nam corporis non quemque fors sinit sui Dominum esse, sed illum qui pro eo numos dedit.* Itaque verberibus, inedia, labore, laceret, absumat, enecet servum dominus: nemini in eo injuriam

fa-

cit. Nam servus, ut ait Aristoteles, κτῆμα quoddam est ipsius domini. & quicquid est, illius est. Ut igitur, si equus, aut canis mihi generosus sit, etiamsi aut pernicitate sua, aut viribus me a periculo mortis eripuerit, possum tamen eum, si mihi commodum sit, aut etiam, si collibuerit, interficere, ita servis olim domini idem facere poterant. habebant enim in illos plenissimam vitae, necisque potestatem. Quem autem animi caussa interficere licet, in eum quid non licet? Atque ut, si quis vestem, aut etiam praedium suum animi caussa combureret, ita, si quis servum verberaret, vulneraret, occideret, nemini injuriam facere putabatur. Tam enim suos servos esse ducebant, quam vestes, aut praedia: & eos non in hominum, sed in rerum quae possiderentur loco, ac numero habebant. Ideoque legibus servi cum pecudibus exaequantur. &, si quis in alienos servos saevitiam immoderatam exerceret, coërcebatur; sin in suos, culpabatur tantum, non etiam coërcebatur. Ita veteres illi in consuetudine, atque in legibus habuerunt. l. 2. Dig. ad l. Aquil. & l. *si constante matrimonio*. Dig. sol. mat. Ut servos enim eos, non ut homines considerabant. Nam qui humanitatis ac naturae communis rationem habere voluerunt, multo mitiores ac molliores fuerunt Qui mihi videntur primum cogitasse, saepe accidere id quod ait Euripides: Πολλοῖσι δούλοις τ' οὔνομ' αἰσχρὸν, ἡ δὲ φρὴν τῶν οὐχὶ δούλων ἐστ' ἐλευθερωτέρα. Deinde, cuicumodi essent, tamen homines esse, & inter illos, ac pecudes discrimen aliquod esse oportere. Itaque Claudius imperator, cum quidam servos aegrotos exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec, si convaluissent, in domini ditionem redire. quodsi quis necare mallet, quam exponere, caedis crimine teneri D. Hadrianus Umbriciam quandam matronam in quinquennium relegasse dicitur, quox ex levissimis caussis ancillas atrocissime tractasset. Idem servos occidi noluit, eosque jussit damnari per judices, si digni essent. l. 1. & l. 2. D. de iis, qui sunt sui, vel alieni juris. D. Severus inter cetera munera praefecti urbi hoc quoque esse voluit, ut audiret servos, qui ad statuas confugissent, non quidem si accusare vellent dominos: neque enim id eis permittendum esse, nisi ex caussis receptis: sed si verecunde expostularent, si saevitiam, si duritiam, si famem, qua eos pre-

merent, si obscoenitatem, ad quam eos compellerent. atque id ei negotii dedit, ut tueretur mancipia, ne prostituerentur. l. 1. Dig. de off. praefec. urb. Extat & D. Antonini Pii epistola quaedam ad Aelium Marcianum procos. Africae eodem pertinens. Ex his, quomodo servis injuria fieri non possit, quomodo possit, intelligi puto. Eadem prope de parentibus, & liberis dici possunt: de qua patria potestate jurisconsulti legendi, Romuli item leges, Sophocles, & Euthyphron.

Non finimus] Id est, non censemus utile, & e repub. esse. *Rationem* autem vocat legem, quae neque gratia, neque odio, neque ira, neque misericordia flectitur, estque omnibus una, atque eadem; cum homo etiam optimus tamen illis animi motibus carere non possit. Itaque ipse lib. 3. politicorum, cum disputasset, utrum melius sit regi ab optimo viro, an ab optimis legibus, multaque in utramque partem argumenta collegisset, ad postremum ita concludit: ὁ μὲν οὖν τὸν νόμον κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τοὺς νόμους. ὁ δ' ἄνθρωπον κελεύων, προστίθησι καὶ θηρίον. ἅ, τε γὰρ ἐπιθυμία τοιοῦτον, καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει, καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας. Bias eam remp. optimam esse dicebat, in qua homines legem tanquam tyrannum timeret. Νόμος πάντα κρατύνει, ait Polybius principio ejus libri περὶ γονῆς, qui Hippocrati tribuitur. Et Demosthenes νόμον vocat ψυχὴν πόλεως.

Est autem magistratus] Tyranno opponit verum, & legitimum magistratum, quem ait esse custodem juris. unde & Plato νομοφύλακας vocat. Is igitur, non, ut tyrannus ad se trahit omnia, sed custodit aequalitatem. Jus enim aequale esse, antea docuimus.

Quoniam autem nihil] Verus magistratus ex administratione ac rectione reipub. non quaerit lucrum suum, neque ditari studet, neque sibi numo uno plus sumit eo, quod sibi proportione debetur. quare constat, eum laborare aliis, non sibi. Ea caussa est, cur justitiam quidam esse dicant ἀλλότριον μὲν ἀγαθὸν, οἰκείαν δὲ ζημίαν. qua de re antea diximus. Jam nihil negotii est, repetitis exemplis e vetere historia docere, eos, qui olim in gubernandis civitatibus excelluerunt, pauperes fuisse, neque gerendis publicis muneribus domos suas collocupletasse. P. Valerius Poplicola ita angusta re familiari fuit, ut eo mortuo non tantum repertum sit domi, quantum opus esset

esset ad faciendum funus. Qua de re ita Livius: *P. Valerius omnium consensu* &c. Ipsi Agrippae Menenio idem contigit. de quo idem Livius: *Eodem anno Agrippa Menenius moritur*, &c. P. quoque Valerius Poplicolae F. ut virtutem paternam imitatus est, ita paupertatem retinuit. qui cum consul pro repub. pugnans interfectus esset, in ejus, ait idem Livius, mortui domum plebes quadrantes, ut funere ampliore efferretur, jactasse fertur. Neque se aliter gessit Epaminondas, de quo Plutarchus: Ἐπαμεινώνδαν οὖν Θηβαῖοι δημοσίᾳ διὰ πενίαν ἣν ἀπέλιπεν ὁ ἀνὴρ ἔθαψαν. Notum est, qua paupertate fuisse dicatur Aristides, qua Cimon, qua Curius, qua Fabricius, qua Camillus, qua L. Aemilius Paullus, cui mortuo vix repertum est, unde uxori dos solveretur: qua M. Cato ille censorius, cujus illa sunt: *Neque mihi aedificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est in manu pretiosum, neque pretiosus servus, neque ancilla.* & paulo post: *Vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere.* Gellius cap. 22. lib. 13. His, & similibus exemplis movebantur ii, qui justitiam alienum bonum esse dicebant.

Danda igitur] Ostendit, quam quasi mercedem petant veri, & legitimi magistratus ac principes. ea qui contenti non sunt, tyrannos esse pronuntiat. Hunc locum alii copiosius tractent. ego neque necesse esse, neque expedire arbitror: omninoque hanc Camarinam movere nolo.

Jus autem domini in servos] Non enim sunt aequales, sed tamen sunt mutua quaedam inter eos officia.

Neque enim proprie dicitur] *Mancipium* verti κτῆμα. cum autem in aliis libris legatur, ἕως ἂν ᾖ πηλίκον, καὶ χωρισθῇ, quos ego secutus sum, in aliis καὶ μὴ χωρισθῇ, cui hoc placebit, vertet, *quam diu certae cujusdam aetatis est, neque a patre sejunctus.* utroque autem modo eadem sententia efficitur. Filium autem impuberem esse quasi partem patris, ex multis juris locis intelligitur, ubi pater, & filius pro eadem persona habentur. Itaque patris, & filii impuberis testamentum pro uno habetur. L. *primis & filii.* Dig. de vulg. & pup. subst. (*)

(*) Reliqua non est interpretatus, sed tantum Latine reddidit. *Editor Ingolst.*

M. AN.

M. A. MURETI

IN LIBRUM SEXTUM ETHICORUM ARISTOTELIS SCHOLIA.

C. 1. Ἐπεὶ δὲ περὶ μεσότητος] Id est: *Quando autem in superioribus diximus, medium per se quendum esse, non id quod nimium est, neque quod parum; medium autem est, ut recta ratio praescribit, hoc distinctius explicemus: simulque qui sit terminus earum mediocritatum, quas esse dicimus inter nimium & parum, rectae rationi congruenter.*]

Disputaturus de prudentia, quae est recta ratio rerum agendarum, & de virtutibus ei adjunctis, ostendit, hanc disputationem ad ea, de quibus antea disputatum est, plene intelligenda, necessariam esse. Nam cum libro secundo dictum sit, medium in omni actione retinendum esse: medium autem intelligi, non ut in magnitudinibus, aut in numeris, ponderibusve, sed id quod a recta ratione praescribitur, distinctius & enucleatius de ipsa recta ratione dicendum est: simulque quos illa quasi fines & terminos constituat actionibus nostris, *ultra aut citra quos rectum consistere*, ut ait Horatius, *nequeat.*

Ἐν μὲν γὰρ] *Nam in iis omnibus habitibus, de quibus diximus, ut & in aliis, propositum quiddam est, quod spectans is qui ejus rei rationem tenet, modo intendit, modo remittit.*]

Omnes illi habitus, de quibus antea disputatum est, fortitudo, temperantia, ceteraeque virtutes habent aliquid quod spectant, quoque referuntur, ipsam videlicet honestatem, ὃ σκοπὸν τι καλόν. Atque hunc quasi σκοπὸν intuens, ad eumque mentis oculos perpetuo dirigens, is qui non casu, ac temere, sed certa quadam ratione in agendo progreditur, modo vehementius agit & contentius, modo remissius: prout honestas ipsa exposcere videtur. Idem autem etiam in aliis habitibus, ut in artibus, cerni potest. Medicus bonam valetudinem ejus, quem curat, sibi proponit, ad eamque refert omnia. Nempe igitur, quid ea postulet intuens, interdum copiosius pa-

 scit

ſcit aegrotum, interdum de cibo aliquid detrahit: exercitationes corporis interdum plures & laborioſiores, interdum pauciores & moderatiores imperat. Gubernatori navis ſecunda navigatio propoſita eſt. Eam igitur ſpectans, modo pandit & explicat, modo colligit ac complicat vela. Idem Muſici in cantu ac fidibus faciunt: ut quam ſibi propoſuerunt audientium oblectationem conſequantur. Haec eſt horum verborum ſententia, in quibus ὁ τὸν λόγον ἔχων, vocatur is qui certa quadam ratione agit, & cur quidque faciat, intelligit, ut in primo majore τῶν μὴ τὰ φυσικὰ ἀλλὰ τὸ μᾶλλον ἐπιτυγχάνοντας ὁρῶν μὲν τὰς ἐμπειρους τῶν ἄνευ τῆς ἐμπειρίας λόγον ἐχόντων. Quare non ſatis apte interpretati ſunt alii quidam, *is qui rationis eſt particeps*. ἐστὶ μὲν οὖν ὡς λόγον ἔχειν πᾶς ἄνθρωπος λέγεται. ἔστι δ' ὡς μόνος ὁ τεχνίτης ἢ ἐπιστήμων.

Ἔστι δ' τὸ μὲν] *Hoc autem vere quidem dicitur, ſed non perſpicue. Nam in aliis quoque ſtudiis & exercitationibus, in quibus ſcientia aliqua verſatur, hoc ipſum vere quidem dicitur, neque plus, neque minus aut laborandum eſſe, aut otio indulgendum. Sed moderate quidem, & ut recta ratio imperat; at hoc qui ſolum ſciat, nihilo plus ſciat, quam qualia curando corpori adhiberi debeant, ſi quis ſciat adhibenda eſſe quaecunque ars medendi jubet, & quomodo is, qui ejus peritus eſt, jubet.*

Non ſatis eſt ea dicere, quae vera ſint: etiam clare & perſpicue dici oportet. Quae autem ita univerſe dicuntur, ut ad res diſſimillimas, maximeque inter ſe differentes accommodari poſſint, etiamſi vera ſint, obſcura tamen & involuta ſunt: ut, niſi diſtinctius & enodatius explicentur, eorum cognitio manca & inutilis futura ſit. Tale autem eſt, quod hactenus dictum eſt, in omni actione eum modum eſſe retinendum, quem recta ratio praeſcribit. Nam idem ad quamlibet artem accommodari poteſt, ut in arte exercendorum corporum, quam Graeci *gymnaſticen* vocant, vere dicitur, neque plus juſto, neque minus, aut laborandum eſſe, aut otio indulgendum, ſed moderate, & ut recta ratio praeſcribit. At hoc qui ſolum ſciat, nihilo plus ſciat, quam qui ſciat, ita loquendum eſſe, ut Grammatica, & is qui eam artem tenet, praecipit: aut ea adhibenda ad curandum corpus, quae jubet medicina, & eo modo, quo jubet is, qui artis illius peritus eſt. Graeca paulo aliter lego, quam vulgo le-

Digitized by Google

leguntur: si cui vulgata scriptura melior videbitur, non impedio, quo minus eam sequatur.

Διὸ δεῖ] *Quapropter & in habitibus animi non tantum id vere dici oportet, sed etiam distincte explicari, tum quae sit recta ratio, tum quis ejus terminus.*]

Postremis illis verbis. εἰς τούτου τίς ὁ ὅρος, sunt qui putent significari *definitionem*, alii eos terminos, quos singulis actionibus nostris recta ratio constituit. quae posterior opinio mihi magis probatur, praesertim cum eandem magis probet Eustratius.

Τὰς δὴ τῆς ψυχῆς] *Virtutes igitur animi cum divideremus, alias quidem moris esse diximus, alias mentis, ac de moralibus quidem disputavimus: de reliquis autem, cum prius de animo dixerimus, ita demum disseramus.*]

Redigit nobis in memoriam id quod de virtutum divisione libro primo in extremo dixerat, alias ipsarum esse ἠθικὰς, alias διανοητικὰς, de quarum prioribus cum abunde dixerat in superioribus libris, dicturum se de altero eorum genere ait, si prius pauca quaedam de partibus animi ad hanc disputationem necessaria tradiderit.

Πρότερον μὲν οὖν] *Duas igitur antea dictum est esse animi partes, unam rationis participem, alteram expertem. Nunc autem de ea quae rationis est particeps eodem modo disserendum est.*

Docuit ad finem libri primi, duas esse humani animi partes, unam in qua inesset ratio, & vis cogitandi atque intelligendi, alteram rationis expertem. Sed hanc rursus bipartitam esse: unam enim illius partem ita nihil habere cum ratione commune, ut ei ne parere quidem atque obtemperare possit: eam nimirum qua fit, ut alamur, & ut sentiamus, alteram quae quamvis per se ipsa ratione praedita non est, ad eam tamen dirigi, & ejus praescriptum sequi potest, atque hanc esse quasi sedem ac domicilium earum virtutum, quae morales nominantur. Nunc autem ait, eodem modo dividendam esse eam partem, quae rationis est particeps. sed videntur deesse aliquot verba, quibus significaretur, eam quae ratione careret, divisam jam, & in duas partes distributam fuisse.

Καὶ ὑποκείσθω] *Atque hoc positum sit, duas esse animi partes ratione praeditas, unam quidem, qua contemplamur ejusmodi res, quarum principia aliter se habere possunt, alteram autem, qua incerta & fortuita.*

Ut

Ut haec, sive divisio, sive partitio animi, melius intelligatur, quaedam paulo altius repetenda sunt. Ac primum illud intelligendum est, partes animi non ita dici, ut rerum, tum naturalium, tum earum quae artificio constant, duas partes ὑποκείμενας esse dicimus, *materiam* & *formam*, sive effectionem. Simplex enim & individua est animi natura, in qua concretum, ac compositum nihil reperiri potest. Cum animus ipse effectio quaedam, sive, ut trito in scholis vocabulo utamur, forma sit, absurdissimum esset dicere, eum quoque ipsum ex materia & effectione constare, resque eo modo, neque modum, neque finem unquam ullum inveniret. Neque vero ita dicuntur, ut numeri, aut magnitudinis partes. Quam multa enim in ejusmodi partes conveniunt, quae in animo ne cogitari quidem possunt? Ne sunt quidem partes, ita ut partes generis. Quis enim nisi amens ac delirus dixerit, animum Socratis aut Platonis esse genus quoddam, quod ambitu suo complectatur tres species τὸ φυτικὸν, τὸ αἰσθητικὸν, καὶ τὸ λογικὸν? Ostenderem & alia plurima & absurdissima, quae inde sequerentur, nisi ea putarem patere omnibus, & alioqui Aristoteles eos, qui in sententiis, quae apertam stultitiam continent, accurate refutandis operam sumunt, stultos facere ipsos ait.

Quid igitur significamus, cum animi partes dicimus, aut quid tandem ea oratione accipi volumus? Nam illud quidem verissimum & certissimum est, quod ante diximus, simplicissimam, planeque unam, esse animi nostri naturam, omnis omnino sectionis, omnis partitionis expertem. Quomodo igitur convenit, ut quod simplicissimum, maximeque unum est, ejus tamen partes esse dicantur? Constat, plures esse animi, easque valde inter se diversas ac dissimiles facultates. Nam & quod alimur, quod crescimus, quod gignere aliud nobis simile possumus, debemus animo: & idem ipse est, qui efficit, ut videamus, audiamus, odoremur, omnimodeque sentiamus: idem qui, ut intelligamus, ut ratiocinemur, & cum aliis alia conferentes, ex ipsa collatione aliquid aliud colligamus. Has facultates antiqui partes animi nominarunt. Philosophi enim, ut saepe iis de rebus, quae ita in corporibus inhaerent, ut sine eis esse non possint, perinde tamen disputant, ac si separari a corporibus, & per se cohaerere possent, ita nonnunquam ad vim & naturam rerum

rum corporis expertium exprimendam iis vocabulis, quae corporum magis propria sunt, abutuntur. Quod igitur alia pars est corporis, qua videmus, alia, qua gustamus, alia, qua odores, alia, qua sonos percipimus: itidem in animo docendi caussa aliam partem esse dixerunt, qua fiat ut alamur, aliam qua ut sentiamus, aliam qua ut intelligamus. Rursumque eas ipsas principes partes distribuerunt in alias, ne quid omitterent, quod ad totam animi naturam distinctius enucleatiusque tractandam pertineret. Positum sit igitur, partes animi vocari *animi facultates*. Quae in animone haereant, an sint ipsemet animus, non quaeremus in praesentia, quoniam ea quaestio & arduos ac difficiles explicatus habet, & ad moralem philosophiam non pertinet.

Sed unde colligitur varietas ac multitudo potestatum? Ex varietate ac dissimilitudine τῶν ὑποκειμένων. Nam unaquaeque potestas habet certum aliquod genus propositum, in quod exerceatur. Exempli caussa, non videmus & colorem, & sonum, & odorem, sed colorem quidem videmus, sonum audimus, odorem olfacimus. Atque hoc in corporibus perspicuum est: a quibus idem ad animos transferre debemus: & cogitare, cum necessarium & τὸ ἐνδεχόμενον multo longius differant, quam color, & sonus, diversas animi potestates ad ea referri ac pertinere. Nam ut colorem videmus, sonum audimus, ita necessaria, & aeterna scimus aut intelligimus, de fortuitis & mutabilibus opinamur, aut deliberamus. Sed Aristoteles ipse propterea quod haec nolebat hoc loco tractari accuratius, aut subtilius de eis disputari, sed tanquam certa & indubitata poni, iccirco verbo Mathematicorum usus est, ὑποτίθησι. Et alioqui nemo est ita plumbeus, qui non per se facile videat, & eorum quae sunt, & eorum quae fiunt, alia necessario esse, aut fieri, alia fortuito, & *enunciationum* alias semper & necessario veras esse, alias interdum veras, interdum falsas esse posse. Caelum, sol, luna, eadem sunt quae semper fuerunt, & tota, & qualibet parte sui. at non iidem homines, qui abhinc centum annis. Elementa autem & eadem quodammodo, & non eadem. Eadem, si spectes τὸ εἶδος: non eadem, si partes, quae assidue gignuntur, & intereunt, ortus obitusque siderum, vicissitudines tempestatum anni, dierum & noctium incrementa, aut decrementa neces-

cessario, & semper eodem modo & statis temporibus fiunt: at in iis quae ab hominibus geruntur, atque administrantur, non eadem constantia & necessitas semper. Vere dictum est, vereque dicetur, *si ab aequalibus demuntur aequalia, quae reliqua sunt, ipsa quoque aequalia esse.* & necessario verum est, hominem esse animal: at non semper, neque necessario verum est, Socratem disputare, aut Trojanos a Graecis obsideri. Quod igitur per se perspicua esset haec necessariorum & incertorum dissimilitudo, hac quoque de caussa adhibuit verbum ὑποτίθησι.

In illis autem verbis, ὧν αἱ ἀρχαὶ μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως ἔχειν, tria potissimum notanda esse duco. Primum, principiorum nomine intelligi caussas. Nam & in posterioribus Analyticis, & ἐν τοῖς μετὰ τὰ φυσικὰ, & saepe alibi, docetur, principia idem esse quod caussas.

Alterum, ἀρχὰς hic intelligi duorum generum, τὰς τῆς ὑπάρξεως, καὶ τὰς τῆς γνώσεως. Caussae τῆς ὑπάρξεως, quae quidem proprie dicuntur, sunt duae, *efficiens*, & *finis*. Horum enim ab altero motus est, ad alterum tendit. *Materia*, quae per se nihil agit, sed accipit tantum ac patitur, rectius συνίτιον dicitur, quam αἴτιον: neque caussa dicitur, nisi quatenus id quod fit, sine ea fieri non potest. *forma* aut ab efficiente in materiam inducitur, idque propter finem: aut ipsamet finis est, ut in generatione. At haec attigisse sit satis. Caussae τῆς γνώσεως sunt pronunciata illa, ex quibus aliquid colligimus, ac concludimus. Non sunt autem semper eaedem caussae τῆς γνώσεως & ὑπάρξεως. Saepe enim ea, quae ex caussis effecta sunt, cognitionem caussarum in animis nostris efficiunt: ut, cum ex fumo ignem alicubi esse cognoscimus: cum tamen non fumus ignem, sed ignis fumum efficiat, ita ut quod est πρῶτον τῇ ὑπάρξει, sit ὕστερον τῇ γνώσει.

Tertium eorum, quae in his verbis mihi notanda videri dixeram, est, naturam uniuscujusque rei pendere ex caussis: ita ut, qualis cujusque rei caussa est, talis etiam ipsa sit; & quaecunque caussas certas & necessarias habent, ipsa quoque certa & immutabilia sint; quae incertas, & inconstantes, incerta, & mutabilia. sic etiam quaecunque cognoscuntur ex certis & necessariis principiis, certa & necessario vera sunt: qualia sunt quae ab Arithmeticis, aut a Geometris demonstrantur. at quae principiis non neces-

sariis nituntur, eorum etiam incerta cognitio est: cujus generis sunt pleraque medicorum & politicorum. Atque hoc ipsum est quod in prioribus analyticis traditur: cum conclusio syllogismi efficiatur ex sumptionibus, si necessariae sint illae, hanc quoque necessariam fore, sin fortuitae, fortuitam. sed jam ea quae subjicit Aristoteles, persequamur.

Πρὸς γὰρ τὰ] *Nam ad ea, quae genere differunt, etiam particularum animi alia genere est, quae ad eorum utrumque seorsum accommodata est: si quidem similitudine quadam convenientiaque cognitio eis inest.*

I. Hujus loci sententia haec est. Ea quae differunt genere, non possunt eadem animi parte cognosci. τὰ ἀναγκαῖα καὶ τὰ ἐνδεχόμενα differunt genere. ergo, &c.

II. Deinde probat majorem hoc modo: omnis cognitio fit per similitudinem inter cognoscens & cognitum. Eadem pars non potest similis esse differentibus genere. ergo, &c.

III. Haec accurate tractanda sunt. ac primum videmus, etiam in sensibus, ea quae genere conveniunt, uno eodemque sensu percipi: ut omnes colores visu, omnes sonos auditu. sed quae genere differunt, alio: ut non idem sensus percipit colorem & odorem, aut sonum. Est ergo haec verisimilis quaedam confirmatio majoris prioris syllogismi.

IV. Minor prioris syllogismi probatur ex 9. Metaph. qui Latinis est decimus, ubi dicitur τὸ φθαρτὸν καὶ τὸ ἄφθαρτον differre genere. Immo etiam plus quam genere differunt. nam alterum non potest non esse, alterum potest non esse.

V. Conclusio necessario sequitur. Nunc ad secundum syllogismum.

VI. Quod ait, omnem γνῶσιν fieri per similitudinem, eadem fuit sententia Empedoclis, cujus versus citantur lib. 1. περὶ ψυχῆς· Γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ἐπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ, Αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖον. ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀίδηλον, Στοργῇ δὲ στοργήν, νεῖκος δέ τε νείκεϊ λυγρῷ. Eadem Platonis, qui ex elementis animum in Timaeo constare dicit, ut possit elementa cognoscere. Quin etiam quidam antiquorum usi sunt hoc argumento, ut probarent, quandam esse in animis nostris partem divinam & immortalem. Cognosci enim a nobis quae talia sunt; ex quo colligi, esse inter animum nostrum, & illa similitudinem quandam.

Est

Estne verum, quod ait Aristoteles: Ὅτι πρὸς τὰ τῷ γένει ἕτερα, &c. Ita ut partium animi alia sit, qua necessaria, alia qua contingentia cognoscimus. Item, estne verum, omnem cognitionem similitudine quadam fieri? Multa adversus utrumque dici possunt. ac primum adversus primum.

I. Aristoteles 3. περὶ ψυχῆς duplicem ait esse τὸν νοῦν, τὸν μὲν ἐνεργείᾳ, τὸν δὲ δυνάμει, καὶ τὸν μὲν πάντα ποιεῖν, τὸν δὲ πάντα γίνεσθαι. ergo idem νοῦς omnia intelligit.

II. Quo quaeque vis superior & perfectior est, eo latius patet, & ad plura pertinet. At ἡ τοῦ νοῦ δύναμις perfectior est sensibus. latius igitur patet. Jam idem sensus apprehendit differentia genere, ut hominem, & lapidem, atque etiam tum φθαρτὰ, tum ἄφθαρτα, ut solem, & lucernam. igitur multo magis eadem potestas τοῦ νοῦ percipiet καὶ τὰ ἀναγκαῖα καὶ τὰ ἐνδεχόμενα.

III. Non quaelibet diversitas generis in objectis requirit diversas potentias: alioqui non eadem potentia videremus hominem, & lapidem, sed ea tantum quae respicit rationem formalem objecti. Objectum autem intellectus est ens. Ens est objectum adaequatum mentis. Itaque eadem mente cognoscimus substantiam & accidens. At ens complectitur & necessaria, & contingentia. Igitur, &c.

IV. Quae ratio est materiae primae ad omnes formas materiales, eadem est intellectus possibilis ad omnes formas intelligibiles. at eadem materia est susceptiva omnium formarum. ergo & idem intellectus, &c.

V. Eadem est potentia contrariorum, ut dictum est lib. 5. Necessarium & contingens sunt contraria. ergo, &c.

VI. Potentia discretiva duorum aut plurium, est eorundem perceptiva, ut patet in sensu communi. At est aliqua vis animi, qua discernimus necessaria a contingentibus. ergo eadem una numero existens eorum utraque cognoscet.

CONCLUSIO.

Re ipsa una eademque mens est, quae tum necessaria, tum contingentia apprehendit: ratione tamen sunt duae. Hoc posito, argumenta facile solvi possunt.

Ad primum. Et intellectus agens & possibilis dividi potest in speculativum & practicum, quorum ille necessaria, hic ἐνδεχόμενα ὁ μὲν ποιεῖ, ὁ δὲ γίνεται.

Ad secundum. Prior conclusio concludenda est, ad secundam autem dicendum, sensum non apprehendere diversa genere. non enim visus apprehendit hominem ut hominem, neque lapidem ut lapidem, sed utrumque ut coloratum. Omnes autem colores ejusdem generis sunt. Nec percipit quidem luminis solaris activitatem, aut luminis lucernae mortalitatem, sed utrumque, quatenus lucent.

Ad tertium. Eadem solutio, quae primi, & indidem etiam pendet solutio quinti & sexti.

Ad quartum. Verum est de materia remota, sed non de propinqua, & sic potentia rationalis sumpta confuse, est capax utrorumque, distincta autem partim ad haec, partim ad illa accommodatur.

Fitne cognitio per similitudinem? Non videtur.

I. Nam Aristoteles lib. 1. de anima multis argumentis eam Empedoclis opinionem improbat. Ut quod oporteret hac ratione, non tantum elementa, verum etiam composita in animo esse. alioqui animus non cognosceret composita, sed tantum elementa. Exemplum in compositione ossis ex quatuor partibus terrae, duabus ignis, una aëris, & una aquae.

II. Sequetur, animum esse omnia praedicamenta.

III. Simile a simili non patitur. Sentire autem & intelligere, & cognoscere est pati. ergo, &c.

IV. Ossa & nervi, & pili maxime sentirent terram. at nihil sentiunt.

V. In principiis erit magna admodum ignoratio. alia enim a se omnia ignorabunt.

VI. Deus erit ἀφρονέστατος. Solus enim ignorat τὸ κακόν.

Sunt & alia. Itaque Philoponus in tertium de anima, ἡμεῖς δέ, inquit, οὐ συγχωροῦμεν τὴν ὑποτεθεῖσαν ὑφ' ἡμῶν γένεσιν εἶναι, διὰ συλλογισμοῦ τοῦτο ἀναιροῦντες· εἰ γὰρ τὸ ὅμοιον μὴ ὁμοίου ἔπαθεν, οὐδὲ ὁ ὑποτεθεὶς ἀνθρωπὸς ἐκ, οὐκ ἄρα τὸ ὅμοιον ὑπ' ὁμοίου γενόμενον. Duplex similitudo οὐ συγχωρεῖται, ἡ δὲ ὑποτεθεῖσα. Illa cum Aristotelis sententia pugnat, haec admitti potest; maxime cum intellectus sit, ut tabula rasa, & sit locus formarum, & forma formarum, &c. Sed hic videtur loqui κατὰ συγχώρησιν. Itaque puto, eum loqui ex ea opinione, quae tum recepta erat, non ex sua. Sic in Categoriis γένεσιν & φθορὰν, &c. cum tamen in Physicis aliter doceat. sic in eisdem ἅμα πάντα, interdum alterum altero prius

prius esse, cum ἐν τοῖς μετὰ τὰ φυσ. &c. In Meteorologicis aliter de visu, quam ἐν τῷ περὶ ψυχῆς, καὶ ἐν τῷ περὶ αἰσθήσεως, καὶ αἰσθητοῦ. In his ipsis dividit animum εἰς τὸ λογικὸν, καὶ τὸ ἄλογον, quem reprehendit lib. 3. περὶ ψυχῆς.

Λεγέσθω] Reprehendendi, qui in vertendo ponunt ἄν τι ὀνομάτων, ut in quo inest vis sciendi, & in quo inest vis ratiocinandi. hoc enim non est vocare, aut nomina rebus imponere. & nulla res esset ἀνώνυμος, si haec ratio permitteretur, falsoque dixisset Aristoteles in quarto, multas virtutes, & multas vitiositates esse ἀνωνύμους.

C. II. Τὰ κύρια] Quae ad agendum, & ad veritatem cognoscendam praecipuam vim obtinent.

Αἴσθησιν μὲν] Sensu quidem praedita sunt: actio autem in eas non convenit. Quaerere instituit, quod sit ἔργον utriusque earum quas dixit partium. Sed proponit quaedam ad id facilius reperiendum necessaria. Cur connumerat sensum, quem statim ex hoc quasi albo expungit? quia conjuncte dixit πρᾶξιν καὶ ἀλήθειαν. etsi autem sensus non est principium ullius actionis, tamen deducit nos ad cognitionem veritatis. Omnis enim cognitio nostra ortum ducit a sensibus. Et nihil est in mente, quod non prius fuerit in sensu. Itaque quicunque e natura sensu aliquo caret, is necessario etiam aliqua scientia caret.

Τὰ θηρία] Verbum πράττειν non convenit, nisi in ea, in quibus inest προαίρεσις. Aristoteles 7. Phys. cap. 6. ἐπέσεις μὴ ἐνδέχεται πρᾶξαι οὐδὲ τὸ λὰ τύχης τι ποιῆσαι· καὶ διὰ τοῦτο οὔτε ἄψυχον οὐθὲν, οὔτε θηρίον, οὔτε παιδίον οὐθὲν ποιεῖ λὰ τύχης, ὅτι οὐκ ἔχει προαίρεσιν.

Ἔτι δ' ὅπερ] Διανοίαν accipit ἀντὶ τοῦ νοῦ, & solet saepe ita facere. Ait autem, esse quandam proportionem inter verum & bonum, falsum & malum. Nam ut mens quod verum est affirmat, quod falsum negat: ita appetitio quod bonum persequitur, quod malum fugit.

Ὥστ' ἐπειδὴ] Haec eo pertinent, ut paulatim concludat ac doceat, proprium munus mentis practicae esse vere judicare de rebus expetendis & fugiendis: eamque veritatem esse finem ac bonum ipsius. ἕξιν autem προαιρετικὴν vocat, qua fit, ut quis constanter, quae bona atque honesta sunt, persequatur, eaque aliis omnibus con-

sulto anteponat Jam προαίρεσις non est quaelibet appetitio, sed ea demum, quam deliberatio antecessit, ut docuit lib 3.

Τὸν δὲ λόγον ἀληθῆ] λόγον vocat, aut mentem ipsam, aut certe illius κατάφασιν, ἢ ἀπόφασιν περὶ τοῦ διωκτοῦ τε καὶ φευκτοῦ. eam ait oportere veram esse. alioqui enim abducet in errorem. est autem, ut ἐν τῷ λόγῳ τῷ προφορικῷ ὁ μὲν ἀληθὴς λόγος, ὁ δὲ ψευδὴς, οὕτω καὶ ἐν τῷ ἐνδιαθέτῳ.

Καὶ τὰ αὐτὰ] Ne eveniat quod in in continente, qui aliud judicat bonum, aliud sequitur.

Αὕτη μὲν οὖν] Illa videlicet, quae est de rebus expetendis & fugiendis. Vocat autem διανοίαν πρακτικὴν, idem quod supra τὸ δὲ λόγον ἔχοντος λογιστικὸν ἢ βουλευτικὸν: & ἡ πρακτικὴ ἀλήθεια est ἔργον & finis illius. Sunt ergo duo principia τῆς πράξεως ἡ διάνοια ἡ πρακτικὴ, & ἡ ὄρεξις. Atque haec mirifice conveniunt cum iis quae traduntur cap. 9. & cap. 10. libri tertii περὶ ψυχῆς. neque mentem per se, neque appetitionem per se dominam esse actionis, sed haec duo. Nam non semper dominam esse mentem constat ex incontinenti, qui recte judicat, sed pravae appetitioni paret: non semper dominari appetitionem, constat ex incontinenti, qui concupiscit quidem ea quae flagitiosa sunt, sed deterrenti, ac dissuadenti rationi tamen obtemperat. Ubi autem haec utraque consentiunt, si mens vere judicat, rectae & laudabiles actiones consequuntur: sin contra, vitiosae, & vituperandae.

Τῆς δὲ θεωρητικῆς] Docet nunc, quod sit ἔργον illius alterius partis, quae cognitione tantum, ac contemplatione cernitur. Τοῦτο γὰρ ἐστι παντὸς. Utraque pars posita est in veri falsique dijudicatione, ac, ne quem hoc forte turbaret quaerentem, quid igitur inter eas interesset, addit:

Τοῦ δὲ πρακτικοῦ] Ex quo facile discrimen ipsarum cognoscitur. Nam ἡ θεωρητικὴ nihil laborat, quid fugiendum expetendumve sit, ut scriptum est in tertio de animo: ὁ μὲν γὰρ θεωρητικὸς οὐδὲν νοεῖ πρακτὸν, οὐδὲ λέγει περὶ φευκτοῦ, καὶ διωκτοῦ οὐδὲν. & paulo infra: ὥστε εὐλόγως δύο ταῦτα φαίνεται τὰ κινοῦντα, ὄρεξις καὶ διάνοια πρακτική.

Πράξεως μὲν οὖν ἀρχὴ προαίρεσις, ὅθεν ἡ κίνησις. ἀλλ' οὐκ οὗ ἕνεκα] Quod additum est, ne quis falleretur. solet enim consuetudo principium actionis dicere id, propter quod

quod actio illa suscipitur. Id enim principio consideratur.

Προαιρέσεως δὲ ὄρεξις, καὶ λόγος ὁ ἕνεκά τινος] Duabus enim ex illis efficitur προαίρεσις, ut constat ex iis quae modo diximus. λόγον ἕνεκά τινος, aut, ut paulo post loquitur, ἕνεκά του, vocat τὴν πρακτικὴν ἢ ποιητικὴν διανοιαν.

Διὸ οὔτ' ἄνευ νοῦ καὶ διανοίας οὔτ' ἄνευ ἠθικῆς ἐστιν ἕξεως ἡ προαίρεσις] νοῦ καὶ διανοίας dixit ἐκ παραλλήλου. quamvis enim haec distinguantur, ubi subtiliter loquimur; tamen saepe, ut jam dixi, confunduntur. Sed ubi vulgo legitur, ἕξεως ibi equidem nullo modo dubito, quin legendum sit ὀρέξεως, ut scriptum reperi in multis partim manu scriptis, partim etiam impressis libris. Immo ipsum etiam Eustratium ita legisse contendo, & quod vulgo legitur in commentario ipsius, τὸ δὲ ἄνευ ἠθικῆς ἕξεως περὶ τῆς ὀρέξεως εἴρηται, ὅτι τῇ ὀρέξει, τὸ ὀρθῶς ἐνεργεῖν ἢ μὴ, ἐκ τοῦ ἤθους περιγίνεται ὡς ἀγαθοῦ ὄντος αὐτῇ ὀρθὴν εἶναι καὶ τὴν ὄρεξιν, πρὸ ἡρῶ δὲ διάστροφον. ita legendum sensit: τὸ δὲ ἄνευ ἠθικῆς ὀρέξεως εἴρηται, ὅτι, &c. ostendit enim, cur Aristoteles addiderit illud ἠθικῆς, nempe ut ostenderet, se non loqui de appetitione naturali, cujus modi est fames & sitis, sed de ea, quae pro cujusque moribus varia est. ut enim quisque moratus est, ita haec aut alia concupiscit. Ita autem, ut ego legendum puto, legit etiam Aretinus.

Εὐπραξία γὰρ καὶ τὸ ἐναντίον ἐν πράξει ἄνευ διανοίας, καὶ ἤθους ἐκ ἔσει] Ea demum, quae fiunt ἐκ προαιρέσεως, dicuntur, aut bene, aut male fieri. at neque bene, neque male agere potest quisquam, aut sine mente, aut sine appetitione. προαίρεσις igitur ex eorum utroque constat. Sed cur dixit τὸ ἐναντίον ἐν πράξει? quoniam nimis durum videbatur κακοπραξία. ἦθος autem vocat, quod modo dixerat ἠθικὴν ὄρεξιν.

Διάνοια δ' αὐτὴ οὐδὲν κινεῖ, ἀλλ' ἡ ἕνεκά του καὶ πρακτικὴ. αὐτὴ γὰρ καὶ τῆς ποιητικῆς ἄρχει] Mens autem ipsa per se (hoc enim est αὐτὴ, & errat Lambinus, qui hoc putat mutandum in αὐτὴ) nihil movet. nam quicquid movetur, aut persequendi, aut fugiendi alicujus gratia movetur. at mens ipsa, ut diximus, nihil dicit, περὶ τοῦ διωκτοῦ, ἢ περὶ τοῦ φευκτοῦ. Sed ea tantum movet quae est ἕνεκά του, καὶ πρακτικὴ. ea enim de bonis & malis judicat, & appetitionem dirigit. Cur autem πρακτικὴν eam, non etiam ποιητικὴν, vocet, cum tamen & ἐν τῷ πράττειν, & ἐν τῷ ποιεῖν

vis ipsius cernatur, indicat, cum ait, αὕτη γὰρ. &c. ait enim, se eam vocare ab eo quod praestantius est. Jam vero τὸ πράττειν praestantius est, quam τὸ ποιεῖν, ut constat ex iis quae sequuntur.

Ἕνεκα γάρ τοῦ ποιεῖ] Quae omnia tum per se, tum ex iis quae lib 1. diximus, satis perspicua videntur. Nunc ex iis quae antecesserunt, colligit duplicem quandam definitionem τῆς προαιρέσεως, aitque:

Διὸ ἡ ὀρεκτικὸς νοῦς] Non enim multum interest, utrum loco generis, utrum loco differentiae ponas, cum hic accuratae illae definiendi leges non observentur.

Καὶ ἡ τοιαύτη ἀρχὴ, ἄνθρωπος] Significat προαίρεσιν, in solum hominem convenire. Ceterorum enim alia sunt ὑπὲρ προαίρεσιν, alia ejus capacia non sunt. Ostendit deinde, quaenam sint προαιρετὰ his verbis:

Οὐκ ἔστι δὲ προαιρετὸν οὐδὲν γεγονός. οἷον οὐδεὶς προαιρεῖται Ἴλιον πεπορθηκέναι. οὐδὲ γὰρ βουλεύεται περὶ τοῦ γεγονότος, ἀλλὰ περὶ τοῦ ἐσομένου] Neque tantum ἐσομένου. non enim de eo quod necessario futurum est; ideo addit, καὶ ἐνδεχομένου sed de hoc satis multa lib. 3. τὸ δὲ γεγονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι, unde in libro περὶ ἑρμῆν. dicitur, omnes enunciationes de praeterito esse, aut necessarias, aut impossibiles.

Διὸ ὀρθῶς Ἀγάθων.] Μόνον γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται Ἀγένητα ποιεῖν ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. quos versus ita olim interpretatus sum in Commentario in Catullum: *Una hac enim re etiam Deus privatus est, Infecta facere, facta quae sunt, ut queat.* De Agathone frequens mentio apud Platonem, & apud Aristotelem in rhetoricis, & in poëtica, & alios. Historiam quandam de eo retuli in illud Terentii, *Amantium irae.* in eum praecipue videtur scripsisse Aristophanes θεσμοφοριαζούσας.

C III. Ἀρξάμενοι οὖν ἄνωθεν] Al. πάλιν περὶ αὐτῶν λέγωμεν. Cur ait πάλιν, cum de iis antea verbum nullum fecerit? An illud περὶ αὐτῶν refertur πρὸς τὰ τῆς λογικῆς μόρια, de quibus rursum disserere videtur, cum ad ea, quae περὶ τῆς οὐσίας αὐτῶν disputavit, addit ea quae pertinent πρὸς τὰς τῶν αὐτῶν τεχνειότητας? An illud πάλιν, ut in quibusdam libris, pertinet ad verbum ἀρξάμενοι.

Ἔστω δὴ οἷς ἀληθεύει] Cur utitur crebro ἔστω? quia sumit hoc suo quasi jure, & sibi credi postulat: cur τῇ καταφάσει ἢ ἀποφάσει? Ut significet, quaecunque ex his habitibus affirmantur, esse: quaecunque negantur, non esse: pro-

probet autem, neque plures, neque pauciores esse, quam quinque. haec ab ipso primum Aristotele sunt distincta, Veteres enim haec confundebant, & posteriores etiam confuderunt. Ac ne Aristoteles quidem ipse semper his vocibus proprie utitur, sed interdum aliam pro alia ponit. Exempla. Plato σοφίαν νόμων confundit τῷ, φρόνησιν, τῇ δίκῃ, τῷ τῆς ξυμπάσης ἐμμελείᾳ ἀρετῆς. φρόνησις δ' οὐ τοῦτο τῇ νοῦς, τῇ δίκη. Idem in Alcib. 2. confundit ἐπιστήμην τῇ φρόνησιν. hanc enim ἐπιστήμην δ' βελτίω, τῇ δ' ὠφελίμην. In Theage omnes artes vocat σοφίας. τὰς τέχνας τῇ τὰς ἐπιστήμας, & ipse, & Aristoteles innumerabilibus locis confundunt. σοφοὺς vocabant *callidos*. Eurip. Σοφὴ, σοφὴ τὰ πανταχοῦ δ' ὅμως οὐ δεῖ. & *prudentes*. ut, Αἱ δίκαιαί τινες φρονοῦσι σοφώτερον. Σοφίαν Plutarch. in Themistocle ait vocari δεινότητα πολιτικὴν, τῇ σύνεσιν ἐμπείρειαν. συνετοὺς dicuntur *prudentes*. *Prudentem* vocat Tacitus peritum gubernandae civitatis. Stoici, & Cicero apud Latinos haec omnia confudere. sed plura, cum de singulis agetur.

Τεχνολογικὴ δὲ τῇ δίκῃ] Sed nonne, & ars & prudentia, ut medicina, ut κυβερνητικὴ falluntur? Saepe enim quae prudentissime cogitata sunt, pessime cadunt, & contra; unde dictum est, Ταυτόματον ἀμῶν πάντων βελτίστη, &, Τύχη δίκτυον περίγνωτ', οὐκ ἀβυσσία.

Ἐπιστήμῃ μὲν οὖν] Cur mutat ordinem? In enumerando orsus erat ἀπὸ ἀπλουστέρου, nempe ab arte. ei statim subjunxerat τῷ ἐπιστήμῃ propter affinitatem, & quia ea vocabula saepe confundantur. φρόνησιν, σοφίαν, νοῦν conjunxerat eadem de causa, quod saepissime solet consuetudo ea confundere. & per gradus progressus erat ad id quod summum locum obtinet, nempe ἐπὶ νοῦν. In tractando autem proponit scientiam arti, ut perfectiorem. Sed ratio ordinis in talibus non videtur admodum sollicite quaerenda.

Εἴδει διαφέρ.] Hoc eo dicit, quia haec omnia magnam inter se similitudinem habent.

Πάντες γὰρ ὑπολαμβάνομεν] Primum docet, quorum sit scientia, deinde, quomodo efficiatur Postremo concludit quid sit. ἐπιστῆμαι proprie sunt conclusiones. eas oportet esse necessarias, id est, tales, ut nunquam possint esse falsae, sed sint ἀΐδιοι, id est, semper verae. quare oportet eas esse de rebus universis, quae non sint ortui, neque interitui obnoxiae. nam in iis quae sunt γένεσι, τῇ

φθαρτὰ, nulla talis stabilitas ac soliditas inveniri potest. singularia igitur non cadunt sub scientiam, nisi quatenus sub universis, quae ἀγένητα καὶ ἄφθαρτα sunt, continentur Ut non dicor scire Socratem esse γελαστικὸν, nisi quatenus homo est. non enim semper verum est, esse Socratem, esse γελαστικὸν, aut Socratem esse ζῶον λογιστικὸν, at utrumque de homine semper verum est.

Ἁπλῶς] Hoc dicit, ut excludat ea quae sunt tantum necessaria ἐξ ὑποθέσεως, ut Socratem, cum currit, moveri.

Ἔτι διδακτὴ] Docet nunc, quomodo paretur scientia, nempe ἐκ προγινωσκομένου. sunt autem duae praenotiones, esse, & quid nomine indicetur περὶ τοῦ γένους, τοῦ ὑποκειμένου. utrumque praenoscendum, τί σημαίνει τὸ ὄνομα, καὶ ὅτι ἔστι. περὶ τοῦ πάθους τοῦ ἰδίου, τί σημαίνει τὸ ὄνομα. περὶ τῶν λημμάτων, ὅτι οὕτως ἔχει.

Ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἀναλυτικοῖς] Idem est igitur auctor Analyticorum, & horum librorum

Ἀρχή ἐστι καὶ τοῦ καθόλου] Nonne illud καὶ redundat? Lego igitur, ἀρχή ἐστι καὶ πίστωσις τοῦ καθόλου, ut & Eustratius legit, & vetus interpres.

Ἡ μὲν ἄρα] Tradit definitionem scientiae, & rejicit nos ad libros τῶν ὑστέρων ἀναλυτικῶν.

Προδιωρισόμεθα] Et vetus interpres, & Aretinus, & Argyropylus legunt προσδιωρισόμεθα, idque melius videtur. Sed cur addit, καὶ ὅσα ἄλλα Respondeo, tum ob alia, tum quia est ἐπιστήμη quaedam etiam principiorum, ut & ipse breviter admonet, dicens:

Ὅταν γὰρ πῶς πιστεύῃ] Oportet principia esse notiora conclusione. nam propter quod unumquodque tale, &c.

c. IV *Capitis quarti summa.* Ars est habitus, quo vera certaque ratione facile aliquid possumus.

Haec Aristotelis de arte disputatio non caret obscuritate. Sed enitendum nobis est, ut, quasi discussis ac depulsis tenebris, veram illius intelligentiam assequamur. id autem ordo maxime videtur praestare posse. Tenebo igitur hunc ordinem. Primum, quanta maxima perspicuitate potero, declarabo Aristotelis verba; deinde ea quae dubitationem afferre aliquam possunt, proponam, & quomodo dissolvenda videantur, indicabo.

Ait Aristoteles: τοῦ δὲ ἐνδεχομένου ἄλλως ἔχειν, ἔστι τι καὶ πωτὰ, καὶ πρακτὸν] Id est, *eorum autem quae aliter se habe-*

here posſunt, quaedam habent eam naturam, ut fieri, quaedam, ut agi posſint Cadere ſub effectionem, & cadere ſub actionem, quomodo alii loquuntur, inepte dicitur, & nullo veterum exemplo. Et ſane ſumma eſt in his omnibus Latine diſtinguendis difficultas. Sequitur, Ἕτερον δὲ ἐν ποιήσει ἢ πρᾶξις] Id eſt, *Eſt autem aliud facere, aliud agere*. Cuperem dicere, *factionem & actionem*: ſed horum prius, hoc quidem ſenſu, Latini ſermonis conſuetudo repudiat. Hoc loco mihi quae ad vim vocabulorum pertineant, pauca quaedam dicenda ſunt.

Tria ſunt apud Graecos vocabula, ἐνέργεια, πρᾶξις & ποίησις, quae magnam eis uſum in loquendo praebent, aptiſſimaque ſunt ad res diſtinguendas. Latini quae eis reſpondeant, non habent: ideoque Latine loquentes, aut haeremus inopia vocum, aut quia deſunt nomina, res ipſas confundere, aut barbare, & inuſitate loqui cogimur. Si poſſemus Latine dicere, *operationem, actionem*, & *factionem*, res expedita eſſet. Vos quaeſo, date mihi hanc veniam, ut ad breve tempus, neglecta cura Latinitatis, tantiſper iis vocabulis utar, perinde ac ſi proba eſſent, dum id quod volo doceo.

Operari eſt facultatem aliquam exercere, ut, exempli cauſſa, in nobis etiam, cum claudimus oculos, aut dormimus, eſt poteſtas videndi: & dum tacemus, eſt tamen in nobis facultas, ſeu poteſtas loquendi. neque tamen cum poteſtates illas exercemus, ſed cum re ipſa videmus, aut loquimur, tum ſecundum eas facultates (ut Scholaſtici loquuntur) operari dicimur. Operationum autem quaedam ſunt, quae nullum opus poſt ſe relinquunt, ut cum quis videt, aut canit, aut ambulat. Eae proprio nomine dicuntur actiones. Aliae relinquunt aliquod opus, ut cum quis domum, aut veſtem, aut gladium conficit. has vocant in ſcholis *factiones*: non male, ſi liceret vocabula fingere, aut in alium uſum, quam quem a veteribus accepimus, detorquere. Etenim ut a legendo *lectio*, ab amando *amatio* dicitur, ſic a faciendo *factionem* dici, & analogia, & fortaſſe neceſſitas poſtulabat. Sed magnus tyrannus eſt uſus: isque cum multis aliis in rebus, tum praecipue in loquendo dominatur. Is ut poſtea oſtendam, alio detorſit nomen *factionis*. ſed ut ex iis, quae jam dixi, intelligere poteſtis, ἐνέργεια, id eſt, operatio, genus eſt, ejus partes ſunt duae.

Digitized by Google

duae. Nam operatio aut relinquit post se aliquod opus, & vocatur ποίησις, id est, ut ita dicam, factio, aut nullam, & vocatur actio. Atque hoc est, quod Aristoteles dicit ἔστιν ἄλλη ποίησις καὶ πρᾶξις. Haec ita propemodum docentur ab Aristotele lib. 9. ut Latini numerant, τῶν πρὸς τι φύσεως, & ejus libri cap. 8. Varro quoque lib. 5. de lingua Latina ita scribit: *Proprio nomine dicitur facere a facie, quod rei quam facit, imponit faciem.* & paulo post: *Qui quid administrat, cujus opus non exstat, quod sub sensum veniat, ab agitatu, ut dixi, magis agere, quam facere putatur. sed quod hic magis promiscue, quam diligenter consuetudo est usa, translatitiis utimur verbis.*

Nunc de iis nominibus, quibus ad docendum necessario usus sum, aliquid dicam. *operari* veteres Latini dixerunt tantum pro eo, quod est sacra facere. Ut, *Laetis operatus in herbis.* pro quo etiam dixerunt *facere*: *Cum faciam vitula.* Verbi, *operor*, nullum omnino alium usum apud veteres fuisse arbitror. *operationis* autem nomen priscis illis Latini sermonis auctoribus, ignotum prorsus, quantum e scriptis eorum constat, & inauditum fuit. Putatur alicubi legi in epistolis ad Atticum: sed locus depravatus est. πράττειν, *agere*, πρᾶξιν, *actionem* recte interpretamur. ποιεῖν est *facere*, ποίησιν *factionem* qui dicat, non satis ex consuetudine Latini sermonis loquatur. nam id nomen alio translatum est, idque hac causa. Qui olim multa in civitate facere possent, sive gratia, sive auctoritate, sive opibus, eos *factiosos* vocabant. Et quia magni concursus fiunt ad homines potentes, &, ut tum loquebantur, *factiosos*, multique semper, qui eos assectentur, eisque studeant, reperiuntur, *factiones* initio *coitiones*, & *sodalitates* vocarunt. sic ait Festus, *factiones histrionum & quadrigariorum* dicta esse, eratque utrumque honestum nomen. Postea cum exortae essent partes & seditiones in republica, factum est, ut eas tantum fere coitiones, quae adversus remp. fierent, *factiones*, & qui earum principes essent, eisve studerent, *factiosos* vocarent. Ita nomen quod latissime patere debeat, angustis quibusdam limitibus contractum est: ut nunquam fere usurpetur, nisi pro sodalitate, & eo quidem inhonesta: nisi cum in paucis quibusdam *actionem* dicimus jus potestatemve faciendi, ut *testamenti factionem*.

fa-

factus autem nomen retinuerunt tantum in oleo: & cum *factor* dici deberet quicunque aliquid facit, eum tantum ita vocarunt, cujus opera in oleo faciundo uterentur. Graeci quoque ποιησιν, & ποιητὰς, & ποιήματα posuerunt illi quidem proprie in iis qui versus facerent, sed tamen ad alias quascunque res earundem vocum usum retinuerunt. Cicero ad Atticum: *Libet mihi facere in Arpinati*, lib. 1. epist. Plato in Lyside, Aristot. περὶ ποιητικῆς. Cur *effectio* non placeat? magis significat absolutionem quandam, τὸ ἀποτελεῖν. Qui jacit fundamenta domus, nondum dicitur efficere domum. εὖ ποιεῖν ἢ κακῶς ποιεῖν, non dicitur *bene aut male efficere*. Cicero ad Atticum: *Feci atque effeci, ut neuter quenquam omnino pluris quam me faceret*. Hinc, opinor, constat, aliud esse *facere*, aliud *efficere*. neque nego Ciceronem saepe *efficientia* vocare ποιητικὰ. sed, &c. Et tamen *effectionem* inopia melioris vocabuli dixerim. Sequitur,

Πιστεύομεν δὲ καὶ περὶ αὐτῶν καὶ τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις] D. Thom. & alii eum secuti per *exotericos* intelligunt libros μετὰ τὰ φυσικὰ, idque si verum est, adjuvat opinionem Sepulvedae. Dixi multa lib. 1. sed Eustratius hoc loco ita exponit: Ἐξωτερικοὺς δ' ὀνομάζει λόγους οὓς ἔξω τῆς λογικῆς παραδόσεως κοινῶς τὰ πλήθη φασί. Cogita: fortassis enim verum est. nam si verus est Sepulveda, cur non etiam paulo ante dixit, ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς, ut significaret τὰ ἀναλυτικὰ? Lucianus, epist. Alexandri, Plutarchus, Gell. c. 4. l. 20. Galenus, Cicero 5. de finibus. at ab eo ἐκ διαμέτρου dissentit Eustratius in primo. Et hic Simplicius in Categorias ex Alexandri sententia.

Ὥστε καὶ ἡ μετὰ λόγου] Argumentum est a conjugatis. Aliud est ποιητὸν, aliud πρακτὸν, aliud ποίησις, aliud πρᾶξις. ergo alia πρακτικὴ, alia ποιητικὴ ἕξις. Addit, eas non ita affectas esse inter se, ut genus & speciem. Neutram enim sub altera contineri. Quod tamen intelligendum est, ubi proprie loquimur. Interdum enim τὸ ποιεῖν latius accipitur, ita ut sub eo contineatur etiam τὸ πράττειν.

Τεχνάζειν καὶ θεωρεῖν] Deleo illud καὶ. Ubi enim docuit, quid sit τέχνη, statim addit, quid sit τεχνάζειν. etsi aliter alii. Ἀτεχνία duobus modis dicitur, ἁπλῶς, & κατὰ διάθεσιν. de posteriore hic loquitur. Ἀπορία. Rectene definitur τέχνη, ἕξις ποιητικὴ? Atqui haec definitio angustior est eo,

quod

quod definitur. Nam apud Platonem in Philebo, in Theaeteto, in Politico, & saepe alibi, artes dividuntur in θεωρητικὰς, πρακτικὰς, & ποιητικάς. Galenus in libro περὶ συστάσεως ἰατρικῆς· ἐπειδὴ τῶν τεχνῶν ἔνιαι, &c. Basilius hom. 1. in Genesim: ἐπειδὴ δὲ καὶ τῶν τεχνῶν αἱ μὲν ποιητικαὶ, &c. Quintilianus cap. 18. lib. 2. *Cum sint autem artium*, &c. Cicero Academic. lib 2. *Cumque artium*, &c. Sed & Aristoteles ipse hoc probat principio horum librorum, & alibi vocat rhetoricen artem, & poëticen artem, & artem canendi tibiis, aut lyra, ut in Politicis, quas constat non esse ποιητικὰς, &c.

Triplex solutio. Una, quod παρέργως hic disseratur de arte, ideoque non tam subtiliter agendum sit. Hoc enim tantum curavit Aristoteles, ut eam a prudentia distingueret. Haec expedita est, sed videtur in Aristotelem ipsum contumeliosa esse. Τὸ φαρμακὸν σου τὴν νόσον μείζω ποιεῖ. Itaque qui ita respondent, Πικρὰν χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ πικρῷ, & adhibent remedium gravius morbo. Altera, τὰς πρακτικὰς τῶν τεχνῶν pertinere ad prudentiam. Et certe prudentem gubernatorem, ducem, architectum dicimus. Quid igitur? dicemus artem saltandi, aut canendi lyra, esse partem prudentiae? Et, si quis iis careat, non erit perfecta prudentia? Item fieri potest, ut quis ex aliqua earum artium optime agat, qui tamen agat imprudentissime, ut, si senator, in foro artificiosissime saltet, dicamus eum, & optime saltasse, & imprudentissime egisse. Item, nemo prudens est nisi vir bonus, & multi nequissimi homines talibus artibus excellunt. Item, prudentia non respicit certum aliquem finem, ut ὑγείαν, aut robur, aut talia, sed id quod communiter utile est ad vitam.

Tertia, quod cum omnes artes dicantur ποιητικαὶ, verbum ποιεῖν latius patet, quam in octavo τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, ita ut & saltare, & canere fidibus, & ducere exercitum, & mederi, sit facere, quatenus eae omnes res, aliaeque consimiles certis quibusdam praeceptis continentur, & quatenus earum τὸ εὖ spectatur ex ipsis, non ipso agente. hoc enim discrimen positum est ab ipso inter τέχνας & virtutes, lib. 2. τὰ μὲν γὰρ ἐπὸ τῶν τεχνῶν γιγνόμενα, τὸ εὖ ἔχει ἐν αὐτοῖς. ἀρκεῖ οὖν ταῦτά πως ἔχοντα γενέσθαι. τὰ δὲ κατὰ τὰς ἀρετὰς γιγνόμενα ἢ ἐὰν αὐτά πως ἔχῃ, ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὁ πράττων. Haec postrema est ἡ ἀρέσκουσα.

C. V.

c. v. Καὶ φρόνησις] διὸς μὲν γὰρ, &c. ὁ Εὐριπίδης τάλλο. λείπει) ἄρχε, &c. ἢ περὶ τὰ τοῦ, &c. Ita collocanda haec puto, ut cohaereant.

Ἔτι ἡ τὴν σωφροσύνην] Argumento quodam ducto a notatione τῆς σωφροσύνης probat, prudentiam esse περὶ τὰ πρακτά. Cum enim σωφροσύνη dicatur quasi σῴζουσα τὴν φρόνησιν, quod etiam a Platone positum est in Cratylo, id quod conservatur ὑπὸ τῆς σωφροσύνης prudentia est. servat autem illa rectum judicium de rebus agendis, sed cur id tribuit τῇ σωφροσύνῃ potius, quam fortitudini, aut justitiae? Primum sciendum est, τὰ πάθη esse ea, quae judicium depravant. Recte enim ait Theocritus, ὅτι τοῖς ἐρῶσι τὰ μὲν φίλα, φίλα φαίνεται, & amorem propterea vocamus caecum, & iram caecam, & in primo Rhetoricorum docetur, aliter judicare de rebus homines aut odio aut amore imbutos, aut iratos, aliter iis motibus animi carentes. Justitiae igitur hic locus non est, quae non περὶ τὰ πάθη versatur, sed magis περὶ τὰ βιώσιμα ἢ περὶ τὰς συνέξεις. Hoc autem potius tributum est τῇ σωφροσύνῃ, quam fortitudini, quia facilius depravantur homines voluptate, quam ulla re alia. imitatur enim bonum, ἢ συντείνοντα ἁπλῶς, ἢ ὑπερβαίνουσι τοὺς πάθους τοὺς βίους. Ac praeterea σωφροσύνην vocamus non tantum *temperantiam*, verum etiam moderationem quandam animi, quae constat ex cognitione sui, & ex moderatione omnium affectuum. Ea prudentiam conservat.

Αἱ μὲν γὰρ ἕξεις] (lego, ἃ μὲν γὰρ ἕξις) Addit nunc alia quaedam, quibus proprie distinguat τὴν φρόνησιν ἀπὸ τῆς τέχνης. atque ἀπλῶς μὲν τέχνης μὲν ἐστιν ἄριστα. φρονήσεως δ' οὐκ ἔστι. Ἀρετὴν vocatur non tantum ea quae proprie dicitur virtus, verum etiam cujuscunque rei praestantia & bonitas. Sed in iis tantum rebus dicitur, quarum aliae bonae sunt, aliae malae, ut, quia non omnis regio fertilis est, sed alia sterilis, alia ferax, pinguedinem soli & feracitatem vocabimus ἀρετὴν χώρας. & quia equi alii veloces sunt, alii tardi, iccirco ἀρετὴν ἵππου dicemus celeritatem cursus. sic igitur, quia cujusvis artis alii sunt boni & periti artifices, alii mali & imperiti, sed artifices tamen, iccirco ait Aristoteles, esse quandam ἀρετὴν τέχνης; quasi tu dicas bonitatem artis, qua fit, ut alium bonum artificem vocemus, alium non item. At in prudentia nihil tale. neque enim, ut alium bonum poëtam dicimus, ut

Ho-

Homerum, alium malum, ut Choerilum, ita dicimus alium prudentem bonum & intelligentem, alium malum & imperitum. Ita hunc locum accipio. Eustratius prope eodem modo, quamvis alii omnes aliter. sed suum cuique. Sequitur,

Καὶ ἐν μὲν τέχνῃ] Plato in Hippia minore 358. Xenophon lib. 4. ἀπομνημον. Aristoteles τῷ Δ'. τῷ μὲν τοῦ φυσικοῦ sub finem: Διὸ ἐν τῷ Ἱππίου, &c. Seneca epistola 95. *Vis scire, quam dissimilis*, &c.

Μετὰ λόγου μόνον] Requirit enim praeterea ὀρθὴν ὄρεξιν, in quam oblivio nihil potest.

C. VII. Τὴν δὲ σοφίαν] *Sophia* antiquissimis temporibus non erat ullius certae virtutis facultatisve nomen, sed ita commune, ut quam quisque artem exquisite praeter ceteros calleret, in ea σοφὸς diceretur, ipsumque σοφίας nomen omnibus etiam vilissimorum opificum artibus tribueretur, quod vel ex Platonis Apologia, vel ex Theage constat, & idem confirmat Aristoteles hoc loco. Atque hoc sensu videlicet Homerus illud protulit, Ἐπεὶ σοφὸς ἤρατο τέκτων. Idemque Iliados o. fabrum, id est, ναυπηγὸν peritum describens, πᾶσαν σοφίαν ei tribuit, ut & Hesiodus citharoedo Lino. & Hesiodus, cum significare vellet se nauticae rei prorsus imperitum esse, Οὔτε τι ναυτιλίης, inquit, σεσοφισμένος. sed & Xenophon in Hierone cibos exquisitius apparatos ac conditos σοφισματα vocavit. σοφὸς igitur aut σοφιστὰς vocabant eos, qui quacunque in re multum operae ac studii ponerent: τοὺς, ut ait Clemens in primo στρωματέων, περὶ ὁτιοῦν πολυπράγμονας: ut Eustathius, ἅπαντας τοὺς τεχνίτας. Iccircoque Socrates cum Theaeteto disputans innuere videtur, τὴν σοφίαν οὐ διαφέρειν τῆς ἐπιστήμης, & discere nihil esse aliud, quam περὶ ὃ μανθάνει τις, σοφώτερον γίνεσθαι.

II. Peculiare autem aliquando hoc nomen musicorum fuit. eos enim omnium esse eruditissimos putabant. Cicero 1. Tusculanarum: *summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus*. Athenaeus lib. 14. τὸ δὲ ὅλον ἔοικεν, &c. Horatius: *sylvestres homines*, &c. & paulo post: — *fuit haec sapientia quondam Publica privatis*, &c.

III. Jam vero apud antiquos musici iidem erant & poëtae. Cicero 3. de orat. *Namque haec duo musici, qui erant quondam iidem poëtae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum*. Cum ergo musici σοφοὶ sive σοφιστὰ

di-

dicerentur, poëtae quoque eodem nominis honore afficiebantur. Laërtius lib. 1. οἱ δὲ σοφοὶ καὶ σοφισταὶ, &c. Atque hinc videlicet Ἀνακρέων ὁ σοφὸς in Phaedro, & poëtae in Lyside *sapientiae patres ac duces*, & a Cicerone in Miloniana *homines sapientissimi* nominantur.

IV. Sapientes etiam vocabant eos, qui condendarum legum gubernandarumque civitatum rationem tenerent. Cujusmodi sapientiam apud Platonem expetit Theages. Id putabant fecisse primos poëtas; quod Horatiani versus paulo supra a me citati indicant: & eodem nomine vocabant leges & cantica νόμους. & solitas apud quosdam populos leges includi versibus, & vulgo cani, Aristoteles in politicis auctor est. Sed hanc Aristoteles, ut videbimus, *prudentiam*, non *sapientiam*, vocat.

V. Quoniam autem rhetores contendebant, artem suam eam esse, qua regerentur civitates, sibique politicorum nomen vindicabant: factum, ut ipsis quoque *sapientum* appellatio tribueretur. Itaque eis, ubi copiose & ornate in publico dixerant, acclamabatur, σοφῶς. Martialis: *Quod tam grande* σοφῶς, &c.

VI. Σοφοὺς etiam vocabant *callidos* & *astutos*: quomodo Euripides *mulieres ad machinanda mala sapientissimas* esse dicit.

VII. At Aristoteles eos proprie *sapientes* vocat, qui in rebus divinis, & in iis, quae in obscuritate naturae latent, contemplandis occupati sunt. & lib. 1. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, sapientiam vocat eam scientiam, quae primas rerum caussas, primaque principia considerat: quaeque non in hujus, aut illius generis, sed in ejus, quod est ea ratione qua est, cognitione ac contemplatione versatur.

Phidiae opus fuit Jupiter Olympius ex ebore, teste Plinio, adjutore Colote quodam, anno v. c. ccc. & initio pictor fuit, cujus statuae ad pedes adscriptum erat: Φειδίας Χαρμίδου ὑὸς Ἀθηναῖος μὲν ἐποίησε. Auctor Pausanias. Cujus exemplum unde duxisset interrogatus, respondit, his se Homeri versibus, quasi magistro usum: Ἦ, καὶ κυανέῃσιν &c. Hoc simulachrum cum vidisset L. Aemilius Paullus (auctor Polybius apud Suidam) obstupuisse dicitur, & dixisse: *Solus Phidias Homericum Jovem digne imitatus est.* Fecit & Athenis Minervam ex ebore & auro 26. cubitorum. mors illius est apud Plutarchum in Pericle. Polycletum nobilitavit Canon, Diadume-

sua, Astragalizontes, &c. Consummasse hanc scientiam judicatus est, & toreuticen sic erudisse, ut Phidias aperuisset.

Δεικνὺς τάχυς] Confirmat interpretationem meam.

Εἶναι δ' ὅτι] Duo proponit, sapientiam non esse idem quod πολυπειρίαν, & non esse idem quod φρόνησιν, & addit commune argumentum ad probandum utrumque, quod sapientia versatur περὶ τὰ θαυμάσια. at talis non est homo. harum autem utraque respicit hominem. deinde utramque partem tractat sensim, sed ordine inverso, id est, omnes dixerint τὸ φρόνιμον εἶναι nihil esse aliud, quam τὸ δι' ἀκριβῶν περὶ αὐτὰ ἰέναι, & si quis haec praestare possit, ei potissimum singula commiserint ac gubernanda tradiderint.

Ἐν τῷ Μαργίτῃ] Citat hunc & Basilius homilia ad juvenes, sed dubitat, num hoc poëma sit Homeri. Constat ex jambicis & ex heroicis. Aristoteles περὶ ποιητικῆς, Archilochus, Cratinus, Callimachus, Hephaestion, de ipso Margite, vide quae apud Suidam & Aristophanem ὁ βατραχίς. Citat ex Margite Plato hunc versum in Alcibiade 2. Πάνθ' ἁπλῶς ἴσασιν ἴσως, πλὴν δ' ἁπλῶς φρένας.

Ἀληθινὸς ἴσως] Hac de re paulo infra disputabitur. Eustratius haec ita exponit: Absurdum autem est, si quis dicat politicam esse scientiam. non est enim, cum sit περὶ τὰ ἐνδεχόμενα. eodemque modo absurdum est, si quis dicat prudentiam esse σωφροσύνην, id est, sapientiam. sed haec expositio mihi quidem probari non potest. Melius D. Thomas, quem sequor.

Εἰ δὲ ἰσχυρὸν] Constituitur hoc loco insigne discrimen inter sapientiam & prudentiam, petitum ex dissimilitudine rerum, in quibus earum utraque versatur. Intelligendum est enim, eorum, quae sunt, quaedam qualia sunt, talia semper esse, & talia dici suapte vi, & sine ulla ad aliud relatione: ut color qui habet vim aspectus dissipandi, semper est albus; & recta semper est linea, quae brevissima est inter duo puncta. neque id tantum: verum & quae iis affecta sunt, semper talia sunt, nisi mutentur, ut nix & ebur semper alba, nisi mutentur: & quamvis arquatis, ut ait Varro, & veternosis, quae lutea non sunt, lutea videntur, non tamen mutant colorem, prout is qui eo intuetur affectus est.

Nos

Non enim assentimur Democrito, qui, ut est apud Galenum lib. I. περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην στοιχείων, dicebat, νόμῳ χροιὴ, νόμῳ πικρὸν, νόμῳ γλυκὺ· cum significaret, album, nigrum, amarum, dulce, nihil esse re vera, sed opinione tantum: neque Protagorae, qui dicebat hominem omnium rerum esse mensuram; ita ut tale quidque esset, quale ei videretur: neque Aristoni, & Pyrrhoni, quorum jam pridem merito explosa sententia est. Neque remus in aqua rectus esse desinit, etiamsi inflexus videtur. Quaedam alia sunt, quae non dicuntur talia, nisi ex relatione quadam ad aliud, & sine ulla mutatione sui saepe talia esse desinunt; ut cibus, potus, somnus, ambulatio, gestatio, navigatio, non dicuntur salubria, bona aut mala, nisi quatenus ad aliud pertinent, neque aut omnibus unius modi sunt, aut iisdem semper. Aliud, ait Aristoteles, bonum ac salubre est hominibus, aliud piscibus. quin etiam hominum aliud alii, & eidem idem modo bonum ac salubre, modo contra. Eadem *sapientiae* & *prudentiae* distinctio est. Nam *sapientia* versatur iis in rebus, quae semper eodem se modo habent, neque usquam alio pertinent: at *prudentia* in eis, quae pro temporum, locorum, ac personarum varietate mutantur. Itaque sapientiae decreta immutabilia sunt: at prudens saepe consilium mutat. *Nunquam*, ait Cicero, *praestantibus in repub. gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio*, &c.

Τὸ γὰρ περὶ αὐτὸ ἕκαστα] Etsi neutro genere usus est Aristoteles, tamen Latine libentius hoc modo verterim: *Prudentem enim omnes dixerint eum, qui quaque in re quid bonum factu sit, videat, eique rem illam commiserint.* Est autem argumentum a conjugatis. Nam τὸ ἀγαθὸν & τὸ εὖ quodam modo conjugata sunt. De varietate conjugatorum Simplicius in Categ. τὸ ἀγαθὸν non idem est omnibus. τὸ φρόνιμον versatur ἐν τῷ τὸ εὖ θεωρεῖν. Non potest igitur τὸ φρόνιμον semper idem esse, id est, non est prudentis semper idem sentire, aut suadere, sed orationem ac consilium suum ad locorum, temporum, personarum varietatem ac mutationem accommodare.

Διὸ καὶ τῶν θηρίων] *Quocirca*, inquit, *etiam bestiarum quasdam prudentes esse dicunt: quaecunque vim quandam habent, ea quae sibi ad victum necessaria sunt, providendi.* Hoc autem argumento probat, prudentiam in eo

sitam esse, ut quis sibi prospiciat, ac praeparet ea, quibus ad vitam tuendam indiget, quod in bestiis quoque talem quandam prospicientiam *prudentiae* nomine afficere soleamus. Illius autem naturalis in bestiis prudentiae exemplum poni potest in formica; de qua Horatius: *Parvula nam exemplo est*, &c. Sed & miram quandam araneorum calliditatem videmus; & quae tum ab aliis, tum a Virgilio in quarto Georgicon de apibus scripta sunt, fidem non facerent, nisi quotidie cernerentur. Sed qui mira quaedam animalium ingenia cognoscere cupiet, legat Aristotelis librum 9. de historia animalium, & Plutarchi Gryllum, ejusdemque Commentarium, in quo disputatur, *utra animalia prudentiora sint, eane quae in terris, an ea quae in aquis degunt.*

Φανερὸν δ' ὅτι] Docet, rationem administrandae reipublicae non esse idem quod sapientiam. multas enim sapientias esse oporteret, cum illa spectet id quod utile est civitati: aliud autem alii civitati utile est. Sed ne quid dissimulem, valde suspicor, multas voces hoc loco temere adjectas. Et, si quis illa τ ζώων, & τ ὄντων delenda censuerit, me quidem adstipulatorem habebit. Nisi forte alterum alterius locum occupavit. Non esse autem eandem artem medendi morbis omnium animalium, vel ex eo intelligitur, quod alii hominibus, alii equis, alii bobus, aut pecudibus medicinam faciunt, eorumque maxime inter se diversae sunt artes ac facultates. quo modo tamen Plato utitur nomine σοφίας in Theage, & Plutarchus in Themistocle sub principium.

Εἰ ἢ ὅτι βέλτιστον] Ut in exemplis notis illustribusque versemur; poterat fortasis aliquis existimare politicen, & sapientiam eandem esse, hoc argumento usus: quod homo animal omnium longe praestantissimum est: ita ut ea facultas, quae humanum bonum maxime spectat, qualis est politice, videatur in maximis maximique faciendis rebus versari. Diximus autem, sapientiam esse περὶ τὰ τιμιώτατα. Respondet Aristoteles, ex eo nihil effici: neque verum esse quod sumitur. multa enim sunt homine praestantiora & diviniora; ut, exempli caussa, corpora caelestia. Non igitur vere dicitur, hominem esse τὸ τιμιώτατον, aut τὸ θειότατον τ ὄντων.

Sed in his quaedam sunt, quae accuratius considerandae videantur. Ac illud primum, sitne ea hominis praestantia

tia & excellentia, quam hic significari videmus. sane enim multa dicta sunt a veteribus, quae videntur valde ad abjiciendum ac deprimendum hominem pertinere. Homerus quidem universe pronunciat, nihil eorum quae terra nutrit, esse homine infirmius: Οὐδὲν ἀπιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο. Et maximus Homeri imitator, divinus poëta, Sophocles, ita sapientissimum virum Ulyssem loquentem facit: Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς ὄντας οὐδὲν ἄλλο, πλὴν εἴδωλ', ὅστις πὴρ ζῶμεν, ἢ κενὴν σκιάν. Sed & Aeschylus jam hominem dixerat esse *umbram fumi*, & postea Pindarus, *umbrae somnium*. & notum est illud Varronis: *homo bulla*; neque facilius quicquam est, quam ejusmodi quamlibet multa colligere. Sed multa contra dixere iidem veteres, quibus dignitatem hominis amplificarent & extollerent. Nam & esse homini cum Diis agnationem, & animos nostros decerptos ac delibatos esse ex mente divina, esseque illius quasi quaedam ἀποπλασμάτα: & quidam veterum philosophorum dixisse traditur, Deum esse *hominem immortalem*, hominem autem, *mortalem Deum*: stulte ille quidem & arroganter; sed tamen significare voluit, magnam quandam esse homini similitudinem cum Deo. Quid? illa poëtarum quam magnifica sunt? Ovidius 1. Metam. *Sanctius his animal*, &c. Quid? illud Oppiani? ἐ γάρ τι πίλῃ κραδυπίεπρον ἀνδρῶν Νόσφι ἰόντα. μούνοισι δ' ὑπείξομεν ἀθανάτοισι. Sunt autem & illa sapienter dicta ad reprimendam hominum arrogantiam, & haec ad eosdem abducendos a rebus caducis & mortalibus, & ad caelestium ac divinarum cognitionem atque amorem excitandos. Neque dubium est, quin homo longe multumque ceteris animalibus antecellat. nam & cetera propter hominem condidit Deus. quod non tantum e sacris libris cognovimus (quanquam ex eis maxime ac certissime) verum etiam ex Aristotele ipso, cujus haec sunt e primo Politicorum: τά τε φυτὰ τῶν ζώων, &c. statimque addit: εἰ δὲ ἡ φύσις μηδὲν μήτε ἀτελὲς ποιεῖ, μήτε μάτην, ἀναγκαῖον τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν αὐτὰ πάντα πεποιηκέναι τὴν φύσιν. In eandem sententiam multa e Stoicorum hausta libris apud Ciceronem in secundo de natura deorum disputantur. Et Jurisconsulti, cum in fructibus etiam animalia numerent, fructus omnes esse ajunt a natura hominum gratia comparatos. l. *in pecudum fructu*. Dig. de usuris & fructibus. Ad summam, cum constet, finem semper omnibus quae ad ipsum re-

referuntur, praestantiorem esse, & omnia animalia propter hominem condita: sequitur, hominem multo esse aliis animalibus praestantiorem. Atque hoc est, quod ait Aristoteles, ὅτι βέλτιστος ἄνθρωπος τῶν ἄλλων ζώων. subjungit tamen, esse alia quaedam multo divinioris naturae, ut ea ἐξ ὧν ὁ κόσμος συνέστηκεν, quibus significari opinor corpora caelestia. nam ea animalia esse, & quidem ratione praedita, Plato, Aristoteles, Stoici censuerunt. Plato in Timaeo: οὕτως οὖν δὴ κατὰ λόγον τὸν εἰκότα δεῖ λέγειν, τόνδε τὸν κόσμον ζῶον ἔμψυχον, ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν. Quae Cicero ita convertit: *Quam ob caussam non est cunctandum profiteri, si modo investigari aliquid conjectura potest, hunc mundum animal esse, idque intelligens & divina providentia constitutum.* Aristoteles 2. de Caelo: ὁ δ' οὐρανὸς ἔμψυχος καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχήν. & in eodem: Ἀλλ' ἡμεῖς ὡς περὶ σωμάτων μόνον αὐτῶν καὶ μονάδων τάξιν μὲν ἐχόντων, ἀψύχων δὲ πάμπαν διανοούμεθα. δεῖ δ' ὡς μετέχοντα ἀπολαμβάνειν πράξεως καὶ ζωῆς. De Stoicorum autem sententia multis idem argumentis confirmatur in secundo de natura deorum. Atque ex hac opinione illa Ovidiana sunt 1. Metam. *Neu regio foret*, &c. Pasci etiam ea dicebant quidam vaporibus, qui ex mari & ex humidis atque uliginosis terrae partibus expressi superiorem locum peterent. Quod Maro secutus est, cum dixit: *Convexa polus dum sidera pascet.* Sed hanc vulgi potius quam philosophorum fuisse sententiam puto. Quis enim, qui primis modo labris gustasset physiologiam, quae aeterna atque immortalia statuisset, eadem alimenti crederet indigere? Itaque quidam ex Peripateticis, visum modo & auditum & tactum eis tribuebant, gustatum & odoratum detrahebant. Aristoteles ipse eorum vitam intelligentia & appetitu contineri putat. Nam lib. 12. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ primum illum immobilem universi motorem ait esse νοητὸν καὶ ὀρεκτὸν, atque ita ab eo caelum moveri. Haec si vera essent, id est, si orbes caelestes essent animalia aeterna, & ratione praedita, non sane inficiari possemus, ea esse homine praestantiora. Sed hac de re inter sacros scriptores non convenit. Divus quidem Basilius hom. 3. in Genesim aperte negat corpora caelestia animata esse: οὔτε γὰρ οἱ οὐρανοὶ ἔμψυχοι, ἐπειδὴ διηγοῦνται δόξαν θεοῦ, οὔτε τὸ στερέωμα ζῶόν ἐστιν αἰσθητὸν, ἐπειδὴ ἀναγγέλλει ποίησιν τῶν χειρῶν αὐτοῦ. In eadem sententia est Damascenus, cujus haec sunt e secundo libro

libro orthodoxae fidei: μηδεὶς δὲ ἐμψυχωμένους τοὺς οὐρανοὺς ἢ τοὺς φωστῆρας ὑπολαμβανέτω. ἄψυχοι γάρ εἰσι καὶ ἀναίσθητοι. ὥστε εἰ καὶ φησὶν ἡ θεία γραφὴ, εὐφραινέσθωσαν οἱ οὐρανοὶ, καὶ, ἀγαλλιάσθω ἡ γῆ, τοὺς ἐν οὐρανῷ ἀγγέλους, καὶ τοὺς ἐν γῇ ἀνθρώπους πρὸς εὐφροσύνην καλεῖ. At Origenes, ut Platonicus, ea animata esse censet, & in eam sententiam inclinare videtur Hieronymus explicans primum caput Ecclesiastae, D. Augustinus ad finem libri secundi de Genesi, ad litteram nihil ea de re temere credendum admonet, & in Enchiridio ad Laurentium, ingenue, sibi de eo non constare, profitetur, his verbis: *Quid inter se distent*, &c. Sed hoc religio nostra, id est, veritas ipsa repudiat. Cur illud, φανερώτατά γε, ab Aristotele additum est? Quoniam alia etiam esse animalia homine diviniora rudis illa, & stulta vetustas credidit, *Heroas*, *Daemonas*, *Faunos*, *Nymphas*, aliaque hujusmodi otiosorum hominum somnia. Sed Aristoteles iis tantum uti voluit, quae in conspectu omnium sita essent.

Ἐκ δὴ τῶν εἰρημένων] *Quoniam earum rerum quae natura plurimi sunt, & principia, & ea quae efficiuntur ex principiis, complectitur.*

Διὸ Ἀναξαγόραν] Argumentum hoc est a communi & usitata loquendi consuetudine. Vin'tu, inquit, scire, quid homines sapientiae, quid prudentiae nomine intelligant? Anaxagorae, Thaleti, & similibus sapientiae laudem tribuunt, propterea quod versati sunt in magnarum & sublimium & reconditarum rerum indagatione, prudentiae negant: propterea quod contemnebant rem familiarem, & ea quae ad vitam commode tuendam necessaria sunt, negligebant. Aperte igitur significant, se sapientiam in rerum divinarum, prudentiam in utilium ad vitam cognitione, & intelligentia ponere. De Anaxagora haec leguntur apud Laërtium: οὗτος εὐγενείᾳ &c. Thales autem astrologiam praecipue coluisse, & multa in ea primus adnotasse traditur, eamque praecipue ob caussam primus nominatus. Cicero quidem eum e septem illis sapientissimum fuisse dicit. Derisum a vetula (quod hic etiam D. Thomas narrat) his verbis apud Laërtium legimus: λέγεται δὲ ἀγόμενος ὑπὸ γραὸς, &c. quo ex joco effictus est ille veteris poëtae versiculus, quem citat Cicero lib. de divinatione: *Quod est ante pedes nemo spectat: caeli scrutantur plagas.* Huic tamen & tractan-

dae reipub. & rei familiaris amplificandae voluntatem magis, quam facultatem defuisse constat. Ita enim de eo Laërtius: δικαῖ ἢ καὶ ὁ τοῖς πολιτικοῖς, &c. Posse autem se, si eam cogitationem se dignam duceret, nullo negotio ad maximas divitias pervenire ostendit, eum provisa ac praecognita futura olearum ubertate, omnia Milesiorum & Chiorum prela olearia, & trapeta vili conduxit, ut Aristoteles 1. πολιτικῶν, & Hieronymus Rhodius apud Laërtium scribunt, aut, ut Cicero ait, omnem oleam, antequam florere coepisset, in agro Milesio coëmit. qua ex re ingentem sibi pecuniam comparavit, etsi Plinius hoc ipsum, & paulo aliter narrat, & non Thaleti, sed Democrito tribuit. cujus verba sunt lib. 18. cap. 28. *Ferunt Democritum*, &c. Haec Plinius. Sed eum ego in Democrito memoria lapsum puto.

Διὰ τὸ ἔνιοι μὴ οἴδασι] Qui non tenent caussam, neque τὸ πρόλογον.

Ἔνιον οἴδασιν] Non tamen quibusvis scientibus, sed quibusdam tantum, iis nimirum, qui experientia carent.

Περιττόπαροι, ἢ ὁ τοῖς ἄλλοις] Sunt enim & alii, ut assuefacti, οἱ ἔμπειροι. Ut multi causidici ac rabulae forenses, etsi legum, & juris civilis imperiti, melius litem aliquam diriment, quam quidam qui cognitione ac scientia juris excellent. Aristoteles 1. τῶν μὲ πὶ φυσ. ἐπεὶς μὲν οὖν τὸ πρῶτον, &c. Vide locum. Lambinus hoc loco illud ὁ τοῖς ἄλλοις, male reddit, *in aliis rebus*. vertendum, *inter alios*, aut *inter ceteros*.

Εἴη δ' ἂν τις ἢ ἐντεῦθεν ἐπιστημονικά] Cognitio ἢ προλόγου πρὸς τὰ τῶν προ' ἕκαστα γινόμενα, λόγον ἐπιστημονικὸν ἔχει. Ut in medicina κυβερνητικὴ, οἰκοδομικὴ, aliisque similibus.

C. VIII. Ὅτι μὲν πολιτικὴ] Aut διαιτητικὴ Eustrat.

Αὕτη ἢ πραγματικὴ] L. ἡ αὐτὴ ἢ πραγματικὴ. illud autem βαλάντιον expungo, etsi ab Eustratio agnoscitur.

Οὐκ ἂν ἀν ἄλλη γνώσεως] Pro φρονήσεως. Eustrat. quoque affirmat, in aliis libris ita legi.

Διὸ τὸ Εὐριπίδη] Euripides in Philoctete.

Πολλοῖς ἠξιωμένοις] Ἠξιωμένοις.

Καὶ εἴωθεν τοῦτο δρᾶν] Plutarchus ὁ τῷ πὶ ἐ ἀπορρήτων ἑαυτὸν ἐπαινῶν.

Ἐξήλυξε τὸ τοῦτος φρονίμως] Alios, τὸ πὶ τοὺς φρονίμους. Ego deesse aliquid puto.

Πλῆθος γὰρ χρόνου] Euripid. Φοινίσ. Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ, Ἐτεόκλεες, πρόσεστιν, ἀλλ' ἡ ἐμπειρία Ἔχει τι δεῖξαι τῶν νέων σοφώτερον.

Ἔτι ἡ ἁμαρτία] Hoc ad superiora refertur, non ad ea, quae proxime antecesserunt.

Αἴσθησις ἢ φρόνησις] Al. ἡ φρόνησις. ego deleo utrumque.

Τὸ ζητεῖν δὲ καὶ βουλεύεσθαι] Ζητεῖν, & βουλεύεσθαι quomodo differant.

C. IX. Ἐστὶ δὲ εὐστοχία τις] L. ἀγχίνοια τις ἡ εὐστοχία, etsi in 1. ὑστέρων, definitur ἀγχίνοια, εὐστοχία τις. sed videtur utraque vox idem valere, neque illa esse definitio, sed explicatio.

Ὥστε ὀρθῶς ἔσται] Ὀρθῶς βουλεύεσθαι dicitur, quicunque cepit consilium aptum ad efficiendum quod vult, sive bonum id sit, sive malum. sed εὖ βεβουλεῦσθαι is tantum, qui bonum aliquod spectat.

Ἡ κατὰ τὸ ὠφέλιμον] κατὰ τὸ ὠφέλιμον, καὶ εὖ δεῖ ἐκ παραλλήλου. Eustrat.

Εὖ βεβουλεῦσθαι] εὖ βουλεύεσθαι duobus modis dicitur, ἁπλῶς, & πρός τι. Cum igitur εὐβουλία, & prudentia sint prope idem, videbitur itidem duplex prudentia esse, una ἁπλῶς, altera πρός τι τέλος. Hoc vero interest inter eubuliam, & prudentiam, quod prudentia est & περὶ τέλους, & περὶ τῶν πρὸς τέλος. Sed tamen τὸ τέλος ἀγαθὸν εἶναι δεῖ.

C. X Πάντες γὰρ ἂν ἦσαν] Argyr. hoc amplius, πάντες γὰρ ἂν εἰδότες, ἢ δοξάζοντες ἦσαν συνετοί. quomodo facilior esset sententia.

Ἡ δὲ ξύνεσις] *Synesin* Cicero vocat *judicium* in epistola ad Furnium, lib. 10. *Omnino plura me scribere, cum tuum tantum consilium, judiciumque sit, non ita necesse arbitrabar.*

Ἀλλ' ὥσπερ τὸ μανθάνειν] In Euthydemo interrogatur Clinias, utri μανθάνουσιν οἱ σοφοὶ, ἢ οἱ ἀμαθεῖς, & illuditur varia significatione verbi μανθάνειν. Tum πότερα μανθάνουσιν, ἃ ἐπίστανται, ἢ οἱ μὴ. Definitur ibidem τὸ μανθάνειν, τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην. At Socrates tandem, οὐκ ᾔδεισθα, inquit, τὸ μανθάνειν, &c.

C. X. Ἡ δὲ καλουμένη γνώμη] Cicero hanc videtur vocare *sententiam*, in lib. de Senect. *non enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio, & auctoritate, & sententia*, &c.

Τὰ γὰρ ἐπιεικῆ] *Omnium enim bonorum virorum commune est ex aequo, & bono cum aliis agere*. ita interpretor. at Argyropylus: *bona enim & aequa omnibus sunt coram bonis ea ratione, qua ad alium tendunt.*

Καὶ ὁ νοῦς] Νοῦς, ut accipitur, cum est habitus principiorum, est περὶ τὰ γενικώτατα. at cum dicimus aliquem νοῦν, & aliquid factum νουνεχόντως, ad singularia refertur.

c. XII. Διαπορήσεις δ'] Xenophon 1. ἀπομνημον.

Ἀλλ' ὡς ἡ ὑγίεια] Τὰ ὑγιεινὰ, exemplar Germanicum. & ita legisse videtur D. Thom. ego tamen deleo.

Τοῦ δ' τετάρτου] In superioribus fecit τῆς ψυχῆς τὸ μὲν λογικὸν, τὸ δ' ἄλογον. rursusque τὸ λογικὸν διττὸν, καὶ τὸ ἄλογον διττὸν. quatuor igitur fecit τῆς ψυχῆς μόρια, τὸ λογικὸν, τὸ θεωρητικὸν, τὸ λογικὸν, τὸ βουλευτικὸν. τὸ ἄλογον μὲν καθ' ἑαυτὸ, λογικὸν δ' μεθέξει, τὸ παντάπασιν ἄλογον. Hujus igitur τετάρτου μορίου, ait, nullam talem esse virtutem.

Ἐπιστήσασι σαφέστερον] *Attente considerantibus*, ut de mundo, ἐπιστήσαντες τούτοις. Polyb. δεῖ δ' ἐπιμελέστερον ἐπιστῆσαι περὶ τῶν τοιούτων. Hanc vocem omisere Argyr. Perion. Lamb. Vetus autem & Aretinus male verterunt *scientibus*. non est autem ab ἐπίσταμαι, sed ab ἐφίστημι. Plinius lib. 6. epist. *Evocatus*. ἐπίστασθε, *quid facere debeamus*? id est, attente, & diligenter considerate.

c. XIII. Virtutes morales ἀντακολουθοῦσιν, an minus? Etiam. nam nulla earum est sine prudentia, &, posita prudentia, omnes sequuntur. Atqui non idem est εὐφυέστατος, ad omnes: ergo poterit hanc habere, ad quam est εὐφυέστερος, illam aliam non habere. Respondeo: hoc verum esse potest in virtutibus naturalibus; in perfectis, & proprie dictis non item. Itaque Eustratius ait, hanc opinionem esse κοινὴν παρὰ τοῖς σοφοῖς.

Cic 3. Tuscul. ait, virtutes omnes esse inter se nexas, & conjugatas. Idem 2. de offic. *Sed ne quis sit admiratus, &c.* Cicero 2. Tusc. *Ecquid scis igitur*, &c. Augustinus in epistola ad Hieronymum de loco illo D. Jacobi, *qui offenderit in uno, &c. Certe hinc persuadent*, &c.

Duo hic quaerenda sunt, quid Aristoteles senserit, & quid verum sit. Laërtius de Aristotele: τὰς δὲ ἀρετὰς ὄφη μὴ ἀντακολουθεῖν. ἐνδέχεσθαι γὰρ φρονίμον τινα καὶ ὁμοίως δίκαιον ὄντα, ἀκόλαστον, καὶ ἀκρατῆ εἶναι. Ipse Aristoteles 4. horum ait,

sit, fieri posse, ut aliquis sit liberalis, neque tamen magnificus. Item ex iis quae ipse dicit, manifesto colligitur, posse esse modestum, qui non sit magnanimus. & quis non videt, posse esse justum, qui non sit ἀνδρεῖος? Ex his videtur colligi, Aristotelem non putasse eas ἀντακολουθεῖν. Nunc quid verum sit quaeramus. Ac non videtur verum, eas ita esse connexas. Agesilaus interrogatus, utra virtus esset praestantior, justitiane, an fortitudo, respondit, justitiam videri sibi praestantiorem, quia fortitudo tantum in bello valeret, at justitia bello & pace necessaria esset. Judicavit ergo maximus rex, eas posse separari. Item virtutes agendo comparantur. Nihil autem vetat, aliquem exerceri in aliqua virtute, ut temperantia, qui tamen non exerceatur in fortitudine. Item Aristoteles ipse, ut diximus, eas distinguere videtur.

Conclusio. Aristoteles censet, virtutes ἀντακολουθεῖν, non quidem omnes, sed quatuor illas praecipuas, quae vulgo cardinales dicuntur: idque constat cum ex hoc loco, tum e libro sequenti, ubi hoc ipsum repetit, & ita hoc veteres accepisse, constat ex iis ipsis, quae protulimus. Vide & Galen. in libro, ὅτι ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος &c. Neque hoc tantum Arist. dixit, sed & ita se habere verissimum est.

Solutio contrariorum. Laërtium aperte constat mentiri, neque hoc ei novum est, aut inusitatum. Opponemus autem ei Aristotelem ipsum, tum Alexandrum Aphrodisiensem, scriptorem multo & eruditiorem, & antiquiorem, quem vide cap. 22. lib. 4. Μετεώρων, καὶ λύσεως. Cetera argumenta nihil attinent ad virtutes cardinales. itaque non labefactant sententiam nostram. Agesilaus vulgi more locutus est, ut & Cicero se interdum loqui fatetur. Cetera facile solvi possunt, si animadvertamus, virtutem numquam dici plane perfectam, nisi cum quis ita affectus est, ut nihil possit accidere tantum, quod eum impellat ad turpiter agendum, & ad desciscendum a virtute. Id autem posse fieri, nisi quis omnes illas virtutes habeat, doceri potest ex iis, quae sunt apud Burleum, Buridan. & Acciaiolum.

καὶ γὰρ πικρὸν] Vide exemplum mirae constantiae, & odii etiam in tyrannos, in Catone Uticensi adhuc puerulo, apud Plut. & egregium exemplum humanitatis in filio-

filiola Plutarchi adhuc infante, ἐν τῇ τοῦ γέμοθ. ἐν ἰδίαν γυναῖκα.

Σωκράτης μὲν οὖν] Ergo quodammodo probabat illud: Ὦ τλῆμον ἀρετὴ λόγος ἄρ' ἦσθ'. ἐγὼ δέ σε Ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ, &, *virtutem verba putas, ut Lucum ligna.* Horat.

Ἡ κατὰ τὸν ὀρθὸν] Quod posset esse etiam alio monente, qui prudens esset. At μετὰ τοῦ ὀρθοῦ λόγου agere non dicetur, nisi qui ipse prudens sit.

Πλὴν τοσοῦτον ἔοικεν ὁρᾶσθαι] Haec verba delenda sunt, neque ea agnoscit Argyropylus.

M. AN-

M. A. MURETI

IN LIBRUM SEPTIMUM ETHICORUM ARISTOTELIS SCHOLIA.

c. 1. Μετὰ δὲ ταῦτα] Absoluta omnium virtutum, & earum, quae actione, & earum, quae cognitione cernuntur, tractatione, ne quid omittatur, quod ad hanc philosophiae partem pertineat, ea quoque excutienda sunt, quibus cum virtute, vitioque quaedam intercedit similitudo, ita ut ipsa quoque in ratione vivendi aut fugienda, & vituperanda, aut persequenda, & laudanda sint. Talia autem esse nonnulla ex iis, quae mox dicturus sum, facile intelligetur. Didicimus principio libri sexti, duo requiri ad virtutis moralis perfectionem. Unum, ut ὁ τῆς ὀρθῆς λόγος vere judicaret de expetendo, aut fugiendo. Alterum, ut ea pars animi, in qua inest appetitio, consentiret cum illo vero bonoque judicio, & quod mens pronunciasset fugiendum esse, id prorsus aversaretur: quod expetendum, id sine ulla cunctatione sequeretur. Quoties igitur concurrunt haec duo, ut & mens vere judicet, & quo illa intendit, eodem appetitio feratur, tum demum perfectam dicimus esse virtutem. Contraque, cum & appetitio ad turpia, & inhonesta fertur, & quadam quasi caligine erroris occaecata mens, ea ipsa persequenda, & in comparatione aliis anteponenda esse judicat, tum eum, qui ita affectus est, vere ac proprie dicimus esse vitiosum. Sed evenit plerumque, ut mens, & appetitio dissideant, cumque mens vere de honesto, ac turpi judicet, ei honestum anteponenti appetitio, tanquam calcitrosus, & contumax equus bene ducenti infesto, repugnet. Tunc igitur, aut in illo conflictu vincit ratio, & appetitionem quamvis invitam, ac renitentem sibi parere cogit: atque hanc affectionem animi *continentiam* vocamus: aut, ut ait poëta, *Fertur equis auriga, nec audit currus habenas*, id est, immoderatae illae, & effrenatae cupiditates ruunt, secumque ho-

Digitized by Google

hominem auferunt, & neglecto rationis imperio exultant. atque hanc *incontinentiam*, aut *impotentiam* nominamus. Hoc autem inter vitiosum, & incontinentem interest, quod vitiosi etiam mens ipsa corrupta est: incontinentis non item. Hoc continens; & is, in quo est virtus, quod hic, & ab omni turpitudine abstinet, & hoc ipso gaudet: ille, etsi quae turpia sunt, praetermittit, tamen id non sine quadam molestia, morsuque, ut ita dicam, animi facit. Itaque is, qui virtute praeditus est, similis est navi, quae & bonum gubernatorem habet, & secundo ac ferenti utitur vento. Vitiosus navi, quam & ventus agit in brevia, & scopulos, & gubernator imperitus, portum ibi putans esse, eodem impellit. Continens navi, quae, reflantibus, & reluctantibus ventis, gubernatoris tamen virtute fertur in portum. Incontinens navi, quae bonum quidem gubernatorem habet, sed vi ventorum, & tempestatum abripitur. Haec similitudo diligenter considerata, nisi me fallit animus, aliquid conferet ad harum rerum discrimen intelligendum.

Existit etiam interdum, etsi non saepe, in hominibus admirabilis quaedam animi excelsitas, ut non tantum omnes virtutis numeros impleant, sed quaedam efficiant, quae a nemine expectari, omniumque supra hominum captum posita esse videantur. Si ergo haberemus aliquod nomen virtutis nomine pulchrius, & sublimius, id eis tribueremus: nunc quoniam iis, quae rarissime reperjuntur, nomina fere imponi non soleant, huic animi affectioni suum, ac proprium nomen nullum impositum est, sed eam heroicam, ac divinam virtutem vocamus. Rursum tanta nonnunquam in quibusdam est naturae depravatio, ut non humano more vitiosi esse, sed prorsus hominem exuisse, & in teterrimas beluas degenerasse videantur. Hanc feritatem nominamus. Haec igitur hujus libri octavi materia est. duabus enim partibus continetur: quarum prior heroicae illius ac divinae virtutis, & feritatis brevem, continentiae autem, & incontinentiae, longam & accuratam tractationem habet. Posterior, quoniam continentia, & incontinentia, quaeque eis vicina sunt, tolerantia, & animi mollitudo in voluptate praecipue, molestiaque cernuntur, in utriusque harum rerum erudita, & copiosa explicatione consumitur.

Digitized by Google

Μετὰ δὲ ταῦτα] Cognitis videlicet iis, quae in superioribus libris tractata sunt.

Τῶν καθ' ἡμᾶς φανερῶν] Ab iis, tanquam notioribus progreditur ad ea, quae expetenda, & persequenda sunt.

Ἀκρασία] κρατεῖν est regere, ac cohibere. Hinc ἀκρασία, cum quis non potest se ipsum regere, id est, cupiditates suas frenare, ac coërcere.

Δῆλα] Satis enim crebra eorum exempla quotidie occurrunt.

Πρὸς δὲ τὰ θηριότητα] Non erit alienum breviter proponere aliquot exempla feritatis, itemque ejus virtutis, quam *heroicam*, ac *divinam* vocamus, ut, quid utraque sit, facilius intelligatur. Quos igitur θηριώδεις dicimus? Eos nimirum, qui quaedam ita tetra facinora, & flagitia in se suscipiunt, ut aures ipsae ab eorum commemoratione abhorreant. Exempli causa, Hector Patroclum interfecerat. Achilles, qui amici mortem ulcisci vellet, *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.* Crudele facinus, sed tamen tale, ut in hominem cadat. Fulvia Ciceronis caput, & linguam acubus punxit. Omnino magnae cujusdam crudelitatis est, etiam in cadavera saevire: sed tamen hoc quoque multi alii fecissent. Tydeus Diomedis pater in bello Thebano, a Menalippo vulneratus fuerat. ejus a se interfecti caput Amphiaraus ad Tydeum tulit. Tydeus capite hostis mortui mordicus abrepto, & dentibus suis abrupto, cerebrum illius absorbuit. Tigridis hoc, aut ursi, aut lupi alicujus, non hominis fuit. Tereus Philomelae, conjugis suae, sorori per vim vitium obtulerat. Indignata uxor, communes filios interfecit, eosque viro epulandos apposuit. Nulla hoc fera fecisset. Haec igitur feritas est. Heroicae virtutis exempla Hercules, Anaxarchus, Socrates, aliique innumerabiles cumulate praebebunt.

Ὥσπερ Ὅμηρος] Priami verba Iliad. ω. Σπλάγχνά μοι κραδίη τέτυκται &c.

Ἐξ ἀνθρώπων γίγνεσθαι θεοὺς] Antiquitas credidit eximios viros filios esse Deum, & post mortem Deos fieri. Prioris exempla Hercules, Theseus, Minos, Lycurgus, Romulus, alii. Posterioris, Hercules ipse, Romulus, Orestes, & Pylades, ut est apud Lucianum in Toxari, innumerabiles alii. Euhemeri historiam pete ex Lact.

Cic. 1. Tuscul. *Ex hoc & nostrorum opinione* &c. Paulo post: *Quid totum prope caelum*, &c. Plinius: *Deus est mortali*, &c. Cic. 2. de natura Deorum: *Suscepit autem vita hominum, & consuetudo communis, ut beneficiis excellentes viros, in caelum fama, ac voluntate tollerent.* Horatius: *Justum & tenacem*, &c. *Haec te merentem, Bacche pater, tuae vexere Tigres, indocili jugum Collo trahentes, Hac Quirinus*, &c. Cicero: *Et ollis, quos endo caelo merita locaverint.*

Οἱ Λάκωνες] Megillus Lacedaemonius apud Plat. 1. νόμ. πῶς γὰρ ἂν ἄλλως ἀποκρίναι τὸ ὦ θεῖε Λακεδαιμονίων ὅς τις οὖν; Socrates ad finem Menonis: Οἱ Λάκωνες, ὅταν ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, θεῖος ἀνὴρ, φασὶν, οὗτος. Et ἐν περὶ ἀρετῆς νοθευομένῳ· Λακεδαιμόνιοι, ὅταν τινα μεγαλοπρεπῶς ἐπαινῶσι, θεῖον ἄνδρα φασὶν. πολλαχοῦ δὲ καὶ Ὅμηρος τῷ αὐτῷ τούτῳ κατάχρηται, καὶ οἱ ἄλλοι ποιηταί. Hom. Odyss. χ. Πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θειοῖο λαθοίμην; Habet & alia, quae idem valent, ὀῖος, θεοείκελος, ἀντίθεος, & talia. Θεῖον λέγεται πᾶν τὸ ὑπερφυὲς, καὶ τεράστιον. Eust. Iliad. ζ.

Θεῖον] An σεῖος, & malo θεῖος, etsi aliter scripsit Lambinus.

Ὁ θηριώδης] Μάλιστα ἐν τοῖς βαρβάροις, ut Scythae, Anthropophagi, & Persae, qui cum matribus commiscebantur. ἐνίοτε γίνεται διὰ νόσους, καὶ πηρώσεις, ut Hercules in Agaue, Erichthonius, Hecuba, quae propterea *Lucana ursa* dicitur. οἱ κακίᾳ ὑπερβάλλοντες θηριώδεις καλοῦνται. Qualis fuit Echetus, quem Homerus Odyss. σ. vocat βροτῶν δηλήμονα πάντων. Vide, quae de eo Eustathius. Tales fuere Nero, Caligula, Busiris, Mezentius, Phalaris, &c.

Ἀλλὰ περὶ μέ] Alia commodius paulo post tractabuntur, alia jam tractata sunt. Dicendum igitur περὶ ἀκρασίας, &c.

Ἀκρασία in iis, qui sibi moderari non queunt in ira, in ambitione, & similibus reprehenditur tantum, ut ἁμαρτία: eo enim peccant, ὅτι τῆς μεσότητος ἁμαρτάνουσι. At ἀκρασία est etiam nomen certae cujusdam κακίας, quae in eorum nullo cernitur.

c. IV. Μαλακοὶ] Aspasius, ἀκόλαστοι. Itemque Argyr. & Aretinus; melius tamen μαλακοί.

Διὸ μᾶλλον] Non comparat, ut putatur, ἀκόλαστον cum incontinente, sed ait, ex duobus incontinentibus illum esse μᾶλλον ἀκόλαστον, qui, &c. id est, viciniorem intemperantiae, & vitiosiorem.

Ἐπεὶ

Ἐποὶ δὲ] Lego, ἔτι δὲ, ne duobus modis pendeat oratio, & quod nihil addatur ad illud ἐποὶ, & quod nihil ad illud αἱ μὲν. legendo autem ἔτι, saltem alterum incommodum tollitur.

Αἱ μὲν εἰσι τῶν τῷ γένει] Sequebatur, ut adderet, αἱ δὲ τῶν ἐναντίων, αἱ δὲ τῶν μεταξὺ. sed omisit, transiitque ad divisionem ἡδέων, ex quibus illa alia membra intelligi possunt, cum omnis ἐπιθυμία referatur πρὸς τὸ ἡδύ. Est igitur ἀναντιπόδοτον. Argyr. tamen addit de suo, *aliae non sint*, quod ego facere non audeam.

Καθάπερ διείλομεν πρότερον] Atqui nusquam ita divisit, sed tantum dixit, duplicia esse ἡδέα, τὰ μὲν ἀναγκαῖα, τὰ δ' αἱρετὰ μὲν φύσει, ἔχοντα δὲ ὑπερβολὴν. At haec eadem divisio est, nisi quod additur membrum unum, quod ibi praetermiserat. Praetermissum autem erat illic, quoniam ea tantum quaerebantur, quae ad continentiam, & incontinentiam, seu proprie, seu communiter dictam, pertinebant. Hic additur, ut quasi via muniatur ad explicandam θηριότητα. Et hic vocat τὰ μεταξὺ, quae primum vocaverat ἀναγκαῖα, & ita accipit Argyropylus.

Οἷον χρήματα] Hoc exemplum refertur non ad proprium membrum, sed ad primum, & tamen mirabile est, pecuniam, & lucrum numerari inter τὰ αἱρετὰ τῇ φύσει, cum tamen constet ea expeti tantum propter usum. Sed videlicet ita vocat bona omnia, quae quidem non sunt ἀναγκαῖα τῷ σώματι.

Καὶ τὰ τοιαῦτα] φύσει αἱρετὰ, οὐ τῷ πάσχειν.

Οὐ τὸ πάσχειν] Non quod iis afficiantur, eaque concupiscant, & ament. At ἐν τοῖς ἐναντίοις, alia ratio; simpliciter enim ea amare, & concupiscere, vituperandum est.

Διὸ ὅσοι] Huic quoque ὅσοι nihil est, quod respondeat. nam cum dicere, ut videtur, instituisset, ὅσοι μὲν οὖν, &c. μοχθηροὶ μὲν οὐκ εἰσιν, εἰ μὴ διὰ τὸ ὑπερβάλλειν, aut aliquid tale, multis interjectis mutavit formam orationis, & pro iis, quae dixi, addidit, μοχθηρία μὲν οὖν, &c. Est igitur insigne ἀνακόλουθον, & proferre possem talia quaedam ex aliis scriptoribus.

Καὶ τῶν ψεκτῶν] Non dicit ipsam ἀκρασίαν esse ex numero τῶν ψεκτῶν, ut Argyrop. Lamb. & alii putant, & Graecus etiam interpres, sed referri πρὸς τὰ ψεκτὰ, tanquam ad objectum, ut rectissime D. Thomas.

Τὴν ἀκρασίαν] Legend. ἀχὲ τὴν ἀκρασίαν, & ita legit interpres vet. & omnino ita legendum est. nam dicunt primo ἀκρασίαν, deinde addunt περὶ τί.

Ἐντεῦθεν] ὁ τῆς ἐκφορᾶς καὶ ὑποκρίσεως σκοπὸς ἐν ἁπλῶς κεκίνηται.

Τὸ ἀνάλογον ἰμείρειν] Illud ἰμείρειν, Aspasius indicat, esse glossam vocis ἀνάλογον.

Ὁμοιότητα λέγομεν] Legendum videtur ἀναμιμνήσκω legendum videtur.

Εἴ τις ὧδε ἡ Νιόβη] De Niobe: Καὶ γὰρ τὸ τέκνωμα Νιόβης &c.

C. V. Ἐπὶ δὲ ἐών] Hic potius debet esse ἀρχὴ πεφαλαίου.

Τὸ μὲν δὰ περίστασις] id est, νόσος.

Καὶ περὶ τούτων] Τούτων δὲ τελῶν δὲ νῦν λεχθέντων, ἐκ εἴδους φύσει.

Αἵρει δὲ τὰς θηριώδεις] Θηριώδεις, si oriuntur ἐκ μοχθηρᾶς φύσεως. νοσηρᾶς πάθους, si ex morbo, aut prava consuetudine.

Τῶν ἀκυγεκομένων] Scytharum.

Ἢ τὸ περὶ Φιλόξενον] Ὅτι τὸ ἐκυτῷ παιδὶ κατέφαγε.

Ὥσπερ ὁ τῶν μυτίλων] Xerxes μυτίλος.

Οἷον αἱ δὲ τελικῶν πάλαι] Haec non ponuntur, ut ad immanitatem pertinentia, sed ait, illa superiora ita ex quibusdam morbis, aut consuetudine evenire, ut haec quoque eveniunt.

Εἴπειν ἀκρατεῖς] Nemo ob id dicit mulieres ἀκρατεῖς esse, quod nolint ἐγκρατεῖν, sed ἐγκρατεῖς.

C. VI. Ὅτι ἧττον, &c.] Turpius est vinci a cupiditate, quam ab ira.

Ὁ δὲ θυμὸς φυσικώτερον] Καὶ χαλεπώτερον vet. interp. Felicianus autem, ὁ δὲ θυμὸς, τῷ δ' χαλεπώτερος φυσικώτερος δ' ἐπιθυμία, &c.

Καθάπερ τὴν Ἀφροδίτην, &c.] Sappho etiam Venerem eodem epitheto afficit. alibi etiam vocat παιδιλόφρονα.

C. VII. Ἢ καθ' ὑπερβολὴν] Legendum videtur, μὴ καθ' ὑπερβολὴν, ἁπλῶς, &c.

Ὁμοίως δὲ τῷ] Itaque Phaedria Terentianus, quod biduum amica carere non posset, ipsemet *mollitiem* vocat.

Οἷον ἐν τοῖς Ἐυθύφρονι] In aliis libris, Πρωτέᾳ, quod verius puto; nam & Aspasius ita legit.

Ὥσπερ ἀσυγκρατελίπτους] Παραπαλαιθίπτης p.

C. VIII. Τὸ ἐλάττονος δὲ] Nam si esset admodum vehemens, non daret spatium cogitandi.

Οἱ μὲν τὸ μὲν, &c.] Al. μὲν μὲν τὸ πατεῖν, & ita vet. aut ὁ δὲ μὲν τὸ πατεῖν πείθεσθαι, οἷον ἐλέγετο. sed prius malo.

C. IX.

C. IX. Ἢ ὁ πρὸ ἡμῶν] Lege, ἀλλοθι. & ita cogit sententia ipsa, & e sequentibus perspicitur.

Εἰσὶ δὲ τινες οἱ ἐμμενετικοὶ τῇ λέξει. οἷον δὲ, φησὶ] Illud ultimum, οἷον δὲ, Argyr. delet. Distinguit quosdam ἐμμενετικοὺς τῇ λέξει a continentibus, & quosdam ἐμμενετικοὺς ab incontinentibus.

Συνεχωρησε χαίρειν] L. χαίρειν. Docet, continentiam esse mediam inter duo extrema vitiosa, sed eorum extremorum esse rarissimum inventu.

Ὁμοιοι δὲ τῷ ὁ ἀκρατὴς, τῷ ὁ ἀκόλαστος] Qua in re tum conveniant, tum differant ὁ ἀκρατὴς, τῷ ὁ ἀκόλαστος.

C. X. Οὐ μὴν ἐπίβουλος] Ἐπίβουλος hic non tam videtur significare *insidiatorem*, quam eum, qui ἐπὶ βουλῇ, id est, *consulto facit*. nam & Plato ita interdum accipit nomen ἐπιβουλῆς.

Ἀναξανδρίδης] Ἀναξανδρίδης Ἀνυξάνδρα Ῥόδος, &c. Suidas. vide & Athenaeum lib. 9.

Ἡ πόλις ἰδοῦσα] Ἐβούλου legend. puto.

Μελίτου ἴμασιν φίλαι] Μῆτιν p. & ita esse videtur.

C. XI. Ἀπὸ δὲ χαίρειν] Ἴσως, ἀπὸ δὲ μόλις χαίρειν.

Ἔτι ὁ σώφρων φεύγει πᾶς] Si σωφροσύνη φεύγουσι τὰς ἰδίας ὑλῆς τὰς φρονίσεις, sequitur, τὰς φρονήσεις φεύγειν ἀπὸ τῶν ἡδονῶν, & vide locum Cicer. de Senectute, in oratione Archytae Tarentini.

C. XII. Καὶ αἱ φύσεις, τῷ αἱ ἕξεις] Φύσεις, & ἕξεις ponit hic pro eodem, item κινήσεις, τῷ ῥοίσεις, ut ostendit in istis verbis, ἕξεις τῷ φύσεις. lego autem, τῷ αἱ φύσεις, τῷ ἕξεις, τῷ αἱ κινήσεις, τῷ ῥοίσεις ἀκολουθοῦσι, id est, *pro varietate habituum varii sunt appetitus*. nam alia appetimus κατὰ τὴν φύσιν, alia ἐθισμούς.

Ἀκολουθοῦσι τῷ αἱ φαῦλαι δυνάμεις] Ἀκολουθοῦσι vetus, τῷ αἱ φαῦλαι εἶναι δυνάμεις.

Οἷον αἱ τῶν κυούντων] Ut cum mulier gravida capit voluptatem ex esu carbonum, aut cineris, aut cum, qui scabie laborat, scabit corpus.

Τῆς ὑπολοίπου ἕξεως] *Indigentis, & imperfecti*, vetus interpres. ergo legisse videtur ὑπολοίπου. at ὑπόλοιπος est *reliquus*, ὑπόλυπος nihil est. legendum igitur forte, ὑπολιπῶς, aut potius ἐπιλιπῶς. & ita est. Solvit rationem, adductam ad confirmationem tertiae opinionis.

C. XIV. Οὐ γὰρ ἔστι τῇ ὑπερβολῇ] Τῇ τῆς ἰδίας ὑπερβολῇ ἔν ἐστι ἐναντίον ἡ λύπη. neque enim quisquam quod careat

ὑπερβαλλούσας ἡδοναῖς, λυπεῖ), praeterquam si sit aliquis τῶν διωκόντων τὴν ὑπερβολὴν, quales sunt οἱ ἀκόλαστοι. Nam hi etiamsi habeant affatim, quibus expleant necessarias cupiditates, anguntur tamen, nisi abundent etiam non necessariis. & vide Aristotelem in problem. ὅσα περὶ σωφροσύνην, καὶ ἀκολασίαν, quaest. 1. ubi de Dionysio.

Ὁμοίως δὲ ἐν τῇ νεότητι] Juvenes, quia crescunt, plurimum conficiunt cibi: iccircoque sicut ebrii, quo plus bibunt, eo plus sitiunt, ita illi saepe, quo plus cibi sumunt, eo plus appetunt. In melancholicis autem idem contingit ratione τῆς κράσεως. humor enim ille perpetuo cor mordicat.

Τὸ ὁρᾶν, τὸ ἀκούειν, &c.] Haec opinio Anaxagorae fuit. vide Theophrastum περὶ αἰσθήσεως.

Ἐπεὶ οἵ τε] Hippocrates in libro de natura hominis.

Καὶ ἡδονὴ μᾶλλον] Euripides in Oreste.

M. AN.

M. A. MURETI

IN LIBRUM OCTAVUM

ETHICORUM ARISTOTELIS SCHOLIA.

C. 1. Μετὰ δὲ ταῦτα] Quidquid est aut ἀρετὴ, aut μετ' ἀρετῆς, tractandum est philosopho morali. talis autem φιλία. tractanda igitur. Estne haec eadem φιλία, de qua in fine secundi? Non. Estne ἀρετὴ? si ἀρετὴν vocas πᾶσαν ἕξιν τι ἢ διάθεσιν ὑποστατὴν, est, sin proprie accipias, non est. Quomodo id probas? Primum ipse ordo Aristotelis hoc indicat. Deinde nulla virtus est πρός τι, sed qualitas absoluta. At μετ' ἀρετῆς est ὁ ἁπλῶς φιλία, ut infra videbitur. Cicero: *virtus amicitiam gignit, & continet, nec sine virtute amicitia esse potest ullo pacto.*

Ἔτι δὲ] Cic. *non aqua, non igni, ut ajunt, pluribus utimur locis, quam amicitia.*

Ἀνὰ μὲν δὴ] Cic. *Nam quis est, pro Deum fidem atque hominum, qui velit, ut nec diligat quenquam, nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantia vivere?*

Καὶ μὴν πλουτεῖν] Adversus Euripideum illud: Ὄζει δ' ὁ δυσμὰν δ' ἀδὲ, τί δῆτ' φίλων; Et tyranni id probant.

Δυναστείας] Cyrus moriens apud Xenophontem: οἶδα μὲν ὦ τέκνον, ὦ Καμβύσου, &c.

Φύσει τ' ἐνυπάρχον ἔοικε] Τὸ πρὸς τὰ τέκνα περιλὼ φυσικὸν εἶναι, Aristoteles putat. & Plato in Symposio. Sophocles: Δοκεῖν τὸ τίκτειν ἐστὶ· ἥδε δὲ κἀκῶς πάσχουσι μᾶλλον ἢ τινὶ στοργὴ γίγνεται. Menander: Ὦ παῖδες οἷον φίλτρον ἀνθρώποις φύει. Cic. 1. de off. Plut. Φεύ τὴν πρὸς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίαν, Epicurei eam tollebant. Plut. πρὸς Κολώτην· τὸ δὲ φίλτρον ἐκεῖνο τὸ πατρῷον τὸ γοναμώνιον ἐκεῖ πᾶσι φανέρωσον ἀναιρεῖτε; Idem Φεὶ φιλοστοργ. διαμάχεται δὲ καὶ τοῖς ζώοις ὁ ἀνὴρ· Μηδὲν δὲ ἀνθρώπου τις ἄτοκον φιλεῖ. Κατ' Ἐπίκουρον ὁ πατὴρ τὸ ὑὸν, μήτηρ τὸ τέκνον, οἱ παῖδες τὰς τιτθὰς, &c. Et inde est illud Cic. *Filiola tua te delectari laetor, & probari tibi φυσικὸν εἶναι φιλεῖ πρὸς τὰ τέκνα. Etenim si haec non est,* &c. Epicurei hauserant ab Aristippo, cujus dictum quoddam in filium re-

refertur a Stobaeo. Stoici apud Laërtium in Zenone: φασὶ δὲ καὶ τὸν σοφὸν καὶ τίκτειν φιλοσοφήσειν φυσικῶς οἴεσθαι αὐτῆς, καὶ εἰ τοῖς φαύλοις μὴ οἴεσθαι. Jurisc. in lege *Nam etsi*. D. de inoff. test. *& metuere tam patrem de filio, quam de se, & vehementius torqueri in filio, quam in se ipso.*

Τί δ' ἄφιλον] Martialis: *Extra fortunam est, quidquid donatur amicis.* Et Alexander, nusquam tutius deponi pecunias, dicebat, quam apud amicos.

C. II. Ὁμοίοις πᾶν] Theocr. Τίτθ' ἅ τίτθᾳ φίλα, μύρμηκι δὲ μύρμηξ. Ἴσαις δ' ἴσοις. Plato Symp. ὁ δὲ παλαιὸς λόγος δὴ ἔχει, ὡς ἄμουσον ἀμοῦσι ἀεὶ παλάζει. Horat. *Oderunt hilarem tristes*, &c. Plut. de adul. & amico: Τίμων χαίρειν γλαῦκας ἑαυτῷ ἔχων, παῖς παιδί, καὶ γυναικὶ σκόροδον γυνή. Mart. *Cum sitis similes paresque vita, Uxor pessima, pessimus maritus, Miror, non bene convenire vobis.* Ἦλιξ, vetus dictum est, ἥλικα τέρπειν, & pares cum paribus facillime degere. Aristoteles 1. Rhet. καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ φύσει ἰδὼν, &c. In Eudemeis autem addit & hoc: Ἔγω δὲ φῶς τι φῶτος, καὶ λύκος λύκου. Nos etiam aliquando de ea re in Elegia quadam cecinimus hos versus: *Nescio qua humanas conjungunt foedera mentes, Ignea quae superis sedibus astra micant. Inde fit, ut studio quicunque tenentur eodem, Illorum tacitus pectora nectat amor. Qui fragili gaudet fluctus sulcare carina, Ejusdem sortis conditionis amat. Durus agri cultor reliquos colit arva colentes, Armaque tractanti, qui terit arma, favet. Haec vis Parrhasium magno conjunxit Apelli, Haec eadem celeri Patroclon Aeacidae. Quidnam erat Deneiden Jocasta ut natus amaret, Ni quod & hic bello fortis, & ille fuit? Nos quoque qui colimus divas Helicone morantes, Capta pari studio pectora amare decet.* Ὅταν δὲ συμφορήσωσι εἰς ταυτὸν δύο, φύσεως ἐμοῦ πάσεως καὶ σχέσεως κύκλα, δι' ὧν βρότειον ζῇ τι καὶ θνητὸν γένος. Ex Athenaeo lib. 1. διατιθεμένῳ. Aeschylus: Ἔρᾳ μὲν ὄμβρου γαῖα &c

Καὶ Ἡράκλειτος] Laërtius in Heracl. τῶν δ' ἐναντίων τὸ μὲν εἶναι τὴν γένεσιν ἐκ τοῦ πολέμου καὶ ἔριν, τὸ δὲ ἐπὶ τὸν ἐκπύρωσιν ὁμολογίαν καὶ εἰρήνην.

Καὶ Ἐμπεδοκλῆς] Cujus est & illud σφὶν μὲν γὰρ, καὶ τῆς γεγαῶτος, in Eudemeis. Ciceronis error in Empedoclis opinione referenda, de qua Simpl. in 1. Phys. & Cyrus Prodromus in dialogo.

C. III

C. III. οἷον δὲ διὰ τὸ χρήσιμον] Ἢ διὰ τὸ χρήσιμον, etiam in beſtiis, ut inter trochilum, & crocodilum apud Herodotum in Euterpe. pinna cum parva ſquilla. Ego cap. 10. lib. v. var. lectionum. & propter voluptatem: *Sic niger a viridi turtur amatur ave.*

Τὸ δὲ χρήσιμον] Ovidius: *Vulgus amicitias utilitate probat.* Et illud: Οὐκέτι γεγώσκουσιν Ἀθηναῖοι Μυρμῆκας.

Καὶ τὸ λοιπὸν] Vide ne quid hic deſit, idque indicetur his verbis, τῷ τὸ λοιπὸν, &c.

Ταύτῃ δὲ ὅμοια] Victor. legit, ταῦτα δὲ ὅμοια. at vetus interpr. ταύτῃ δὲ ὅμοια. Fortaſſe ita legendum: ταύτῃ δὲ πάντα ὑπάρχει τὰ εἰρημένα περὶ αὐτοὺς, τό, τε ἁπλᾶς ἀγαθὸν, καὶ τὸ ἁπλῶς ἡδύ. ἔτι δὲ μάλιστα ταῦτα φιλεῖται, καὶ τὸ φιλεῖν δὲ καὶ ἡ φιλία ἐν τούτοις μάλιστα καὶ ἀρίστη.

Ὀλίγοι δὲ οἱ τοιοῦτοι] Antiphanes apud Athenæum: ὀλίγων τὸ κακὸν ἐστι πανταχοῦ, καὶ τίμιον.

Περὶ τὰς λεγομένας] De ſale Plin. lib. 31. Cicer. de amic. Ariſtot. Εὐδημίων 8. Διὰ ἃς παροιμίαν ἐλάλησε ὁ μισάνθρωπος τῶν ἀλῶν. Theog. Οὐ δὲ ἂν οἰδοίης ἀνδρὸς νόον, εἰδὲ γυναικὸς, πρὶν πανημερίης ἅπαξ ξυνέξυλον. Theophr. Οὐ φιλοῦσι ξένοις, ἀλλὰ πρίνουσι φιλεῖν. Plut. περὶ φιλαδελφ. Soph. Χρὼν δίκαιον ἄνδρα δείκνυσι μόνον, Καιρὸν δὲ πᾶν ἀνὴρ γνοίη μόνος.

Καὶ ἡμεῖς ταύτας ταῦτας] Lego, ταυτί.

C. IV. Καὶ ἐπιπλεῖς φαύλους] Obſcurus locus. at non iidem ſunt οἱ ἐπιπλεῖς, καὶ οἱ ἀγαθοὶ. neque οἱ φαῦλοι, & οἱ ἡμεῖς. quare ita emendo, ἐπιπλεῖς φαύλους, ut Q. Lutatius amabat Roſcium hiſtrionem.

Δοκοῦσι δὲ αἱ συμμορφίαι] Ariſtoph. Ἡ ξυμμορφία δ' οὐχὶ διὰ σὲ τοῖς Ἀθηναίοις.

Καὶ σφόδρα μὲν] Sic in Rhetor. ὁ σφόδρα συλλογισμός. Sic ὁ σφόδρα ἐρώμενος. & hoc ipſo in libro, ἐὰν σφόδρα.

C. V. Οὕτω τῷ ἐπὶ τῆς] Vide quaedam huc pertinentia apud Athen. lib. 5. Οὐ χρὴ συμποσίοις φίλους ἀπήγειν ἑταίρους δεῖρον. αὐτόμητος δὲ φίλει χαρίεσσα αὐτή. Τῆλε φίλοι καίουσι πῦρ οἱ πρὶν φίλοι. Et proverbium eſt: πρόσω, ὦ πόντε. Iſoc. οὐ πολλοῖς μὲν, ὦ Δημόνικε, πολὺ διαφέρει &c.

Καὶ τῷ ἰδίῳ] Εἴδει legunt vet. interp. D. Thom. & Turnebus.

C. VI. Ἀγαθὸν εἶναι] Legendum puto ἑῶ. D. Thom. ita exponit, quaſi legerit ἀγαθὸν ἑῶ, quem ſequor, aut certe

eodem recido. Vetus interp. vertit, *esse*. sed, ut puto, scripserat, *esset*, non *esse*.

Οὐδ' αὐτὸ τὸ ἀγαθὸν] Aspasius interpretatur *felicitatem*. Sed non placet. Melius D. Thomas.

Ἢ τοῖς αὐτοῖς] Horatius: *Consentire suis studiis, qui crediderit te.*

Καὶ οὐκ ἀγαθοὺς] Forte, καθ' αὐτοὺς.

Οἱ δὲ ἐν ταῖς ἐξουσίαις] Ut Hiero habebat ἡδεῖς μὲν Simonidem, Pindarum, & tales, cum quibus tamen non consultabat de rebus gravibus. Sic prope Augustus habebat Moecenatem, & Agrippam. Dictum ipsius extat apud Senecam de beneficiis lib. 6. *Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Moecenas vixisset.* In hoc taciturnitatem, in illo patientiam desiderabat. Suetonius, & Aurel. Victor. Horat. lib. 2. Sat. 6. *Septimus octavo propior* &c.

c. VII. Quasi admonitus ab illa amicitia, quae est inter τοὺς ἐν ἐξουσίαις, & pauperes, bonos, atque eruditos, transit ad τὰς καθ' ὑπεροχήν.

Οἷον πατρὶ πρὸς ἠὸν] Pater non amat filios, neque διὰ τὸ καλὸν ἐν αὐτοῖς, neque διὰ τὸ ἀπ' αὐτῶν, ἢ ἡδὺ, ἢ χρήσιμον, sed natura. interdum enim posthumos instituunt heredes, interdum amant & debiles toto corpore, & furiosos; & illa institutio valet: *Filius meus impiissimus, & male de me meritus, heres esto.* l. 48. D de hered. instituend. Et apud Valer. multa exempla reperiuntur.

Καὶ ὅλως πρεσβυτέρῳ] Plato πολιτ. γ. οὐκοῦν ὅτι μὲν πρεσβυτέρους τοὺς ἄρχοντας δεῖ εἶναι, νεωτέρους δὲ τοὺς ἀρχομένους, δῆλον; δῆλον. Lacedaemone, γέροντες. Romae, *Senatus*.

Καὶ παντὶ ἄρχοντι] Significat, omnes quoque illos, quos praedixit, εἶναι φύσει, τοὺς μὲν ἄρχοντας, τοὺς δ' ἀρχομένους.

Οὐ γὰρ ἡ αὐτὴ] Regis quidem veri eadem. Imperatores Romani *patris patriae* nomen pulcherrimum esse ducebant. Cic.

Διαφέρουσι δὲ αὐταὶ] Lego, καὶ αὗται, καὶ ἀλλήλ', aut αὗται τε καὶ ἀλλήλ'. Hoc autem opinor adversus Platonem dicitur.

c. VIII. Ἐπιτρέπειν, ὑπηρετεῖν] Credo alterum redundare.

c. IX. Κοινὰ τὰ φίλων] Eurip. Oreste: Κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων. & in Phoenissis: Κοινὰ γὰρ φίλων ἄχη. & alibi: Ἐς κοινὸν ἀλγεῖν τοῖς φίλοισι χρὴ φίλου. Et in Androm. φίλων

γὰρ

ἢ ἐδὲν ἴδιον εἶναι φίλοι Ὀρέστᾳ σφόδρα, ἀλλὰ κοινὰ χρήματα. Terent. Adelph. Cic. 1. off. Plat. 5. de leg. Mart lib. 2. epigr. 34. *Candide, quae sunt amici, haec sunt tua, Candide, tua sunt, Quae tu magniloquus, nocte dieque sonas*, &c. Theophrast. apud Plut. περὶ φιλαδελφίας· οἱ κοινὰ τὰ φίλων ἡγοῦμενοι, δεῖ κοινὰς ἢ φίλων εἶναι τὰς φίλας.

Ἐν ᾗ ἀδελφοῖς] Hegio apud Terent. in Adelphis, act. 3. scen. 5. *una a pueris parvoli*, &c. Ovidius: *O soror, o conjux, o femina sola superstes*, &c. Et lib. 3. Fast. *Flebat ut amissa gemini consorte pericli*, &c. Xenoph. 3. Παιδ. οἱ κοινοὶ κίνδυνοι φιλοφρόνως ποιοῦσι ἔχειν τοὺς συμμάχους πρὸς ἀλλήλους.

Τὸ δίκαιον] Ἄλλως Argyr. recte, ut constat ex sequentibus.

Ἡ πόλεως ὁρισθέντος] Locus sine dubio perturbatus. lego, ὁρισμένος. πάσῃ ᾗ αὐτῇ τοῦ τὴν πολιτικὴν ἐοίκασιν εἶναι. ἡ μὲν γὰρ παρόντος συμφέροντος ἡ πολιτικὴ ἐφίεται, ἀλλ' οὐ ἕκαστα τὸν βίον. ὕλαι ᾗ τῶν κοινωνιῶν αἱ ἰδιωτικαὶ δικῶν γίγνονται διαστάσεων, ἢ ἐγκλημάτων. αὕτη γὰρ ἡ οὐσία ἔστιν ἡ συνουσία. ὁμοίως ᾗ καὶ φυλέτης, καὶ δημότης οὐσίας τινὸς ποιοῦνται, &c. Horat. epistol. 1. lib. 2. ad Augustum: *Agricolae prisci*, &c.

Οὐ μὲν δὴ] Οὐ positum ἀντὶ τοῦ μόνον.

C. X. Πολιτείας] Πολίτευμα est ἡ τῶν ἀρχῶν τάξις, ut ipse in Politic. vocat.

Κληρωτὸς ἄν τις εἴη, ἢ βασιλεύς] Ἤ, id est, μᾶλλον. Simile illi: Βάλοιμ' ἐγὼ λαὸν σοὶ ἔμμισυ, ἢ ἀπολέσθαι. Χρῶνται δὲ] Ex Xenophonte quidem hoc verum non est, ut ex Cyripaedia intelligi potest.

Ἐπίκληρος ᾖσαν] Senex Plautinus: *Argentum accepi dote, imperium vendidi*. Menander: Ὅταν γυναῖκ' ἐπίκληρον βουλῇ λαβεῖν πλουτοῦσαν, ὅταν μέλλῃς ἐκτίνειν ἄλλων, ἵνα βέλτιον' ἀτυχῇς μᾶλλον ἢ κωλύμενος. Idem: Ὅταν πένης ὢν, καὶ γαμεῖν τις ἐλόμενος τὰ μὴ γυναικὸς ἐπιδέχῃ χρήματα, Αὐτὸς δίδωσι, σὺν ἐκείνῃ λαμβάνει. Antiphan. Οὐκ ἔστιν ἐδὲν βαρύτερον τῶν φορτίων Ὅταν γυναικὸς ἀνὴρ πολλῶν ἢ φίλῃ. Megadorus in Aululari, cum multa enumerasset, *Haec sunt*, inquit, *atque aliae multae in magnis dotibus incommoditates, sumptusque intolerabiles. Nam quae indotata est, ea in potestate est viri, dotatae mactant & malo, & damno viros*. notum est illud veteris sapientis: τὴν κατὰ σαυτὸν λαβέ. Et illud: *Si qua voles aptae nubere, nube pari*. Eurip. Rhesus: Οὐκ ἐξ ἴσου κρείσσων γαμβρὸν γῆμαι. Martialis: *Uxorem quare locupletem ducere nolo, Quaeris?*

tis? uxori nubere nolo meae. Vide quae diximus in Ariſt. Oeconomica.

β. XI. Τοῖς ἀναίμαστιν] Τοιοῖς leg. & ita Argyropyl. Ὁμοφύλοις, ἢ ὁμοφύλοις] In aliis, ὁμοφύλοις, ἢ ὁμοιοπαθῆσι. Vetus legit, ὁμοιοφύλοις. ἢ ὁμοιοπαθῆσι legitur.

Καὶ ψυχῆ] *Animi imperio, corporis ſervitio utimur.* Salluſtius.

c. XII. οἷον δὲ καὶ ὁμολογίαν] Hic potius debet eſſe principium cap. Argyr. & Aretinus.

Μᾶλλον συμφύσεται] Id eſt, adjunctus natura eſt. Cic. pro Cluent. *quae propria huic cauſſae, & adjunctiora ſunt.* & de invent. *Sunt quaedam cum adjunctione neceſſitudines, quaedam ſimplices, & abſolutae. Conciliandi* etiam verbo in eadem re nonnunquam uti ſolet.

Ἐκ τούτων δὴ δῆλον] Eurip. Μήτηρ φιλίστη δ' ἀνδρὸς (ἐὰν δ') ἐσθλὸς ᾖ. Ἢ μὲν γὰρ αὐτὸς οἶδεν ἄνδρ', ὁ δ' οἴκοις. Menand. Αὐτὸν γὰρ οὐδὲς οἶδεν ἐξ ἅπαντ' ἐμοῦ, Ἀλλ' ἐκτὸς ὕμεν πάντες, ὁ πρόσθεν μέν. Itaque Telemachus: Μήτηρ μὲν γάρ τ' ἐμὲ φησὶ τεὸν ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε Οὐκ οἶδ'. ὁ γάρ τις πρὸς ὃν γόνον αὐτὸς ἀείρει. Et vide Juriſ. item Euſtath. in Odyſſ. pag. 1412.

Τῷ συνεγγυς] Nam omne agens in propinqua agit fortius, ut cum a caelo ſit principium motus, & caloris, ignis quidem & ardet, & κινητικὸς ἐσι. aër calet, ſed non ardet; & mobilis, at non ut ignis, aqua mobilis, ſed calore deſtituitur, at terra utroque.

c. XIII. Ἔσικε δὲ] Ut jus aliud ſcripto, aliud moribus continetur. Atque illud quidem quod ſcriptum eſt, certum, exploratumque eſt. Quibus autem de rebus nihil nominatim cautum eſt legibus, ea plerumque ex aequo, & bono diſceptari, ac dijudicari ſolent; ita in eis amicitiis, quae ad utilitatem diriguntur, duplex eſt officii tribuendi ratio. Nonnunquam enim certis quodammodo legibus, ac conditionibus res agitur, ſcitque & is, qui beneficium alteri tribuit, quid ab eo vicisſim exigere debeat, & is qui accipit, quo eum, a quo accipit, remunerari. Interdum nulla talis pactio, & conventio interponitur, ſed qui amico commodat, ſperat quidem ſibi quoque aliquid ab eo commodi; neque tamen ab eo ſtipulatur quidquam certi: cumque ſibi aut tantundem, aut etiam amplius, ſi res ita ferat, redditum iri exiſtimet, tamen quid, quantumque ſibi debeatur, ei ipſi, quem obligat, arbitratu ſuo aeſtimandum relinquit. Illam

lam igitur φιλίαν ἐμπορικὴν, hanc ἀγοραίαν Aristoteles vocat. Ac facile quidem est intelligere, has mercaturas potius quasdam, & nundinationes officiorum, quam amicitias esse: neque enim quidquam est ab amici officio alienius, quam cum beneficium tribuas, de recipiendo cogitare. Sed tamen & vulgo ita vocantur, &, si vera, quam speciosa malumus, pleraque hominum pars, non alia fere ratione amicitias colit. Utilitate ducuntur omnes, & ut possessiones, ita amicitias eas plurimi faciunt, ex quibus plurimum capiunt. Verae illae amicitiae, quae sine ulla spe commodorum dignitatem modo, atque honestatem spectabant unam, in solis jam libris, non etiam in hominum moribus, reperiuntur. Ait igitur Aristoteles, inde potissimum existere, atque ex eo, quasi fonte, manare omnes talium amicorum de amicis conquestiones, cum alio animo, ac consilio sunt in tribuendis, accipiendisve beneficiis, alio in reddendis, aut exigendis. Saepe enim is, qui dat, non eo animo dat, ut tantundem accipiat, sed aequum putat, se multo plus, si usus venerit, consequi: is autem qui accipit, ubi tantundem reddiderit, nihil se amplius debiturum putat. Nonnunquam etiam contra. Est & cum mutatur animus ejus, qui beneficium dedit. Nam cum eo animo dederit, aut certe videri voluerit dare, ut non tantundem reciperet, sed ut eo, quod amici vires, ac tempora commodo ipsius tulissent, contentus foret, in exigendo tamen acrem se, ac difficilem praebet, &, nisi solidum recipiat, injuriam sibi fieri clamat. Inde querelarum plena omnia. Inde omnes domus, omnia fora, omnia compita, omnia denique publica, & privata hominum alios, ut ingratos accusantium, quotidie vocibus personant.

Ἀλλ' οἱονεὶ δεῖ] Nicolaus ὁ τῷ ὄντι ἀγαθὸς· καὶ Ἰνδὸς, ἐάν τις δύνηται ἢ δικαίως ὁ ἀδικώτατος, οὐκ ἂν εἴη κρίσις, ἀλλ' αὐτὸν αἰτιᾶται ὁ πεπόνθως. Stobaeus lib. μβ. Seneca lib 3. de benefic. *Utinam quidem persundere possemus, ut pecunias*, &c.

Ἢ ὅ, τι δήποτε ἄλλο] Id est, aut quocunque illud alio nomine vocari placet. non enim satis proprie est ἀμφίλογος.

Καὶ ὁμολογοῦσι σὺ δὲ] Lego, τὸ γὰρ ὁμολόγησε μὲν ἄν.

Καὶ τοῦ διορθίου χρήσεται] Puto legend. ἀδιορθώτου, ut etiam habet Eustrat. aut, quod forte verius est, delenda vox χρήσεται.

M. AN.

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN LIBRUM NONUM

ETHICORUM ARISTOTELIS

SCHOLIA.

c. I. Ἐν ἀπάσαις] Τῆς ἀνομοειδοῦς φιλίας duo genera sunt, unum, in quo ea res, quae amicitiam conciliat, una eademque est, sed non aequalis in utroque, ut cum amant ob virtutem uterque, sed ea praestat alter. Alterum, cum alia res alium movet, ut ὁ ἐραστὴς amat τὸν ἐρώμενον propter voluptatem, ὁ δ' ἐρώμενος τὸν ἐραστὴν διὰ κέρδος. De hoc posteriori genere hic Aristoteles loquitur.

Ἐν δὲ τῇ ἐρωτικῇ] Nunquam se amator satis amari putat. ipse autem immodice amare sibi videtur. Ex quibus doceri possit, eos semper sibi videri ὑπερφιλεῖν. Sunt haec & talia custodes ovium, &c. *Quid faculam praefers*, &c. *Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes.*

Οἰθὲν ἔχων] Ut senex, aut pauper effectus.

Εἰ οὕτως ἔτυχε] Id est, *si sors tulerit.* Ovidius: *Figitur in viridi, si sors tulit, ancora prato.* ubi male vulgo legunt *sic.*

Οἷον καὶ τῷ κιθαρῳδῷ] Plutar. Διονύσιος γοῦν ὁ τύραννος, &c. Narratur & in lib. 7. Εὐδημ. Citatur ex Eurip. Λόγον δικαιὼς μισθὸν ἂν λόγου φέρεις. Et Augustus cuidam Graeculo, ut Macrob. narrat, versus pro versibus reddidit. Polit. *Verba dedi Xysto. decet haec dare dona poëtam.*

Ταῦτα δώσει] Lego, τὰ αὐτοῦ. Eustr. τὰ αὐτὰ, si emendatus est codex, & exponit, ἃ ἔχει.

Πρωταγόραν] Plato in Protagora.

Ὅσου δοκεῖ ἄξια] Sic & Latini *dignum.* Scaevola: *Si di-*

dignum decem fundum damnetur heres quinque vendere, sine dubio quinque erunt imputanda Falcidiae. D. ad l. Falcid. Paulus: *Si fundus legatus sit quinquaginta dignus sub hac conditione, si quinquaginta heredi dedisset, &c.*

Μισθὸς δ' ἀνδρὶ] Hesiod. Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένον ἔστω. Hanc autem sententiam ad Pittheum Thesei avum refert Plutar. in Theseo, Aristotelem citans. Est autem sensus illius versus talis. Etiam si cum amico aliquid negotii contrahas, fac ut tibi prius conveniat cum eo, & dicat, quam mercedem sibi satis futuram putet, quanto contentus futurus est. contrahendum enim est semper ἐπὶ ῥητοῖς. sic enim tolluntur, ac praeciduntur omnes conquerendi occasiones, cum ei satis esse debeat id, quod dictum est. Moschopulus: μισθὸς φίλῳ δ' ἄνδρα, ὁ λαμβάνων δηλονότι συνεχῶς ἐπ' ἔργοις, μισθὸς ἔστω συμπεφωνημένος ἐφικνούμενος τῇ χρείᾳ αὐτῶν. Argyr. *Sufficiens socio sane est merces statuenda.* Hanc esse sententiam illius versus, non illam, quam putabat Auratus, offendunt, quae sequuntur: Καὶ τὸ χαμαιτύπῃ γελοίως ἐπὶ μίσθωσιν ἥκει. Πίστεις δ' ἄφες ὅμως, ἢ ἀπιστίας ἄλυσιν ἄνδρες. Quodsi cum amicis, multo magis cum aliis. Plutarchus ἀεὶ δυσκολίας· ὁ ἢ Περσικῷ ἀρχμένου πιὼ &c. Plato commendans Heliconem Dionysio: γεγράφα δ' αὐτὸν καὶ ἀληθῶς, ζῶν φύσει δεσποτικόν. At Xenocrates hominem improbum, cum parum caute Polypercheti Maced. commendasset, &c. *Qualem commendes, &c.*

Οἱ σοφισταὶ] Sophistae sunt οἱ ἐπαγγελλόμενοι μὲν, ὡς ἀληθῶς ὄντας τοὺς ὁμιλίας ποιουμένους, μισθὸν δὲ νόμισμα πραττόμενοι. In Sophist. Plato. Aristoteles in Elenchis: ὁ σοφιστὴς χρηματιστὴς λεγόμενος σοφίας, ἀπ' οὐκ ὄντος. Sic appellantur ii, qui ostentationis, aut quaestus caussa philosophantur. Cic. 4. Academic.

Τὸ σοβάρον] Τὸν σοβαρὸν Eustr. sed postea variat, & exponit τὸν λαμβάνοντα, ἀπ' ὃ τὸν σοβαρὸν. haec secunda placet.

c. 11. Ἀπορίαν δ' ἔχει] Suntne patri omnia tribuenda? Non: neque enim imperatorem eum creaveris τῆς στρατηγικῆς ἀπορίας ἔχοντα, ἀλλὰ μᾶλλον τὸν στρατηγικόν. Idem multo etiam magis de aliis amicis dicendum est.

Est-

Estne patri in omnibus obtemperandum? De ea re tres veterum opiniones affert Gellius lib. 2. cap. 7. ex quibus omnibus mihi magis secunda probatur, quam multis rationibus confirmare possem. Sed tamen adversus eam argumentari licet. Num aegrotans patri potius, an medico parebit? Num ipsi patri aegrotanti potius, an medico? Num in musicis? Num in nave, &c. Num in grammaticis (vide Musonium apud Stobaeum λόγῳ 77.) Nam si quid turpe jubeat, tum in promptu responsio est: Jupiter communis omnium parens aliud jubet. Multo magis idem dicendum de aliis amicis. Regula igitur sit, quaecunque neque talia sunt, ut ea facere, eisve abstinere turpe sit, neque ad artem ullam pertinent, sed sunt plane ἀδιάφορα, in eis patris jussio praecipuam vim obtinere debet. Jubetne pater ad mercaturam, ad agriculturam animum ne applices, ne hanc uxorem ducas, ne huc aut illuc eas. Obtemperandum est. Cetera modeste recusanda sunt.

Ὁμοίως δὲ φίλῳ] Haec quoque ὑποτίθεται, alium esse φίλον, alium σπουδαῖον. Nam si uterque σπουδαῖος, non est dubium quid respondendum sit. sed quid, si alter virtute, alter amicitia potior sit? οὐ δυνατὸν ἀκριβῶς.

Εὐεργέτῃ ἀνταποδοτέον] Momenta rerum consideranda sunt. Ceteris autem paribus prius praestat.

Ἑταίρῳ δοτέον] Lego, ἑτέρῳ, & paulo ante, χαριστέον ἑτέροις.

Οὐδὲ τῷ πατρὶ] Vide quae scripsi cap. 13. lib. 8. var. lect.

Καὶ εἰς τὰ κήδη] Κήδη εἰσὶ τὰ πρὸ τοῦ γάμου συναλλάγματα. Eustr. hic.

C. IV. Τὰ φιλικὰ] Ea, ex quibus definitur ὁ φίλος, quod exponens dicit, καὶ οἷς αἱ φιλίαι ὁρίζονται. vetus interpr. vertit, *amicabilia autem quae ad amicos*. legit ergo, τὰ φιλικὰ δὲ τὰ πρὸς τοὺς φίλους. Ego autem putabam, totum illud πρὸς τοὺς φίλους delendum esse. Et Eustratii commentarius adjuvat hanc conjecturam.

Οἱ προκεκρυκότες] Quod argumentum est, eos id velle, non propter se, sed propter amicum ipsum.

Μέτρον ἑκάστῳ] Ἄνθρωπος χρημάτων πάντων μέτρον Protag. & Plat. in Cratylo, & in Theaeteto. at 4. legum Plato Deum, ait, εἶναι πάντων μέτρον.

Ὅπερ

Ὅπερ ἐστὶν ἕκαστος] Haec Platonis sententia est in Alcib. priore: *Mens cujusque is quisque est.* Cic. de fine lib. 1. *Tu vero enitere, & sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus,* &c. Inde quoque illa manarunt: *Neque enim civitas in seditione* &c. Cicero lib. 1. de finibus. Et in oratione pro Roscio: *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis* &c. In Pisonem: *Nolite putare, P. C. ut in scena* &c.

C. V. Φίλαυτοί εἰσι] Ἡ φίλαυτος, ἀπὸ λοιδορίας τῆς ὑπάτου, τῆς χρόας. Eustr.

Ἔχει διάστασιν] Διάστασις non est *intensio*, multoque minus, quod Lamb. putat, *contentio*, sed *continuatio quaedam ac tractus temporis.*

Οἷον ἡ] Ut in factionibus aurigarum solet.

Κύνοι γὰρ αὐτῷ] Leg. αὐτοῖς.

Ἡ διὰ τῆς ὄψεως ἰδιότ.] Ἔρως ἐστὶ διὰ τῶν ὀμμάτων. Plato Cratylo. Propert. *Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.* Et: *Si nescis, oculi sunt in amore duces.* Paulus Silentarius: Ὀφθαλμοί τοι, μέγας ἀφύσσετο κύπριν ἐρώτων, Καὶ θεὸν ἀμφήκη ζωροπότην ἐθέωσε; Et quidam ait: Ἐκ τῆς ὄψεως γὰρ γίνεται ἀνθρώποις ἔρως.

Αὐτὸν ἑαυτῷ οἶναι φίλον] Sic dictum, ut ἐμὲ ἐμοὶ μόνον, & similia.

C. VI. Ἀπὸ πάσης πόλεως] Sic una quaelibet dissensio ἐχθρὸς ποιεῖ. Plato Euthyphrone.

C. VIII. Ἀπ' αὐτοῦ] Ἀφ' αὐτοῦ leg. puto.

Ἐπιπλοῦν γὰρ τοῖς] Horatius: *Egomet mi ignosco, Maevius inquit. Stultus, & improbus hic amor est, dignusque notari.* Talem notat Plato 5. de leg. Epicur. dicebat, sua causa omnia quemque facere oportere. sed necessarium est, quicunque tales sunt, cum sibi valde placeant, aliis tamen displicere. Amor enim caecus, & qui se amant, in vitiis suis caeci sunt. Cicero lib. 13. ad Atticum epist. 13. *nisi forte me communis φιλαυτία decipit, ut in tali genere ne apud Graecos quidem simile quidquam.*

Ὥσπερ ἡ πόλις] Sophocl. πόλις γάρ ἐστι τῶν αὐτῶν ἀνδρῶν, Σπαρτὴ τὸ πάλαι.

C. IX. Τὸ δ' εὖ ἂν ἴσως ἀληθές] Docet jam propriis, & suis rationibus, felici opus esse amicis. Earum prima est haec: ὁ δίδυμον σωτηρίαν ἡμερῶν πρᾶξιν ἐπαινῶν, ἢ φύσιν.

Fa-

Facere autem id, nisi in amicis, non plene potest. Indiget igitur amicis. Primum lemma probat hoc modo: εὐδαιμονεῖν est ἐνεργεῖν. τὸ δ' ἐνεργεῖν οὐ μόνον πράττειν, ἀλλὰ θεωρεῖν. Debet autem ὁ εὐδαίμων θεωρεῖν ea, quae sibi jucunda sunt. Jucundae sunt autem ei actiones ἐπιεικεῖς, καὶ οἰκεῖαι. Tales igitur θεωρητέον. Secundum hoc modo: Aut eas θεωρήσει in se ipso, aut in aliis. In se ipso non satis commode potest. θεωρεῖν γὰρ μᾶλλον δυνάμεθα τοὺς πέλας, ἢ ἑαυτοὺς, καὶ τοὺς, &c. ergo in aliis. Quare aut in amicis, aut in iis, qui nobis conjuncti non sunt. Si in iis, quibuscum nulla nobis intercedat conjunctio, ut demus eas jucundas fore; quia ἐπιεικεῖς, at certe carebunt altera parte jucunditatis: non enim erunt οἰκεῖαι. Sed si in amicis, tum vero ἔξουσιν ἄμφω τὰ φύσει ἡδέα. erunt enim etiam οἰκεῖαι, cum amicus sit alter idem, & quae amici faciunt, ea nos quodammodo ipsi facere videamur. Ut oculus alia omnia melius videt, quam se ipsum: ita unusquisque nostrum alienas actiones melius videt, quam suas. Ut formosae mulieres libenter se in speculo intuentur: ita, si animi, & honestarum actionum speculum aliquod esset, libenter se in eo viri boni, ac felices intuerentur. In amicis igitur se tanquam in quodam speculo intuentur.

Καθάπερ καὶ Θέογνις] Summa hujus argumentationis est: πᾶν τὸ αἱρετὸν προσεῖναι δεῖ τῷ εὐδαίμονι· αἱρετὸν δὲ ὁ φίλος. δεῖ ἄρα αὐτῷ καὶ φίλον. Major patet, quoniam alioqui esset ταύτῃ ἐνδεής. Ad minorem probandam multa adferuntur, quae reddunt obscuram disputationem. Ad summam autem hoc dicit. Vir bonus eodem modo adfectus est erga amicum, ut erga se; ergo quaecunque bonum, & optabile, & jucundum est habere in se, eadem in amico. Bonum, & optabile, & jucundum est bene vivere, & sentire se vivere: ergo bonum est etiam ipsi, tum ut amicus vivat, tum ut ipse sentiat eum vivere. Sed congeruntur multa, ut doceat, bonum esse bono τὸ ζῆν, quorum summa est, omne bonum, & jucundum natura, est bonum, & jucundum bono: tale est τὸ ζῆν. Igitur, &c.

Τὸ δὲ κύριον] Κύριον vocat τὸ τέλος Eustrat. at ego eo re-

refero, quod id demum dicitur κυρίως εἶναι, quod est ἐνεργείᾳ, ut saepe dictum est.

Τὸ δὲ ὅτι] Sentire se sentire, aut cogitare, est sentire se esse, sive vivere. Nam esse, aut vivere, homini nihil est, quam αἰσθάνεσθαι, καὶ νοεῖν.

C. X Μήτε πολύξεινος, &c.] Μήτε πολύξεινον, μήτ' ἄξεινον καλέεσθαι. Hesiod.

Μήτ' ἂν πολύφιλον] Apud Scythas πολυφιλία ducebatur probro. Lucian. in Toxaride.

Ἥδυσμα] Sal. Eustr.

Διόπερ] Unde est illud vetus: Οὐκ ἔστ' ἐρατὴς, ὅς τις οὐ μιᾶς ἐρᾷ.

C. XI. Τὸ δὲ λυπούμενον] Legendum est λυπημένων.

Ὑπερτείνη τῇ ἀλυπίᾳ] Pessime hunc locum interpretatur Eustr.

M. A. MURETI

IN LIBRUM DECIMUM ARISTOTELIS ETHICORUM SCHOLIA.

C. II. Ὁμοίῳ ζ, pro δὴ. οἷον τὸ, pro τῷ. ὠρέγετο αὐτῶν pro αὐτῆς, & ita Argyr. τῷ μηδέτερον, pro μηδετέρῳ. μηδέτερον ὁμοίως, pro μηδέτερα.

C. III. Οὐ μὴν οὐδὲ] Refellit quaedam argumenta eorum, qui voluptatem bonum esse negabant. Omne bonum est qualitas. adfert ἔνστασιν. ἡ ἡδονὴ non est bonum. nam est ἀόριστόν τι, δεχομένη τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον. Respondetur, idem in virtutes, aut certe virtute praeditos convenit, & non omnis voluptas δέχεται τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον.

Οὔτε καὶ] Non est verum, omnem ἡδονὴν capere τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον. nam haec dicuntur secundum majorem, aut minorem contrarii admistionem. ergo locum habere possunt in iis voluptatibus, quae sunt mistae cum dolore, quales sunt corporeae. at ἐν ταῖς ψυχικαῖς quae sunt ἀμιγεῖς, non potest. Ita adversus omnes alios intelligo.

Οὐ γένοιτ'] γένοιντ' ἂν ἀναπληρώσεις, Aret. & quidam libri Basileenses.

Δέξεται ζ] Hoc tantum voluptas non est motus, aut γένεσις. sed ne satis quidem proprie dicimus voluptatem gigni, aut quempiam voluptate commoveri.

ARI-

ARISTOTELIS

OECONOMICA,

JACOBO LUDOVICO STREBAEO

INTERPRETE,

CUJUS INTERPRETATIONEM

M. ANTONIUS MURETUS

LOCIS ALIQUOT EMENDAVIT,

SCHOLIISQUE ILLUSTRAVIT.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARISTOTELIS OECONOMICA,

JACOBO LUDOVICO STREBAEO INTERPRETE,

CUJUS INTERPRETATIONEM

M. A. MURETUS

LOCIS ALIQUOT EMENDAVIT, SCHOLIISQUE ILLUSTRAVIT.

c. I. Disciplina rei familiaris a civili scientia non solum tam differt, quam domus a civitate (nam domus & civitas est subjecta quasi materia duabus his artibus) verum etiam quod administratio, ad plures magistratus, domus autem rectio, ad unius imperium pertinet. Ac sunt quidem artes quaedam distinctae: in quibus non est ejusdem opus efficere, & uti facto, ut lyra, & tibiis. Civilis autem scientiae est, & ab initio constituere civitatem, & bene & ratione uti constituta. Unde planum fit, esse disciplinae rei familiaris, & domum comparare, & prudenter uti comparata. ergo civitas quidem est domorum multitudo, cui & agri & rei satis est ad bene vivendum. Constat autem ita esse, vel ex eo, quod, si id asequi non possunt, dirimitur societas. Atque etiam ea de causa coëunt. Id autem est ipsa cujusque rei substantia, propter quod ea res est, atque facta est. Apparet igitur, rei familiaris artem civili disciplina esse ortu priorem. Nam & opus ejus prius est. Domus enim est pars civitatis. Itaque de ratione tuendae rei familiaris, & quod sit ejus munus, videndum est.

c. II. Domus partes sunt, homo, & res quae possidentur. Quando autem principio natura cujusque rei minimis in partibus spectatur, hoc quoque modo natura do-

Digitized by Google

mus est considerandus. Ut igitur Hesiodus: *Primum aedes, mulierque, & bos habeatur arator.* Hic enim primum victus & alimenti gratia comparandus: illa vero liberorum caussa. Debet igitur oeconomiae peritus uxoris consociationem recte, & prudenter instituere, hoc est, talem parare, qualis esse debet. Facultatum autem prima cura, ea quae secundum naturam est. In iis artibus autem, quae secundum naturam sunt, priorem obtinet locum ratio agri colendi: alterum vero, quaecunque e terra aliquid exquirunt, ut ea quae metalla eruit, & si quae sunt aliae generis ejusdem. Sed agriculturae prima laus est, propterea quod jure nititur, ac justitia. Non enim rem quaerit ab hominibus, aut non invitis, ut ars cauponum & mercenariorum, aut inutilis, ut bellicae. Cui junge & illud, esse secundum naturam, quia natura comparatum est, ut a matre sit omnibus alimentum. est igitur hominibus a terra. Praeterea ad laborum tolerantiam ac fortitudinem perutilis est. non enim sicut artes sordidae, ita corpora infirma & inutilia facit, sed quae sub dio manere, laborare, atque etiam adversus hostes adire periculum possint. Nam soli agricolae res suas extra munitiones habent.

c. III. In hominum autem genere curando, prima uxori adhibenda curatio. Societas enim feminae & maris maxime naturalis est. Hujus rei fundamentum a nobis alibi positum est, naturam cupere talia multa procreare, qualia produxit, ut in quoque genere animalia. At fieri non potest, ut hoc femina sine mare, aut mas sine femina perficiat. Quamobrem societas illorum necessaria est. Idque in aliis quidem animantibus nulla ratione duce, & naturae tantum impulsu, & solum procreandae sobolis gratia coëunt. In cicuribus autem, & in iis, quibus est plus cujusdam prudentiae, perspicua magis, atque manifesta societas, quia magis elucent mutua auxilia, benevolentia, labores, & operae communes. In homine vero maxime perspicitur haec conjunctio, quod mas & femina, non solum ut sint, sed etiam ut bene sint, inter se dant operam, & habentur liberi non modo ut naturae serviatur, verum etiam ut inde capiatur utilitas. Nam quae parentes, cum vires haberent, labore suo in aetatem liberorum imbecillam contulerunt: debilitati senectute, & viribus destituti, a valentibus quasi deposita re-

recuperant. Adde quod & hoc ambitu ac tanquam orbe natura ſupplet aeternitatem, ſi non ſingulorum numero, at certe ſpecie conſervata. Sic divinitus natura utriusque, & viri, & mulieris ad conjunctionem ſocietatemque praeparata eſt. Diſtincta enim eſt, ne eſſet utrique ad eadem omnia ſimiliter utilis & idonea facultas, ſed in quibusdam ad contraria, quae tamen eodem contenderent, apta. Alterum valentiorem, alteram minus robuſtam fecit, ut haec adducta metu diligentius advigilet ad cuſtodiam rerum: ille fortitudine praeditus, ſit animoſior ad propulſandam injuriam: ut ille rem quaerat foris, atque domum importet: haec intus ſit, & importata conſervet. In opere autem faciundo, quum ſit haec infirmior, quam quae foris agere, & in iis quae ſub dio fiunt, verſari poſſit; conſtantius tamen eſſe domi, quam vir, & in eadem ſede permanere poteſt. Ille ad opera quieta minus aptus, & ad res laborioſas, moleſtas, operoſas, roboris eſt atque temperamenti ſalubrioris. liberos communiter procreant, non item communiter educant, ſed in eos propria ſunt hujus, & illius adjumenta. Alere patrum eſt, erudire patrum.

c. IV. Primum igitur ſibi leges imponat vir de uxore tractanda: & illi ne faciat injuriam. ſic enim fiet, ut ab eo nullam patiatur ipſe. Nos ad hoc & lex communis hortatur, ut ajunt Pythagorei, *quam minime oportere videri injuriam facere cuiquam*, quemadmodum ſupplii, & quae a lare ſit abducta. Violat autem jura coniugis vir, cui ſunt externi concubitus. De congreſſione lex altera, ut nec egeant praeſentes, nec abſentibus quieſcere non poſſint: ſed ita aſſuefcendum, ut praeſentiam & abſentiam conjugis aequo animo ferat. Hoc autem praeclare ſuadet Heſiodus: *Ut mores doceas pulchros, tibi virgo ſit uxor.* Nam morum diſſimilitudo diſſolvit amicitias. De corporis ornatu ſit haec praeceptio. Une moribus quidem ſuperbis & arrogantibus inter ſe conjuges uti debent, ita neque immoderato vultu & ornatu. Congreſſus autem iſte ex ornatus oſtentatione glorioſa nihil ab eo differt, qui eſt in ſcena tragoedorum.

c. V. Iis autem rebus quae poſſidentur, illud quidem eſt primum, maximeque neceſſarium, quod optimum, quoque principatu dignisſimum. Hoc vero ho-

mo est. Primum igitur danda opera est, ut servos efficiamus bonos. Servorum autem duae sunt species: dispensator, & operarius. Quoniam igitur videmus juvenes, prout educantur, tales evadere; necesse est & parare & alere eos, quibus liberaliora munera mandanda sunt. Cum servis autem dominus ita versetur, ut neque improbos fieri atque petulantes, neque licentia dissoluta, & immodica libertate diffluere patiatur: & iis quibus est animus liberalior, honorem; iis qui viliores dant operas, alimenti copiam tribuat. Quod autem vini potus non servos modo, verum etiam liberos, petulantes & contumelioſos efficit, multaeque nationes liberae vino se abstinent, ut militiae Carthaginienses, perspicuum est, aut nihil ejus, aut parum servis esse tradendum. Et quum tria ad illos pertineant, opus, castigatio, alimentum; si castigatio laborque deest, alimentum vero supetit, contumeliam gignit. Labores autem & animadversiones sine alimento, vim afferunt, & omnes adimunt vires. Superest igitur, ut dominus operas atque labores imponat, & alimenti quantum satis est suppeditet. Nam fieri non potest, ut iis imperet, qui mercede careant: servo autem merces, alimentum. Ac sicut alii, si mitis, & vitii supplicia, deteriores fiunt, ita quoque servi. Horum igitur habenda ratio: & unicuique pro dignitate partienda, atque plus minusve laxanda sunt haec, alimentum, vestis, intermissio laboris, castigandi modus: minandaque tum verbo, tum re, medicorum facultas: qui in ratione medicamenti illud quoque considerant, alimentum, quia semper idem suggeritur, non esse medicamentum. In servorum autem genere optimi ad opera facienda sunt habendi, qui neque plus aequo timidi sunt, neque plus satis animosi. Neutri enim quod justum est faciunt. Etenim plus aequo timidi nihil subire audent. Animosi vero non facile dicto sunt audientes. Omnibus autem certus finis terminusque constituendus est. Nam justum est ac utile, esse praemium propositum libertatem. Dabunt enim libenter operam atque laborabunt, eum praemium fuerit propositum, tempusque definitum. Suntque procreatis liberis quasi pignoribus obtringendi. Nec plures gentis ejusdem, ut in urbibus, sic & in aedibus habendi. Atque propter servos potius quam liberos

sacra

sacra faciunda, & hujusmodi laetitia, atque voluptas fruenda. Plura enim habent eorum, propter quae haec lege ac moribus recepta sunt.

c. VI. Partes autem oeconomi in pecunia sunt quatuor. etenim debet habere quaerendi facultatem, atque servandi. alioqui inutilis esset quaerendi ratio. Hoc enim est *aquam haurire* colo, ὑδρεῖν, &, quod ajunt, *dolium perforatum*. Praeterea scire debet suo quaeque loco, & ordine decenter, & apte disponere: & quum, tempus est, utenda depromere. Nam propter haec illis egemus. Discrimen autem statuendum est inter genera bonorum. & plura fructuosa, quam quae fructum non ferunt, habenda. Negotia atque operae sic partiendae sunt, ut non una periclitentur universae. Ad rem familiarem tuendam prodest institutis uti Persicis, & Laconicis; & Attica juvat oeconomia. Athenienses enim vendentes emunt; nec in minoribus oeconomiis penum reponunt, ac recondunt. Persica sunt instituta, ut paterfamilias ipse omnia statuat, omnia invisat: id quod & Dion de Dionysio tyranno dicebat. Nullus enim sic aliena curat, ut sua. Debet igitur eniti, ut omnia quae potest ipse curet. scitum enim est quod Perses quidam, quodque Libys respondisse dicitur. Rogatus ille, quid opimum pinguemque maxime faceret equum, *oculus domini*, inquit. Libys autem, quum ex eo quaereretur, quod stercoris genus optimum putaret, *domini vestigia*, respondit. sunt igitur alia videnda curandaque viro, alia uxori, ut huic; & illi munera sunt oeconomiae distributa. Idque raro in oeconomia exigua tenuique faciendum. saepius autem in ea, quae aliorum diligentiae committitur. Nam nisi qui praeit id quod alii sequantur, bene diligenterque monstret, nec in aliis rebus, nec in commissa procuratione fieri potest, ut bonos atque diligentes habeat imitatores. sic fieri non potest, si domini sint improvidi & negligentes, ut eorum praefecti rem diligenter curent. Haec autem quum honesta pulchraque sint, & utilia ad rem & augendam, & tuendam, domini prius expergisci quam servi, & posterius somnum capere debent: nec unquam domum magis quam magistratus urbem, sine custodia relinquere: nec aliquid eorum quae facienda sunt nocte dieque praetermittere; idque bonum, de nocte e lecto surgere; propterea quod hoc utile est, & ad bonam valetu-

dinem, & ad oeconomiam, & ad ſtudia philoſophiae. Ac parvis quidem in rebus Attica ratio adminiſtrandi fructus eſt utilis: in magnis alia, divilis fructibus, & quae in annum, & quae in menſem conſumuntur, ſeparatis. Neque aliter in vaſis ſupellectilique faciundum, ſepoſitis iis quibus utendum cotidie, & iis quae raro ſunt uſui. Haec tradenda praefectis. Praeterea ſubinde ex intervallo, quae recondideris, inviſenda, ut quid ſalvum & integrum, quid perditum & imminutum ſit, ſciatur. Quum autem domus aedificatur, habenda ratio, & rerum quae poſidentur, & valetudinis: atque hominum commoditati jucunditatique proſpiciendum Habenda ratio rerum, ut videndum qui locus aedium fructibus, reique veſtiariae commodus futurus ſit, qui fructibus ſiccis, quique humidis: & in diverſo genere rerum, qui animatis, quique inanimis, ſervis & liberis, mulieribus & viris, peregrinis & civibus. Ut hominum commoditati jucunditatique & valetudini proſpiciatur, domus ita ſtatuenda, ut aeſtate ſalubres ventos, hyeme liberum ſolem facile admittat. Talis erit, ſi antica ad meridiem, poſtica ad ſeptentriones, habeant latera longiora. Ubi autem magnae adminiſtrantur opes, janitor, cujus in aliis rebus nullus ſit uſus, videtur utilis, qui quae importantur, & exportantur, obſervet. Ad expeditum promptumque ſupellectilis uſum pertinet Laconica diſpoſitio. Inſtrumentum enim quodque ſuo poni loco debet. Quod enim ſic eſt in promptu, non requiritur.

M. AN-

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN ARISTOTELIS OECONOMICA

ANNOTATIONES.

Magni facienda sunt praecepta politices: sed ne ea quidem quae ad rei familiaris rectionem pertinent, negligenda: fortasis etiam eo cognoscenda studiosius; quod, ut veteres dicebant, *non cujuslibet hominis est Corinthum ire*: ita non omnium est ad rempub. accedere. at omnium est regere familiam suam: neque ejus rei ratio sine certo ac praesenti damno ignorari potest. Atque id in privatis quidem hominibus dubitationem non habet: de regibus, ac potentibus viris aliud fortasse senserit aliquis. illi enim domesticam curam, tanquam magnitudine sua inferiorem, & humiliorem, solent aliis delegare ac committere: ipsi gravioribus curis, ac cogitationibus occupantur. sed tamen ut reges ipsi solent interdum depositio auro ac purpura ingredi privatorum domos, & curiose inspicere quid a quoque agatur: ita non est alienum majestatis ipsorum, scire ac cognoscere, quemadmodum tenuiores familiae administrentur. & recte dictum est a veteribus, *regum quoque ac satraparum propriam quandam oeconomiam esse*. Ac quanquam Aristoteles alicubi negat, reges ac tyrannos prodigos esse posse, quod immensam illam, & infinitam opum copiam largiendo, & faciendis sumptibus, superare non queant: notum tamen est, quosdam ex eis, immoderatis largitionibus, & temere profundenda pecunia, eo redactos esse, ut & fraudare creditores, & adversus dignitatem suam multa facere cogerentur. His certe usus aliquis praeceptorum oeconomiae profuisset. neque alienam esse hanc facultatem a regibus, judicabat Cicero, qui Dejotarum, non tantum ut tetrarcham nobilem, sed & ut optimum patremfamiliae, & diligentissimum agricolam, ac pecuarium laudat. Quodsi agricultura recte in oeconomices parte numeratur: non esse eam indignam regibus, declarat Xenophon, qui sub Cyri minoris persona, ostendit, nihil sibi videri tam regale, quam studium agri colendi. sed & pri-

Digitized by Google

priſcorum regum, Hieronis, Attali, Philometoris, Archelai, Jubae geoponicôn libri, qui ſaepe citantur a veteribus, non mediocriter eos hac oeconomices parte delectatos eſſe declarant. Ac certe ut qui duorum ſcalmorum navim gubernare neſciat, ridiculus ſit, ſi ſe ad quinque remos, aut alia majora navigia gubernanda idoneum profiteatur: ita qui gubernandae domus peritus non eſt, multo minus ad regendam civitatem, aut provinciam idoneus ſit, neceſſe eſt. Fatendum igitur eſt, oeconomices praecepta digna eſſe, in quibus cognoſcendis aliquid operae ac ſtudii collocetur.

Prodiderunt ea monumentis litterarum duo apud Graecos nobiliſſimi ſcriptores, Xenophon & Ariſtoteles. Xenophontis librum Cicero in Latinum ſermonem converterat: quae interpretatio ſi exſtaret, non in alio potius harum rerum auctore, noſtra hoc tempore exerceretur induſtria. Ariſtotelis librum unum hujus argumenti habemus, eumque decurtatum ac mutilum. nam qui duo ei praeterea tribuuntur, etſi contemnendi non ſunt, longe tamen abhorrent ab Ariſtoteleo diſputandi genere. quodſi veterum artificum ſtatuas quamlibet truncas, & mutilas, in pretio tamen eſſe, & ſtudioſe conquiri videmus: debemus & nos multo magis amare has qualeſcunque praeſtantium ingeniorum reliquias: &, ut qui famelici, & eſurientes ad coenam prope conſumptam veniunt, tanto iis quae ſuperſunt, avidius veſci. His igitur paucis diebus hoc fragmentum oeconomicorum Ariſtotelis interpretabimur: deinde cum primum licebit, inſtitutam politicorum interpretationem perſequemur.

Diſciplina] Prooemium eſt, quod tribus partibus continetur. Primum, quia magna eſt politices, & oeconomices ſimilitudo, docet, quid inter eas interſit. Recte enim monemur in primo Topicorum, quaerendum eſſe, quid interſit inter τὰ μὴ πολὺ λίαν διαφέροντα: & quid ſimile ſit inter τὰ πολὺ διαφέροντα. deinde tradit quiddam utriusque commune: quo ipſae a plerisque aliis differunt. Poſtremo cum domus ſit pars civitatis, oſtendit, prius de ratione gubernandae domus, quam de ratione tractandae reipub. diſſerendum.

Non ſolum tam differt] Adverſus ſententiam Socratis, qui apud Platonem in Rivalibus, & in Politico, & apud Xenophontem tertio commentariorum tradit, nihil inter po-

politicum regemve, & inter patremfamilias interesse, nisi quod illi pluribus imperant, hic paucioribus, omnemque esse civitatem nihil aliud, quam magnam domum, domum autem, parvam civitatem: quod & primo Politicorum refutatum esse meministis.

Ad unius imperium] Πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται ὑπὸ ἑνὸς πρεσβυτάτου, ait ipse in eodem libro. & alibi, μοναρχεῖται γὰρ πᾶς οἶκος. Itaque Lacedaemonius quidam Athenienſi, qui ſtatum popularem monarchiae anteponebat, *inſtituito igitur eum*, inquit, *domi tuae*. eſt igitur & hoc diſcrimen inter rempub. & privatam domum: non id tantum, quod Socrates dixerat.

Ac ſunt quidem] Haec prooemii ſecunda pars eſt, in qua docet, artem efficiendi aliquid, & artem eo ſcienter utendi, plerumque diſtingui: at oeconomicen, & politicen utriusque esse. Nam illa quidem familiam, haec vero civitatem, & a principio optime fundare, atque inſtituere: & inſtituta jam optime uti poteſt. esse autem plerumque aliam artem, quae quid parat & conficit, ab ea, quae confecto atque elaborato utitur, copioſe docet Plato in Euthydemo.

Ergo civitas quidem] Haec eſt tertia pars, in qua docet, prius tractandam esse oeconomicen, quam politicen; idque hoc modo: quae ortu priora ſunt, prius etiam tractari debent: oeconomice autem ortu prior eſt quam politice: priore igitur loco tractanda eſt. Aſſumptionem probat allata definitione civitatis: ex qua cognoſcitur, domum esse partem civitatis. partes autem ortu priores ſunt, quam totum. prior ergo eſt domus civitate. quare & artium ipſarum eadem inter ſe ratio eſt.

Civitas quidem] Definitio civitatis ducta ex materia, & ex fine. Paulo ſubtilius in politicis, ex multis domibus pagum, ſeu vicum conſtare ait; ex multis vicis civitatem. ἡ δ' ἐκ πλειόνων κωμῶν τελεία πόλις, ὡς ἤδη πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας.

Conſtat autem ita esse] Eum esse, quem dixit, finem civitatis, probat duobus argumentis, quorum prius eſt: etiam homines qui ad vitae ſocietatem convenerunt, ac congregati ſunt, diſtrahi ac diſſipari, cum ſatis magna earum rerum copia non ſuppetit, quae neceſſariae ſunt ad bene vivendum. Quo igitur ſublato diſſociantur, ejus cauſſa ſocietatem coiverant. Plenae autem ſunt

hiſto-

historiae talium exemplorum: cum populi, qui ad eam multitudinem excreverant, ut suus ager alere eos non posset, alio commigrarunt: aut cum partim eorum domi manssissent, alios aut in colonias, aut etiam ad quaerendas novas sedes dimiserunt.

Atque etiam] Alterum argumentum. πόλει ἡ φύσις, ait ipse primo Polit. opus & finis idem. πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὅμοια καὶ τῇ δυνάμει.

Ortu priorem] Natura prior civitas, sed φύσει prior domus. sic & octavo Ethicorum: τὸ φύσει ὕστερον, οἷον τὸν ἄνδρα τῷ φύσει, libro 1. majore τῶν μὴ τὸ φύσει. *Perfectum natura prius*. primo de caelo. & secundo οἷον ζῷόν τι τέλειον. ἔστι γὰρ τῶν φύσει τὸ τέλειον ἔχον, ἢ τῶν εἴδει. τὸ γὰρ ὕστερον τῇ γενέσει, τέλειον τῇ φύσει ἐστί, ἢ τρόπον τὸ τῇ φύσει, πολυτελῆ καὶ ἐπὶ πλεῖστον αὐξητὰ ἔστιν ἐπὶ τῇ λίθῳ, οἰκία τοιοῦτον τῶν οἰκιῶν. Sic τῶν ψυχῶν τὸ λογικὸν, postremum homini ὑπάρχειν. Sic hominem φύσει κατέστησε τῶν ζῴων, postremo loco creavit Deus. Itaque φύσει posterior est ceteris animalibus, φύσει prior.

Domus partes] Hinc incipit de re proposita disputare. Ac primum docet, quae sint partes domus. Deinde de illis pauca quaedam tradit. εἰς ὃ τέλος. Postremo de singulis accuratius, & διαιρετικῶς disserit.

Homo & res quae possidentur] Hominis nomine intelligit virum, & uxorem, & liberos. servi autem numerantur in iis, quae possidentur.

Natura c. r. p. in. part. sp.] Sic & in Politicis, ὁ τῆς οἰκονομικῆς πρῶτον ἐστὶν ἄνδρα καὶ γυναῖκα ζεῦξαι.

Primum aedes, &c.] Ita citat hunc versum etiam in politicis. Hesiodus tamen ancillam, non uxorem intellexerat. addit enim, κτῆσιν δ' ἐμπορίην, ἄνδρα δ' ἢ βοῦν ἀροτῆρα. id est, *Empta tamen, non nupta, boves quae pone sequatur*. Sed pene suspicor, hunc posteriorem versum, ἀδοκίμαστον esse, & παρεμβεβλῆσθαι: tum auctoritate Aristotelis adductus: tum quia cum superiore, si quis diligenter animadverterat, non satis belle cohaeret.

Debet igitur] Haec sunt illa, quae dixi, unum de uxore: alterum de ratione parandae rei: quam optimam maximeque naturae consentaneam, ait esse agriculturam.

Sed agriculturae] Cato: *ex agricolis & viri fortissimi*, &c. Vegetius lib. 1. *sequitur, utrum ex agris, an de*

de urbibus &c. Et paulo post: *Ex agris ergo supplendum robur* &c.

Ut a matre] Ἡάντα γὰρ τὰ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς καὶ τροφὴν τοῖς γεγονόσιν ἐκ αὐτῆς τῆς φύσεως φέρει. Demosth. in Epitaphio. Inde Ἀμφίπης, quasi γῆ μήτης. Ovid. 1. Metamorph. *Ossaque post tergum magnae jactate parentis*. Et responsum Tarquiniis, ac Bruto est, *Qui primus matrem osculatus esset, eum rerum potiturum*. Livius lib. 1.

A nobis alibi] Lib. 2. ἀλλ' ἀλλαχοῦ. Diotima apud Platonem in Symposio. Plato lib. 4. de legibus. Galenus principio lib. 14. de usu partium.

Nam quae parentes] Eo nomine maximo in honore ciconiam Aegyptios habuisse, tradit Aelianus histor. animal. lib. 10. cap. 16. & lib. 3. cap. 23. propterea quoque *pietatis cultrix* Petronio dicitur, & olim apud Romanos, *pia avis*, ut notat D. Ambros. lib. 5. hexaëmer. cap. 16. unde ἀντιπελαργῶν. vide de ciconia, & muliere Tarentina mirabilem historiam apud eundem Aelianum lib. 8. cap. 22.

Sic divinitus] Xenophon sub persona Ischomachi: ἐμοὶ γάρ τοι οἱ θεοὶ δοκοῦσι πολὺ ἀποπεμψάμενοι μάλιστα τὸ ζεύγος τοῦτο συνεπιδοῦναι ἡ πειθοῦσι ἢ ἄλλῳ, ἢ ἄλλῃ, ὅπως ὃν ἀφιλοτιμότατον ἦ αὐτῷ τὸ τῆς κοινωνίας. πρῶτον μὲν ἔφυ μὴ ἐκπληκτικὸν ζῶον ἡδονῆς. ἔπειτα ἔφυ γεωργικώτατος ἀναπαῦσαι ἑαυτόν. ἔτι δὲ, &c. ad operum varietatem.

Uxor quo genere duceuda, & quibus opibus. Non ignobili. ne pudori sit, & viro, & liberis. Nam, ut Euripides ait apud Plutarchum. lib. ἐκ πονηρῶν ἀγαθοί, qui tamen non videtur esse Plutarchi. *Ubi generis mala facta fundamenta sunt, Natos necesse est sorte non bona frui.* Idem ibid. *Quamvis ferox sit, servili tamen metu Premitur, patris qui novit, aut matris mala.* Non tamen, quae valde nobilitate superet virum. praeclare enim Juvenalis: *Malo Venusinam*, &c. Et elegans querela est Strepsiadae apud Aristophanem, quod duxisset τὴν Μεγακλέους, ἀγαθοῦ μὲν, ἐξ ἀστοῦ. Sed vide eum in principio φιλολ. Optimum est praeceptum Pittaci Mitylenaei, τὴν πρὸς γυναῖκα ἴσην. de quo extat Callimachi epigramma apud Laërtium in Pittaco. quod quia perelegans est, & lepidissimam historiam continet, placuit hoc loco appingere: Εἶπ' Ἀπολλοφάνης &c. Haec Callimachus: quo etiam alludit Plutarchus, ad finem, ὃ δεῖ πρῶτον ἐγγυᾶν·

iy-

ἐγγυᾶσθαι δὲ δεῖ τοῖς υἱοῖς γυναῖκας, μήτε εὐγενεστέρας πολλῷ, μήτε πλουσιωτέρας. τὸ γὰρ, τὴν κατὰ σαυτὸν ἕλα, σοφὸν, ὡς οἵ γε μακρῷ κρείττους ἑαυτῶν λαμβάνοντες, οὐ τῶν γυναικῶν ἄνδρες, τῶν δὲ προικῶν δοῦλοι λανθάνουσι γινόμενοι. Demaenetus apud Plautum in Asinaria: *Argentum accepi, dote imperium vendidi.* Megadorus in Aulularia. *Ego virtute Deum*, &c. Menander: Καὶ τοῦτον ἡμᾶς τὸν τρόπον γαμεῖν ἔδει &c. Dotata, an indotata. Antiquitus formosis mulieribus dotes a viris dari mos erat, unde & *alphesiboeae puellae*, de quibus Eustathius Odyss. o. Auctor Etymol. &c. Tacitus de moribus Germanorum: *Dotem non uxor marito* &c. Plato lib. 5. de legib. Γαμοῦντα δὲ, καὶ ἐκδιδόντα, μήτ' οὖν διδόναι, μήτε δίχεσθαι προῖκα τοπαράπαν μηδ' ἡντινοῦν. Sed tamen lib. 6. permittit dari, & accipi perparvam quandam pecuniolam. Apud quosdam populos formosae dotem accipiunt: sed quae in commmune confertur, ut sit unde deformes collocentur. Multa Megadorus apud Plautum in dotatas mulieres, quem vide omnino in Aulularia Sed & Euripid. hoc maxime utitur argumento ad mulieres vituperandas, quod ipsi parentes, ubi eas diu educarunt, ultro pecuniam dent, ut ab eis liberentur.

Qua forma. Βίας, aut, ut alii, Pittacus dicebat, εἰ καλὴν, κοινὴν, εἰ αἰσχρὰν, ποινὴν. Quo in loco male vulgo ποινὴν interpretantur *poenam*, cum *furiam* significet. Quare media quaedam forma probanda est, quam Phavorinus *uxoriam*, antiquiores *statam formam* dixerunt. Gellius lib. 5. cap. 11. *Ennius eas fere feminas esse incolumi pudicitia asseruit, quae stata forma forent.* Petronius Arbiter: *Raram facit misturam cum sapientia forma.* Martialis: *Lis est cum forma magna pudicitiae.* Nocuit Menelao nimis pulchra. Nocuit & Candauli. de quo vide Herodotum lib. 1.

Qua aetate. Hesiodus: Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι Μήτε, τριηκόντων ἐτέων μάλα πολλὰ ἀπολείπων, Μηδ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά. γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος. Ἡ δὲ γυνὴ τέτορ' ἡβώῃ, πέμπτῳ δὲ γαμοῖτο. Quos versus varie exponunt Jurisconsulti. Plato lib. 6. de legibus ad finem, constituit puellis, a sexto decimo, usque ad vicesimum: maribus a trigesimo, ad trigesimum quintum.

I. Aristoteles multa affert, cur huic rei diligenter providendum sit. Primum enim, si ita copulentur, ut alteruter eorum ineptus sit ad generandum, apto adhuc, & vigen-

gente altero, magna ſequentur incommoda. Oportet igitur virum tanto eſſe majorem natu, ut concurrant tempora. Feminae, ut citius generant, ita citius deſinunt.

II. Deinde, ne aut parentes, ſi ſero coeperint, dare operam liberis, neque educare eos poſſint usque ad florentem aetatem, neque meritam gratiam vicisſim ab eis recipere: aut, ſi nimis cito, minus honorentur ab eis jam adultis, διὰ τὸ πάμπαν τῆς ἡλικίας.

III. Tertio, ut corpora robuſtiora gignantur. ἰσχυρὰ autem juniorum ſunt ἁπλᾶ, καὶ θηλυτέρα μᾶλλον, καὶ μικρὸν πλὴν μορφῆς. quod ſtatim poſt exemplo docet.

IV. Adoleſcentulae difficilius pariunt, & ſaepius enecantur. idque oraculum Troezeniis redditum ſignificavit, cum eos monuit, ne mature ſemen in agros ſpargerent. de quo vide Victorium in commentar. ad eum locum.

V. Ipſi mares, ſi cito coëant, non creſcunt. Tacitus de Germanis: *Sera juvenum Venus* &c. Caeſar de iisdem lib. 6. *Qui diutiſſime impuberes* &c.

VI. Ad temperantiam mulierum plurimum confert. nam juvenculae cognitae intemperantiores evadunt. propterea virgines circa annum aetatis XVIII. nuptui (*) tradi debent, viri uxores ducere circa annum trigeſimum ſeptimum.

Ut haec adducta metu] τὸ πτηκτὸν viri, τὸ φυλακτικὸν mulieris.

Conſtantius tamen eſſe domi] Hoc ſignificabat teſtudo, Phidiacae Veneris pedibus ſuppoſita, ut Pauſanias tradit. Plutarchus & Herodotus auctores ſunt, Aegyptias mulieres calceos non tuliſſe, ut ſic videlicet, domi ſe continerent, non foris extra vagarentur. famam enim, non formam, mulieris notam eſſe oportet.

Primum igitur] Lex communis Pythagoreorum, propter quam & ab animalibus abſtinebant.

Cui ſunt externi concubitus] Jaſon apud Euripidem: Ἀλλ' εἰς τοσοῦτον ἦλθ' ἄρ' ἐξῳκισμένος Εὐνῆς γυναῖκας πάντ' ἔχων νομίζεται. Menelaus apud eundem Andromacha: Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα δαίπρ' ἂν πάσχοι γυνὴ, Ἀνδρὸς δ' ἀμορᾶσαι ἀμορεῖν βίου. Periniquum videtur eſſe, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipſe non exhibeat. l. *ſi vir uxor.* §. *Judex.* D. ad leg. Juliam de adulteriis.

De corporis ornatu ſit haec praeceptio] Euſtathius commentar. in Iliad. τ. teſtatur, apud Syracuſanos lege cautum fuiſſe, ne aurum, aut purpuram ferrent mulieres, niſi impudicitiam pro-

(*) Imo, *nuptum.* Vide Drakenborch. ad Liv. I. 49.

profeſſae: quod & apud Lacedaemonios valuiſſe, teſtatur Clemens Alexandrin. lib. 4. paedagogi. Cyprianus in epiſtola de habitu virginum: *Si quis pingendi artifex*, &c. D. Hieron. epiſt. ad Marcellam: *Illae Chriſtianos oculos ſcandalizant*, &c. vide & D. Auguſt. epiſt. 73. Plutarch. περὶ γαμου, παραγγέλμ.

Ut ſervos efficiamus bonos] Craſſus ceterarum rerum curam ſervis mandandam: ſervos ab ipſo domino curandos eſſe dicebat. Plutarchus in Craſſo.

Diſpenſator & operarius] *Diſpenſator* eſt ὑπέρετης, atrienſis, dioecetes. Neceſſe eſt, & parare, & alere eos. *Male agitur cum domino, quem villicus decet.* Cato.

Cum ſervis autem dominus ita verſetur] Cato: *familiae male ne ſit, ne algeat*, &c.

Quod autem vini potus] Servi a tribus rebus praecipue ſunt avertendi, a vino, a ſomno, a venere. Xenoph. Cato tamen amabat ſervos, qui plurimum dormirent.

Militiae Carthaginienſes] Videndus Plato ſub finem lib. 11. περὶ νόμων.

Si caſtigatio laborque deeſt] *Nihil agendo, homines male agere diſcunt.* Cato.

Alimentum, quia ſemper idem ſuggeritur, non eſſe medicamentum] Aſſueta enim non movent. Mart. *Effecit poto Mithridates ſaepe veneno*, &c.

Quod ajunt dolium perforatum] Xenophon in oeconomico: ἐκ ὀρθοῦ, ἔφην ἐγώ, εἰ εἰς τὸ πεπερασμένον πίθον ἀντλεῖν λειμώνιος ὢς οἰστρήσαντι, ὅτι μηκέτι πιθοῦ δεῖται. Simile illud eſt apud Plinium lib. 35. cap. 1. *Piger, qui appellatur ocnos, ſpartum torquens, quod aſellus arrodit.* Et Propert. lib. 4. *Dignior obliquo, funem qui torqueat Ocno, Aeternusque tuam paſcat aſelle famem.* De quo etiam vide Plutarch. περὶ ἀδηφαγίας.

Athenienſes enim vendentes emunt] Ita facere ſolitum Periclem, narrat Plutarch. in ipſius vita.

Perſes quidam, quodque Libys reſpondiſſe dicitur] Xenoph. in oeconomico Barbarum dicit: καλῶς δὲ μοι δοκεῖ ἔχειν ὅφη, ὁ Ἰσχόμαχε, τῷ ὦ βαρβάρῳ λειμωνίῳ λιπόψυχος μὲν ἐστι βασιλεὺς ἔφη ἄπειρος ἀνιπνοῦ ἀγαθοῦ παχύνας αὐτὸν ὡς τάχιστα βυλόμενος.

Domini prius expergiſci, quam ſervi] Recte Homer. οὐ χρὴ παννύχιον βυλὴν ἔμεναι καταΐδδειν. At Cato de villico ait: *primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitum eat.*

Quae recondideris, inviſenda] Nam *Illa minus furem moturus, quae ſaepe videntur.*

Domus ita ſtatuenda, ut aeſtate ſalubres ventos] Vide, quae docuimus lib. 14. var. lect. cap. 14.

ARI-

ARISTOTELIS TOPICORUM

LIBER SEPTIMUS,

ET IN EUNDEM

ALEXANDRI APHRODISIENSIS

COMMENTARIUS,

M. A. MURETO

INTERPRETE.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. A. MURETUS

L. MEMMIO FREMIOTO,

PATRICIO DIVIONENSI, S.

Quibus ex cautis quaeque res effecta est, Luci Memmi, earum interitu ac commutatione ipsam quoque labefactari ac concidere necesse est. Quare mirandum non est, si quas amicitias vulgaris aliqua ac levis caussa conjunxit, eas nutare ad omnem, ut dicitur, ventulum, tandemque ad nihilum recidere videamus. Me vero non fluxa aliqua res, & vicissitudini obnoxia conjunxit tibi: sed cum eximia quaedam ingenii naturaeque tuae bonitas magnam in animo meo tui admirationem excitasset, ea deinde inter nos amicitiae fundamenta constituta sunt, quae quia aeternas planeque divinas radices habent: falluntur, si qui conjunctionem hanc nostram aut locorum intervallis, aut temporum, aut ulla vi semper saevientis in optimos quosque fortunae dissolvi posse arbitrantur. Equidem cum praesentem te nunquam

non visus sim admirabili quodam, omninoque immenso amore complecti, ex quo tamen flagitiosa illa nos quorundam conjuratio distraxit, ita eum in dies augeri sentio, ut pene jam a magistro meo Aristotele dissentiam, credamque, etiam ad ea, infinita quae sunt, aliquam fieri posse accessionem. Cujus rei, non tibi, cui hoc certissimum est, sed ceteris omnibus indicium velo esse, quod cum Alexandri Aphrodisiensis (si verus est index) librum animi causa, e Graeco interpretatus, etiam in publicum edere statuissem, neminem habui, cui eum potius dicatum vellem, quam tibi. Vale. Venetiis, Cal. Juliis. MDLIV.

ARI-

ARISTOTELIS TOPICORUM

LIBER SEPTIMUS,

ET IN EUNDEM

ALEXANDRI APHRODISIENSIS

COMMENTARIUS,

M. A. MURETO

INTERPRETE.

Jam vero quaestionum, in quibus idem, an aliud sit, quaeritur, explicanda tractatio. Cum autem variae a nobis propositae sint ejusdem acceptiones, ea nunc utemur, quae ex omnibus maxime propria est.

Cum dixerit in primo Topicorum, definitioni adjuncta esse ea quoque problemata, in quibus, propositis duobus, idemne sit unum cum altero, an vero aliud, quaeritur, eodemque loco ejus rei causam indicarit, recte atque ordine, problematis ad definitionem spectantibus, de quibus proximo superiore libro explicatum est, annectit ea, in quibus de eodem atque alio quaeritur: locosque tum ad destruendum, tum ad astruendum apros hoc septimo libro tradit: ita ut loci qui de eodem sunt, eos qui sunt de definitionibus, proxime subsequantur. Hi autem loci de eodem utiles sunt ad tractandas quaestiones de rei alicujus definitione institutas: quibus enim locis hoc cum illo idem esse ostendimus, iisdem ostendere possumus, propositam aliquam finitionem idem esse cum eo quod definitur: contraque quibus locis ostendimus hoc ab illo aliud esse, iisdem ostendi licet aliud esse definitionem quampiam, & aliud id, quod definiendum proponebatur.

Dicebamus autem maxime proprie idem esse id, quod numero unum est. Primum igitur considerari hoc potest, ex casibus, ex conjugatis, ex contrariis. Nam si justitia

& fortitudo eadem est: justus etiam & fortis: justeque & fortiter, eadem erunt. Similis quoque contrariorum ratio est. Nam si haec eadem sunt, & quae iis adversantur, eadem erunt: quodcunque eorum quae diximus contrariorum genus accipias. Si enim utrumque idem est, nihil sane interierit, id quod huic, an id quod illi contrarium est, sumpseris.

Quia idem aliud cum alio variis modis dici potest, iccirco admonet, de eo quod maxime proprie idem dicitur, totam hanc disputationem fore. Porro maxime propria ejusdem acceptio est, quia aliquid unum & idem numero esse indicavit. Ubi enim aliter hoc vocabulo utimur, fere aliquid adjicere solemus, ita ut ea de quibus agitur, dicamus eadem esse genere, aut specie: hic vero sine illa adjectione, Idem, dicimus: ac ne illud quidem, numero, addere consuevimus. Praeterea, si qua eadem numero sint, ea tum genere, tum specie eadem esse consequitur: at eorum modorum alterutro eadem esse possunt, quae tamen numero eadem non sint. Quamvis igitur idem multis modis dici potest, tamen hoc loco de iis demum quae numero eadem sunt, verba facturus est: nam & definitio cum eo quod definitur idem esse hoc modo dicitur: numero videlicet, non aut genere, aut specie idem. Et vero eorum omnium quae de eodem traduntur, haec tantum pars ad definitionem attinere censenda est, nempe in qua de iis agitur, quae quandam cum ipsis definitionibus communitatem habent. Nam sitne aliquid cum alio, idem genere, ex ipsis qui ad genus referuntur, locis disputari potest. Quibus enim locis hoc sub uno, illud sub alio genere contineri ostenditur: iisdem etiam patefit, ea genere a se invicem disidere. Si quidem ita demum genere eadem esse dicentur, si unum aliquod genus ostensum fuerit, cujus ambitu eorum utrumque comprehendatur: quod & ipse primo horum librorum tradidit. Quodsi specialia problemata, ut ea etiam, quibus differentia exquiritur, sub generalibus continentur, facile ex his, qui ad generis tractationem traditi sunt, locis, tota eorum quae specie eadem sunt, ratio intelligetur. Apte igitur & convenienter, de iis, quae numero eadem sunt, hoc loco disputationem instituit. Ac primus quidem locus qui ab eo proponitur, hic est: ex casibus, ex conjugatis, ex contrariis idem numero

mero vel aſtrui poſſe, vel deſtrui. Etenim quod ad hanc de eodem & diverſo quaeſtionem attinet, quae duorum invicem collatorum ratio eſt, eadem in omnibus ipſorum & caſibus & conjugatis valet. Sed & ſi qua eadem ſint, eadem etiam eſſe oportet ea, quae ſunt illis contraria (*) Sin diverſa ipſa ſint, diverſa quoque contraria erunt: idque in quolibet genere contrariorum.

Item ex iis, quae efficiendi, & ex iis quae interimendi vim habent, adeoque ex ipſis tum procreationibus, tum interitibus: omninoque, ex iis quae ad eorum alterutrum ſimilem rationem habent. Nam quaecunque proprie eadem ſunt: eorum & procreationes & interitus iidem: & eadem quoque, tum quae efficiendi, tum quae interimendi vim habent.

Item, inquit, ex iis quae efficiendi, & ex iis quae interimendi vim habent. Nam quaecunque proprie eadem ſunt, eorum & procreationes & interitus iidem. Ut ſi homo, & mortalis idem, utriusque etiam eadem procreatio, idemque interitus. Procreatio quidem ex ſemine, ſanguineque menſtruo. Interitus autem ſeparatio animae a corpore. Item ſi ſanitas cum morbo idem eſt, eadem quoque erit eorum procreatio. At id quidem ſecus ſeſe habet. Sanitatis enim efficientia ſunt ſalubres epulae, victusque moderatus: morbi vero ea quae his adverſantur. Similiterque ſi eadem ipſa ſint, interitus quoque eis ab iisdem rebus afferetur. Non autem idem eſt interitus, & id quod interimendi vim habet. Interitus enim ſanitatis eſt morbus. Quae autem ipſius velut interimendae vim habent, ſunt, ut cibus, ut prava victus ratio.

Videndum etiam, ſi unum eorum, quae eadem eſſe dicuntur, ſummum aliqua in re gradum obtineat, num & iterum quoque ſummum eadem in re gradum obtinere dicatur. quomodo Xenocrates vitam beatam & eam quae ex virtute degitur, eandem eſſe demonſtrat: quod videlicet & ea maxime expetenda vita ſit, quae cum virtute conjuncta, & ea quae beata eſt. Unum enim eſt ultimum ac maximum rerum omnium expetendarum. Eadem ceterarum quoque conſimilium ratio eſt. Verum enimvero oportet utrumque eorum quae maxima, quaeve ſumme ex-

pe-

(*) *Contraria* cum Ciceröne appello, quae barbari *oppoſita*.

petenda dicuntur, unum numero aliquid esse. Alioqui, hac ratione argumenti, eadem esse ipsa inter se non consequetur. Neque enim necessario efficitur, si & Peloponnesii & Lacedaemonii Graecorum fortissimi sunt, ut iidem sint inter se Peloponnesii & Lacedaemonii. Nam neque Peloponnesii, neque Lacedaemonii nomine, certus aliquis homo, & unus numero indicatur. At illud certe necessarium est, in altero alterum contineri: sicut & Lacedaemonii in Peloponnesiis continentur. Nisi enim alteri in alteris continerentur, utrosque se invicem fortiores esse oporteret. Etenim si neutri continentur in alteris, Peloponnesios, cum ceteris omnibus fortiores sint, Lacedaemoniis quoque fortiores esse oportet. Sed & Lacedaemonios Peloponnesiis: quippe cum eos quoque positum sit ceteris esse omnibus fortiores. Itaque utrique alteris fortiores erunt. Perspicuum igitur est, unum numero esse oportere id, quod optimum ac maximum dicitur, si quis ex eo, ut idem quoque sit, efficere meditetur. Quocirca non recte concludit Xenocrates: neque enim una numero est beata vita, & ea quae ex virtute degitur. Ideoque non, si utraque summe expetenda est, ex eo eadem quoque esse consequitur, sed tantum alteram sub altera contineri.

Praeterea quae eadem in re ceteris omnibus antecellere dicuntur, ut quod optimum est, quodque maximum, & cetera ejusmodi, si eadem sunt, omnino unum numero sint oportet. Nisi enim unum numero sint, eadem non sunt: necessariumque est eorum alterum sub altero contineri. Alioqui utrumque altero eadem in re superius erit. Oportet igitur in iis, de quibus, utrum eadem inter se sint, quaeritur, inspicere, si eorum unum aliqua in re cetera omnia superet, num alterum quoque eadem in re cetera omnia superare dicatur. Verbi gratia, si unum omnium maximum est, sitne alterum quoque omnium itidem maximum. Et si unum maximum, maximeque expetendum rerum omnium est, sitne alterum quoque rerum omnium maximum, maximeque expetendum. Neque enim, si hoc quidem maxime expetendum fuerit, in eoque cetera omnia superet, illud autem maximum, atque in eo superet cetera omnia, iccirco eadem erunt: sed ita demum, si utraque eadem in re ceteris omnibus superiora sint. Etenim necesse est, quae eadem in re ceteris omnibus antecellant, ea inter se eadem numero esse

Digitized by Google

se. Unum enim est, quod una eademque re ceteris omnibus praestat. Atque hoc ita verum est, si eorum utroque aliquid unum & idem numero, non autem si compositum ex pluribus quippiam, confusumque indicetur, ita videlicet ut unum eorum, quae sub comparationem cadunt, alterius ambitu comprehendatur Itaque ostendens, cujus modi esse debeant ea, quae in comparationem deducuntur, ait, utroque eorum de quibus, an eadem sint, quaeritur, unum aliquid numero, non autem compositum ex pluribus significari oportere, si quis ex hoc, quem modo diximus, loco argumentationem conformare meditetur. Nam si eorum, quorum utrumque aut magnitudine, aut alia re aliqua ceteris antecellere omnibus dicitur, utrumque etiam unum aliquid numero sit, satis id magno argumento est, ipsa inter se quoque eadem esse. Sin eorum utrumque non sit unum aliquid numero, tum profecto ex eo non consequetur, eandem esse utriusque naturam, quippe fieri potest, ut in eorum uno contineatur alterum. Non enim eosdem esse Lacedaemonios & Peloponnesios ex eo necessario efficitur, quod eorum utrique inter Graecos primas fortitudinis partes tenere dicuntur: neque enim unus aliquis numero, Lacedaemonii & Peloponnesii nomine indicatur: imo vero Peloponnesiorum appellatione etiam Lacedaemonii continentur. Ea igitur de caussa addidit oportere, ut ea utraque quibus rei alicujus exuperantia tribuitur, unum quippiam significent: nam ita demum erunt eadem numero, si tum re aliqua ceteris omnibus praestare dicantur. Exempli caussa, quamvis Peloponnesios & Lacedaemonios non eosdem esse, nisi quatenus alii in aliis continentur, & tamen utrosque Graecorum fortissimos esse dicamus, nulla tamen ex eo consequitur absurditas: qui enim Peloponnesios fortissimos esse dicit, Lacedaemonios quoque complectitur, neque ita eis in hoc genere palmam tribuit, ut eos etiam Lacedaemoniis anteponat: quippe qui ipsi quoque sunt e Peloponnesiis. Quodnisi alteri in alteris contineantur, in eam incidemus absurditatem, ut alteros alteris & praestantiores & deteriores esse dicamus.

Videndum quoque, si eorum unum cum aliquo idem sit, num & alterum. Si enim ambo cum eodem eadem non sunt, constat, ea inter se quidem eadem esse.

Ut si quis dicat virum, mortalemque idem esse, &

unum

unum numero. Nam si seorsum uterque idem est cum homine, inter se quoque eadem erunt: sin minus, ne invicem quidem.

Praeterea ex iis quae in ipsorum natura haerere, & ex iis in quibus haec ipsa haerere possunt, eademne sint, pervideri potest. Si quidem quae in uno haerere possunt, ea ut in altero quoque haereant, & si eorum unum in aliquo haerere potest, ut alterum quoque in eodem possit, necesse est. Sin horum in aliquo dissideant, eadem non esse constat.

Si enim homo & mortalis idem, illud consequens est, ut quaecunque uni usuvenire possunt, possint alteri quoque. Usuvenire autem homini potest, ut grammaticus sit, ut candidus. In mortali igitur haec quoque inesse possunt. Contraque, inquit, in quibus eorum unum haerere potest, in iis alterum quoque haerere posse oportet. Haeret autem hominis, mortalisque natura in Socrate, in Platone, coterisque singulis hominibus. Quocirca homo & mortalis idem & unum numero sunt. Quodsi horum in aliquo dissideant, liquido constabit, eadem non esse de quibus agitur.

Illud quoque videndum, ad idemne genus, eandemque categoriam pertineant, an minus: sed hoc quidem, quale, illud vero, quantum, significet, aut sit ex iis quae referuntur ad aliud.

Si enim diceret quispiam scientiam, virtutemque idem esse, videndum erit, ad eandemne categoriam eorum utrumque referatur. Si enim non ita sit, sed unum quidem ad quantitatem, alterum ad qualitatem, relationemve aut aliquod aliud pertineat, ne inter se quidem eadem fuerint. ut, verbi gratia, numerus & scientia idem non sunt, quoniam hoc sub uno, illud sub alio genere continetur.

Praeterea num idem utriusque genus non sit, sed unius bonum, alterius malum: aut unius virtus, alterius scientia.

Locus hic videri posset cum priore idem esse: neque tamen ita est. Prius enim de categoria tantum, id est, de primo summoque genere inquirebat: hic autem de genere propinquo, ac, ut ita dixerim, continenti. Nam & si duo aliqua in eadem categoria sint, propinquum tamen genus idem non habeant, eadem ideirco inter se numero non erunt. Sit enim eorum utrumque qualitas:

at vero hoc virtus, illud vitium, aut hoc virtus; illud scientia: diversa esse liquido constat.

Aut num genus quidem utriusque idem, sed non eaedem differentiae: ut si utrumque scientia sit, sed unum ex iis, quae contemplatione, alterum ex iis quae actione cernuntur. Itidemque in aliis.

Etiamsi genus idem sit, differentiae tamen, quae speciem constituunt, eaedem non sint, constat, ea de quibus agitur, eadem invicem non esse. Itaque eadem non est scientia quae contemplatione, & ea quae actione cernitur. Nam etsi commune utriusque genus scientia est, iis tamen ipsis, quas diximus, differentiis separantur.

Praeterea ex accessione. si alterum quidem accessionem capit, alterum vero non capit.

Hac ratione ostenditur, non idem esse continentiam, & temperantiam: nam continentia & accessionem & decessionem capit: temperantia non item.

Aut si cum utrumque capiat accessionem, crescere tamen alterum non crescente altero possit. Quemadmodum, non ut quisque amat vehementius, ita majore commiscendi corporis desiderio ducitur. Non igitur idem est amor, & commiscendi corporis cupiditas. Praeterea ex additione; ut si eodem utrique addito, id totum quod efficitur, idem non est. Aut si, cum idem ab utroque sustuleris, quod supersit, idem non est. Ut si quis duplum dimidii, & multiplum dimidii idem esse diceret. Ita enim, sublato utrinque dimidio, reliqua idem valere oporteret. At non ita est. Neque enim duplum & multiplum idem valent. Considerandum autem est, non tantum ex eo ipso, quod ponitur, verum etiam ex iis, quae eo posito consequentur, absurdumne aliquid consequatur: ut iis usuvenit qui vacuum & id quod aëris plenum est, idem esse definiunt. Certum enim est, si aër quoque ipse excesserit, nihilo minus, imo magis etiam vacuum locum fore. Atqui non erit tunc aëris plenus. Itaque posito aliquo, seu falso, seu vero, (nihil enim interest) si duorum alterum interimi, altero non interempto, potest, eadem inter se ea non esse perspicuum est.

Considerandum autem est] Locus hic ex hypothesi educitur (*) (id est, ex ficta quadam concessione, qua in-

(*) Quae parenthesi inclusa sunt, perspicuitatis causa, ne quem Graeca vox perturbaret, fecimus.

interdum ponuntur, ut certa, ea quae controversa sunt, ut perspici possit, quid eis positis consequatur.) Putat enim animadvertendum esse, non tantum, positis iis de quibus agitur, statimne perspicua ex eis nascatur absurditas (ut si quis effusionem, & liberalitatem idem esse posuerit, statim consequetur id, quod absurdissimum est, idem esse virtutem, & vitium. Ea vero quae sunt ejusmodi, ut si quis ipsa eadem esse posuerit, statim absurdum aliquid consequatur, constat diversa esse) non tantum igitur ex iis de quibus ambigitur, verum etiam si quid praeterea ponatur, seu verum, seu falsum, sed quod fieri queat, seu quod non queat (multa enim, quae revera esse non possunt, ex hypothesi tamen nonnunquam recipi nihil vetat) (*) num ex eo quoque ipso, aliquid, quod esse non possit, consequatur. Tunc enim eadem non erunt ea de quibus agitur. In illis autem verbis (verum etiam ex iis, quae eo posito, consequentur, absurdine aliquid consequatur) absurdum vocat id, quod fieri non potest. Nam si ponamus hoc, vacuum & plenum aëris idem esse, si postea fingamus aërem e loco in quo erat, excedere, jam necessario consequetur, idem esse non posse vacuum & aëris plenum. Si quidem amoto, ex hypothesi, aëre, vacuus locus remanet: plenus aëris non remanet.

Atque, ut universe ac generatim loquamur, videndum, nuncubi varient ea, quae quomodocunque de utroque dicuntur, vel ea, de quibus haec ipsa dicuntur. Quaecunque enim de uno dicuntur, ea de altero quoque dici; & de quibus unum dicitur, de iis etiam alterum dici oportet.

Videtur & hic locus idem esse cum iis duobus, qui proxime antecesserunt, ab adjunctis: neque tamen penitus idem est, imo vero latius patet: quippe qui ducatur ex iis omnibus quae quomodocunque insunt in eis, de quibus agitur, non ex iis tantum, quae eis accidunt. Non enim quicquid in re quapiam est, id ei accidere putandum est. Ait igitur, videnda esse omnia, in quibus, non tantum fortuito, sed etiam quomodocunque insunt ea, quae in quaestione versantur. Si enim aut non eadem sint ea omnia, quae in ipsis insunt, aut ipsa utraque non eodem

(*) Textus in Graeco depravatus.

eodem penitus modo insint in iisdem, sequitur ut eadem non sint. Nam quae proprie eadem sunt, nullo a se invicem modo discrepare oportet.

Praeterea, cum idem multis modis dicatur, videndum est, num quo alio modo sint eadem. neque enim, si qua vel specie, vel genere sint eadem, ut etiam numero eadem sint, necesse est. inspiciemus igitur ecquid hoc modo eadem sint, an minus: tum positne alterum sine altero esse: neque enim idem fuerint. Atque hi quidem sunt, qui ad quaestiones de eodem referuntur, loci. Ex iis autem quae diximus constat, eos omnes locos, quibus idem non esse ostenditur, evertendis quoque definitionibus utiles esse, ut & antea admonuimus. Nisi enim quod nomine, idem etiam oratione indicetur, eam finitionem non esse constat. Eorum autem quibus idem esse ostenditur, nullus omnino utilis est ad confirmandam definitionem. Neque satis est ostendere, idem nomine aliquo, & proposita oratione indicari, ut definitionem esse concludas: imo, ut definitio sit, ea omnia praeterea habeat oportet, quae praecepta sunt.

Quia tribus modis idem dicitur, ut in superioribus dixit, admonet nunc, quae alio quopiam modo eadem sunt, non numero quoque eadem esse. cujus praecepti hic sensus est. Si qua sint proximo genere eadem, specie autem a se invicem differant: ea, cum specie differant, ut numero eadem sint, fieri non potest. Rursum quae specie proxima eadem sunt, numero a se invicem differunt. Quocirca principio admonuit, maxime proprie idem dici, quod numero idem esset. Videntur enim quae numero eadem sunt, & specie, & genere eadem esse. Ideoque in quibusdam nihil prohibere videbitur, quin, cum & genere & specie sint eadem, eadem sint numero quoque. Quare cum quis nonnulla interrogatus eadem esse dixerit, eam responsionem infirmare qui volet, primum ostendere debebit, esse quidem eadem, sed alio quodam modo, non eo de quo instituta quaestio est: quodsi postea ostenderit, eorum unum sine altero esse posse, jam eadem non esse constabit. Ex iis autem (inquit) quae diximus, constat, eos omnes locos, quibus idem non esse ostenditur, evertendis quoque finitionibus utiles esse. Quibuscunque enim modis idem non esse ostenditur, iis etiam omnibus definitio everti potest. Nisi enim

Digitized by Google

enim quod nomine, idem oratione indicetur, definitio non est. Neque tamen loci, quibus idem esse ostenditur, etiam ad confirmandam finitionem valent. neque enim, ut definitio sit, satis est, si idem indicet, imo ipsam rei naturam explicari oportet: quod non statim praestat, quisquis aliquid affert, quod idem sit cum eo de quo agitur. Oportet enim & rei genus adferri, & differentias, quibus a ceteris, quae sub eodem genere sunt, seperetur: & perspicuam esse finitionem, & ex prioribus ductam, & denique conformatam ad ea omnia, quae supra de finitione praecepimus.

Hoc igitur modo, & ex iis locis aggredi ad evertendas finitiones oportet. Quodsi finitionem aliquam confirmare voluerimus, primum quidem illud intelligendum est, aut neminem, aut certe paucos admodum in disputando facere, ut a se allatam finitionem syllogismo comprobent. quin omnes quicquid ejusmodi est, quasi principium quoddam accipiunt; ut geometrae, ut arithmetici, ceterique mathematici. Deinde, alterius cujusdam facultatis & instituti esse, tum quid definitio sit, accurate tradere, tum aperire quae sit ratio finiendi. Nunc autem, quantum ad hanc disputationem attinet, tantum dixisse satis erit, definitionem videlicet, eamque orationem qua rei natura explicatur, syllogismo posse concludi. Si enim finitio est oratio, qua, quid sit res, indicatur; eaque sola, quae in definitione ponuntur ad quaestionem, qua quid sit res quaeritur, de re proposita dici oportet: neque quicquam praeter genera & differentias, ad explicandam ejusmodi quaestionem valet: liquido constat, si quis ea sumat, quae sola ad quaestionem, quid est, responderi oportet, orationem quae ex iis effecta fuerit, necessaria definitionem fore. Neque enim alia esse potest definitio: cum, si quid ea res sit, quaeratur, aliud nihil responderi queat. Definitionem igitur syllogismo probari posse constat. Ex quibus autem ejusmodi syllogismum construere oporteat, aliis locis accuratius explicatum est. Iidem autem loci ad eam, quae nobis hoc tempore proposita est, rationem sunt utiles. Nam & adversa, & alio quolibet modo contraria inspicienda sunt, & iis qui totas definitiones, & iis qui partes aliquas earum considerant. Si enim contraria contrariae, & haec, quae allata est, ut rei propositae definitio sit, necesse est.

Hoc

Hoc igitur modo, & ex iis locis] Eos locos intelligit, quos & proximo superiore libro, ad evertendam definitionem utiles tradidit, & quos hoc ipso libro, utiles ad probandum eadem non esse quae proponuntur. Deinceps autem locos quosdam tradit, quibus definitiones confirmari queant: inprimisque nos admonet, solere eos, qui definiunt, definitionem accipere, quasi principium quoddam, quod demonstrari non possit: neque vero ei confirmandae aut demonstrationem adhibere, aut syllogismum: quibus verbis illud statuit, neque facile esse demonstratione confirmare finitionem, neque necessarium. Nam & geometrae, & qui in aliarum scientiarum tractatione versantur, definitionibus suis, ut principiis quibusdam utuntur, neque ad eas demonstrationem adhibent. Secundo admonet, accuratam finitionum tractationem non ad dialecticen, sed ad primam illam supremamque philosophiam pertinere: quare dicendum id tantum, definitionem videlicet, eamque orationem qua rei natura explicatur, syllogismo concludi, id est, quod ipsa finitio sit, syllogismo confirmari ac patefieri posse, etsi secundo libro posteriorum analyticorum traditum est demonstrari finitionem nequire. At nimirum id nos quoque dicimus, si ad veritatem accurate haec omnia exigantur, demonstrari eam non posse: ut inibi quoque ipse patefecit. dialectice tamen & probabiliter syllogismo posse concludi, ut hoc loco dicitur. Quo autem id modo fieri possit, statim explicat, his verbis: Si enim finitio est oratio, quae, id quod definitur, indicat, quid sit: ob idque oportet ea demum quae in definitione ponuntur, ad quaestionem quid est, de re proposita dici: genus autem & differentiae ad eam quaestionem explicandam valent, (differentiae enim etsi qualitatem potius indicant, qua rei natura constituitur, in finitionibus tamen quid ipsa res sit, ostendunt) liquido constat, si quis ex genere & differentiis rei naturam indicantibus orationem composuerit, ab eo definitionem esse confectam. neque enim alia esse potest definitio, quandoquidem neque genus aliud est, neque aliae, quae rei naturam indicent, differentiae. Deinde addit, Definitionem igitur syllogismo (dialectico videlicet, non autem demonstratione) probari posse constat. qua de re, aliis locis, accuratius ex-

plicatum est. (nempe in secundo posteriorum analyticorum, & in septimo de prima philosophia. Iidem autem loci ad eam, quae nobis hoc tempore proposita est, rationem sunt utiles.) Eosdem locos, ad confirmandas ratione quadam dialectica finitiones, utiles esse ait: nempe eos ipsos, quos supra ad evertendas finitiones tradit. Cum enim proximo superiore libro, evertendis definitionibus locos tradiderit, a contrariis, a conjugatis, aliosque, quorum nunc quoque meminit, illi ipsi loci utiles sunt iis, qui talia problemata confirmare meditantur. Nam & adjunctum, & genus, & proprium, argumento ex adversis ducto confirmari potest. Si quidem adversorum & adjuncta sibi invicem adversantur, & genera, & proprietates: itaque cum unum in uno probatum fuerit, contrarium in contrario probatum intelligetur: eademque tum conjugatorum, tum aliorum, quos enumerat, ratio est. Etenim nullum est problematis genus, quod non locis communibus, a contrariis, a casibus, a conjugatis, aliisque, quos ipse enumerando persequitur, & confirmari, & infirmari queat.

Quando autem eorum quae sibi invicem adversantur, plures sunt complexiones, ea demum adversae rei sumenda definitio erit, in qua maxime repugnantia elucebit. Atque haec de ratione considerandi totas finitiones a nobis dicta sint: nunc quomodo singulas earum partes considerare oporteat, explicemus. Primum igitur, genus recte positum esse ostendemus: si enim rei, quae adversatur ei de qua disserimus, genus quoque adversatur generi a nobis posito, neque sub eo ipso genere res proposita continetur, necessario continebitur in eo quod a nobis allatum est, nempe in adverso. Necesse enim est, ea quae sibi invicem adversantur, aut uno eodemque genere, aut generibus ipsis quoque sibi invicem adversantibus contineri. Differentias autem repugnantes de repugnantibus dici arbitramur, ut de albo, & nigro: illud enim videndi sensum disjpat, hoc colligit. Itaque si de eo quod rei propositae adversatur, differentiae iis quas ipsi attulimus, repugnantes enuncientur, has quoque constabit recte de re proposita enunciari. Quocirca si & genus recte positum est, & eae differentiae additae, quas oportuit, dici nihil potest, cur non tota definitio recte constituta sit.

Quan-

Quando autem eorum] Oportet enim, inquit, syllogismum qui confirmandae finitioni adhibetur, ex notioribus ducere. Totam igitur finitionem hoc modo ex contrariis confirmari oportet. Deinceps autem docet, quomodo unaquaeque pars definitionis confirmari queat. Ac si quidem adversorum utrumque per adversa definiatur, eam definitionem sumendam esse ait, in qua maxime repugnantia elucebit. Exempli causa, sit utilis definitio, id quod est efficiens boni: noxii autem id quod efficiens mali, aut id quod habet vim tollendi, quasique interimendi boni. Ex his duabus definitionibus ea sumenda est, quae cum definitione ejus quod utile est, apertissime pugnat. Rursumque amicitia, boni efficiens, odium mali, aut ejus quod bonum non est. Sumenda hic quoque erit ea in qua major pugna perspicitur. His traditis docet, quomodo per partes definitio confirmanda sit: cumque finitionis partes sint genus & differentia, primo de ratione confirmandi generis disserit. atque inprimis ait cognosci posse, an recte traditum sit genus, ex eo quod rei propositae adversatur. Si enim res, quae adversatur ei, de qua disserimus, in eo genere continetur, quod adversatur generi a nobis allato: neque potest id, de quo agitur, sub illo ipso genere contineri, sub quo adversum continetur, manifesto constat, id verum genus esse quod a nobis allatum est. Docuimus enim, ea quae sibi invicem adversantur, aut uno eodemque genere, aut generibus ipsis quoque sibi invicem adversantibus contineri. Exempli gratia, assumpserit aliquis virtutem, tanquam genus, in definienda justitia. Dicendum est, recte acceptum genus fuisse. Nam cum injustitia, quae justitiae adversatur, contineatur sub vitio, quod adversatur virtuti, neque possit justitia ejus ipsius generis, nempe vitii ambitu comprehendi, constat nimirum, eam sub adverso genere, nempe sub virtute contineri. Adversa enim aut sub eodem genere sunt, ut candidum & nigrum sub colore: aut sub adversis generibus, ut justitia sub virtute, injustitia sub vitio. Illud non adjecit, aut ipsa quoque adversa genera esse, ut in categoriis dixerat: quia ne utile est id quidem ad disputationem institutam. Neque enim quaeritur, utrum id quo de agitur, sit genus, sed sub quo genere sit. De differentiis quoque, inquit, ex

adverſis judicare poterimus. Nam ſi de eo, quod rei definitae adverſatur, differentiae quoque iis, quas ipſi attulimus, adverſantes enunciantur, conſequens eſt, recte etiam eas, quae a nobis allatae ſunt, de re propoſita enunciari. Ut ſi haec juſtitiae finitio tradita ſit, habitus tribuens cuique id quod aequum eſt: videre oportet, num rei quoque adverſae, nempe injuſtitiae differentia huic adverſa conveniat, nempe ſitne injuſtitia ea, quae plus minusve quam aequum eſt, tribuit: quo probato illud quoque ſuperius probatum intelligitur. Sed huic praecepto adfert argumentationem contrariam, hoc modo:

An vero neceſſarium non eſt, de adverſis adverſas differentias enunciari? Ita eſt: niſi adverſa ſub eodem genere includantur. Sed quorum genera ipſa adverſa ſunt, nihil prohibet de eis utrisque eandem differentiam dici: ut de juſtitia, & injuſtitia. Nam illa quidem virtus, haec autem vitium animi eſt. quare differentia illa, nempe animi, utrique convenit. Si quidem corporis quoque & virtus, & vitium aliquod eſt.

An vero, inquit, neceſſarium] Eorum enim quae ſub eodem genere ſunt, neceſſe eſt adverſas eſſe differentias, aut omnes, aut certe aliquas. omnes, ut in gravi, & levi. Genus enim eſt, corpus. differentiae autem, gravis quidem, craſſum denſumque, & in partem inferiorem ferri: levis autem, tenue, & ferri in partem ſuperiorem. Aliquas vero, ut ſi dicamus, grave, naturaliter deorſum ferri: leve autem, naturaliter ſurſum. Etenim differentia illa, naturaliter ambobus communis eſt: eoque addito effectum eſt, ne omnes eorum differentiae ſibi invicem adverſae dicerentur. Eorum autem, quae ſub adverſis generibus ſunt, nihil neceſſe eſt adverſas eſſe differentias. aliquam enim communem differentiam habere poſſunt. Quod autem ita ſe habeat, oſtendit, allato juſtitiae exemplo. Quae cum ſub adverſis generibus includantur. illa quidem ſub virtute, haec vero ſub vitio, eandem tamen differentiam habeat. Illud enim, animi, utrisque communis differentia eſt. Nam & illa animi virtus, & haec animi vitium eſt. Additur autem illud, animi, ad eas a corporis virtutibus ac vitiis ſeparandas. Nam ut a ſe invicem diſtinguantur, ſatis illud eſt, quod genera inter

ſe

se pugnantia habent: sed differentia illa eo additur, ut a corporis virtutibus ac vitiis separentur. Fieri tamen potest, ut ea etiam quae in adversis generibus continentur, adversis quoque differentiis insigniantur. ut cum dicimus, justitiam esse virtutem, aequitatis effectricem, injustitiam vero, vitium, quo aequitas tollitur.

At illud quidem verum est, adversorum aut adversas, esse differentias, aut easdem. Si igitur adversa de adverso dicitur, de eo autem quod propositum est, non dicitur: eam quae allata est, rei propositae convenire perspicuum est. Ad summam, cum definitio genere & differentiis constet, si adversi definitio nota sit, ejus quoque quod proponitur, definitio perspicua erit. Quando enim adversum aut in eodem genere est. aut in adverso: ac differentiae quoque de adversis, vel adversae, vel eaedem enunciantur, constat fore, ut de eo quod ad definiendum proponitur, vel idem genus, quod de ei adverso enuncietur, adversae autem differentiae, aut omnes, aut saltem aliquae adversae, ceterae vero eaedem: vel contra, differentiae quidem eaedem, genera vero pugnantia; vel utraque pugnantia, & genera, & differentiae. Ut enim utraque eadem sint, fieri non potest: alioqui adversorum eadem definitio esset.

At illud quidem] Proposita contraria argumentatione, hoc addidit, quasi indicans, adversorum ut vel adversas, vel easdem differentias esse, ita & genera vel adversa, vel eadem. Nam & genus vel idem est, vel adversum. Itaque illud perspicuum est, si de adverso adversa differentia dicitur, de eo autem quod propositum est, non dicitur: fore ut ea quae allata est, nempe ea quae illi alteri adversatur, recte de re proposita enuncietur. Ideoque generalem quandam rationem ac viam praescribit, inquiens, cum definitio genere, ac differentiis constet, si adversi definitio nota sit, ejus quoque quod proponitur, definitionem perspicuam fore. Quando enim adversum, aut in eodem genere est, aut in adverso: ac differentiae quoque de adversis, vel adversae, vel eaedem enunciantur, constat fore, ut vel in eodem genere sit id, quo de agitur, cum eo quod ipsi adversatur, vel in adverso. Si in eodem, aut adversas omnes differentias habet, aut

quasdam adversas, quasdam easdem. Si in adverso genere sit, sic quoque adversas differentias habebit, aut etiam easdem aliquas, sed non omnes: aut omni ex parte pugnabit, ut & sub adverso genere sit, & omnes habeat adversas differentias. Ut autem utraque eadem sint, fieri non potest: ita enim non jam amplius adversa essent, quae finiuntur, imo vero eadem: essetque adversorum eadem definitio, quod absurdum est.

Praeterea ex casibus, & ex conjugatis. Nam & genera ex generibus, & ex finitionibus finitiones necessario consequuntur. ut, si oblivio est scientiae amissio, oblivisci quoque erit, scientiam amittere: & oblitum esse, scientiam amisisse: ita ut si quis horum unum admiserit, is necesse habeat cetera etiam confiteri. Itidemque si interitus est naturae dissolutio: interire quoque dicetur id, cujus natura dissolvitur: & lethaliter, efficienter ad naturam dissolvendam. contraque si lethale est, quod dissolvendae naturae vim habet, lethum quoque sive interitus nihil erit aliud, quam naturae dissolutio. Eademque ratio aliorum est. Itaque concesso uno, cetera quoque concessa intelliguntur. Quin & ex iis, quorum similis ad se invicem ratio est, argumentari licet. Si enim salubre est, id quo efficitur sanitas, (*) εὐεκτικὸν quoque erit id quo efficitur bona habitudo: & utile id, quo efficitur aliquid boni. Eadem enim eorum, quae diximus, ad suum cujusque finem ratio est. Itaque si finitio unius e finis sui effectione ducetur, eadem erit ratio cetera omnia finiendi.

Praeterea ex casibus & ex conjugatis definitio confirmari potest. Nam & genera ex generibus, & ex finitionibus finitiones necessario consequuntur. Si enim alicujus ex conjugatis finitionem assecuti fuerimus, ceterorum quoque finitio reperta erit. Ut si quis ortus finitionem tradiderit, cetera etiam quae ex ortus vocabulo conjugata sunt, quomodo finiri debeant, indicavit. Si quidem eo ipso, quod posita fuerit unius ex conjugatis finitio, ceterorum quoque finitiones poni oportebit.

Prae-

(*) Εὐεκτικὸν uno vocabulo Latino exprimi non potest. at si in plura diducas, vis argumenti perit.

Praeterea a majore, & a simili. quibus ex locis non aliter definitio confirmari potest, quam si duo cum duobus comparentur. ut si magis haec hujus rei definitio est, quam illa illius: atque ea quae minus videtur, vera tamen finitio est, sequitur, ut ea quoque vera sit, quae majorem probabilitatem habet. quodsi adaeque videtur haec hujus, & illa illius rei finitio, qui unam receperit, alteram quoque recipiat, oportet. Inutilis autem est loci a majore tractatio, si quis velit aut unam definitionem cum duabus rebus, aut duas definitiones cum unica re comparare. Nam neque duarum rerum una, neque unius rei finitiones duae esse possunt.

Non idem hic dicit, quod paulo supra dixerat. Illic enim loquebatur de similitudine quadam ex analogia: hic vero de similitudine simpliciter ac proprie accepta. Multos igitur locos a majore, a minore, a simili, tum ad confirmandum, tum ad infirmandum utiles tradidit: a majore & a minore quatuor, tres autem a simili. Nunc admonet, eos demum ex illis locis, confirmandis finitionibus adhibere oportere, per quos id fieri potest. Potest autem per eum tantum, quo duo cum duobus, vel ut majus cum minore, vel similiter comparantur. Non enim per eum quo unum ad duo refertur. quorum alterum magis significat, alterum minus: si quidem eadem definitio eidem rei non potest magis ac minus convenire: neque una eademque definitio istam accessionem ac decessionem capit. sed ne per eum quidem, quo duo de uno dicuntur, ita ut unum magis, alterum minus inesse dicatur: ac ne tum quidem si similis sit utriusque ratio. Ejusmodi autem loci sunt tum is qui probat quippiam in hac magis quam in illa re inesse, tum is qui probat in re aliqua magis hoc inesse, quam illud. Similiterque in locis a minore, & a simili. Talium igitur nullus in confirmanda finitione esse usus potest. Non enim potest eadem definitio pluribus rebus, neque huic magis, illi minus, neque aeque omnibus convenire. Uterque autem locorum, quos inutiles esse diximus, hac via progreditur: Si hoc potius inest, quam illud, aut, Si horum utrumque similiter inest. Quare inutiles omnino sunt ad confirmandam finitionem: neque enim unius rei plures finitiones esse possunt, neque ita, ut haec magis, illa minus

conveniat, neque ut omnes aeque conveniant. Unius igitur locus reliquus est, in quo duo sunt quae subjiciuntur, & totidem quae de eis enunciantur: sive unum magis, alterum minus, sive utrumque ex aequo sit, ad explicandam naturam ejus cui adjungitur, accommodatum. Hic igitur tantum locus communis est, per quem, tum a majori, tum a simili, definitio confirmari potest. Atque hoc modo inter se continuanda sunt, quae hic dicuntur. Praeterea, inquit, a majore, confirmare finitionem, quatenus id fieri potest. ut hoc modo. Si magis definit temperantiam, qui eam in honestis tantum salutaribusque rebus animo agitandis positam esse dicit, quam justitiam, is, qui illam esse dicit habitum tribuentem cuique id quod aequum est, contraque, Si minus haec justitiae finitio est, habitus cuique tribuens id quod aequum est, quam illa temperantiae, honeste tantum & salutaria animo agitare. In hunc autem modum conformari argumentatio non potest, Si illa magis, haec vero minus finitio est: & tamen prior illa finitio non est, ne illa quidem, quae minus, nisi quis finitiones duas accipiat, quae cum duabus itidem rebus comparentur. Eademque ratio est loci a simili. Si enim aequa definitio est fortitudinis haec, habitus tiduciam afferens adversus ea ex quibus mortis periculum impendet, atque haec justitiae, habitus tribuens cuique quod suum est, & superior illa finitio non est, hanc quoque finitionem non esse consequitur. Quodsi unicam definitionem accipias, eamque cum duabus rebus compares, nihil tibi loci a majore profutura tractatio est. Neque enim argumentatio ita dirigi potest: Si haec magis illius, quam hujus finitio est, atque hujus est, sequitur, ut illius quoque sit: neque enim potest in duas res eadem finitio convenire: ac ne invenitur quidem ulla finitio quae duobus (praeterquam individuis) conveniat. Sed ne duae quidem esse possunt ejusmodi finitiones: itaque in hunc modum argumentamur. Si illa hujus rei, magis quam haec, finitio est, estque haec finitio, illa quoque finitio erit.

Sex omnibus autem locis opportunissimi sunt ii, quos modo diximus: praetereaque loci a casibus, & a conjugatis. Quocirca eos praecipue tenere, atque in promptu habere oportet: sunt enim ad plurima utilissimi: ce-

te-

jerorum autem, ut quisque maxime communis eſt, ita in eo plurimum eſt virium. qualis eſt, inſpicere, num ad res ſingulas, & num ad ſpecies definitio propoſita accommodari queat: ſi quidem ſynonymum quiddam eſt ſpecies. Hic autem locus utilis eſt adverſum eos qui ideas ponunt, ut & ſuperius dictum eſt.

Praeterea ex omnibus locis, ad conſtruendam finitionem opportunisſimi ſunt, ut ſupra dictum eſt, loci a majore, a minore, & a ſimili. ſed & a conjugatis, & a casibus. quocirca eos in promptu habere oportet. ſunt enim opportunisſimi, & propter perſpicuitatem, & propter efficacitatem. Ex aliis autem locis, ii praecipue in uſum convertendi ſunt, qui maxime communes ſunt, id eſt, qui ad plurima quaeſtionum genera accommodari queunt, & eos in promptu habere oportet: ſunt enim omnium maxime efficaces, maximeque utiles. Talem autem eſſe ait, eum quem ipſe hujus diſputationis initio tradidit, per quem inſpiciendum eſſe autumabat, id quod alicui ineſſe dicitur, ecquid omnibus quae ſub eo continerentur, conveniret. Etenim tum ad ſtabiliendas, tum ad evertendas finitiones utile illud eſt. Cum autem dixiſſet, inſpiciendum eſſe, num ad res ſingulas, addidit etiam, num ad ſpecies. Si enim ſpecies individuave ſunt, quorum tradita finitio eſt, ad ſingularia tantum, ſive ad individua reſpicere oportet. Sin genera, etiam ad ſpecies, quae ſub eis continentur. Hunc autem locum, atque hanc conſiderationem utilem eſſe ait, ad evertendas ideas. neque enim ideis, & iis quae ſub eas includuntur, eadem definitio convenit, neque videlicet idearum finitio individuis, neque individuorum, ideis. Oportet autem ſynonyma eſſe ideis ea, quorum natura & effectio ex eis pendet.

Praeterea ſi tranſlato aliquo nomine uſus eſt, aut ſi idem de ſe ipſo, ut diverſum quippiam enunciavit: & ſi quis praeterea locus communis efficaxque eſt, eo utendum. Ex iis autem, quae poſtea dicentur, multo difficilius confirmari, quam refelli finitionem, intelligetur. Primum enim facile non eſt, hoc a reſpondentibus obtinere, ut eorum quae in definitione poſita fuerint, illud genus, hanc differentiam eſe concedant. Deinde ut id quoque recipiant genere ac differentiis, quae rei natura ſit, explicari.

Quibus remotis, syllogismus confici probandae finitioni accommodatus non potest. Si enim quaedam etiam alia ad quaestionem, qua, quid sit res, quaeritur, responderi queunt, jam non constabit, sitne ea quae allata est, an potius alia quaepiam rei propositae finitio. Est enim finitio, oratio, quae, quid sit res, indicat. Quin ex his quoque idem intelligi potest. facilius enim est unum, quam multa concludere: at definitio, vel uno eorum, quae requiruntur, sublato, refellitur: confirmari vero, nisi omnibus probatis, non potest. (*) *Praeterea definitionem probare instituenti generalis syllogismus conficiendus est: oportet enim, quibuscunque nomen convenit, iis etiam omnibus definitionem convenire: itemque nomen & orationem invicem reciprocari: si quidem ea propria rei propositae finitio est. At destruere volentem, nihil necesse est generaliter argumentari. Satis enim est, si ostendatur vel uni eorum de quibus nomen dicitur, orationem non convenire: etiam ad definitionem universe ac generatim refellendam: neque necesjarium est, quasi sursum versus acta argumentatione ostendere, quibus non convenit oratio, iis nomen convenire.*

Cum dixerit, qui loci utiles sint confirmandis finitionibus, ac quorundam mentionem injecerit, per quos non confirmare modo, sed etiam evertere finitionem licet, addit hos quoque communes ad eam evertendam locos, admonetque, eos, utpote valde utiles, in promptu habendos esse. sunt autem hi, tum quod usus fuerit adversarius in finitione, translato aliquo nomine, aut quomodo libet, inverso, & improprio. Qui enim ita definit, minus probe definit. ut neque is, qui de rei alicujus finitione interrogatus, illud ipsum quod definiendum est, in definitione subjungit. Ac translato quidem nomine utitur, qui temperantiam, concentum animi esse dicit. Concentus enim proprie in fidibus dicitur. Idem autem de se ipso enunciat, qui hominem esse dicit, animal consilii particeps, mortale, hominem. Ex iis autem, quae postea dicentur, multo difficilius confirmari, quam refelli finitionem intelligetur. Etenim difficile est a respon-dea-

(*) Graeca Aristotelis hoc loco leviter depravata sunt.

Digitized by Google

dentibus obtinere eas propositiones, quibus ostendatur, orationem a nobis allatam, finitionem esse. Qui enim hanc finitionem esse probaturus est, is hoc primum obtineat, oportet, eorum quae in oratione posita sunt, illud genus, hanc differentiam esse: eaque sola. ubi quid sit res, quaeritur, enunciari Haec vero difficilia sunt ad probandum: neque enim cujuslibet hominis est, eis assentiri. At, nisi iis concessis, definitionem esse hanc, nulla ratione probari potest. Nam si etiam alia quaepiam sint, quae de re proposita, ad quaestionem, quid est, responderi queant, non tantum genus, & differentia ex quibus constituta est finitio: tum certo cognosci non potest, sitne haec finitio, an potius alia quaepiam: quandoquidem finitio est oratio, quae, quid sit res, indicat. Quin ex his quoque idem intelligi potest, quanto videlicet facilius sit convellere, quam confirmare finitionem. facilius enim est unum, quam multa concludere. at vero ad confirmandam finitionem, probandum est, omnia, quae illius ambitu comprehensa sunt, in rei propositae natura inesse. nisi enim in ea insint omnia, finitio non est. ut autem evertatur, probeturque finitio non esse, satis est ostendere, vel unum eorum quae in definiendo adhibita sunt, in re quae definitur, non inesse. uno enim reprehenso, tota definitio corruit. facilius autem est unum probare quam multa. Praeterea definitionem, inquit, probare instituenti generalis syllogismus, isque ajens, necessario conficiendus est, quo concludat, quae in definitione posita sunt, ea universe, ac generatim de eo quod definitur, enunciari: itemque nomen & orationem invicem reciprocari, si quidem ea propria rei propositae finitio est. At destruere volentem nihil necesse est generaliter argumentari. non enim tantum refellitur definitio, si nulli eorum, quae sub nomine continentur, conveniat, verum etiam si ostendatur alicui non convenire. Nam ad evertendum id, quod de toto aliquo genere dicitur, satis est, si ostendatur, in eorum aliquo, de quibus nomen enunciatur, allatam orationem non valere. Sed neque vicissim conferre finitionem cum eo quod finitur, destruenti necessarium est. Satis enim est, si ostendatur, de quibus nomen dicitur, eorum nulli orationem convenire: neque necesse est contra ostendere, quibus non convenit oratio,

iis

Digitized by Google

iis nomen convenire. Aequalia enim sunt haec duo, de quibus nomen dicitur, iis non convenire orationem, & quibus non convenit oratio, iis nomen convenire. At reciprocationem in hoc genere argumenti rejiciendam esse dicit, utpote, quae nihil ad evertendam finitionem conferat. Neque enim finitio est, quae ita tradita est oratio. Difficilius igitur est confirmare, quam reprehendere finitionem.

Satis (*) est, inquit, reprehendenti aliquid generatim dictum, si ostendat, quibus nomen convenit, eorum nulli orationem convenire: neque praeterea opus est idem ostendere per reciprocationem, quae hujusmodi est, de quibus oratio ipsa dicitur, de eorum nullo nomen enunciari. neque enim id ad convellendam finitionem utile est, cum satis sit ostendere, de quibus nomen dicitur, de iis non dici orationem. Haec tamen reciprocatio non per negantiam fieri videtur, imo vero idem sursum versus retroque dici. Idem enim est, de quibus nomen dicitur, de eorum nullo dici orationem, & dici nomen de iis, de quibus non dicitur oratio. Quod & ex partium collatione perspici potest. Aut forte reciprocationem indicavit hujus enunciationis, De quibus dicitur nomen, de eorum nullo dicitur oratio: cum illa, de quibus oratio, de iisdem etiam nomen dicitur. Forte etiam hoc ait, nihil prodesse reciprocationem hujus, De quibus dicitur nomen, de eorum nullo dicitur oratio, propterea quod ipsa per se reciprocatur. Aut, quia satis constat, enunciationes, quae de toto genere aliquid negant, reciprocari, ut id ostendere nihil necesse sit. Quanto igitur operosius est multa probare, quam unum, & probare affirmationem de toto genere, quam id quod ei e regione respondet, id est, negantiam de parte aliqua generis, vel etiam negantiam de toto genere, tanto majoris negocii est finitionem confirmare, quam eandem refellere.

Evertitur etiam finitio, si ostendas, eam, omnibus quidem iis, de quibus dicitur, sed non iis solis convenire

Quod autem de ea diximus, idem quoque in proprio atque

(*) Expositio quaedam in haec ipsa Aristotelis verba, quam non ejusdem interpretis esse, sed a studioso aliquo adscriptam, & postea commentario insertam puto.

Digitized by Google

que in genere dici poteſt. Nam & horum utrumque minore opera refellitur, quam comprobatur. Ac de proprio quidem id, vel ex iis quae diximus, ſatis conſtat. Fere enim proprium conjunctim explicatur: quare unum qui refutaverit, is proprium ſuſtulerit: at confirmare meditanti, neceſſario omnia ſyllogismo ſunt colligenda. Ac quaecunque de finitione dicuntur, ea fere omnia ad proprium quoque accommodari queunt. Nam & in eo confirmando, oſtendendum eſt convenire iis omnibus, quae nomine comprehenduntur: & in refutando ſatis eſt, ſi oſtendatur vel uni non convenire: quodque de finitione dictum eſt, corruere eam, ſi, quamvis omni, non tamen ſoli conveniat, idem etiam in proprio valet.

De genere autem, eo quod confirmanti unica propoſita via eſt, quam neceſſario teneat, nempe ut in omni inesſe oſtendat: reprehendenti autem duae, ut aut nulli omnino inesſe, aut etiam alicui non inesſe: utrovis enim modo, quod initio poſitum fuerat, tollitur. Praeterea confirmanti neceſſe eſt, non tantum ut inesſe oſtendat, verum etiam inesſe, ut genus. at reprehendenti ſatis eſt, ſi oſtendat, aut in aliquo non inesſe, aut in nullo. Ut autem ceteris in rebus tollere ac deſtruere, quam efficere, ita in his quoque evertere, quam conſtruere, facilius videtur.

Proprium ait fere conjunctim, id eſt, cum genere explicari. Dixit enim, cum de proprio diſſereret, primo genus, deinde proprium tradi oportere. Dixit autem fere, quia proprium interdum etiam unico nomine explicatur, ut cum dicimus, decorum pulchri proprium eſſe, felicitatis, nullius rei indigum. Maxime autem hoc modo explicantur ſummorum generum proprietates: neque enim ullum ſuperius genus eſt, quocum complicentur. Sic eſſentiae proprium eſt, in re ſubjecta non eſſe. Si ergo proprium conjunctim dicitur, probandum eſt, & inesſe omnia in eo de quo agitur, & univerſe inesſe, & cum eo reciprocari. Hoc enim uno minus habet proprium, quam finitio, quod, quid res ſit, non indicat. Ad refutandum autem proprium ſatis eſt, ſi aut unum aliquid eorum, quae ipſi explicando adhibita ſunt, non inſit in re propoſita, aut id quod proprium dicitur, non

non conveniat alicui eorum, quae sub re proposita continentur. Quin etiam evertitur, si omni conveniat, sed non soli. Ostendit autem & genus facilius refelli, quam comprobari. Nam comprobandi unica via est, si universe dici ostendas: reprehendendi duae, ut aut nulli, aut alicui non convenire demonstres

Adjunctum autem de toto quidem genere facilius est refellere, quam probare. Nam is quidem qui probat, necesse habet probare, inesse in omni: is autem qui refellit, satis habet, si ostendat in uno aliquo non inesse. At contra de parte generis facilius probatur, quam refellitur. Probanti enim satis est, si probet in uno inesse: at refellenti ostendendum est, nullum esse in quo insit.

Praeterea adjunctum de toto quidem genere facilius est refellere, quam probare: de parte autem generis, contra. qui enim probare vult, adjunctum hoc in omni homine inesse, haud sane efficere id facile potest. Fieri enim non potest, ut vere candor in omnibus hominibus haerere dicatur. At qui refellit, facile ostendet in uno quopiam, ut forte in Socrate, non inesse candorem. Atque ita evertitur, quod de toto genere dictum fuerat. De parte vero generis, ut quod candor in aliquo inest, facilius est probare, quam refellere. Etenim satis est, si probetur in aliquo inesse. At refellere difficile est, & ostendere, in nullo homine inesse candorem. Fieri enim non potest, ut hominum nullus omnino sit candidus. Nam eam quae de aliquo affirmat, ea demum tollit, quae de omni negat: quando ea quae non omnem dicit, in quibusdam vera esse potest simul cum ea quae aliquem.

Constat autem, cur omnium facillime finitio reprehendatur. Plurimae enim dantur ad id efficiendum viae, cum in finiendo multa dicantur. E pluribus autem facilius conficitur syllogismus. Peccari enim verisimilius est, ubi multa, quam ubi pauca dicuntur. Praeterea etiam ex aliis argumenta ad impugnandam finitionem eruuntur. Sive enim propria non est oratio, sive genus non recte positum est, sive eorum, quae allata sunt, aliquid non inest in re proposita, definitio corruit. at evertendis ceteris, neque ea quae ad definitiones refellendas, neque cetera omnia adhiberi queunt.

Col-

Constat igitur, inquit, reprehendi finitionem facilius quam ullum aliud problema, sive ex iis quibus proprium, sive quibus genus, sive quibus adjunctum aliquod explicatur. Cum enim multa dixerimus, quae in finitione observanda sunt, quale est, ut finitio cum eo quod definitur, reciprocari queat, ut differentiae ex ipsa rei essentia petitae sint, ut ne insint voces ullae homonymae, neve translatae, sit, ut multae ad reprehendendum quasi viae offerantur. Nam quo plura observanda sunt, eo facilius syllogismus ad reprehensionem dirigi potest. cum quibus in rebus plura observari oportet, in iis fere etiam multa peccentur. ubi autem pauciores sunt observationes, ibi etiam perspicuum sit pauciora esse peccata. Qui enim & longum iter conficere, & in eo etiam celeritatem adhibere contendit, offendit saepius, quam qui in breviore itinere adhibet etiam remissionem: quaeque in domos per plures vias aditus patet, in eas facilius aliquis de nocte ingredi possit, quam in eas, quae uno tantum aditu sunt perviae. *Praeterea etiam ex aliis.*] Is, inquit, qui finitionem reprehendere aggreditur, potest & hac via aggredi quod adversarius in definiendo proximum non acceperit genus. &, quod alienum genus assumpserit, & quod finitio cum re definita non reciprocetur, & quod sit usus vocibus vel homonymis, vel translatis, & denique alia omnia tentare, quae prodita sunt in locis aptis ad reprehensionem. Etenim cum tam multa in definiendo observanda sint, pene dixerim, necessarium est, ut aliquid fugerit obtutum illius, a quo composita finitio est. Itaque qui finitionem reprehendit, per alios etiam locos, quibus videlicet problemata de proprio, de genere, de adjuncto refelluntur, efficere id, quod instituit, potest. Qua enim ratione proprium, eadem finitio reprehendi poterit, si cum re proposita non reciprocetur. Et qua ratione genus aut ut alienum, aut ut non proxime adhaerens, aut ut rei naturam non explicans reprehenditur, eadem, genus in finitione positum, aut quia genus non sit, aut quia in re definita non insit, redarguetur. Rursumque, ut in problematis de adjuncto ostenditur in Socrate forsitan candor non inesse, sic, si quis hominem finierit, naturam animatam consilii expertem, aut mare, humorem potui aptum, qui vel unam e tota finitione par-

tem

tem ſuſtulerit, totam finitionem labefactarit. Quibus igitur modis alia, iisdem & finitio reprehendi poteſt: ſed non contra. Neque enim quae finitioni, eadem aliis quoque evertendis utilia ſunt. Nam etiamſi quis oſtendat, aptum ad ridendum, quod in hominis finitione aliquis poſuerit, ex ipſa hominis eſſentia non eſſe, non tamen illud efficietur, ut ne proprium quidem ſit hominis. Neque, ſi genus aut non proximum, aut non recte allatum probaveris, ex eo, ut ne genus quidem ſit, conſequetur. Neque, ſi candor hominis naturam non conſtituit, iccirco efficitur, ut ne fortuita quidem haerere in natura hominis poſſit. Quin etiam quibus e locis alia problemata, nempe de genere, & de proprio refelluntur, non ex iis omnibus etiam problemata de adjuncto refelli queunt: imo potius quae ad refellendum adjunctum valent, ea refellendis quoque ceteris utiliter adhibentur.

Quae enim adjuncto, ea ſola ceteris quoque omnibus, quae ante diximus, ſunt communia. Quicquid enim de re aliqua dicitur, id in ea ineſſe oportet. At qui genus oſtendit non ineſſe ut proprium, nullo modo evertit genus: ſimiliterque neque neceſſe eſt proprium ita ineſſe, ut genus: neque adjunctum ita ineſſe, aut ut genus, aut ut proprium, ſed ineſſe tantum. quare argumenta ex aliis ad alia duci non queunt, praeterquam ad unam finitionem.

Quae enim adjuncto.] Videlicet ut non tantum ad tollendum adjunctum valeant, ſed etiam ad tollenda cetera. Quod enim ſolum de adjuncto quaeritur, inſitne in re propoſita, idem in aliis quoque, nempe in proprio, in genere, in finitione, ſimiliter quaeritur. Quodſi genus cum re propoſita non reciprocetur, ex eo non efficitur, ut ne ſit genus. neque ſi proprium non ineſt ita ut genus, in ipſa videlicet rei eſſentia ideo efficitur, ut ne ſit proprium. Similiterque etiam, ſi adjunctum neque eſt ex ipſa rei natura, ut genus. neque reciprocatur, ut proprium, non ex eo conſequitur, ut adjunctum ne ſit.

Finitionem igitur facillime reprehendi, difficillime autem conſtitui conſtat: illa enim omnia ſyllogiſmo probanda ſunt, & quod ea quae in finitione ponuntur, inſint in re

re propoſita, & quod genus recte traditum fuerit, & quod propria finitio eſt, & praeterea, quod ipſius rei naturam & eſſentiam exponat. atque hoc recte praeſtitiſſe oportet. E ceteris vero proprium ad eam proxime accedit: eo enim facilius reprehenditur, quod plerumque conſtituitur ex pluribus. Difficillimum autem eſt ad probandum: nam & multa probanda ſunt, & quod rei propoſitae ſoli conveniat, & quod cum ea recipro etur. Adjunctum autem omniam facillimum eſt ad probandum. Nam in aliis, non tantum quod inſint, verum etiam quod certo quodam modo inſint, oſtendendum eſt: in adjuncto autem, ſatis eſt, ſi ineſſe oſtendatur. Difficillimum autem eſt ad refutandum: ſi quidem paucae admodum dantur reprehendendi viae. neque enim illud in adjuncto adſignificatur, quomodo in re inſit. Itaque aliorum quidem reprehendendi duplex ratio eſt, ſeu quod non inſint, ſeu quod non hoc modo inſint: adjunctum autem aliter tolli non poteſt, quam ſi oſtendas non ineſſe. Locos igitur, qui tractando cuique problematum generi argumentorum copiam ſuppeditare poſſunt, quantum fere ſatis eſt, perſecuti ſumus.

Atque hoc recte praeſtitiſſe oportet.] Hoc quoque, inquit, ratione concludere, ac demonſtrare oportet, finitione ea, quam probare volumus, rei naturam explicari, neque obſcurum quicquam, neque ſupervacaneum in ea contineri. quibus efficiendis plures ſuperius tradidit locos. Haec igitur, ceteriſque de cauſſis, quas expoſuimus, finitionem conſtituere difficillimum eſt. E ceteris autem problematis, major eſt in confirmando proprio, quam in genere, aut in adjuncto, difficultas: quod ipſum tamen facilius eſt ad confirmandum, quam definitio. Ac proprium iccirco facilius reprehenditur, quam cetera, quia e pluribus conſtat, fereque conjunctim explicatur. Exempli cauſa, animal aptum ad ridendum, quod & proprie proprium eſt, utpote conjunctim explicatum. Addidit autem, fere, quia nonnunquam etiam uno nomine exponitur, ut proprium hominis, aptum ad ridendum. Difficile igitur eſt probare illud, quod conjunctim proponitur: multa enim concludenda, & ratione colligenda ſunt. Primum quidem, quod proximum genus ſumptum fuerit: tum quod animal aptum ad ridendum,

de solo homine dici queat. quodque cum eo reciprocetur. Omnium autem facillime probatur adjunctum. Satis enim est ad confirmationem, si, verbi causa, ostendas, candorem inesse Socrati: quod solum in aliis non est facile. Difficillimum autem, inquit, est ad refutandum. Unus enim tantum locus est, nempe si ostendas non inesse. Neque enim praeterea quaeri potest, insitne, ut genus, aut ut proprium. Itaque cum alia problemata duobus modis reprehendi queant, ob idque facilis sit eorum reprehensio, problemata de adjuncto, quibus labefactandis una tantum proposita via est, difficillime refelluntur.

M. A N-

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN

PRIMUM ET SECUNDUM

LIBRUM

PLATONIS DE REPUBLICA

COMMENTARIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANTONII MURETI

IN

PRIMUM ET SECUNDUM

LIBRUM

PLATONIS DE REPUBLICA

COMMENTARIUS.

Exposui paulo ante utrorumque argumenta, & eorum qui existimant in his dialogis praecipuam quaestionem esse de justitia, & eorum qui de rep. totam hanc disputationem institutam esse contendunt. Nunc, quid vere de hac quaestione dici possit, breviter explicabo. Mihi certe utrique recte dicere videntur. Nam ταυτὸς est, & περὶ δικαιοσύνης, & περὶ πολιτείας. Non ut sint duo ταυτοὶ, sed ut haec duo idem sint. Nam quod est ἐν μιᾷ ψυχῇ δικαιοσύνη, id in civitate talis πολιτεία. Nam & in politia tria genera respondent tribus animae partibus, τὸ φυλακικὸν τῷ λόγῳ, τὸ ἐπικουρικὸν, ἀς πολεμοῦν, τῷ θυμῷ, τὸ θυτικὸν τῷ ἐπιθυμητικῷ. Platoni videtur, μίαν ἔξιν εἶναι τάν τε πόλιν κοσμοῦσαν, καὶ οἶκον, καὶ ἕκαστον. Etsi hoc reprehenditur ab Aristotele principio Politicorum. Ergo & quilibet nostrum vivit πολιτικῶς ὑποκεκοσμένος, & πόλις δικαίως ταχθεῖσα. Estque justitia πολιτεία ψυχῆς, & πολιτεία, δικαιοσύνη πόλεως. Et qui de justitia disserit, si de omni, disserit & de politia, & contra. Atque ipsum Platonem ita sentire constat ex illa ipsa comparatione lib. 2. Non enim, ut ab uno in aliud, sed a parvis litteris ad majores, quibus idem scriptum sit. Ergo hyle alia, sed εἶδος idem. Inde in Theaeteto, oportere ἕκαστον βλέπειν εἰς τὴν ἐν ἑαυτῷ πολιτείαν, καὶ τῷ ἀρίστῳ

tradere τῆ ἀρχῆ αὐτῆς, ἀλλ' ἡ τῆ φυλακτικῆ. Et apud ipsum ἡ περὶ τὰ χρήματα moralem. nihil enim ita necessarium τοῖς παιδευομένοις ὡς τὸ σωφρονεῖν. ἡ δὲ δικαιοσύνη, τῶ πολιτικῶ. nihil enim tam necessarium rectori civitatis. ἡ ἀνδρεία τῶ καθαρτικῶ, ἡ δὲ φρόνησις τῶ θεωρητικῶ. Non ergo duo σκοποὶ, sed unicus, περὶ πολιτικῆς δικαιοσύνης, ἢ περὶ δικαίας πολιτείας. Et incipiendum quidem a justitia, quae est quasi πολιτεία in uno. desinendum autem in πολιτεύεσθαι, quae est justitia in multis. Ipse tamen inscripsit tantum περὶ πολιτείας, ὡς γνησιμωτέρας ὕστερος. additum est a posterioribus, ἢ περὶ δικαίου. male vulgo πολιτειῶν. Hic enim una tantum, quae tamen recte dicitur πολιτεία πρώτη, ut illa quae in libris νόμων, δευτέρα, & tertia in Critia. Atque inde error. Περὶ δ' εἴδους. Ipse tertio horum librorum facit tria, διηγηματικὸν, μιμητικὸν, μικτὸν. Hi libri sunt τὸ μικτόν. in parte δυσχέρεια. in parte τὸ πρέπον mirabile. Περὶ ὕλης. * * * τόπῳ, id est, locus in quo hi sermones habiti esse dicuntur, Piraeeus. quia loca maritima tumultuum plena sunt, ut & hic dicitur disputatum esse χθιζινῶς, ἢ σὺν ἀθορύβῳ de justo. at haec commemoratio pridianae disputationis, & illa ejusdem epitome in Timaeo. in ipso actu haec displicent. Tempus quo disputatum est. Bendidia. At haec disputatio pridie Panathenaeorum, & illa in Timaeo in ipsis Panathenaeis. Hic quoque ἀπαγορίζουσι ἀκαίρως πρόσωπα. Cephalus, Socrates, Polemarchus, Glauco, Adimantus, Thrasymachus, Lysias, Euthydemus, Niceratus, Clitophon, Charmantides. Sed detrahunt Cephalum, ut sint 10, quot & libri, & hunc numerum esse eundem cum quaternario, qui sacer est Minervae, & talia, quae somnia videntur. Marsilius etiam ineptius, Cephalum, quod sit caput disputationis. Polemarchum, quia primus pugnam aggreditur. Thrasymachum pugnatorem ferocem. Socratem servatorem potentem. Si haec nomina ficta essent, ut Thraso, Gnatho, Peniculus, Pyrgopolinices, fortasse aliquid diceretur. Tale est de numero librorum Homeri μῦθον. Ridetur a Plutarcho, & Longino περὶ ὕψους, Philistus, (*) quod in nomine Niciae argutus videri voluerat, & quod dixerat, mutilatis hermis, Athenienses ab Hermocrate Hermonis filio Dio-

(*) *Timaeum* dicere voluit.

multa mala accepisse. Longinus addit, potuisse eum de Dionysio tyranno ita ludere, quem Dio & Heraclides de tyrannide deturbarunt. Nam Plautus non illepide in Baceh: *Adeon me fuisse fungum, ut illi crederem, eum mihi ipsum nomen ejus Archidemides clamaret, dempturum esse, si quid crederem?* Sed in seriis talia omnia ridicula sunt, & frigida, in jocando non illepida. Ut Cicero *Pollex*, non *Index*, & *Verres*, & libertum furacem *Tollium* pro *Tullio*, & *Biberius Caldius Mero*, & similia.

SUMMA LIBRI PRIMI.

I. Justitia estne verum dicere, & suum cuique reddere? Certe justitiae fundamentum est fides, &c. Sed tamen vera dicens, & suum reddens, potest aliquis injuste facere.

II. Num amicis prodesse, inimicos laedere? hoc enim est τὸ προσῆκον ἑκάστῳ.

III. Sed evenire potest, ut virum bonum existimemus, & amemus, qui non sit, & contra. Deinde virtus οὐδένα βλάπτει. Tum Thrasymachus, justum, quod utile est potentiori. Non robustiori.

IV. Tria genera πολιτειῶν. Unaquaeque πολιτεία statuit leges πρὸς τὸ ὠφέλιμον ἑαυτῷ. & hoc sensu, &c.

V. At possunt falli in condendis legibus, & imperare, quod sibi utile non est, & tunc justum erit illud facere.

VI. Is qui peccat, quatenus peccat, non est κρείττων, ut nec artifex, saltem τῷ ἀκριβεῖ λόγῳ. Itaque ut dicimus salubre esse, quod medicus praescripserit, sed non medicus errans, ita, &c.

VII. Omnis ars imperat, ut in Lyside, etiam refertur ad aliquam utilitatem. Per se autem nunquam respicit utilitatem suam, aut artificis, sed aliorum, Artificis autem non nisi quatenus est χρηματιστική, aut κατὰ συμβεβηκὸς, ut cum medicus aegrotat.

VIII. Thrasymachus affert similitudinem pastorum; deinde abire vult.

IX. Retinetur a Socrate, qui docet, verum pastorem τῷ ἀκριβεῖ λόγῳ spectare tantum utilitatem ovium.

X. Deinde docet, omnem imperantem procurare utilitatem alienam. alioqui non poſceret mercedem.

XI. Merces imperantium in civitate, eſt aut pecunia, aut honor, aut effugere, ne deterior imperet. Et haec eſt quam maxime ſequuntur boni viri. Itaque ſi civitas eſſet tota ex bonis viris, ἀμάχητον, &c.

XII. Thraſymachus dixerat, injuſtitiam eſſe utiliorem, fortiorem, feliciorem. Omnia refutat Socrates.

XIII. Non eſt utilior. nam prudentia quidem utilis eſt, imprudentia autem damnoſa. Juſtitia autem ſimilis eſt prudentiae & ſcientiae, injuſtitia vero τῇ ἀμαθίᾳ. Sciens cum ſciente ſemper concordat, ab imperito autem diſſentit. Imperitus & a ſciente, & ab alio imperito.

XIV. Non eſt fortior. nam nihil poteſt ſine juſtitia.

XV. Non felicior. Nam felicitas eſt ἕξις.

M. AN-

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN LIBRUM PRIMUM PLATONIS DE REPUBLICA COMMENTARIUS.

Κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ] Tota haec disputatio, sive *de Republica*, sive *de Justitia*, quae his decem libris explicatur, habita fingitur in Piraeeo, in aedibus Cephali. Primum igitur Socratem exponentem facit, qua caussa adductus in Piraeeum venerit. Narrat autem haec Socrates Timaeo, Critiae, Hermocrati, & quarto cuidam, cujus nomen ignoratur: ut constat ex principio Timaei.

Κατέβην χθὲς] Vide quae notavi ex Dionys. Halicarnas. lib. 18. var. lect. cap. 8.

Εἰς Πειραιᾶ] *In Piraeeum.* Cicero, cum aliquando ad Atticum scribens, ita epistolam exorsus esset: *In Piraeea cum exissem*, notatus est ab Attico, quod cum Piraeeus nomen oppidi sit, addidisset partieulam *in*, debuisse enim potius ita scribere, *Piraeea cum exissem*: & certe ita locuti sunt interdum optimi scriptores. Livius lib. 38. *Athenis paucos moratus dies, dum Piraeeum ab Epheso naves venirent.* Ser. Sulpicius in epistola ad Ciceronem: *Cum ab Epidauro Piraeeum navi advectus essem.* Sed Cicero ita refutat reprehensionem Attici: *Venio ad Piraeea, in quo magis reprehendendus sum, quod homo R. Piraeea scripserim, non Piraeeum*, &c. Haec Cicero. Erat autem *Piraeus*, aut *Piraeeus*, portus regionis Atticae, & pagus (ita enim interpretor δῆμον) tribus Hippothoontidos: ut ait Stephanus de Urbibus. Ibi navale extruxerat Themistocles, ut est apud Pausaniam principio Atticorum.

Μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος] Sibi hoc studio habuit Plato, ut amicorum nomina per occasionem scriptis suis insereret, eorumque hoc modo memoriam propa-

Digitized by Google

garet. Ita hic, & saepe alibi, patrem suum Aristonem, & fratres germanos Glauconem & Adimantum nominat: hos quidem, etiam in Parmenide sub principium, ubi & vitricum Pyrilampen, & fratrem uterinum Antiphontem, cujus etiam mentio est in Gorgia. Omnibus denique propinquis, ac familiaribus suis studiose, ac libenter hunc honorem impertiebat, ut non temere suspicati sint veteres, cum Xenophontem nusquam nominaverit, aliquid inter eos simultatis fuisse. Se quidem ipsum raro admodum nominat, ut sub principium Phaedonis: Πλάτων ἦ οὐκ ἔνεστιν. & in Apologia: ὁ δὲ Πλάτων, ὁρᾷς, ὁ Πλάτων ἐκεῖνος [illegible] προσποιούμενος τῇ ἡλικίᾳ, τῷ ἄνδρε] Duas causas ponit suae in Piraeeum profectionis, pietatem ac religionem, & studium spectandi. Utraque autem philosopho convenit. Nam & vera philosophia, ab omni impietate, ac contemptu divini numinis remotissima est: & sunt philosophi natura, ut φιλόθεοι, ita etiam certo quodam modo φιλοδαίμονες, ut quinto horum librorum docetur. Jam vero quasi aliud agens purgat Socratem ab eo, quod maximam ei invidiam conflaverat: male enim in vulgus audiebat, quod qui dii publice colerentur, eos ipse non coleret, sed alia quaedam numina induceret. Itaque accusationis ejus summa haec fuit: ἀδικεῖ Σωκράτης, ὃς μὲν τοὺς τῆς πόλεως νομίζων θεοὺς, τὰ αὐτὰ, ἅπερ καὶ ἄλλοι ἄνθρωποι ἐποίουν. Quod Xenophon ita eum refutasse facit, ut dicat, sis in festis publicis, ad aras publicas eadem sacra facere solitum, quae a ceteris civibus fierent. Id quod ex hoc quoque loco perspicitur. Veteres autem hoc in magna sapientiae parte ponebant, quae publice suscepta religio esset, in ea permanere, neque velle in eo, aut majorum auctoritatem contemnere, aut a ceteris civibus dissidere. Pythagorae tribuitur illud: Ἀνυπόστατος μὲν πρῶτος θεὸς νόμῳ ὡς διάκειται, Τίλιος, &c. Illud autem νόμῳ valet, πρὸς τὸ πάτριον. & oraculo responsum traditur, cum quaesitum esset, quae optima divini numinis colendi ratio esset, νόμῳ κεῖ τὰ πατρίδος ἔθεσθε. Recte enim ab hoc ipso in Epinomide scriptum est, exitiosam esse civitatibus religionis immutationem. Atque eo pertinet, quod a Cicerone in secundo de legibus ponitur: *Separatim nemo habessit Deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto.* Sed & illud observatione dignum est,

est, iccirco hujus disputationis occasionem a numinis cultu, & veneratione duci, quod Deus omnium rerum principio invocandus est: quod in Timaeo facere monemur, his verbis: Ἀλλ' ὦ Σώκρατες τοῦτό γε δὴ πάντες ὅσοι κῆ καπιδέρκυὸ σωφροσύνης μετέχουσιν, ἐπὶ παῖσῃ ὁρμῇ κῆ σμικρῇ, κῆ μεγάλῃ πράγματ@ θεὸν ἀεὶ παρακαλοῦσιν. & apud Xenophontem in Oeconomico, jubet Socrates, σὺν τοῖς θεοῖς ἄρχεσθαι παντὸς ἔργου, & Cyrus primo παιδείας, ita se facere solitum ait, πολλὰ γάρ μοι συνέπεσε ἐπίστασθαι, ἃ μόνον τὰ μεγάλα, ἀλλὰ κῆ τὰ μικρὰ περιῴμενον δεῖν θεῶν ὁρμᾶσθαι αὐτά.

Προσεύχόμεν@] Verbum proprium in veneratione ac cultu deorum. Sic in Alcibiade secundo: Ὦ Ἀλκιβιάδη, οἶσθ' ὅτῳ τὸν θεὸν προσεύχόμεν@ πρέπει; Inde προσευχαὶ vocabant preces ipsas, quibus utebantur ad Deos, aut etiam, (sed posterioribus saeculis) loca ipsa ad preces diis fundendas instituta. Philo adversus Gajum: ἀπίστατο γοῦν κῆ προσευχὰς ἴχνεσι &c. Idem: προσευχὰς ὅσας μὲν ἰδιωτικὰ ἔλεσιν ἱμπρήσται, κῆ καπικαπφοῦς ἀφανίσαι, ἕτερον τρόπον ἐλυμήναντο. Ad quarum vestibula, quia conveniebant mendici, stipis colligendae caussa, factum, ut *proseuche* nomen in contemptum abierit. Cleomedes: Τὰ δ' ἀπὸ μέσης προσευχῆς, κῆ τῶ ἐπ' αὐτῆς προσευκτήριον Ἰουδαϊκῆ, κῆ πως καὶ αὐτὸ γεγονότα. & eodem sensu dictum a Juvenale: *In qua te quaero proseucha?*

Τῇ θεῷ] *Bendin* deam dicit: non, ut Marsilius falso opinatus est, *Pallada*, & ejus festa Βενδίδεια, quae tum primum e Thracia allata erant. Celebrabantur autem haec festa vicesima die mensis Thargelionis, qui putatur esse Aprilis, in Piraeeo biduo antequam agerentur minora Panathenaea, ut testatur Proculus libro primo commentariorum in Timaeum, qui etiam hujus rei, cum alios laudat auctores, tum Aristotelem Rhodium. *Bendin* sane, ut barbaricam quandam deam nominat & Lucianus in Jove Tragoedo. Idem autem Proculus in commentario in hunc librum ait, *Bendin* Thracum lingua vocari, *Liberam* sive *Dianam:* citatque ad eam rem versum Orphei: πλυκτὸν τε κῆ ἀφρασύνῃ, Βενδὶς τε κερασσία. Sed & apud Hesychium ita legimus: Βενδὶς, ἡ Ἄρτεμις, Θρᾷκιστί. παρὰ δ' Ἀθηναίοις ἑορτὴ Βενδίδεια. Idem ostendit & S. Athanasius, cujus haec verba sunt, ex libro primo contra gentiles: *Ille ipse, qui apud eos sapientiae gloria excelluit ceteris, quippe de Deo veraciter plurima in libris*

Digitized by Google

bris ſuis proſecutus, Plato, cum Socrate deſcendit in Piraeeum, effictam hominis arte Dianam adoraturus. Horum ſacrorum meminit & Strabo, aitque, ea ſacrorum Cybeles ſimilia fuiſſe: Τύπτει ἡ ἴσασι τῇ τῶν περὶ τὴν Θρᾴκῃ καὶ τὴν Κοτύτω, ἢ τὴν Βενδίδειαν, ubi vulgo corrupte legitur μενδίδειαν. Et paulo poſt: Ἀθήνησι ἡ ἄντικρυς περὶ τὴν μάτηρ &c. Memi. nit autem Bendidiorum Plato nominatim ad finem hujus libri.

Ἆρα νῦν πρῶτον ἤχθητε] Demetrius περὶ ἑρμηνείας, hoc exemplo utitur, ut oſtendat, qualem eſſe oporteat *periodum dialogicam.* Διαλογικὴ δέ ἐστι, inquit, ἡ περίοδος &c. ἄρα eſt, *ut*, aut, *quippe.* Quare male Ficinus, *quae tunc primum agebant.*

Οὐ μὴν τοι ἔγωγε] Lego ἔγωγε.

Πομπή] Comitatus, quaſique factio adoleſcentum Athenienſium, qui ad ſolemne illud celebrandum, atque ornandum publice miſſi erant.

Οἱ Θρᾷττες] A quibus ſacra illa, ut diximus, accepta erant: quae etiam Thracio ritu agebantur. Eſt autem Atticum πέμπειν πομπὴν, ut λέγειν λόγον, & ſimilia. Marſilius in hac periodo omiſit μὲν, & ἧς, & ineleganter vertit, *quam Thraces mittebant.* neque enim πέμπειν πομπὴν, Latine dicitur, *pompam mittere*, ſed potius, *pompam ducere.* Ego ſimpliciter dixiſſem, *pompam Thracum.*

Πρεσβεῖα μὲν ἦν ταῦτα] Earum enim duarum rerum cauſſa, ut dictum eſt, venerat.

Ἀπῆμεν εἰς τὸ ἄστυ] Ita vocabant Athenas. Terent. *An in aſtu venit?* utitur hac voce & Cicer. in lib. de legib.

Κεφάλου δὲ τοῦ τεθέντος ἐμοῦ πατρὸς, &c.] Hic Cephalus rhetor genere Syracuſanus, aut, ut alii, Thurius fuit, ſed Athenas commigrarat Periclis hortatu, cujus hoſpitio utebatur. filios habuit Polemarchum, Euthydemum, (qui a Plutarcho in vita Lyſiae corrupto a librariis nomine *Eudemus* vocatur) Brachyllum, & oratorem clariſſimum Lyſiam. Auctores his rebus ſunt Halicarnaſſeus, & Plutarchus in vita Lyſiae. ſed & Lyſias ipſe ita ſcribit in oratione adverſus Eratoſthenem: Οἱμῶξε πατὴρ Κέφαλος, &c. Polemarchus autem, de quo hic agitur, a triginta Tyrannis, quos Lacedaemonii Athenis impoſuerant, indicta cauſſa, cicutam bibere coactus eſt. Lyſias in ea quam modo citavi oratione: Πολεμάρχου δὲ παρήγγελλον, &c. Lyſias autem octingenta ſouta dedit iis, qui ad tri-

Digitized by Google

triginta expellendos convenerant. Quae res magno ad victoriam (*) adjumento fuit. Cum autem postea mille drachmis a populo multatus esset, *Morte*, inquit, *potius multandus eram, qui tam ingratos a tyrannide liberarim.* Omnium rhetorum habitus est vir optimus. Tzetzes Chiliad. 6. Histor. 34.

Καί μου ὄπισθεν ὁ παῖς λαβόμενος τοῦ ἱματίου] Simile loquendi genus in Parmenide, καί μου λαβόμενος τῆς χειρὸς ὁ Ἀδείμαντος, & principio quinti horum librorum, ὁ δὲ Πολέμαρχος ἐκτείνας τὴν χεῖρα, καὶ λαβόμενος τοῦ ἱματίου ἄνωθεν αὐτοῦ παρὰ τὸν ὦμον.

Καὶ Νικίου] Nicias hic Nicerati F. dux Atheniensium fuit in bello Peloponnesiaco. Videndus de eo Thucydides, & Plutarchus in ipsius vita. filium habuit eodem nomine quo patrem, cujus etiam mentio fit in Lachete extremo, ubi Nicias ipse loquens inducitur: Κἂν ἐγὼ τὸν Νικήρατον τούτῳ ὕδιστα ἐπιτρέποιμι, εἰ ἐθέλοι οὗτος.

Οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγὼ] *Nempe, enim vero*, &c.

Οὐκοῦν ἦν δ' ἐγὼ] Reprehendit eam distinctionem, qua usus erat Polemarchus, ut non αὐτοτελῆ. restare enim etiam unum, quod ipse addit.

Λαμπὰς] Certaminis genus hoc apud Athenienses fuit, quod λαμπαδουχίαν, & λαμπαδοδρομίαν vocabant. faces accendebant ex ara, easque manibus gestantes currebant, quam poterant longissime, & incitatissime. Quorum faces extinctae erant, quive in cursu defecerant, quive serius ad destinatum locum pervenerant, pro victis habebantur. Meminit Pausanias in Atticis. Certare autem solebant hoc modo in sacris Promethei, qui ferula correptum ignem, ne extingueretur, agitans, e caelo ad homines detulisse putabatur. Item in sacris Vulcani, quod is deus igni praeest. Et in sacris Minervae, cui tribuebant curam, & inventionem artium. Artes autem omnes indigent igne. Unde est apud Aeschylum, παντέχνου πυρὸς σέλας. Auctor Scholiastes Aristophanis βατράχοις. Sed & Plato in Politico, homines, cum prius ferarum more viverent, ait accepisse πῦρ μὲν παρὰ Προμηθέως, τέχνας δὲ παρ' Ἡφαίστου, καὶ τῆς συντέχνου. Qui autem curriculum suum confecerant, ordine aliis lampadas tradebant. Unde illud elegantissime dictum a Pla-

(*) Sic scripsi pro *historiam*, quod Editor Ingolstadiensis dedit, qui nec aliis multis locis Mureti manum assecutus videtur.

Platone lib. 6. de legibus: χοιρίνας τε καὶ ἐκτρεφούσας παῖδας, φῶτα λαμπάδα τε βίου προδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων, quem locum ita expressit Lucret. lib. 11. *sic rerum summa novatur*, &c. Sed cur & in Dianae sacris, ut ita certaretur, institutum est? An quia Diana eadem est & Luna, quae noctu quasi facem hominibus praefert, unde eam νυκτιλαμπῆ vocarunt, id est, ut Horatius, *noctilucam*? An quia maturos partus educit, vitaeque, ac lucis hominibus auctor est? Ex eo enim illam, Orpheus quidem, & Euripides, & alii, φωσφόρον, seu φαεσφόρον, Latini autem *Dianam luciferam*, ut Cicero de divinatione, aut *Junonem Lucinam* vocabant. Catullus: *Tu Lucina, dolentibus Juno dicta puerperis.* Horatius: *Tu laborantes utero puellas, Ter vocata audis*, &c. & alibi: *Rite maturos aperire partus, Lenis Ilithyia tuere matres. Lucem* enim, & *lumen* pro vita dicebant. Lucretius: *Lumina sic oculis etiam bonus Anchus reliquit.* Virgilius: *nunc cassum lumine lugent.* Itaque ad Dianam quoque Aricinam cum facibus ardentibus mulieres olim ex hac urbe currebant. Ovidius: *Saepe potens voti frontem redimita coronis Femina lucentes portat ab urbe faces.* Propertius: *Cum videt accensis devotam currere taedis, In nemus & triviae lumina ferre Deae.* Cur autem huic potissimum Deae ex equis? An quod ipsa quoque equis per caelum vehitur? Ovidius: *Altaque rorantes luna regebat equos.* Propertius: *Quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos, Et mediis caelo luna ruberet equis.* Eorum autem equorum album esse unum dicebant, alterum nigrum: quod luna & interdiu conspiciatur & noctu; ut apud Theonem in Commentariis in Aratum relatum est. Alii mulos lunae tribuunt, ut est apud Festum: alii juvencos. Isis enim & luna eadem est. Isis autem in juvencam mutata est. Avienus Ruffus: *Et quae noctivagos attollit luna juvencos.* Videntur autem Athenienses non tantum in Dianae, seu Proserpinae, sed & in Cereris sacris λαμπαδοφορίαν adhibuisse. Idque aperte significat Statius lib. 4. Sylvarum his versibus: *Tuque Actaea Ceres, cursu cui semper anhelo Votivam taciti quassamus lampada mystae.*

παννυχίδα] *Pervigilium* hoc Latini, aut *pervigilationem* dicunt, ut Cicero de legibus. Hoc ideo Cereri institutum, quia pervigilavit, dum raptam Proserpinam quaereret, accensas pinus manibus gerens: Proserpinae autem

sive

sive Dianae, vel ob eandem causam, vel quia totam noctem pervigilat, & hominibus lucet. Est enim, ut diximus, eadem *luna*.

Καὶ μὴ ἄλλως ποιῶν] Sic paulo infra: μὴ ἐν ἄλλως ποίᾳ, ἀλλ' ἐν τῇ ἡ τῷ ναῷ. &c. & rursus: μὴ ἐν ἄλλως πρᾶον. & paulo post: ἢ οἱ ἄλλοι ἱδρῶτι αὐτὸ μὴ ἄλλως ποιῶν.

Ἦμεν δὲ ἀμφὶ οὗς ὁ Πολεμάρχου, &c.] τὸν Ἀγαθύμου. Lysiam quidem & Euthydemum, Polemarchi fratres esse, jam dixi, & pro Euthydemo Eudemum apud Plutarchum corrupte legi. Trasymachus autem sophista, id est, *dicendi magister*, ex Chalcedone, Bithyniae urbe, oriundus fuit, Gorgiae, & Prodici aequalis. *Primus arte verba junxisse traditur*, ait in Oratore Cicero, aut, ut Suidas, periodon, & colon invenisse. stulte ait Suidas eum Platonis, & Isocratis discipulum fuisse: cum utroque antiquior fuerit. Philostratus oratorem, non sophistam fuisse ait. De Charmantida, nihil alibi memini legere. Clitophon autem Aristonymi filius, Thrasymachi sectator, ac familiaris fuit, cujus ex nomine inscriptus extat dialogus Platonis. Hujus pater Aristonymus, Platonis sodalis, quem & Plato in Arcadiam reipublicae constituendae causa mississe dicitur. Auctor Plutarchus adversus Coloten.

Μάλα πρεσβύτης] Sic in Euthyphrone: Πολὺ γε δεῖ πιπράσθαι. οὐ γὰρ δὴ τυγχάνει ὢν ὁ μάλα πρεσβύτης. & in Parmenide: τὸν μὲν ἐν Παραμενίδῃ ὁ μάλα πάνυ πρεσβύτην ὄντα, σφόδρα νεανίαν, πάλαι δὲ ὄντα τοῦ ὄντος.

Διὰ χάους] Sic principio Hippiae majoris: Ἱππίαν ὁ καλός τε, καὶ σοφὸς ὡς διὰ χάους ἥκει παρὰ τοὺς ἐκ Λακεδαίμονος.

Ἐστεφανωμένοι] Coronati sacrificabant, quod & ex antiquis marmoribus videre est. Philo adversus Cajum: ἐδόκουν γὰρ ἐν ἱδρῶτι ὄντες, &c. Plutarchus in Nicia: λίγιστοι γὰρ ἦσαν ἐπιλυσίας &c. Sed & dii ipsi coronis redimiebantur. Plautus itaque in Aulularia ita larem familiarem loquentem facit: *Huic filia una est; ea mihi cottidie, Aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat, Dat mihi coronas.* Et in eadem fabula senex: *Nunc tusculum emi, Et hasce coronas floreas.* &c. Coronabantur & victimae. Virgilius: *Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari, Et falsae fruges, & circum tempora vittae.* Tertullianus de Corona militis: *Ipsae denique fores, ipsae ho-*

hoſtiae, & arae, ipſi miniſtri & ſacerdotes eorum co-ronantur. Plato in Lyſide, de ipſo autem Lyſide loquitur, qui paulo ante ſacrificaverat: ἡ ἑστήκει ἐν τοῖς καιροῖ τε καὶ ναυσὶ στεφανούμενος, καὶ πλὴν ὄψις διαφέρων. Sed & animalia certis quibusdam feſtis coronabantur, ut Ambarvalibus boves. Tibullus lib 1. *Nunc ad praeſepia debent, Plena coronato ſtare boves capite.* Coronabantur autem qui ſacra faciebant, ut ſe quoque diis ſacros eſſe oſtenderent. Itaque eos violare nefas habebatur. Unde illa apud Ariſtophanem Carionis παρίπασα· Οὐ γὰρ μὰ τοὺς θεοὺς στέφανον ἔχοντα γε. Et ob eam cauſſam qui ſupplicandi aut pacis petendae cauſſa veniebant ad hoſtes, coronis, aut infulis Deorum velabant manus, ne a quoquam attingerentur. Tertullianus: *Apud veteres Coronarii ſupplices erant.* Sic apud Homerum Chryſes pro filia ſupplicaturus, ad Graecos venit, Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. Plautus in Amphitr. *Poſtridie in caſtra ex urbe ad nos veniunt flentes (Principes) Velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum. Velatis*, id eſt, ἐστεμμένας. Nam & στέφειν eſt *velare*. Homerus: Ἀμφὶ δὲ μορφὴν ἔσσε στέφειν. id eſt, *ornat*. Virgilius: *Nos templa Deum, miſeri quibus ultimus eſſet Ille dies, feſta velamus fronde per urbem.* Unde *velamenta*, Deorum coronae & infulae, ceteraque ornamenta & inſignia. Caeſar lib. 11. Commentariorum de Bello Civili, de Maſſilienſibus loquens: *Inermes cum infulis ſeſe porta foras univerſi proripiunt: ad legatos atque exercitum, ſupplices manus tendunt.* Proprie autem in ſupplicando praetendebant manu ramum oleae alba lana velatum, atque involutum. Et inde eſt apud Euripidem in Supplicibus: Ἱκτῆρα θαλλὸν πρόσπτυξ' ἐμὸν χέρα. Et apud Virgilium: *Praetenditque manu ramum felicis olivae.* Plutarchus in Theſeo: ὧ ἡ ἱκετηρία κλάδος ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας ἐστὶν ἐρίῳ λευκῷ κατεστεμμένος. Ariſtoteles in convivio, ut quidem eum citat Athenaeus, lib 13. ob eam cauſſam inſtitutum eſſe tradit, ut & victimae, & qui eas immolabant, coronarentur, quod nihil mancum, aut mutilum diis offerri fas ſit: ſed perfecta & integra omnia. Plenum autem quod eſt, id & perfectum eſt. At *implere* & *coronare* pro eodem ponuntur. Homerus: Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο. Sed plura alias. Nunc cetera perſequamur.

Digitized by Google

Δίφρου] Genus ſedis eſt, minus ſuperbum ac magnificum throno, & cliſino; ut notat Athenaeus lib. 5. Itaque Odyſſeae 19. Euryclone, Penelopes juſſu, Ulixi, qui tum domi ſuae pro mendico habebatur, affert Δίφρον ἰδέσθαι, ᾧ ἐπ' αὐτῷ κῶας ἔκειτο, ut in eo ſedens cibum capiat.

Ἐν τῇ αὐλῇ] Αὐλὴ qui *atrium* vertunt, faciunt imperite. atriis enim Graecos non uti, diſerte ait Vitruvius cap. 10. lib. 6. Porticus erat in interiore parte aedium ſub dio, ſoli & vento expoſita. Ibi ergo rem divinam fecerat Cephalus. videtur autem Cicero hunc locum adumbraſſe, in libris de Oratore, his verbis: *Tum Craſſum pulvinos poposcisse, & omnes in iis ſedivus, quae erant ſub platano, conſedisse dicebat.*

Ὦ Σώκρατες, ἥκιστά γε ἡμῖν] Ne ventitas quidem ad nos, ne domum quidem noſtram frequentas, non ſaepe nobis facis copiam tui.

Εἰκὸς] Ex hoc intelligi poterat, Cephalum ea, quae tum dicebat, vere, atque ex animo dicere. Nam in iis, quae repente, & ſubito quodam impetu fiunt, ſimulatio locum habere vix poteſt.

Ἀσπάζεσθαι] Ἀσπάζεσθαι, non tantum eſt *ſalutare*, quanquam id quoque, ſed amplexari, & ita excipere, ut amoris ſignificatio eluceat. σπάω, aut σπάομαι, eſt *trahere*. (unde *ſpado*, *ſpaſmus*, *ſpatha*) Homerus: Ἦ μὰ, τώ σε χερσὶ κέρα σπάσει Ἀντινόοιο. Ἀσπάζεσθαι igitur ita amplexari, ut vix avelli, atque abſtrahi poſſe videaris.

Ὦ Σώκρατες] Habet & haec proprii nominis appellatio blandum & φιλικὸν quiddam, in eo praeſertim, quem longo intervallo videas. ſignificat enim, eum tibi in animo haeſiſſe. ut contra ait Ariſtoteles 2. Rhetoricorum, eos, qui alieno nomine appellentur, aegre ferre ſolitos. Eſt enim argumentum ἀλιγωρίας. Itaque olim condidati in hac urbe, ne quem in eo genere offenderent, *nomenclatoribus* utebantur. Donatus ad finem Phormionis ait, hoc potentiorum erga inferiores blandimentum fuiſſe.

Δεῖσθε ἴσως] Bis eadem clauſula prope continenter uſus eſt, ut non elaborata eſſe, ſed ſponte fluere videatur oratio, qualis dialogos decet.

Φίλως γε, καὶ πάνυ εἰκότως] Praeclare imitatus eſt M. Cicero hunc locum in libro de ſenectute, ubi Catonem ita loquentem facit: *Ego vero propter ſermonis delecta-*

tionem, &c. Voluptates igitur corporis minores sunt in senibus: requirunt enim magnam abundantiam caloris, ac spirituum: quae esse in senectute non potest. Ideoque recte Horatius ep. ad Pis. *Multa ferunt anni venientes commoda secum, Multa recedentes adimunt.* Et alibi: *Singula de nobis anni praedantur euntes. eripuere jocos, Venerem, convivia, ludos.* Et Maro: *Omnia fert aetas, animum quoque.* Multis etiam rebus, propter novitatem, oblectantur adolescentes, quae senibus veteres, atque usitatae, & sunt, & videntur. Unde anus illa Terentiana, *Mihi jam*, inquit, *istaec res nihil voluptatis ferunt.* Multarum etiam rerum, quibus juvenilis aetas capitur, senes, quanta sit levitas, atque inanitas, vident; quoque sibi minus temporis superesse intelligunt, eo majorem illius rationem ducunt, idque melius, & utilius collocare conantur. At quae voluptates animi propriae sunt, quales sunt, quae ex recordatione, ac commemoratione recte factorum, ex honestis colloquiis, e magnarum rerum contemplatione, ac tractatione capiuntur, eae multo a senibus majores, multoque puriores, ac liquidiores sentiuntur. Nec injuria. Ut enim, quia in juvenibus corpus viget, animus imbecillus est, ideo magis eos afficiunt corporis voluptates: sic in senibus, quorum corpus, ut ait vetus poëta, *flaccet annis*, mens autem & consilium viget, mirum non est, voluptates corporis, ut hic Plato loquitur, deflorescere: eas autem quae ejus partis sunt, qua ipsi plus valent, crescere quotidie, & intendi. Sed videte, quam apto & apposito verbo, de corporeis voluptatibus usus sit Plato, cum eas dixit ἀνομαραίνεσθαι. quo verbo, in flosculis, qui celeriter decidunt, ac dissipantur, quorumque suavitas puncto temporis deperit, uti solemus. Theocritus: Καὶ τὸ ῥόδον, &c. Philodemus in epigrammatis: Μῆλον ἐγώ. βάλλει με φιλῶν σέ τις. ἀλλ' ἐπίνευσον, Ξανθίππη. κἀγὼ καὶ σὺ μαραινόμεθα. Cicero pro Coelio: *Amores autem*, &c. Catullus: *Idem cum tenui carptus defloruit ungui.*

Πυνθάνεσθαι] *Discere, audire.*

Ἂν πιθοίμην] *Audierim.* Est enim *auditus*, sensus disciplinae. Marsilius hic legere videtur: σφόδρα χαίρω διαλεγόμενος τοῖς πρεσβύταις. quod fortasse rectum est; neque enim potest Socrates eum dicere σφόδρα πρεσβύτην, quem paulo post ait esse ἐπὶ γήρᾳ οὐδῇ. Non enim significat, eum

eum esse morti proximum: ne molestus sit homini amico, eique male ominetur: sed omittit illud ἵνα τί, in quo peccat. ne illud quidem satis cum fide, πῶς ἐστι τραχεῖα καὶ χαλεπὴ, ἢ ἁπλῆ καὶ ἄπορος. Ita enim vertit: *quam aspera, & difficilis, vel quam facilis sit, & pervia.* Ego ita reddo: *qualis sit, aspera & difficilis, an facilis & commoda.* Atque hunc locum ita expressit Cicero in Catone majore: *Volumus sane, nisi molestum est tibi, Cato, tanquam aliquam viam longam confeceris, qua nobis quoque ingrediendum sit, istuc quo perveneris, videre quale sit.*

Τοῖς πρεσβύταις] Notandum est, quod ait Socrates, se valde gaudere sermonibus senum. Canos enim prudentia plerumque comitatur. Sophocles: Γῆρας διδάσκει πάντα, καὶ χρόνος τρέφει. *Senecta, & usus cuncta mortales docent.* Euripides: Ὦ τέκνον, οὐκ ἄπεστι τῷ γήρᾳ κακὰ, Ἐπίπλους τε, πόνοι τε, καὶ τὸ μεμφόμενον Ἔχει τι δοξεῖ δ' ἐσθλὰ τἀν τούτῳ σοφά. Id est: *O nate Eteocles, non malis mala omnibus Urgetur aetas. Usus annorum comes Juvenum ferocem animum anteit sapientia.* Et hoc est quod ait Ovidius: *non omnia grandior aetas Quae fugiamus habet. seris venit usus ab annis.* Aristoteles 6. Ethicorum: Δεῖ συνεῖναι τὸν ἔμπειρον, &c.

Ἐπὶ γήρᾳ ἰέναι] Sic saepe Homerus. Interdum de iis, quibus jam effoeta aetate vitae exitus appropinquat: ut Iliados χ. Πρὶν δ' μὲ τὸν δύστηνον, &c. Interdum de iis, quos ὁμηλικιώτας vocant: quomodo hic accipi puto. sic Odyss. ο. Οὐδ' ἔτι μοι γήραϊ ἰέναι. Phocylides: Χαῖρε σὺν ἡλίκοις' ἀμφὶ δὲ μίσχοι γήραϊ ἰέναι. Hesiodus: Ὃς δὲ μετὰ γήραϊ τε κακῷ ἐπὶ γήραϊ ἔρδῃ. Agathias lib. 7. Epigrammaton: Ἡ μαθὼν, &c. Herodotus Thalia: Ὃς δὲ πολλὰ μὲν ἐπόνησε, ἐς δέκατον δὲ ἔτος ἐπὶ τυραννίδα ἀφίκετο ἐπὶ γήραϊ ἰέναι.

Εὐωχεῖσθαι] Διὸ καὶ παρὰ τὸ δεῖπνον. sic *bene cenare*, ut, *Cenasti in vita nunquam bene.* Et *bene esse*, ut, *Bene erat, non piscibus urbe petitis. Si bene qui cenat, bene vivit, licet, eamus, Quo ducit gula.*

Πολλάκις δὲ παροιμίᾳ τινὶ] Cicero in Catone: *Saepe enim interfui querelis*, &c. Vetus autem proverbium significat, ut opinor, Plato id, quod est apud Aristotelem primo de arte dicendi: Ἅπαξ ἅπαντα τέτμηκε. Γέρων γέγονε γλῶσσαν οὐδὲν ἔχει. Πῶς σοφὸς, ἢ γνώμαις ἀστόχοισι γαμεῖ. Plutarchus de discr. adul. & am. ὡς ἐμὲ δ' ἐμοῦσιν. Ἔχων δ

φῶς τι φῶτι, ἢ λύκῳ λύκος. Theocritus: Τίπτε μὲν τίπτα φίλῳ, μίμμαισι ἢ μύεμμαι, Ἴρηκες δ' ἴρηκι. Ait autem ἀ ζῶντες. Nam & ἀ ζῆν dicebantur, qui voluptatibus fruebantur. *Vos sapere, & solos ajo bene vivere.* Et: *Vixit, dum vixit, bene.* Et: *Si bene qui cenat, bene vivit.* Et: Νῦν ἢ ἀδὺ ζῶντες, secundum illud Mimnermi: Τίς ἢ βίος, τί ἢ τερπνὸν ἄνευ χρυσῆς Ἀφροδίτης;

Ἕτεροι δὲ ἢ τὰς τῶν οἰκείων] Altera haec est querela vulgi, de senectute, quod propter imbecillitatem, contemptui ac ludibrio sit; de qua ita Caecilius apud Ciceronem in Catone: *Tum etiam in senecta hoc deputo miserrimum, Sentire ea aetate esse odiosum se alieni.* Menander: Πικρόν ἐστι γήρως κἂν ὁλιγοχρόνιον. Ἐμοῦσιν] Hoc tantum nomine, inquit, senectutem celebrant, ac praedicant, quod multorum malorum sibi caussa sit. Nota autem etiam vulgo sunt haec de re luculentorum, & primae notae scriptorum testimonia. Sophocles: Πάντ' ἐμπέφυκε τῷ μακρῷ γήρᾳ κακά: *Incommoda insunt omnia, aetate in mala.* Euripides: Μακρὸς γὰρ αἰὼν μυρίας νέμει πόνους. *Magnam senectus vim miseriarum parit.* Antiphanes: Σφόδρ' ἐν ἐμοῖς ἀστοχεῖ τὸν βίον. Ὅταν γὰρ τὸ λοιπὸν μικρὸν, ὄξος γίνεται. *In vita idem plerumque quod in vino evenit. Ubi prope fluxit tota, quod supereſt, acet.* Et idem poëta scripsit, *senectutem esse quasi aram, ad quam mala omnia confugiant, aut tanquam ergastulum, in quod mala omnia concludantur.* Sed haec omnia vulgata sunt.

Καὶ ἐγὼ αὖτε] Τοῦτο, ἔφην, τοιοῦτόν ἐστιν, ut in Alcibiade I. ἐγὼ γάρ τοι τὸ μὲν ἐμὸν ἀστεῖόν ἐστι μειρακίῳ τοιοῦτῳ ὄντι. & saepe alias.

Ἔγωγ' ἢ δοκοῦσι] Hi mihi quidem, inquit, non eam quae est, adferre horum incommodorum caussam videntur. Vera enim caussa in omnibus, quae sunt ejusdem generis, valet. Quare si haec senectus efficeret, omnibus senibus eadem evenirent. At multi eam placide ac molliter ferunt: seque quibusdam corporis voluptatibus carere, tantum abest, ut doleant, ut sibi etiam, quod ab earum cupiditate liberi jam, ac soluti sint, magnopere gratulentur. Nam si difficilis & operosa res est, ut ille ait, δῆλον γυναῖκ' εὐφρονοῦντ' ἀνιαρόν, Aristophanes Pluto: quanto durius est servire voluptati, quae, ut ait Plautus, *moros & morosos facit*: ut Homerus, πολυφο-

νέων

νόον πύκα περ φρονέοντος? Est autem argumentum a consequentibus, cujus prima sumptio, ut per se nota, ponitur, adsumptio autem, & aliorum senum, & nominatim Sophoclis exemplo comprobatur. Jam haec ita sunt a Marco Tullio expressa in Catone: *Qui mihi non id videbantur*, &c. Illud vero de Sophocle, eodem in libro, his verbis: *Bene Sophocles: cum ex eo*, &c.

Ἕνεκά γε γήρως] Si quidem haec incommoda non aliunde quam a senectute proveniunt: si sola eis caussam adfert senectus. Hoc Latine etiam ita diceretur: *Senectutis quidem caussa.* Plautus Menaechmis: *Mea quidem hercle caussa liber esto, atque ito quo voles*. id est, si nemo alius libertatem tuam impedit, egoque tibi, ut ais, eam praestare possum, per me quidem liber esto. Diceretur Latine & hoc modo: *Quantum ad senectutem.* Propertius: *Quantum ad Penelopen*, &c. Neque hoc satis assecutus videtur Marsilius, qui ita vertit: *propter senectutem*. sic hoc ipso in lib. ἀλλὰ ἕνεκα ἀργυρίου, ὦ Θρασύμαχε, λέγε. & in Cratylo: ὥστε τούτου γε ἕνεκα θαῤῥῶν λέγε εἴ τε ἔχεις βέλτιον. & in Theaeteto: προθυμίας μὲν ἕνεκεν ὦ Σώκρατες φανεῖται. quem locum Marsilius ineptissime vertit, hoc modo: *Annitendi caussa o Socrates haec agemus*. & in Sophista: θαῤῥῶν ἴθι τούτου γε ἕνεκα.

Σοφοκλεῖ] Paulo aliter hoc Sophoclis dictum effert Aeschines. non enim, ut *a rabioso domino*, sed ut *a cane rabiosa*, ita se a voluptate Venerea fugisse, dixisse, ait. Ejus verba haec sunt: καὶ ὅπερ φασὶ Σοφοκλέα ἤδη γέροντα ὑπὲρ ἄλλης ἡδονῆς εἰπεῖν, ὥσπερ κυνὸς λυττείσης ἀπηλλάχθαι. At Plutarchus eodem prope modo, quo Plato, in libro, περὶ φιλοπλουτίας Ὁ Σοφοκλῆς, inquit, ἐρωτηθεὶς εἰ δύναται γυναικὶ πλησιάζειν, εὐφήμει, ἄνθρωπε εἶπεν, ἐλεύθερος γέγονα, λυττῶντας, καὶ ἀγρίους δεσπότας διὰ τὸ γῆρας ἀποφυγών.

Εἰ οὖν μοι καὶ τότε] Hoc est, *Ille igitur mihi, & tunc recte dixisse visus est, & nunc quoque videtur. omnino enim magnam pacem, magnamque libertatem a talibus rebus affert senectus. Etenim simulatque cupiditates trahere hominem desierunt, remiseruntque se, evenit omnino, id quod Sophocles dixit, ut a dominis valde multis, iisque furentibus liberemur.*

Τῶν γε τοιούτων ἐν τῷ γήρᾳ, πολλὴ εἰρήνη γίνεται καὶ ἐλευθερία] Id est, *Senectus eos, quasi vindicat in libertatem, & quasi liberali adserit caussa manu.* Primum voces ipsas

notandas esse arbitror, quibus significat, eum animi habitum, qui efficitur compressis, ac sedatis cupiditatibus. Vocat autem eum, *pacem & libertatem*. Ex quo intelligi potest, ei contrarium habitum similem esse bello, seditioni ve, & servituti. Cupiditates enim non solum rationi adversantur, verum etiam sibi. Saepe igitur alio avaritia trahit, alio ambitio: quod libido imperat, vetat metus: a quibus inter se pugnantibus, stultorum animus non aliter dilaniatur, ac divellitur, quam in poëtarum fabulis Pentheum a Bacchis furentibus discerptum ferunt. Itaque si civitas in seditione felix esse non potest: si misera domus est, in qua familiares inter se digladiantur, ac disentiunt: quae infelicitas ejus est, cujus animus perpetuo secum ipse discordat? Neque vero aut durior ulla est, aut foedior servitus, quam eorum, qui cupiditatibus serviunt. Jam quod ait, παύσει γὰρ τοιαύτης, ἢ χαλάσει, id quale sit, ex iis quae dicturus sum, intelligetur.

Erant in usu antiquitus ad pueriliorum oblectamentum icunculae quaedam eo artificio confectae, ut cum quis unum funiculum attraheret, earum aut manus, aut collum, aut pes, aut alia aliqua corporis pars moveretur. Ea vocabant θαύματα, quod pueris, & imperitae multitudini admirationem commoverent. & qui tales icunculas lucelli atque quaesticuli causa circumferebant, νευροσπάστας dicebantur. De quibus ita scriptum est in libello ad Alexandrum de mundo: ὁμοίως δὲ καὶ οἱ νευροσπάσται μίαν μέν τινα ἐπιστασίαν ποιοῦσι καὶ σύνταξιν καὶ κόσμον τοῦ ζώου, καὶ ὄμμα, καὶ ὀφθαλμόν, ἐπὶ δὲ τῷ παίειν τὸ μέρος μιᾷ κινήσει διορθοῦσι. Ita igitur Plato hominem, quasi oblectamentum quoddam deorum putat, tali quodam artificio effictum. & eo respexit Plautus in Rudente, cum ita scripsit: *Enimvero Dii nos pro pilis homines habent.* Esse autem in nobis funiculos duos, quibus trahamur, & moveamur, ad agendum, *voluptatem & dolorem.* Hac de re ita ipse libro primo de legibus: θαῦμα μὲ ἔσεσθαι ὑμῖν ὑγιαίνοντα τὸν θεὸν, (ita lego) ὅτι ὡς παίγνιον ἡμῶν, ἢ σπουδῇ τινι συνηγμένοι. τὸ γὰρ δὴ τοῦτό γε γενόμεθα μάλιστα. τίδὲ δὴ ἴσμεν, ὅτι ταῦτα τὰ παθήματα ἐν ἡμῖν οἷον νεῦρα, ἢ μυελοί τινες ἐνόντες, σπασθέντα τε ἀλλήλοις ἀντιλήκοντα ἐναντίαι ἄγει ἐπ' ἐναντίας πράξεις. quem locum non satis assecutus est Marsilius. eum autem ita Plato ipse repetit lib. 7. φημὶ ἐκ θεῶν τὸ μὲ σπουδαῖον σπουδάζειν, τὸ δὲ μὴ σπουδαῖον

Digitized by Google

μὲν φύσει δὲ οὖσι ἡδὺ μὲν πάσης ἀφροδίσιου πικρὰς ἄξιον, ἀνήμερον δὲ, ὅπερ ἄκουσιν ὑμῖν δοκῶ, ἡδὺ τὸ παίγνιον εἶναι μαινομένοις. Et eo respexit Horatius; cum homines libidini addictos, *alienis* quodammodo *nervis* trahi scripsit. *Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.* At senes moderati, ac compositi illis nervis, ac funiculis non amplius moventur. Nam neque trahit eos quoquam libido, neque ea molestia, quam fere juvenes praetermittendis corporis voluptatibus capiunt. Carent illis aequo animo, & earum vel satietate, vel contemptu, liberam, ac solutam a cupiditatum imperio vitam agunt. Ad illos igitur talium imaginum funiculos, sive nervos respiciens Plato, usus est verbo προτείνω, & verbo χαλᾷν, quorum utriusque, in iis machinis quae funibus intorquentur, atque intenduntur, proprius usus est. Sed ex interpretatione Marsilii hoc ne suspicari quidem quisquam potest. Ita enim vertit: *Quando enim deferbuerunt jam cessaverunt que libidines*, &c.

Ἀλλὰ τῇ τύχῃ] Falsam causam querelarum excluſit, ac rejecit. nunc, quae vera sit, docet. totum enim hoc ex hominum moribus pendere ait. qui enim moderati & bene compositi sunt, eis senectutem, non illam quidem omnino dolorum expertem, sed tolerabilem tamen esse: qui secus, eis & senectutem, & juventutem difficilem evenire. Hoc Cicero ita expressit: *Sed omnium istius modi querelarum* &c. Idem ita expressum a veteris Comoediae scriptore, Anaxandrida, apud Stobaeum legitur: Οὔτοι τὸ γῆρας ἐστὶν οἷς οἶμαι, πάσης, Τῶν φορτίων μέγιστον. ἀλλ' ὡς ἂν φέρῃ Ἀγαθοκλῆς αὐτό, οὕτως ἐστὶν αὐτῷ. Ciceronis locum, ut hoc moneam, ita Gaza Graecum fecit, Platonis, credo, locum respiciens: Οἱ μὲν ἡδὺ τύπτεσθαι, τῷ μὴ δύνασθαι μηδ' ἀπαλλάττειν χάριτας ἀπάντων διάγουσι γέροντες. τὸ φορτικὸν δὲ τῷ ἀπαλλάττειν χαλεπὸν πᾶσι τὸν βίον ἐστί.

Καὶ ἐγὼ ἀγασθεὶς αὐτοῦ ἐπαίνῳ] Id est, *Tum ego iis illius sermonibus hilaratus, qui plura ab eo dici cuperem, ita eum provocabam. Existimo equidem, Cephale, plerosque, cum a te ista dicuntur, non acquiescere: sed in ea esse sententia, ut propter opes & copias, non propter compositos mores, facile a te ferri senectutem putent. Ideupletibus enim multa, ut dicitur, sunt solatia.* Cicero: *Est ita, ut dicis, Cato*, &c.

Ἀποδέχεσθαι] Est eo quod dicitur contentum esse, eique acquiescere, neque quidquam praeterea requirere. ἀγαπᾷ. Aristoteles primo Νικομαχείων· ὁ δὲ ἀκρατὴς ὅτι φαυλότητι ἡδονῆς τὸν προαιρετὸν ἀποδέχεται, ἐκ μεταβολῆς ἀποδείξει ἀπιστον. Plato in Theaeteto: σκοπῶμεν δὲ καὶ τὸ τῆς Θεοδώρου, οὐ δικαίως ἐπιπλοκὴν τῷ αὐτῷ περὶ πλουσίων, λεγομένης λόγους. Idem in Timaeo: Ἄγετε, ὦ Τίμαιε, παντάπασι τὴν εἰς ἕκαστον, ἀποδεκτέον. Videtur autem indicare versiculum vulgatum, & proverbii loco habitum: Τοῦ πλησίον σοφὸν εἶναι οὐ ῥᾴδιον.

Ὅσον εἰσοῖτο] Marsilius legit, ὅσον εἶδον τε. Vertit enim: *Quantum dici posset*. sed inepte. Contrario autem modo peccatum est apud Aristotelem 2. εὐ. μεγάλ. ubi ita legitur: ἐγὼ μὲν, εἰ ἦν τε, φίλιππος ἂν οὐκ ἦν, cum legendum sit, εἰ εἰσοῖτο. Idem ineptissime reddidit responsum Themistoclis, hoc modo: *Equidem, si ipse Seriphius essem, in eadem gloria viverem. Tu vero, si Athenienses, minime*. & aeque male quae sequuntur. Idem quoque adversus eos, qui, cum non sint divites, graviter senectutem ferunt, dici potest, quod neque vir ipse modestus inique senectutem ferret cum paupertate, neque immoderatus cum divitiis facile. Hoc quoque ita Cicero expressit: *Est illud quidem, Laeli, aliquid*, &c. Narrat hoc & Plutarchus in Themistocle, & in Apophthegmatis. Seriphus autem una est ex Cycladibus usque eo petrosa, ut datus sit fabulae locus, Perseum, cum illuc Medusae caput tulisset, ostenso eo, quicquid illic hominum erat, in saxa mutasse. Sentiebat igitur Themistocles, quem Cicero *principem Graeciae* vocat, claritatem patriae nonnihil ad gloriam habere momenti, quod sive Euripides, sive quis alius, postea in Alcibiadis encomio dixit, ut est apud Plutarchum in Demosthene: Χρῶμαι τῷ Εὐριπίδου περὶ ἐνταῦθα τοῦ πόλει ἐδόκιμον. Sed non tantum in eo esse, quantum ille Seriphius volebat. Athenienses autem civitatis summa nobilitas erat, quam quidam apud Athenaeum in primo vocat λαμπροτάτην πολιτικὴν πανήγυριν, ἀς ὁ Ζεὺς ἀναφλύων, quam Ἑλλάδος μυστήριον, Ἑλλάδος πρυτανεῖον, Ἑλλάδος ἰσθμὸν, Ἑλλάδα Ἑλλάδος vocabant. auctor Eustathius in Illiad. 284. Πάσαις γὰρ πολίταις λόγος ὁμιλᾶ Ἀρχαῖος αὐτῶν, ait Pindarus. Quae ita antiqua est, ut ejus quae fuerit origo ignoretur, ut hic noster in Timaeo ait. quae prima produxit homines, prima fruges, prima humanitatem,

tem, cum ceteris hominibus communicavit: ex qua innumerabilis quaedam hominum, partim virtute bellica, partim doctrinae gloria insignium extitit multitudo. Sed Athenas ornare laudibus, non est hujus instituti.

Μέσος γάρ τις γέγονα χρηματιστὴς] Id est, *Pecuniae & rei familiaris administrator.*

Ὁ μὲν γὰρ πάππος τε, καὶ ὁμώνυμος ἐμοί, &c] Quod ait, avum sibi ὁμώνυμον fuisse, in eo notari potest vetus Graecorum consuetudo, quam plerique etiam hodie tenent, ut patris sui nomen alicui ex filiis suis imponant, quo avorum in nepotibus memoria renovetur. Sic Nicias Nicerati filius, ut supra diximus, Niceratum habuit filium. Sic in Lyside, Lysis Democratis filius, Lysidis nepos. Sic Aristoteles, Nicomachi filius, filium suum Nicomachum vocavit. Sic senex ille e nubibus, cum uxor nato filio, aut Xanthippo, aut Charippo, aut Callippidae nomen esse vellet, Ἐγὼ δὲ, inquit, τῷ πάππῳ ἐτιθέμην Φειδωνίδην. Romae autem fere, qui primus filius susceptus erat, ei patris praenomen imponebatur.

Τούτου ἕνεκα ἠρόμην, ἢν δ' ἐγὼ, &c.] Hunc locum imitatus est Aristoteles 4. Νικομαχ. his verbis: ἐλευθεριώτεροι δὲ οἶναι δοκοῦσιν οἱ μὴ κτησάμενοι, &c. & lib. 9. πᾶς γὰρ τὸ οἰκεῖον ἔργον, &c. Cicero 5. Tuscul. & libro 2. epistolarum ad Quintum fratrem, nos in epigramma Catulli in Fufenum.

Ἀλλά μοι ἔτι τοσόνδε εἰπὲ, &c.] Id est, *At tu mihi praeterea hoc quoque dicito, quem tibi maximum ex divitiarum possessione fructum percepisse videaris. Eum, inquit, quem si dicam, non facile multis, ita esse persuaserim. Ita enim habeto, inquit, Socrates, cum quis eo pervenit, ut mortem non longe abesse a se putet, subire animum ipsius metum, & curam earum rerum, de quibus antea non cogitabat. Nam & fabulae, quae de inferis circumferuntur, quicquid hic injuste egerit, luendas illic esse poenas, irrisae usque ad id tempus, tunc demum convertunt ad se illius animum, ne forte verae sint, & ipsi, sive ob senectutis imbecillitatem, sive quod, ut qui propinquior jam sit, quae illic geruntur, magis quodammodo videat, suspicione & horrore oppletur animus. Subducit igitur jam rationes ipse secum, & reputat, si quam cui injuriam fecit. Qui igitur in anteacta vita, multa a se injuste facta reperit, is & e somnis, ut pueruli solent, crebro excitatus horrescit, & vivit pessima omnia expectans.*

At qui nullius sibi injusti facinoris conscius est, eum perpetua spes jucunda comitatur, bona senectutis nutrix, ut eam vocat Pindarus. Eleganter enim, Socrates, id ille dixit, qui juste, sancteque vitam egerit, jucundam ei spem comitari, fovent em cor, senectutis nutricem, quae maxime mortalium volubilem gubernat animum. Bene igitur ille, & mirabiliter dicit. Egoque eo potissimum nomine divitiarum possessionem plurimi faciendam esse duco, non cuilibet, sed bono viro. Nam ita vixisse, ut ne invitus quidem quenquam fefelleris, aut cuiquam mentitus sis, cumque neque Deo sacri non soluti, neque homini cuiquam pecuniae debitor sis, ut illuc deinde pavidus proficiscaris: magnam partem, ut quis id praestare possit, in divitiis situm est. Habent & alios usus sane multos. Sed, si quis singula cum singulis conferat, equidem, Socrates, non minimam hanc dixerim esse earum utilitatem, quae ex divitiarum possessione capiuntur.

Primum hic notandum esse duco, quem boni viri maximum divitiarum fructum esse ducant. Non enim, ut eas heluationibus, scortationibusve consumant, non ut libidines suas expleant, non ut male partis pejus abutantur: sed ut ne quid per inopiam, quod minus decorum, aut minus honestati consentaneum sit, facere adigantur. Nam paupertas ad multas quidem virtutes hominem quodammodo aptiorem facit. Si quidem & industriam excuit, & torporem ac segnitiem fugat, & modestiam docet, & luxu hominem diffluere non patitur, sed eum quodammodo etiam invitum ad sobrietatem, & ad temperantiam adigit. Sed contra etiam magnam nonnullis objicit peccandi occasionem. Quam multae mulieres inopia coactae, pudorem aut suum, aut filiarum prostituunt? Quam multi ob paupertatem divitibus indecore, ac turpiter adulantur? Quam multos fures paupertas facit? Quam multi mutuo (*) sumunt, quod se nunquam reddituros esse sperant, ac deinde multis mendaciis ludificantur creditores suos, non facturi, nisi paupertas cogeret? χρημάτων, ait Theognis, [illegible], &c. Itaque Persae, ut est apud Herodotum lib. 2. mentiri, omnium rerum turpissimum esse ducebant: secundo autem loco, cuiquam po-

(*) Rectius *mutuum* scripsisset. Vide Gronovium de Pecun. Vet. III. 1. p. 114.

Digitized by Google

pecuniam debere: quod fieri vix putarent posse, ut qui aes alienum contraxisset, non idem mentiri cogeretur.

Neque non illud quoque animadvertendum est, senes, & eos quibus vitae exitus appropinquat, saepe cogitare de altera vita, & de suppliciis, quae improbis apud inferos constituta esse dicuntur. Juvenes enim ea plerumque contemnunt, quia longe adhuc mortem a se abesse existimant. Est autem ita natura comparatum, ait Aristoteles lib. 11. de arte dicendi, ut minus timoris incutiant ea, quae longe abesse creduntur. At senes, sive quod natura, & aetatis imbecillitate, ac caloris, & sanguinis inopia timidi gelidique sunt, & δυσέλπιδες, sive etiam, quod ea melius ac certius vident, quibus jam appropinquant, talium rerum cogitatione saepenumero cohorrescunt. Praeclare enim hoc Platonici: ut qui adhuc in medio flumine navigant, non tam acute vident, quae in ripa fiunt: qui autem ab ea non longe absunt, certius ea, ac liquidius intuentur: ita homines in medio aetatis cursu, non facile videre animo ea quae post hanc vitam unumquemque nostrum manent: qui autem jam prope ripam remigant, ab eis, quo propius absunt, illa melius ac certius perspici. Quare sapienter Plato in illo divinitus scripto libro decimo de legibus ait, neminem qui adolescens Deos non esse opinatus sit, in illa opinione usque ad senectutem perstitisse. Sed quid est, quod ea quae de inferis dicuntur, μύθους vocat? An de sententia juvenum loquitur, a quibus, ait, illa contemni? An potius, cum inferos quidem esse, & illic post hanc vitam poenas pro peccatis lui, pro certo atque explorato habeat: id enim, & ex aliis locis, & ex Phaedone, & ex decimo de Republica constat: ea tamen quae vulgo de inferis circumferebantur, pro fabulis habet? Ita certe hujus aemulus Cicero 1. Tuscul. *Dic, quaeso, num te illa terrent*, &c. Haec Cicero, qui non inferos quidem ipsos, sed totam illam ἐν ᾅδου τραγῳδίαν vanam ac ridiculam putaret. Sed illud quoque nobis accurate notandum est, quod hoc loco a Platone verissime dicitur, homines multorum sibi injuste factorum conscios nunquam quiescere, sed horrore poenarum, quas se promeritos sentiunt, identidem concuti, ita ut etiam saepe ex somno excitentur. Hunc locum mihi quidem imitatus videtur Cicero Philippicarum lib. 2. his verbis: *Neque vero te unquam, neque vigi-*

vigilantem, &c. Atque interdum fit, ut sibi eorum spectra, atque imagines videantur intueri, in quos atrox aliquid, ac nefarium perpetrarunt. Sic Orestes in fabulis videt matrem quam interfecerat: Ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ πόσειέ μοι τὰς αἱματωπὰς καὶ δρακοντώδεις κόρας. Sic Dido se mortuam Aeneae occursuram minatur. — *sequar atris ignibus absens*, &c. Sic Nero saepe confessus est, exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac taedis ardentibus. Sic Theodericus, rex Gotthorum, cum Symmachum & Boëthium contra fas occidisset, paucis post diebus, videre visus est in lance caput Symmachi torvis se oculis intuentis, & admorso labro inferiore minitantis. Quo pavore ita consternatus est, ut paucis post diebus obierit. Atque hae sunt poenae, furiae, erinnyes, quae impios persequi atque agitare dicuntur. Cicero pro Sex. Roscio Amerino: *Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis*, &c. Idem in Pisonem: *Nolite enim ita putare, P. C. ut in scena*, &c. Idem in Paradoxis: *Te conscientiae*, &c. Qui omnes loci imitati videntur ex Aeschine in oratione κατὰ Τιμάρχου. Jam illius bonae spei, cujus plenos esse ait eos Plato, cum mors appropinquat, qui juste pieque vixerunt, luculentum exemplum est in Socrate: qui jam jamque moriturus, securo & hilari animo est. Ita igitur: αἰνδιαιεύει γάρ μοι τὸ ξυμβεβηκὸς τοῦτο, ἀγαθὸν γεγονέναι. καὶ οὐκ ὄσθ' ὅπως ἡμεῖς ὀρθῶς ὑπολαμβάνομεν, ὅσοι οἰόμεθα κακὸν εἶναι τὸ τεθνάναι. Et paulo infra: ἀλλὰ μοὶ δῆλόν ἐστι τοῦτο, ὅτι ἤδη τεθνάναι, καὶ ἀπηλλάχθαι πραγμάτων βέλτιον ἦ μοι. Videtur autem Marsilius locum illum non satis intellexisse, ubi ait Plato, τὸ γὰρ μηδὲ ἄκοντά τινα ἐξαπατῆσαι ἢ ψεύσασθαι. quippe qui ita verterit: *Cum neque invitum quempiam circumvenerit, neque mentitus fuerit.* Vertendum enim erat: *Ut ne invitus quidem quempiam circumvenerit.* Nam etiam pauperrimus quisque praestare hoc potest, ne volens quenquam fraudet, neu volens cuiquam mentiatur. At interdum invitus alios fraudare cogitur, cum unde eis, quod debet solvat, non habet: eademque de caussa invitus interdum mentitur, ut, cum certa die pollicitus est se aliquid praestiturum, & ne id faciat, paupertate prohibetur. At divites nihil horum inviti faciunt.

Παγκάλως, ὦ δ' ἐγὼ, λέγεις, ὦ Κέφαλε, &c.] Id est, *Praeclare, inquam, dicis, Cephale. Hoc autem ipsum justitiam,*

tiam, nunquid idem, quod veritatem esse dicemus? Isto modo absolute, & quod quis ab aliquo acceperit, id reddere: an haec quoque ipsa interdum quidem juste, interdum etiam injuste facere aliquis potest? Quod autem dico, hujusmodi est. Nemo est quin fateatur, si quis ab amico mentis compote arma accipiat, qui ea deinde furens repetat, talia deposita reddenda non esse, neque justum fore, qui reddiderit, aut qui sic affecto homini vera omnia eloqui velit. Recte, inquit, dicis. Non igitur haec justitiae finitio est, vera dicere, & quae quis acceperit reddere. Imo vero prorsus ita est, inquit Polemarchus, tanquam disputandi onus in se suscipiens, o Socrates, si quidem Simonidi audiendum est. Ego vero, inquit Cephalus, vobis hoc discutiendum relinquo: me enim jam sacra curare oportet. At ego, nonne, inquam, Polemarchus tuorum heres est? Est vero, inquit ille arridens, simulque ad sacra profectus est.

Ingressio haec est in disputationem de *Justitia*, ducta ex Cephali verbis. Cum enim dixisset, qui multa injuste patrasset in vita, eum nunquam conquiescere, sed & vigilantem, & dormientem terreri metu poenarum, quae injustis apud inferos propositae esse dicuntur: eum contra, qui nihil tale fecisset, tranquillo, & securo animo esse, cum memoria repeteret, neminem a se in fraudem inductum esse, nulli se unquam mentitum, nulli, quod ab eo accepisset, non reddidisse: ex eo satis aperte colligi poterat, eum duabus hisce in rebus justitiam collocare, ut & vera diceret quis, & suum cuique redderet. De eo igitur nunc disputare incipit Socrates. Ac certe, negari non potest, quin magna pars justitiae in eo posita sit, ne mentiamur. Si quidem fides, ut recte ait Cicero, justitiae fundamentum est. Fundamentum autem fidei veritas. Quam, divinitus ait Plato lib. 5. de legibus, & diis, & hominibus ad bona omnia ducem esse: eumque qui mentiatur, si volens id faciat, infidelem esse: sin invitus, imprudentem; quorum neutrum esse aemulandum. Et ante eum Pythagoras, homines nulla re propius Deum accedere, quam veritate. Neque mihi alienum ab hoc loco videtur, commemorare quaedam, quae veteres apud Homerum annotarunt, quibus ostendunt, nihil Dei magis proprium esse, quam veritatem. Apud eum enim Jupiter, cum Thetidi quiddam promisisset, ita eam postre-

mo

mo alloquitur, Iliad. α. Εἰ δ' ἄγε τοι κεφαλῇ [illegible], &c. Notant igitur, tribus modis evenire posse, ut homines, cum quid promiserint, fidem fallant, ac mentiantur. Aut enim sententiam postea mutant, in quo aut levitas, & inconstantia est, aut inconsiderantia ejus, qui quid temere promiserit; & hoc a se afore, ait Jupiter, cum quod capite annuerit, negat fore [illegible]: aut quod promiserunt, non vere atque ex animo, sed fallendi caussa promiserunt, id quod a se amovet, cum ait, οὐδ' ἀπατηλὸν, aut promissa praestare non possunt, & ne hoc quidem in se valere ostendit, cum ait, οὐδ' ἀτελεύτητον. Neque enim mutatur Deus, neque quenquam fallit, neque quo minus praestet id quod promisit, virium inopia impeditur. Justus itaque est, & veridicus, ac fidelis. Sed & Horatius ode 24. lib. 1. cum justitiae sorores esse dixit *fidem*, & *veritatem*, satis docuit, magnam eis esse inter se conjunctionem. Et apud Latinos *verum* interdum pro justo ponitur. Cicero: *Negat verum esse M. Cato, benevolentiam cibo allici.* Terentius: *Ah, hoccine verum est?* Horatius: *Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.* Virgilius: —— *Me verius unum, Pro vobis foedus luere, & decernere ferro.* Ex quo magis etiam intelligitur, non male a Cephalo in definitione justitiae positam *veritatem*. Sed & illud exploratum est, cum in suo cuique tribuendo versetur justitia, nihil tam justitiae proprium esse, quam ut ne quid retineamus alienum. Quibus cognitis, videamus nunc, quomodo adversus ea Socrates argumentetur. Ac primum quidem illud ponendum est: si ipsa justitiae vis, natura, οὐσία, in eo posita est, ut vera dicamus, & ut suum cuique reddamus, nullo prorsus casu evenire posse, ut quisquam hoc ipso, quod haec faciat, injustus esse, aut injuste facere dicatur. Non enim quisquam aut caecitate videre potest, aut propterea quod videat, caecus esse: non magis quam quod agat ea quae calidi sunt, frigere, aut contra. Et cum temperantia in praetermittendis inhonestis voluptatibus, honestis autem modice persequendis sita sit: fieri prorsus non potest, ut haec quae temperantiae propria sunt, ita agat quis, ut propterea intemperans esse dicatur. At potest aliquis, & hoc ipso quod verum alicui dicat, eique suum restituat, injuste facere: non est igitur in eo justitiae natura & essentia posita.

Pos-

Posse autem id evenire, ostendit exemplo, cum ait, [illegible], &c. Quod ita expressit Cicero 3. de officiis: *Si gladium* &c. Et addit aliud simile: *Quid, si is qui apud te pecuniam*, &c.

Οἷά [illegible] Hoc ipse ostendit in Alcibiade secundo, ubi docet, imprudentibus quaedam ignorare, utilius esse, quam scire. Sic, si duo vasa posita sint, unum veneni, alterum liquoris innoxii: & qui se interficere vult, cum in utro venenum sit, nesciat, ex te id percontetur, probi viri fuerit mentiri, improbi & nefarii verum dicere, si eum aliter, quam mentiendo, ab eo, quod proposuit, avocare non possit.

Πάνυ μὲν οὖν] Inepte Marsilius: *Recte nimirum dicis, o Socrates, sermonem subjiciens Polemarchus inquit.* Polemarchum enim qui propositam justitiae finitionem auctoritate Simonidis, adversus Socratem tueri vult, ipsi Socrati assentientem facit. Deinde ne intelligit quidem, quid sit, ὑπολαβὼν τὸν λόγον.

Καὶ μήν τι ὦφη ὁ Κέφαλος] Sic Cicero Scaevolam a disputationibus illis per occasionem removit. Qua de re ita lib. 4. ad Atticum, epist. 16. *Quod in iis libris, quos laudas, personam*, &c.

Λέγε δή, ἔφην ἐγώ, σὺ ὁ τοῦ λόγου κληρονόμος, &c.] Id est, *Tum ego, dic, inquam, igitur tu qui sermonis heres es, quid tandem ais, recte de justitia Simonidem dicere? Jus esse, inquit, ea cuique, quae cuique debentur, tribuere: hoc dicens, pulchre mihi dicere videtur. At vero, inquam, Simonidi non credere, haudquaquam facile est. Sapiens enim vir est, & divinus. Sed quicquid tandem illud est, quod dicit Simonides, tu fortasse, Polemarche, intelligis, ego autem ignoro. Constat enim, non id eum dicere, quod nos modo dicebamus, si quis quid apud aliquem deposuerit, idemque insanus repetat, reddendum esse. etsi debetur ei quodammodo id, quod deposuit. Nonne? Certe. Reddendum igitur non temere tunc, cum quis non sana mente repetit? vera, inquit, dicis. Aliud igitur quippiam, ut videtur, quam tale quidquam, dicit Simonides, cum justum esse ait reddere ea, quae debentur. Aliud certe, inquit. Amicis enim putat debere amicos boni aliquid facere, mali autem nihil. Intelligo, inquam, non enim is reddit, quod debetur, qui*

qui reddit aurum ei, qui depoſuit, ſi illa redditio, atque acceptio damnoſa ſit, ſintque amici, is qui recepit, & is qui reddit, non ita dicere ais Simonidem? Plane.

Ἀλλὰ μήν] Notanda modeſtia Socratis in diſputando: qui, adverſus Simonidis ſententiam diſputaturus, non eam abjicere, aut ejus auctoritatem extenuare conatur: laudat potius eum, & commendat: neque ei fidem habendam (*) negat, ſed quid ſenſerit diligentius quaerendum eſſe, ait. Neque minus modeſte, quid ſibi voluerit Simonides, ſe quidem ignorare profitetur, Polemarchus autem, ut id ſciat, fieri poſſe. Simonides Piſiſtrato, Athenarum tyranno, valde charus, atque acceptus fuit, qui eum μεγάλως μισθοῖς, καὶ δώροις τιμᾷσι, apud ſe habebat, ut eſt in Hipparcho: erat enim φιλοκερδὴς Simonides: ut oſtendit illud de duabus capſis, & dictum ad Hieronis uxorem, quod eſt apud Ariſtotelem 11. libro de arte dicendi. & quod refertur de eo, apud Athenaeum lib. 14. Memoriae artem invenit, qua usque eo valuit, ut hos verſus de ſe glorians, ſcripſerit: Μνήμων δ' ἐγὼ πρὸς φημι Σιμωνίδης ἰσοφαρίζων Ὀυδενὸς γνώμιτος, πασῆ λυρικείᾳ. Cujus etiam in lamentationibus praecipue excelluiſſe eloquentia, & ingenium dicitur: ut jam pridem notavi in illum locum Catulli: *Moeſtius lacrimis Simonideis.* Vide varias noſtras lib. 3. cap. 1.

Τί δὲ τῷ ἰχθρῷ ἀποδιδόναι ὃν ὀφείλει κακόν, &c.] Dixerat jam Polemarchus, e Simonidis ſententia juſtum eſſe, cuique tribuere, id quod debetur. Sed hoc poſtea ita correxit; ut, ſi quid debeatur amico, quod ſi reddatur, damno futurum ſit ei, cui redditur, reddendum non ſit. Non enim eſſe amici officium, nocere amico. Hoc transferri, & accommodari poteſt ad omnia officia, quae amicis tribuimus, ut hoc generale praeceptum in amicitia obſervemus: nihil gratificandum amico, quod ipſi nociturum ſcias. Petit a te amicus meretriciis amoribus pecuniam, qua ad explendam libidinem ſuam abutatur? Fac Platonis tibi veniat in mentem, qui ait, tribuere amico, quae ipſi nocitura ſint, neque boni amici eſſe, neque viri boni. *Homini autem amanti*, ait Plautus, *qui*

(*) Bene, *fidem habere*. In Notis ad Catull. T. II. p. 847. dixi, *fidem adhibere*, quod barbarae aetatis eſt. Vide Scioppium de Stil. Hiſt. p. 84. & Drakenb. ad Liv. XXII. 1.

Digitized by Google

qui pecuniam dat in manum, Gladium dat, quo se occidat. Atque hoc una in re judicatum, latius patet. Cum igitur non omnia sine discrimine amicis reddenda, tribuendave sint: quaerit, num inimicis quoque eadem observanda sint, an eis quicquid debetur, sine discrimine tribuendum. Non enim vereri debemus, ne eis noceamus, cum inimicis nocere, etiam optandum videri queat. Itaque Polemarchus, universe pronuntiat, inimicis reddendum esse id, quod inimicis debetur, ac consentaneum est: neque enim convenire, aliud eis, nisi malum, dari. Ex quo Socrates concludit, de Polemarchi sententia, in eo positam justitiam Simonidem censuisse, si quis cuique det, quod cuique convenit. Jam cum artes, & virtutes non satis a veteribus ante Aristotelem distinguerentur: sed in artibus etiam virtutes numerarentur: colligit, & a Polemarcho obtinet Socrates, ut fateatur: quemadmodum medicina corporibus tribuit ea, quae conveniunt, tum remedia, tum cibos, ac potiones: & ut ars coquorum cuique cibo tribuit condimentum conveniens, & accommodatum: ita justitiam tribuere, id quod cuique tum amico, tum inimico convenit, illi quidem utilitatem aliquam, huic vero damnum. Ita fit, ut justitiae munus sit, prodesse amicis, inimicis nocere. Hanc definitionem cum Socrates reprehendere, ut improbam vellet: (ita enim docebitur inferius) justum nemini, ne inimico quidem nocere, prodesse autem, quantum quidem in ipso est, omnibus: prius diligenter enucleandum putavit, quid diceretur. Nihil enim magis cavendum est iis, qui disputationem ad inventionem veritatis referunt, quam ne quid parum explicatum relinquant.

Συμβόλαια] Ita vocat, quae aliter συναλλάγματα.

Εἰς πεττῶν θέσιν] Πεσσοὶ, sive πεττοὶ, non sunt *tali*, sed *calculi*. ἀστράγαλοι *tali* sunt. at πεσσοὶ ψῆφοί τινες. ut constat ex Polluce lib. 9. ludi sunt valde inter se dissimiles: male itaque Marsilius, *in digerendis talis*. Tali non digeruntur, sed jaciuntur. At πεσσοὶ disponuntur in lineis, deinde moventur.

Ὁ ἱππικὸς] In vendendo equo vix est, ut pecuniae usus esse videatur.

Ὁ ναυπηγὸς] Ille quidem, ut ποιῶν, hic autem ut χρώμενος.

Τόδε δὲ καὶ σκεψώμεθα] Ludit interdum Socrates ductis ar-

gumentis e multiplici verborum significatione: ut hoc loco in verbis φυλάξασθαι & κλέψαι. φυλάττειν est *custodire*, & hoc modo dictum est, justum virum utilem esse τοῦτο τὸ φυλάττειν ἀρχόμενον ἢ χρώμενον At φυλάξασθαι τι, est *cavere*, *ne id tibi noceat*. ut φυλάξασθαι τοὺς πολεμίους, *cavere*, *ne hostes tibi noceant*. κλέψαι itidem est *furari*: est & *latere*. His positis, constat, si quis sit bonus κλέψαι τοὺς πολεμίους, id est, tum latere illos, tum excipere, quasque furari eorum consilia, bonum fore, ἢ φυλάξασθαι τοὺς πολεμίους, id est, ad cavendum, ne sibi hostes quidquam damni inferant, & eundem esse optimum φύλακα ἢ παραπέιθειν. unde effici videtur, cujuscunque rei qui est optimus κλέπτης, ejusdem esse optimum φύλακα. Est autem justus optimus φύλαξ pecuniae: igitur & fur optimus.

Καὶ νέον ἔτι δεῖσθαι φυλάξασθαι ἢ λαθεῖν] Puto illud ἢ λαθεῖν vacare, & delendum esse. De Autolyco est Ὀδυσσ. τ.

Οὐ μὰ τὸν Δία ἔφη, ἀλλ' ἰκανὸν εἶδα] Ita pharmaca primo conturbant, deinde purgant.

Καὶ ὁ Θρασύμαχος] Id est, *At Trasymachus saepe ille quidem, etiam disputantibus nobis, in sermonem se quoque interponere tentaverat, sed ab iis, qui adsidebant, prohibitus erat, audire cupientibus, quorsum evasura esset oratio. Ut autem interquievimus, cum illa a me dicta essent, non ulterius se continuit, sed cum se contorsisset, ac collegisset serpentis in morem, irruit in nos, ut jam jam concerpturus ac dilaniaturus. Tum & ego, & Polemarchus defixi obstupuimus. Ille autem in medium clara & sonora voce, Quae vos, inquit, jam pridem nugandi libido tenet, o Socrates? aut quid fatue inter vos altercamini, vicissim cedentes alter alteri? Quodsi vero, ac serio nosse vis quid sit jus, ne tantum interroga; neque gloriolam aucupare redarguens, ut quis quidque responderit, sciens facilius interrogare quam respondere, sed & ipse responde, & eloquere, quid tandem jus ipsum esse dicas. Neque illud mihi dixeris, justum esse id quod oportet, neque id quod utile est, neque id quod conducit, neque quod lucrosum est, neque id quod confert, sed aperte mihi & accurate quicquid dixeris, dicito. Non enim acquieseam, si tales ineptias attuleris.*

Mirifice illudit & exagitat Thrasymachi τὸ δεινὸν, ἢ τὸ ἰταμὸν, ut in quadam epistola id vocat Basilius: ita ut si quis,

quis, quid hominis sit Thrasymachus, nesciat, ex hac tamen descriptione facile intelligere possit, unum aliquem esse ex illis ventosis & inanibus Sophistis, qui omnium prope rerum imperiti, omnium sibi scientiam adrogabant. Atque ut pictores in tabulis partes quardam deprimunt, atque opacant, quo ea quae collustrata sunt, magis extare atque eminere videantur: ita humilis & depressa Socratis oratio, ac verecundiae timiditatisque plena impudentem Thrasymachi confidentiam insigniorem atque illustriorem facit: neque usquam magis apparet, quod a Thucydide sapientissime scriptum est, ὅτι ἀμαθέα μὲν θάρσος, φρόνησις δ' ὄκνον φέρει. nam &, cum inter se colloquerentur Polemarchus, & Socrates, eorum sermonem interrupisset, nisi ab iis qui adsidebant, prohibitus esset, & cum finem dicendi fecissent, gestu ipso ferociam quandam odiosam & ridiculam ostendit; & orationis suae principium a contumeliis ducit: quae omnia vesani hominis sunt, & ad convictum ac consuetudinem civilem plane inepti. Pertinet autem huc quod Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum, ait, Herodicum solitum dicere Thrasymacho, eum semper Thrasymachum esse; ut Conon dicebat, Thrasybulum, vere ac merito, Thrasybulum vocari. Athenaeus lib. 11. διαβάλλει δ' ὁ Πλάτων καὶ Θρασύμαχον Χαλκηδόνιον σοφιστὴν, ὅμοιον εἶναι λέγων τῷ ὀνόματι.

Ἀντιλαμβάνεσθαι τοῦ λόγου] Non est, ut Marsilius putat, *contradicere*, sed *interponere se in sermonem.*

Οὐκ ἔτι ἡσυχίαν ἦγε] Dicas de Sibylla aliqua esse sermonem: cui, ut numine afflata est, *Non vultus, non color unus.*

Ἀλλὰ συστρέψας ἑαυτὸν ὥσπερ θηρίον] Ut de serpente aliquo locutus est. solent enim serpentes impetum facturi in quempiam, colligere se, ac torquere in spiras. Ovidius: *Ille volubilibus squamosos nexibus orbes Torquet.* Virgilius: *Squameus in spiram tractu se colligit anguis.*

Ὡς διαρπασόμενος] Duae hic imagines sunt, ὥσπερ θηρίον, & ὡς διαρπασόμενος, breves & elegantes, quales commendat Demetrius περὶ ἑρμην. Metaphoris tamen saepius usum Platonem, quam imaginibus, & idem Demetrius, & alii veteres notarunt.

Φλυαρία] Φλύω est, *bullio*. φλυαρεῖν, *inanes sermones es-*

futire, similes bullarum, quae in aqua excitantur. φλυκταίνας πικρὰ πλάττει πυρετὸς ἐπὶ τὸ πολύτιτθον, εἴτ' ἐν λόγοις, εἴτ' ἐν πράγμασι. Vetus quidam Scholiastes in Gorgiam.

Ἐνθυμεῖσθαι] Male Marsilius, *insanitis*. *insanire* est μαίνεσθαι. Etsi autem Stoici ajunt, *omnes stultos insanire*, recte tamen improbatur ea sententia, in Alcibiade secundo.

Μὴ μόνον ἐρώτα] Socrates in disputando nunquam respondere, aut adfirmare aliquid ipse, sed interrogare, & aliorum sententias elicere solebat. Cur respondendi partes nunquam susciperet, ea causa erat, quod se nihil scire profitebatur. Fuisset autem indecorum & ἀπαίδευτον, qui nihil scire se diceret, eum quidquam pro certo respondere, aut adfirmare. Quod autem interrogabat alios, in eo se obstetricari animis dictitabat. Qua de re longa ipsius & elegans disputatio est in Theaeteto: in qua ostendit hoc ipsum, sibi a multis objici solitum, quod perpetuo interrogaret, nunquam responderet. ὃ ἔστι, inquit, ἐμοὶ πολλοὶ μὲν ἀνειδίσαι, &c.

Καὶ ἐγὼ ἀκούσας] Id est, *Quibus ego auditis, obstupui, & in eum intuens timebam, atque, ut mihi quidem videor, nisi prior eum aspexissem, quam ipse me, obmutuissem. Nunc autem, cum ipse ex oratione nostra exacerbari inciperet, intuitus sum eum prior, quo factum est, ut ei respondere potuerim. Dixi igitur quodammodo tremens.*

Urbanissime in Thrasymachum, tanquam in lupum quendam jocatur. vulgi enim opinio est, quos lupus prior aspexerit, eis vocem ad tempus adimi, vitari autem hoc malum, si quis lupum prior intuitus sit. Plinius lib. 8. *Sed in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praesens.* Solinus, hoc Italiae proprium & certi cujusdam luporum generis esse voluit: sic enim scribit in capite de Italia: *Italia lupos habet*, &c. Scholiastes Theocriti in εἰδυλ. ιγ. οἱ ὀφθέντες ὑφ' ὧν τοὺς λύκους δυνατὸν ἄφωνους γίνεσθαι. Virgilius: *Vox quoque Moerim jam fugit ipsa. lupi Moerim videre priores.* Ejus rei causam sunt qui quaerant. Ego vulgarium & fabulosarum opinionum causas quaerendas esse non arbitror.

Ὦ Θρασύμαχε μὴ χαλεπὸς ἡμῖν ἴσθι] Id est, *O Thrasymache, ne te durum nobis, ac difficilem praebeas. Nam*

si in

si in examinandis rationibus ego & hic erramus, certo scito nos invitos errare. Noli enim putare nos, si quidem aurum quaereremus, nunquam sponte cessuros alterum alteri in quaerendo, ac nobis ipsis ad id reperiendum impedimento futuros: nunc autem cum justitiam quaeramus, rem multis partibus auro pretiosiorem, ita nobis imprudenter cedere, neque omni studio conari, ut res ipsa nobis, qualis sit appareat. Sed non possumus, opinor. Itaque multo vos aequius est acutos, & perspicaces misericordia nostri commoveri, quam nobis indignari.

In illo ἔχοντας εἶναι, vacat τὸ εἶναι, & ornatus tantum causa ponitur. Xenophon II. παιδ. οὐδὲ μὲν φίλους γε, οὐδὲ ξένους ἐξὼν εἶναι γέλωτα παρέχεις.

Σαλεπαίνεσθαι] Passive accipitur, saepius tamen aliter.

I. Σαρδώνιον] Risus Sardonius, fictus, aut amarus, aut insanus. Zenodotus citat Aeschylum de paroemiis, qui narrat, Sardonios Carthaginensium coloniam esse, qui senes septuagenarios sacrificent Saturno, ridentes interim. II. Timaeus, grandes natu parentes illic, in fossam praecipites a filiis dari, ridentes. III. Clearchus de puero, qui stato die Saturni statuae aereae porrectis manibus, subjecto igni impositus torreretur, ac ridentis speciem praeberet. Id ex eo quod ipse filios suos devorasse diceretur. IV. Sed & in Italia, antequam Hercules in Italiam veniret, Diti & Saturno homines immolabantur. Arnobius lib 2. V. Herbam Sardoam Solinus, & Servius in illum locum: *Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis.* Idem fere Tzetzes in Hesiod. VI. Latinus Drepanius in panegyrico, quem Theodosio dixit: *Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus, & ad illorum vicem qui degustato Sardorum graminum succo, feruntur in morte ridere, imitabamur laeta moerentes.* VII. Salvianus lib. 7. de vero judicio & providentia Dei: *Sardonicis quodammodo herbis omnem Romanum populum putes saturatum. moritur, & ridet.* VIII. Cicero lib. 7. epistolarum: *Videris enim mihi vereri, ne, nisi istum caverimus, rideamus* γέλωτα Σαρδώνιον. IX. Dioscorides cap. 14. lib. 6. batrachii speciem ait esse Sardoniam herbam. Meminit & Pausanias lib. 10. X. Paulus Aegineta lib. 3. cap. 20. inter signa τετάνου ponit γέλωτα Σαρδώνιον. XI. Simonides. Talus aereus, opus Vulcani, dono datus Minoi, qui Cretam ter quotidie pedibus obi-

bat. Ei vena erat unica a cervice ad talos pertinens. Is cum e Sardinia in Cretam transmittere prohiberetur, in ignem insiliebat. Deinde Sardinios pectori suo admotos exanimabat. XII. C. Gracchus repulsam passus, cum inimicos ridentes videret, exclamavit, eos ridere γίλωτα Σαρδόνιον. Plutarchus in Gracchis. XIII. Scholiastes Hesiodi exponit risum πλατὺν, ut & hic accipiendum puto, pro risu stulto & immoderato: idque confirmatur verbo ἀνηκέγχατο, & multis aliis locis.

Εἶπον, ἔφη] Quaedam similia notavit Budaeus.

Εἰρωνεία Σωκράτης] Cicero lib. 4. Academ. *Socrates autem de se ipse detrahens*, &c. Idem 1. de officiis: *De Graecis autem dulcem*, &c. Ἀλαζόνες sua extollunt in majus, & affingunt sibi ea quae non habent. οἱ δ' εἴρωνες, ἐπὶ τὸ ἔλαττον λέγοντες, χαριέστεροι τῇ ἕξει φαίνονται. & paulo post, εἶον ἡ Σωκράτης ἐποίει. Aristoteles lib. 4. Νικομαχ. ὁ μὲν ὢν εἰρωνικὸς δίξειεν ἂν εἶναι, ὡς τύπῳ λαβεῖν, σφαιρώδης ἐπὶ χαῖρον περίξειν ἡ λόγῳ. Theophr. ὁ χαρακτ. si ipse est.

Φαμὲν γὰρ ἐγὼ εἶναι τὸ δίκαιον ἐκ ἄλλο τι, ἢ ἕξιν πρείττονος ἢ χείρονος φύσεως] Cicero epist. 1. ad Q. fratrem: *Ac mihi quidem videntur huc omnia esse referenda iis, qui praesunt aliis: ut ii, qui erunt in eorum imperio, sint quam beatissimi.* Et paulo post: *Est autem non modo ejus, qui sociis, & civibus, sed etiam ejus qui servis, qui mutis pecudibus praesit, eorum quibus praesit commodis, utilitatique servire.* Idem lib. 1. de officiis: *Omnino qui reipub. praefuturi*, &c. Idem lib. 5. de Repub. ut ipse citat lib. 8. epist. ad Atticum: *Ut enim gubernatori cursus*, &c.

Εἰ Πολυδάμας ἡμῶν κρείττων ὁ παγκρατιαστὴς] *Pancratium* constat ex pugillatione & lucta. Plutarchus 2. Symposiac. cap. 4. Aristoteles 1. Rhetor. *Pentathlus* autem, quem *quinquertium* vocabant, cursu, lucta, saltu, disco, & jaculo. Idem Aristoteles. * * * Si autem Lex bona est, ut ait Plato; bonum autem non nocet, cur sontibus & maleficis supplicia proponuntur? Poena enim non videtur in numero bonorum numerari posse. Respondendum tamen est, poenam quoque bonam esse Poena enim remedium est, itaque quia contraria contrariis curantur, & voluptate plerumque adducuntur homines ad peccandum, ideo dolore corriguntur: ut recte Aristot. lib. 11. Nicomachiorum. Remedia autem non adhibentur, ut damnum adferant aegrotis, sed ut eis consulatur. Sic poenae

nae infliguntur, non, ut omnino non ſint qui puniuntur, ſed ut amplius tales non ſint Itaque ut ei qui morbo aliquo laboret, melius eſt, optabiliusque, curari, quam non curari; ita vitioſo melius eſt puniri, quam non puniri. Neque quicquam miſerius vitioſo impunito. Protagoras apud Platonem in Protagora: εἰδὼς γὰρ πολλοὺς τοὺς ἀδικοῦντας, &c. Idem docetur in Gorgia. Taurus philoſophus tertiam cauſſam addit, quem vide apud Gellium lib. 6. cap. 14. Quodſi poena remedium eſt, dubitari non poteſt, quin bona ſit, & ignoranti debeatur, ut diſcat.

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN SECUNDUM LIBRUM PLATONIS DE REPUBLICA COMMENTARIUS.

Ἐγὼ μὲν οὖν ταῦτα εἶπον] Id est, *Haec igitur cum dixissem, ego quidem me disputandi onere levatum arbitrabar. At ea, ut quidem videtur, prolusio tantum, ac praecursio quaedam fuit. Glauco enim, ut semper ad omnia acri in primis, ac praesenti animo est, ita tunc, quod defatigatus Thrasymachus manus quodammodo dedisset, aequo id animo non tulit: Sed, heus tu, inquit, Socrates, satisne hoc tibi est, si nobis persuasisse videaris, praestare omnibus modis justum esse quam injustum, an id re vera persuadere vis? Multo, inquam, malim, vero ac serio id persuadere, si quidem in me situm sit. Non igitur, inquit, id quod tibi proposuisti efficis. Etenim, dic mihi, Nonne tibi videtur aliquod ejusmodi bonum esse, ut id habere cupiamus, non ea quae ex ipso consequuntur appetentes, sed ejus, per se, ac suapte vi, amore ac studio ducti, quale est gaudere, quales sunt voluptates eae, quae nihil cuiquam damni adferunt: etiamsi nihil posthac aliud consecuturum sit, quam ut ejus adoptione, quasique possessione laetemur? Certe, inquam, tale mihi esse aliquod bonum videtur. Quid? Nonne & aliud quoddam, quod & caussa sua, & propter ea quae oriuntur ex eo amamus? quale est sapere, videre, bene valere. Talia enim utroque nomine cara habemus. Assensus sum. Tertium autem quoddam vides, inquit, bonorum genus, in quo est exerceri, &, cum aegrotes, curari, & medicinam alii facere, & quaevis alia conficiendae pecuniae ratio? Nam haec laboriosa quidem sunt, sed utilia. Neque unquam ea expeteremus propter se, sed mercedibus, & aliis utilitatibus, quae ex illis exoriuntur, adducti. Nempe, inquam, est & hoc tertium genus. Quid jam? in quo istorum, inquit, trium generum justitiam collocas? Equidem,*

dem, inquam, in eo, opinor, quod omnium pulcherrimum est: quodque ei qui ad beatam vitam perventurus sit, amabile est, tum ipsum per se, tum ob illa quae enascuntur ex eo. Multis, inquit, non ita videtur: sed ex illo potius esse laborioso genere, quod mercede adducti, & ut bene de nobis existiment homines, opinionis caussa persequendum est: ipsum autem per se fugiendum, ut quod asperum, molestumque sit. Scio, inquam, ita videri, & jam pridem ego, ut videtur, tardus quodammodo, atque indocilis sum.

Cum Thrasymachus a Socrate convictus, ac confutatus, manus, ut ajunt, dedisset, suscipiunt injustitiae defensionem, ac patrocinium Glauco & Adimantus, eamque multo firmius, ac nervosius defendunt, quam a Thrasymacho factum erat, illud tamen praefati, se non ea dicere quae sentirent, sed quae vulgo pro injustitia dicerentur, quaeque ipsi redargui ac refutari cuperent, ita ut omnibus utilitatibus detractis amandam, & expetendam esse justitiam: injustitiam contra fugiendam, & aversandam, non tantum impunitate proposita, sed etiam, si certum atque exploratum sit, illius ope nos perpetuo in summa corporis, & externorum bonorum affluentia esse victuros. Tum igitur Socrates eis collaudatis, & rei difficultate demonstrata, vero ac serio justitiam defendere aggreditur, & usus illa nobili similitudine, de duabus tabulis, quarum in utraque idem scriptum esset, sed in altera minutioribus, in altera grandioribus litteris; in reipublicae descriptionem ingreditur: ut cum constiterit, quae vis & natura justitiae, in universa civitate sit, ex eo etiam quid in singulis hominibus valeat, quidque in cujusque animo efficiat, intelligatur. Haec hujus secundi libri summa est.

Ἀεί τε ἀνδρειότατος ὢν τυγχάνει] Etiam bellica laude praestant Glauco, & Adimantus, egregiamque in bellis operam reipublicae navaverant, quo respicit hoc loco Socrates.

Τὴν ἀπόῤῥησιν] Qui enim ipse non facile cederet, indignari solet, cum alium, mollitia, ac laboris fuga, nimis facile adversario cedentem videt.

Ἀρή σοι δοκεῖ] Fundamentum quoddam est futurae disputationis, haec tripartita *boni* divisio. Solent autem Mathematici principio disputationum suarum, quaedam

sumere, ponere, postulare, quibus utantur, ad demonstrandum quod volunt: neque laborant, prima illa, ab auditore concedantur, an minus: ipsi enim nihilominus eis utuntur ut veris. At Dialectici interrogando progrediuntur, & ex iis tantum, quae concessa sunt, argumentantur: ut hic facere Glauconem videmus. *Bonum est, quod expetendum est*, sive, ut ait Aristoteles, οὗ πάντα ἐφίεται, ὃ διώκει ἅπασα ψυχὴ, ait Plato 6. horum librorum. Neque tamen est haec boni finitio. Nam definitio est, ex prioribus natura, & ex caussis. Haec autem ducitur ex posterioribus, & ex effectis. Non enim quia expetitur, bonum est: sed quia bonum est, expetitur. Omnino autem bonum proprie definiri non potest, cum aeque late pateat, atque id quod est, pertineatque ad omnes categorias. Sed quicquid expetitur, aut suapte tantum caussa expetitur, aut propter aliud tantum, aut utroque nomine. Per se tantum, ut voluptas. οὐδεὶς γὰρ ἐπερωτᾷ, τίνος ἕνεκα ἥδεται, ὡς καθ' αὑτὴν οὖσαν αἱρετὴν τὴν ἡδονήν. ait Aristoteles X. ad Nicomachum. Propter aliud tantum, ut laboriosae exercitationes corporis, ut sectiones, ut ustiones, ut sumptiones pharmacorum, utroque nomine, ut sensus. αἱ γὰρ αἰσθήσεις, καὶ χωρὶς τῆς χρείας ἀγαπῶνται, δι' ἑαυτὰς. ait idem primo τῶν μετὰ τὰ φυσ. Ut bona valetudo, ut bona hominum de nobis existimatio, ut virtutes. Quaerit igitur Glauco de Socrate, in quo horum generum justitiam reponendam censeat. At ille in eo, quod omnium pulcherrimum, ac praestantissimum est, quod & per se, & propter aliud expetitur. Nam & multa, magnaque bona e justitia manare, ut amorem, & caritatem, & bonam de vobis existimationem nostrorum civium, quae sunt vitae, sine metu degendae praesidia firmissima: & iis omnibus detractis, tamen ipsam suapte vi atque natura amabilem, & expetendam esse. At contra, Glauco multis eam, ex illo potius genere videri, quod omnium infimum minimeque expetendum est: ut quod per se quidem amabile non sit, sed aliorum tantum caussa expetatur. Etenim si cui potestas detur, sine ulla infamia, sine ullo metu supplicii, quod aut a Diis, aut ab hominibus impendeat, omnia pro sua libidine faciendi, neminem ita stultum, aut simplicem fore, ut justitiam colat, ac non potius alienas opes ad se convertat, alienis uxoribus, ac liberis ad explendam libidi-

nem

nam suam illudat, potentissimas urbes, ac florentissima imperia occupet, justitiam valere jubeat, ullis se legibus teneri neget: idque vel ex tyrannis facillime perspici, qui quo potentiores sunt, eo sunt injustiores, atque ita vivunt, ut in summa impunitate ac licentia injustitiae, summam felicitatem collocare videantur, quorum etiam illa vox est, *privatorum hominum esse fidem servare, ac justitiam colere: sibi omnia licere, se legibus solutos esse: quod ipsi egerint, fore ut id qualecunque sit, ii qui minus possunt, non perferre tantum, sed etiam ut recte factum commendare cogantur.* Sed argumenta quidem, quae ex utraque parte adferuntur, suis locis singillatim & cognoscentur, & explicabuntur. Nunc, antequam progrediamur ulterius, tollenda est quaedam, quae ex iis quae hoc loco dicuntur, oriri posset difficultas. Videtur enim Socrates, ea bona praestantiora dicere, quae & propter se, & propter aliud, quam quae propter se tantum expetuntur. Et certe probabile videtur, quo quidque pluribus de caussis expetendum est, eo magis expetendum esse Et ut e duobus malis, si alterum sit ejusmodi, ut qui eo affectus sit, eo uno defunctus intelligatur, neque ex eo, in ullum aliud malum incidat, alterum autem tale, ut ex eo alia atque alia mala deinceps oritura sint, prius illud levius, ac tolerabilius esse videatur: ita si duo sint ejusmodi bona, ut eorum unius adeptio nullum aliud ex se bonum propagatura, quasique proseminatura sit: alterum autem si consecutus sis, gradum tibi etiam ad alia consequenda feceris, nemo, opinor, sit, quin hoc posterius pluris faciendum, & minore studio persequendum putet. Sed obstare videtur Aristotelis auctoritas, cujus, ex primo ad Nicomachum, haec verba sunt: Τελειότερον δὲ λέγομεν, τὸ καθ' αὑτὸ διωκτὸν, ἢ δὲ ἕτερον, καὶ τὸ μηδέποτε δι' ἄλλο αἱρετὸν τῶν καθ' αὑτὰ καὶ διὰ τοῦθ' αἱρετῶν, καὶ ἁπλῶς δὴ τέλειον τὸ καθ' αὑτὸ αἱρετὸν αἰεὶ, καὶ μηδέποτε δι' ἄλλο. Et felicitas videretur esse minus, quam ὑγίεια. Vide cap. 18. lib. 4. variarum. lect. Dissolutio quaestionis. Plato loquitur hic de aliis bonis praeter felicitatem, ut ostendunt illa verba, τῷ μέλλοντι μακαρίῳ ἔσεσθαι. Sic omnibus bonis bene ac male uti posse nos, praeterquam virtute, ait Aristoteles primo Rhetoricorum, cum tamen felicitate neque bene, neque male quisquam uti possit. Nam si felicitas etiam hic a Platone comprehenderetur, & falsum esset quod dicitur, & falsa illa quae in malis, a nobis

bis allata est similitudo Neque Aristoteles dicit, τὸ μηδέποτε δὲ ἄλλο αἱρετὸν, αἱρετώτερον εἶναι τῶν καθ' αὑτὰ καὶ δὲ ἄλλο αἱρετῶν· sed τῶν καθ' αὑτὰ καὶ διὰ τοῦτο. Nam & alioqui sequeretur, levem aliquam voluptatem, & bonae valetudini, & integritati sensuum, & virtuti ipsi anteponendam esse, quod ab Aristotelis sententia alienissimum est. Duobus modis evenit, ut ex bono aliquo, aut ex malo, nullum aliud bonum, aut malum sequatur, aut quia leve est, καὶ ἄγονον, καὶ ἀνεμώλιον, ἤτοι ὑπηνέμιον, aut quia ultimum.

περὶ ἑκατέρου] Virgilius: *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.* Tibullus: *Cantus & iratae detinet anguis iter.* Lucilius: *Jam disrumpetur medius, jam ut Marsus colubros Disrumpit cantu, venas cum extenderit omnes.* Plinius cap. 2. lib. 28. *Figlinarum opera* &c. Alibi simpliciter dicit Marsis non nocere serpentes. Et c. 2. lib. 7. *Crates Pergamenus in Hellesponto*, &c. Varro lib. 1. rerum humanarum: *Ut habent Parii*, &c. In eodem: *Admota aspis cum pupugerit, si non occidat, sciat ex Psyllorum stirpe esse.* Vide lib. 2. var. lect. c. 2. Solinus cap. 8. *Gentem Marsorum*, &c. De utrisque videndus Gellius lib. 16. cap. 11. qui etiam fabulam ex Herodoto lib. 4. refert de Psyllis ab austro deletis. Plutarchus in Anton. καὶ τοὺς καλουμένους Ψύλλους ἐπαγόμενος, &c. Lucanus lib. 9. *Vix miseris serum*, &c. Et paulo post: *At si quis peste diurna*, &c. Silius lib. 8. *Hae bellare acies norant*, &c. Suetonius in Augusto: *Cleopatrae, quam servatam*, &c. Scribit Cornelius Celsus in 5. quod memoratu dignum est, Psyllos non habere scientiam adversus venena praecipuam, sed audaciam usu ipso confirmatam, qua vulnera exsugant: namque venenum serpentis, non gustu, sed in vulnere nocet. Ergo quisquis exemplum Psylli secutus exsuxerit, & tutus ipse erit, & tutum hominem praestabit. Lucianus Φιλοψεύδει· ὁ δὲ καὶ ἄλλα ἐποίησε θεατέσια, &c. Haec omnia contemni possent. sed obstare videtur quod scriptum est Psalm. 57. *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae, & obturantis aures suas. Quae non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.*

Nihilominus tamen credo talium carminum nullam esse vim. Nam omne agens naturale agit per contactum

Prae-

Praeter naturam autem solus Deus facit, *qui facit mirabilia solus.* Mali genii, quas praestigias interdum faciunt, eae riderentur, si homines acute eas videre possent: ut saepe eas sancti irriserunt, ut si quis videret aliquem commoventem caput mortui, & ex eo persuadere volentem, mortuum illum vivere, rideret. Ita ipsi interdum movent serpentes, ut fides habeatur superstitionibus. S. Augustinus lib. 11. de Genesi ad litteram: *Nam & quod putantur audire, & intelligere serpentes verba Marsorum, ut eis incantantibus prosiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur.* Idem tamen in illum Psalmum, putat fieri posse, ut ita sit, & ait vulgo dici, aspidem dum incantatur a Marso, alteram aurium terrae obverrere, alteram cauda obturare. Et in Psalm. 66. exponens illud, *Renovabitur sicut aquila juventus tua, sive,* inquit, *vera sint illa,* &c. Et paulo infra: *Res ipsa forte ita est, forte non est ita. Tu profice; tibi valeat ad salutem ista similitudo.* Illud tamen de aquila, aliter ab aliis exponitur: sed audiri putabant oportere voces; alioqui nihil effiecre. Sic in luna. *Carmina de caelo vidi deducere lunam,* &, *Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi.* Iccircoque aeris tinnitu ei laboranti auxiliari se putabant, auctor Tacitus lib. 1. S. Ambrosius sermone 82. Galenus de Spermate lib. 1. ὁμολογῶ τὸ φαῦλον τ' ἐμὸν, &c.

Ἐπιθυμῶ δὲ ἀκοῦσαι] S. Ambrosius lib. 1. de officiis, cap. 12. *Laudatur in Platone, quod in Politia sua posuit, eum qui contra justitiam disputandi partes recepisset, postulare veniam dictorum quae non probaret, & verè inveniendi, atque examinandi disputationis gratia, illam sibi impositam personam dicere. Quod eo usque Tullius probavit, ut in libris, quos scripsit de Republica, eam sententiam dicendam putaverit.* Hoc ipsum de Furio S. Augustinus lib. 2. de civit. Dei, cap. 21. *Suscepit Philus disputationem eorum, qui sentirent sine injustitia non posse regi rempublicam, purgans se praecipue, ne hoc ipse sentire crederetur.* Explicare me non possum ab iis quae in contrarium adferuntur: eisque quasi vinctus, atque impeditus teneor. Est enim animus λόγῳ ligati similis. Aristoteles 2. ☧ μ. τὰ φυσ. ἐν ᾧ, τοῖς ἀπορίαις βαλομένοις, &c.

Ὡς ἀμφισβ. τῶν ἀδικῶν πρόμενοι] Inepte Marsilius illud

πρόμ-

πιμώμενον vertit, *tanquam injuriarum inferendarum obstaculum.*

Καὶ ἐπιθέτην δὲ ἀρχαῖς] Horatius lib. 1. Sat. 3. *Cum prorepserunt primis*, &c. Et paulo post: *Jura inventa metu*, &c. Multa etiam eadem de re Lucretius lib. 5. Plurima apud Platonem in Gorgia, quaedam etiam lib. 10. de legibus, ubi ait, τὸ δικαίωτον videri plerisque, ἢ τις ἂν ὑπὸ βιαζόμενον.

Εἰη δ' ἂ ἐξουσία] Cicero 3. de officiis: *Hinc ille Gyges inducitur a Platone*, &c. Aliter Herodotus lib. 1.

Καίτοι μέγα τοῦτο] Graecus Schol. σαφῶς ἂν δικάσαι τὸ ἐν τούτῳ πεπαίρειν, ὅτι οὐδεὶς ἐθέλει ἀνδράποδον τῇ ἑαυτοῦ βουλήσει τὸν δικαιοσύνην πρᾶξαι τι ἢ ἐπιτηδεύσαι, ἢ τοῖς ἐκ νόμων ἀναγκασθῆναι συντάγμασιν, ἀλλὰ συσταζόμενον, ὡς τῆς δικαιοσύνης οὐκ αἱρετῆς καθ' ἑαυτὴν οὔσης, διὰ τὸ παρέχειν ἀφελείας ἐ ἔχοντα.

Τιμώτερον] Marsilius vertit *conjectura*, male, perinde ac si scriptum esset, ὄντι οὐκ ἀλόγως ἂν ὑπολάβοι τις. At longe aliud est τιμώτερον. Nempe, ut ait Aristoteles, τὸ αἰνιγματῶδες Ὅταν γὰρ μὴ ἐνδέχηται οἷον λύσαι τὸ λεχθὲν, τότε φέρει οἰκείως παμέτερον, ὡς δεδιγμένον, καὶ πεπερασμένον. τὸ δὲ τέρμας, καὶ πέρας ταυτόν ἐστι καὶ τὸν ἀρχαῖον γλῶτταν. Pindarus extremo ὕδατι Νεμ. Τὸ δ' ὐκ Διὸς ἀνδρώσεις σκῆπτρις ἔχ ἔστι τέρμας. dicitur & τέρμωρ. Iliad. η. οἷσιν τέρμωρ Ἰλίου ἔρυσαι.

Οὐδὲς ἑκὼν] Valde dissimile illud: οὐδὲς ἑκὼν πονηρὸς, ἀλλ' ἄκων γίνεται πονηρός. Quod tamen Platoni probatur in Gorgia, & alibi: at Aristoteli improbatur.

Ἰδέα] Nam καὶ quidem utile esse, nemo negare audebat. Sed eam dicebant, οὐκ ἀπλῶς μὲν ἀγαθὸν, εἰκαίου δὲ ζημίαν. Euripides princip. Heraclidarum: Πάλαι ποτ' ἐν τοῖς ἔμοὶ διδυμένοις, &c. Multae autem improbae sententiae fluxerunt ab Euripide, ut in Oreste: Μίκα. τὸ θεῖον δ' ἐν τοῖσιν φύσει. Et, Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ'. ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. *Juravi linguâ, mentem injuratam gero.* Εἴωθε γὰ δόλιον ἔχειν, τοιγαροῦν πέρι Κάλλιστον ἄδικον, τὸ δίκαιον δ' αἰσχρὸν ἔχειν. Quos Caesar semper in ore habebat, & ita converterat: *Nam si violandum est jus, imperii gratia Violandum est, aliis rebus pietatem colas.* Suetón. in Julio cap. 30. Inprimis autem memorabile est quod refert Seneca lib. Epistolarum epist. 116. *Sine me vocari pessimum, ut dives vocer. An dives, omnes quaerimus, an bonus, nemo.* Et hoc nomine vehementer exagitatur Euri-

Euripides apud Aristophan. in βατράχοις. Contra atque evenit Terentio docenti Heautont. in illo, *Homo sum.* Sentio, cujusmodi hospitem ad has epulas acceperim: saepeque mihi venit in mentem id quod apud Euripidem Electra rustico illi, cui nupserat, dicit: Ὦ τλῆμον, οἷόν σ' ἀμφίπυρον χρέιων σίτου, τί τῶνδ' ἔδεσμ' εἰσέρχεται μείζονας σαυτοῦ ξένους; Sed consolatur me quod ille respondet: Τί δ' ἄσμενός σοὶ, εἰ δυσὶν, ἀρκοῦσ', οὐκ ἔστι μισεῖς, ἔστι μὴ, τίκτειν ὁμῶς. id est, *Quid vero, si sunt, ut videntur, nobiles, Non parva adaeque & magna consulent boni?* Venit etiam in mentem mihi Hercules, quem paulo post deum futurum, in pauperis Molorchi tectis non injucunde hospitatum esse, fabulae ferunt. Sed tamen ut villici, si quando dominum venatu fessum, aut imbri subito deprehensum, tugurio suo exceperunt, cum praeter panem cibarium, & vappam, aut loream, nihil fere habeant, quod ei apponant, perlustrant tamen penariam cellam, & sicubi forte, aut pernam sale, ac fumo duratam, aut tergus suillum, aut callum aprugnum reconditum, ac sepositum habent, promunt, ac proferunt pauperes divitias, ut animum saltem suum hero, atque hospiti probent: ita ego nunc excutio omnes arculas memoriae meae: &, *Floriferis ut apes in saltibus omnia libant, Vagor* itidem, quod de se alicubi Pindarus ait, *per prata Musarum*, si forte possim ex multis & variis floribus sertum, aut corollam ei non prorsus injucundam contexere. Sequitur apud Platonem,

Ἐικὸς ὅπου γ' ἂν εἴητον ἅπαντ'] Aristoteles quoque alicubi in Rhetoricis ait, homines faciendae injuriae occasionem nactos, non facile eam praetermittere solere.

Ὁ αὐτὸς περὶ τῶν αὐτῶν λέγων λέγει] Sic dicit liberos πατρὸς δεῖσθαι βοηθοῦ. Sic τὸν ποιητὴν τῶνδε τῶν παντὸς, in Timaeo.

Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ἔστω] Transitio & μεταπαραδοσις ad tertiam partem. Sic Aristoph. ἐκ τούτων μὲν δὴ ταῦτα. Plato principio 3. Νόμων· ταῦτα μὲν οὖν δὴ ταῦτα.

Οἷον ἐκφέρει ἐκ πλατυσθῆναι] Ut docetur & alibi, & in primo Politicorum. Vis orationis, ex oratore perfecto, & similium. Hominis non ex femine, aut ex puero, sed ex viro perfectae, ac constitutae aetatis. Vini, non ex diluto, sed ex mero. sic justi & injusti, ex eo qui perfecte talis sit, sine ulla contrarii admistione.

Πρῶτον μὲν οὖν ὁ ἄδικος] Hoc est, *Primum igitur injustus*

ſius idem faciat quod periti, ac callidi artifices ſolent. Ut gubernator aut medicus ſummus, quae arte effici non poſſint, quaeque poſſint, intelligit. atque haec quidem ſuſcipit, illa autem omittit. Praetereaque, ſi quid forte peccaverit, talis eſt, ut id corrigere poſſit. Sic etiam injuſtus recte aggrediens ad faciendas injurias, lateat, ſi quidem inſigniter injuſtus futurus eſt, qui autem deprehenditur, ſegnis & iners putandus eſt. Extremae enim injuſtitiae eſt, juſtum videri qui non ſit. Danda igitur perfecte injuſto perfectiſſima injuſtitia: neque quidquam ex ea detrahendum; ſed ſinendum, ut cum maximas injurias faciat, maximam ſibi juſtitiae opinionem compararit: & ſi qua in re a propoſito offenderit, ut poſſit errantem corrigere, cum & dicendo valeat ad perſuadendum, ſi quod ipſius injuſte factum detectum, indicatumque ſit, &, ſi vis requiratur, per vim quidlibet extorquere poſſit, tum animi praeſentia, tum robore inſtructus, tum amicorum, & opum copia.

Ἰατρὸς] Vetat Hippocrates deſperatis adhibere medicinam; ita enim infamari artem.

Τὸν ἁλισκόμενον δὲ φαῦλον λωβητέω τίχνης] Qualem putas eſſe, qui in adulterio deprehenditur? Tardum.

Ἐσχάτη γὲ] Cicero 1. de officiis: *Totius autem injuſtitiae nulla capitalior pars, quam eorum, qui tum cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni eſſe videantur.*

Τοῦτον δὴ τοιοῦτον φέρε] Hoc eſt, *Talem igitur hunc ponentes, ex adverſo juſtum oratione ſtatuamus, virum ſimplicem & generoſum, qui ut apud Aeſchylum, non videri, ſed eſſe bonus ſtudeat: auferenda igitur ab illo eſt juſtitiae opinio. Nam ſi juſtus eſſe videbitur, honores eum & dona conſequentur, ita ut incertum futurum ſit, num ipſius juſtitiae, an donorum, & honorum cauſſa talem ſe praebeat. Nudandus igitur eſt omnibus rebus, praeterquam juſtitia: & fingendus talis, ut omnia ſint in in eo contra, quam in priore. Nullam itaque injuriam faciens, in maxima injuſtitiae opinione verſetur, ut quaſi ad Lydium lapidem exploratus ſit illius erga juſtitiam amor, quod neque infamia molliatur, atque inflectatur, neque iis, quae eam conſequi ſolent: ſed eſto immutabilis usque ad mortem: cum tota quidem vita injuſtus eſſe videatur, juſtus autem ſit: ut cum utrique ad ſummum per-*

Digitized by Google

pervenerint, ille quidem justitiae; hic autem injustitiae; uter ipsorum felicor sit, judicetur.

Κατ' Αἰσχύλον] Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, (δίκαιος Plutarchus) ἀλλ' εἶναι θέλει, βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος, ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα. Aesch. ἐπεὶ ἐπὶ Θηβαῖς. τούτων τῶν ἐπῶν ποτὲ ἐν θεάτρῳ λεγομένων, πάντες ἀπέβλεψαν εἰς Ἀριστείδην, ὡς ἐκείνῳ μάλιστα τῆς ἀρετῆς ταύτης προσηκούσης. Plutarchus Aristide. Latine sic reddi possunt Aeschyli versus: *Neque enim videri vir bonus, sed esse vult, Fructus profundo mentis e sulco legens, Unde usque clara consilia progerminant.*

Ἐῤῥωμένως ἑκάτερον ὥσπερ ἀνδριάντα] Id est, *utramque horum virorum, tanquam imaginem.*

Στρεβλήσεται] *Torquebitur.*

Ἀνασχινδιλευθήσεται] Id est, *in crucem tolletur, aut palo transfigetur; aut medius diffindetur.* Est σχινδύλησις *calami; arundinisve fissio* apud Hippocratem.

Ταῦτ' εἰπόντος τοῦ Γλαύκωνος] Hoc est, *Haec cum dixisset Glauco, ego quidem in animo habebam adversus ea aliquid dicere. Frater autem ipsius Adimantus; Num forte arbitraris, inquit, o Socrates, satis de re proposita dictum esse? Quidni? inquam. Id ipsum, inquam, dictum non est, quod vel maxime dictum oportuit. Ergo, inquam, frater; ut in proverbio est, viro adsit; tuque, si quid hic deficit, opitulare.* Ambitiose quodammodo quaesivit occasionem Plato, qua utrumque fratrem suum erudite ac copiose disputantem induceret.

Ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη] Ductum fortasse ex eo, quod Scamandrus Iliad. φ. cum Achilli par esse non posset, Simoënta fratrem auxilio invocat: Φίλε κασίγνητε, σθένος ἀνέρος ἀμφότεροί περ Σχῶμεν. Quibus versibus utitur & Socrates, Prodici auxilium adversus Protagoram implorans, in Protagora.

Καίτοι ἐμέ γε] Id est, *Etsi ad me quidem dejiciendum satis superque sunt, quae ab hoc dicta sunt, & ad efficiendum, ut ne justitiae potrocinari queam. frustra te, ait ille, excusas; sed audi haec etiam.*

Δεῖ γὰρ διελθεῖν ἡμᾶς] Hoc est, *Exponendi enim nobis sunt etiam sermones iis, quos hic attulit, contrarii: qui justitiam quidem commendant, injustitiam autem vituperant: ut magis intelligatur id, quod mihi velle videtur Glauco.*

Λέγουσι δὲ πρὸ τῆς παραλήψεται] Id est, *Dicunt autem ac praecipiunt tum filiis patres, tum omnes, iis, quos curae habent, oportere justum esse, non ipsam per se justitiam commendantes, sed bonam existimationem, quae ex ea consequitur: ut cum sibi quis justitiae opinionem comparaverit, ex ea opinione, & magistratus, & nuptias adipiscatur, & quaecunque praeterea Glauco paulo ante dixit. ex bona existimatione justo adfutura.*

Αὐτοδικαιοσύνην] Ita lego una voce, more Platonico, juncta. Talia sunt αὐτοάνθρωπος, αὐτοπάλη, αὐτοπαγίς, αὐτοπάτωρ, & similia.

Τῷ δικαίῳ] Legendum, τῷ ἀδίκῳ. Itaque cum fere injusti, quae justorum sunt occupare soleant, hic contra accidit, ut justus injusti sedem occuparit.

Ἐπιπλέον ἢ] Pessime Marsilius: *Enimvero gloriae illi praemium quoddam inprimis inducunt.* Ego ita: *Illi vero in amplificanda bona illa existimatione, quae justitia paritur, progrediuntur etiam ulterius.* Hoc enim significat, eos non insistere in bona illa opinione, quam sibi apud homines comparant, qui justitiam colunt: sed ulterius provehi, ac dicere, eos diis quoque charos esse, & multis magnisque beneficiis a diis ipsis augeri, atque ornari.

Τὰς παρὰ θεῶν εὐδοκιμήσεις] Εὐδοκίμησις proprie est bona opinio, quae de aliquo habetur, bona existimatio. sed quia de quibus bene sentimus, eos amamus, & quos amamus, eis, si possumus, bene facimus, iccirco τὰς παρὰ θεῶν εὐδοκιμήσεις vocat *beneficia, quibus dii afficiunt homines justos*, quasi ipsi quoque bene de eis sentiant, eosque ament.

Ἄφθονα] Invidi semper aliquid, si possunt, deterunt. atque ideo, quae prolixe cumulateque dantur, *sine invidia* dari dicuntur. Martialis: *Hoc tua faeve puer Diadumene basia fragant. Quid, si tota dares illa sine invidia?* Horatius: — *Nec illi Sepositi ciceris longaeque invidit avenae.* Calpurnius: *Procerumque dedit mater non invida corpus.*

Τοῖς ὁσίοις, ἃ φασι] Implicatior constructio, qualis saepe est Atticorum.

Ὥσπερ ὁ μὲν Ἡσίοδός τε, καὶ Ὅμηρός φασιν, ὁ μὲν, τοὺς δρῦς τοῖς δικαίοις τοὺς θεοὺς φύειν. Ἄκορνος μέν τε φέρειν βαλάνους, μέσσας δὲ μελίσσας. Εἰρωνείαν δ' οὐκ ἂν προσδεξάμην. Καὶ ἅμα δὲ πολλὰ ἀγαθὰ τούτων ἐγγίνεται.] Id est, *Illis*

Digitized by Google

Illis nerïae quercus capita alta gravantur Glandibus: at medio ruptis mel robore fudant Corticibus: nitidas onerant sua lana bidentes. Hesiodi versus hi sunt: οἳ δ' ἄρα ξείνοισι καὶ ἐνδήμοισι δίδοσκε Ἰθείης, ἣ μή τ' παρεκβήσεται οὐδὲ παρήσει. Τοῖσι τάλαι πόλλ', ἔσθλ' ἀνέβλυεν ἐν οὐρῇ. Ἐξέλυεν δ' ἀνὰ γλῶ μυρσινόφορβα, &c. Multis locis imitati sunt poëtae Latini horum versuum suavitatem; ut illius, τοῖσι τάλαι πόλλ'. Lucretius: *Hinc laetas urbes pueris florere videmus.* Illius ἄρισ' ἣ ἀρούς. Virgilius: *Et durae quercus sudabant roscida mella.* Illius πάντων ἣ γυναῖκες. Catullus: *Sit suo similis patri, &c.* Horatius: *Laudantur simili prole puerperae.* Sed & Deus optimus maximus justitiae cultoribus in veteri Testamento, talia quaedam bona pollicebatur: ut terram fluentem lacte & melle, ut longitudinem vitae, ut ὑπνίαν, & similia, quae tamen figurae tantum quaedam erant aeternorum bonorum, ut testatur S. Augustinus sub finem lib. 3. de civit. Dei. Sic pueris blandi doctores crustula pollicentur. Ab perfecti nihil indigent talibus invitamentis.

Παραλείπει] Multa omisit, ut solet. Sunt autem Ulixis laudantis Penelopen Odyss. τ. Ὦ γύναι, οὐκ ἄν τις σε κατὰ βροτῶν ἠπείρονα γαῖαν Μεμφείη. τοῦ γάρ σου κλέος εἰρυὺ κραίνει.

Εὐδικίας ἀντέχειν] *Justitiam sustinet ac defendit.* inepte Marsilius, *bonum conferat nomen.*

Μουσαῖος ἣ] Musaeus Eleusinus, Athenienses, Antiphemi filius, Orphei discipulus, aut potius illo antiquior epopoeus, scripsit ad Eumolpum filium, praecepta vivendi quatuor millia versuum. Suidas. Alii Thracem fuisse dicunt. Idem Eumolpus e Thracia profectus Athenas, sacris initiavit Graecos. Plutarch. de exilio. τελετὰς καὶ ἐποπτείας invenerunt Orpheus & Musaeus. Plato in Protagora. fiebant illa sacra, sive initia, quae & orgia & mysteria dicebantur, in honorem Cereris, Liberi, & Liberae. unde vox initiatorum: Ἰακχέ, ὦ Ἴακχε. Aristophan. βατράχοις. Multa de eis Clemens Alexand. Arnobius lib. 5. Lactantius, Eusebius lib. 2. προπαραισκευῆς, & alii. Laërtius lib. 1. Musaeum Athenienses fuisse ait Eumolpi filium, cujus etiam sepulchro Athenis in Phalero inscripti legerentur hi versus: Εὐμόλπου φίλος ὧδε κεῖται ἐν Φαληρικῷ δόμῳ Μουσαῖος Φηγίνου· τὸν αὐτὸς τάδε πάφος. Hic tamen Plato, Eumolpum Musaei filium facere videtur.

De eo ita Servius: *Theologus iste fuit post Orpheum: & sunt variae de hoc opiniones. Nam eum alii Lunae filium, alii Orphei volunt: cujus eum constat fuisse discipulum.* Ab Eumolpo certe Atheais *Eumolpidae*, penes quos Athenis erat cura sacrorum, sive mysteriorum. iis mysteriis initiabantur noctu. Cicero 2. de legibus: *Quid ergo aget Bacchus, Eumolpidaeque nostri, & augusta illa mysteria, si quidem sacra nocturna tollimus?* Ea prophanis detegere nefas erat. Horat. lib. 3. *Vetabo, qui Cereris*, &c. qui versus imitati sunt ex illis Callimachi: Δαίμονες, μὴ πᾶσι ἐμὶν φίλοι, ὅς τις ἀπιχθὴς, Εἶη, μήδ' ἐμέοιτο. Itaque idem Callimachus: Τὸν κάλαθον κρούσω χαμαὶ ἀστερόεντα βίβλοις. vide ad hanc rem historiam de Aeschylo, quam tangit Aristoteles 3. Ethicorum, & de Alcibiade, ex Plutarcho. Euripides Bacchis: Πενθ. τὰ δ' ἔργ' ἐσ τὸν ἴδιον ἥκοντά σοι; Διον. ἄρτι δ' ἀμαχεῖσιν οἰδίνᾳ βρόχοις. Πενθ. ἦλθ' ὄντως τῶνδ' ἥσθη τέως; Διον. Οὐ φημὶ ἀκοῦσαί σ', ἐπεὶ δ' ἔξω οἰδίνᾳ. Noctu fiebant. Πενθ. Τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ, ἢ μεθ' ἡμέραν τελεῖς; Διον. Νύκτωρ τὰ πολλά, σεμνότητ' ἔχει πολύ. Ea putabant & in vita & post mortem prodesse. Cicero 2. de legibus: *Nam mihi cum multa eximia*, &c. Etenim deduci eos post mortem in beatorum campum, ibique sempiternis gaudiis frui. eis enim propitium esse Plutonem, in gratiam socrus videlicet, & conjugis, ut est apud Plutarchum in Erotico. Scholiastes Aristoph. in βατράχ. λίγῳ ἐπῳδῇ, &c. Et in eadem fabula inducitur chorus initiatorum, apud inferos in summa laetitia degens, atque Iacchum canens. & Diagoram, quod mysteria irrisisset, si quis interfecisset, talentum, si vivum cepisset, duo talenta praemii loco propositi populus Athenienſis. Laërtius in vita Diogenis Cynici: ἀξιοῦσιν Ἀθηναῖοι μυηθῆναι αὐτὸν, τῷ λογίσασθαι, ὡς ὁ μὲν ἀπειθείας εἰ μεταμάθοι τυγχάνοι, γελοῖον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλαον μὲν Ἐπαμεινώνδας ὁ τῆς βοιβίδος διάξυστον, δᾳδιοῦχος ἢ τινὰς μεταμάθοιεν ὁ ταῖς μυήσεσι νύκτωρ ἱστάμενος. Quod autem hoc Musaeus primus tradidisset, iccirco Virgilius in illis beatorum campis eum primum facit: *Conspicit esse alios*, &c.

Μεταμάθοιεν] Sic in Alcibiade primo, μεταμάθοιτο βίον.

Εἰς ἄδην δὲ ἀναχύσεως] Fortasis ebrietatis nomine aliquid aliud intelligebant, ut Psalm. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae.* & Psalm. 22. *Calix tuus inebrians quam*

Digitized by Google

quam praeclarus est. de quo Augustinus in Psalm. 103. *Si vos inebriat calix*, &c. & idem in Psalm. 74. *Putatis fratres mei, omnes illos*, &c. Interdum etiam *ebrietas* significat copiam omnium bonorum. *Visitasti terram, & inebriasti eam.* Psalm. 64. sic saepe alibi in scripturis in bonam partem accipitur.

Εὐέργου] Hesiodus. Ὅς δὲ κε μηχανόῳτο, &c. Talia & in sacris libris.

Τὸν δὲ ἀσωτίας] Aristophanes ὁ βατταρίκους· — εἶτα βίον βιοῦναι πολύν, &c. Et Alexander ille impostor, cujus vitam descripsit Lucianus, interrogatus, ὁ πρώτης ὁ ἐδὼ ὁ Ἐπιμαρ, μολιβδίνας, ἔφη, ἔχων πίλας ὁ βορβόρῳ πάσας. Videtur respicere ad id supplicium, quo postea apud inferos adfectas esse Danai filias narrant, ut pertusis & fundo carentibus vasis aquam haurire cogantur. Hoc poenae genus reprehendebat Diogenes Cynicus, graviorem enim futuram fuisse poenam, si ea fuissent vasa, quae aquam continere possent. Cribro quidem aquam Tuccia, virgo Vestalis, tulisse dicitur a Plinio lib. 28. cap. 11. Cum eis comparat Lucretius eos, qui immodico vivendi studio tenentur: *Hoc, ut opinor, id est*, &c.

Πρὸς δὲ τούτοις] Poëtas eo nominat, quod sapientiae tanquam patres, ac duces habebantur: ut est in Lyside.

Ἑνὶ στόματι] *Uno ore* Terentius dixit. Lucilius in epigrammat. Τὰ πατρά μοι τ' ἀδελφοὶ οἱ ἀπροάλογοι μακρόγνωμοι Πάντες ἐμαντεύοντ' ἐς ἑνὸς στόματος, &c. Sic & Plato, primo de legibus: μιᾷ δὲ φωνῇ τῇ ἐξ ἑνὸς στόματος πάντας συμφωνεῖν. Cicero in Laelio: *De cujus utilitate omnes uno ore consentiunt.* Et de senectute: *Uno ore plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum*. quod citatur etiam 2. de finibus.

Ἀναπλήσειε δὲ τὸ ἦτορ δυμὸν τὸ ἄδικον ἐς ἐπὶ τὸ πλεῖον λέγων] Ita est in vetustissimo Vaticanorum.

Τύπτων δὲ] Hoc est quod Chremylus apud Aristophanem queritur: Ἐγὼν θεσπεσίως, &c. Sic in fabulis Hercules perpetuis laboribus agitatur; at Eurystheus ipsi Herculi imperat.

Ἀχρεῖον δὲ καὶ κίνδυνος] Ne deorum quidem ira metuenda est divitibus, qui quid injuste patrarint. Ultro enim se offerunt, ac divitum domos circumeunt artifices, qui parva mercede conducti, deorum se iram sacris & carminibus placaturos, omniaque imminentia mala depulsuros

& aversuros profiteantur, neque hoc tantum: sed &, si cui nocere dives velit, se parvo sumptu cuilibet, sive justo, sive injusto, maxima damna illaturos esse: cum deos quodammodo in potestate habeant, eosque tum illecebris, tum vinculis ac laqueis quibusdam, quo volunt facile adducant.

Ἀγύρται] Ἀγείρω est *cogo*, sive *congrego*. Inde ἄγυρις, aut etiam ἄγυρις, & inde junctum πανήγυρις: & ab eodem fonte ἀγορὰ, quod in forum homines confluunt, & ἀγύρται, *circumforanei circulatores*, ut praestigiatores, ut pharmacopolae, ceterique ejusdem generis impostores, qui in plateis, vicisque publicis plebem detinent, & aut certorum morborum amuleta & remedia vendunt, aut quasdam precum formulas, & superstitiose conficta carmina, quibus mirabilia quaedam effici posse polficentur. Ejusmodi autem homines, aut medicos esse se, aut divinos & hariolos profiteri solent. Itaque Hercules apud Lucianum in jurgio Aesculapium *agyrten* vocat: & apud eundem Tyaneus ille Alexandri nobilis impostoris magister, medicus fuisse dicitur.

Καὶ μάντεις] Multa impostorum genera: sed nulli, aut impudentiores, aut hominum generi perniciosiores, quam qui vates, harioli, divini, vocantur. Hi stulta quadam, sed omnium prope hominum communi cupiditate futura praenoscendi ad quaestum suum abutentes, non singulos modo privatim, sed civitates publice ac gentes totas ludibrio habent, omnia se scire jactant, ut Calchas ille Homericus: Οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος· Ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. Et de Sibylla Virgilius: *Novit quippe omnia vates, Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.* Nomen arti, si hoc quoque stultitiae genus artis nomine dignari placet, Latini a diis, Graeci a furore fecerunt. Ita enim Socrates in Phaedro μανικὴν olim vocatam, quae postea facta sit μαντικὴ. Neque simplex insaniae species. Alii divino quodam furore se corripi fingunt: alii ex somniis, alii ex intestinis animalium, alii ex avium cantu, aut volatu, quarum etiam ex eo quasdam *praepetes*, quasdam *oscines* vocant: alii e vocibus fortuito prolatis, alii e cribro, alii e tremore ac palpitatione certarum corporis partium, alii e stellarum aspectu, fertilitatem, sterilitatem, divitias, paupertatem, hereditates, matrimonia, libero-

liberorum procreationem, orbitatem, prosperos, adversosve successus, thesaurorum qui terra lateant inventionem, peregrinationes, morbos, longitudinem vitae, quicquid denique stulte curiosis ac credulis scisciteri collibuit, praenunciaturos se gloriantur. In quos scite Ennius: *Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt. De iis divitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera.* Eos igitur ait Plato oberrare circum fores divinum: nam a pauperibus quidem nihil est quod abradant; & eis ultro deferre operam suam, si quid ipsi divites eorumve majores commiserint, quo deorum in se iram concitarint, ad eos placandos, & ad imminentia ex eo mala avertenda ac depellenda.

Θυσίαις τε καὶ ἐπῳδαῖς] Duobus potissimum modis iram Deorum mitigari posse arbitrabantur, sacris, & cantibus. Sic cum terrae motus factus esset, ex eoque mali aliquid metueretur, extitisse dixerunt vocem ex aede Junonis, quae moneret, ut sue plena procuratio fieret. Inde dicta *Juno Moneta.* Cicero primo de divinatione. In eo utebantur verbis *expiandi, procurandi, averruncandi,* & *averruncum* vocabant Deum, a quo precabantur, ut mala averruncaret & averteret. Varro 6. de lingua Latina. Gellius cap. 12. lib. 5. Ea *sacra depulsoria* vocat Ammianus lib. 25. Et Graeci Deos ἀπο-τρόπαιους & ἀλεξικάκους, quos Persius *Deos depellentes.* Satyra 5. *Euge, puer, sapias, diis depellentibus agnum Hercule.* Et eos intellexit Tibullus: *Dii Patrii, purgamus agros, purgamus agrestes, Vos mala de nostris pellite limitibus.* Addit ἐπῳδὰς, cantus, sive carmina, in quibus iram quandam inesse vim crediderunt. Ovidius: *Carmine Di superi placantur, carmine manes.* Et carminibus morbos depelli putabant. Virgilius: *Haec se carminibus promittit solvere mentes, Quas velit, ast aliis duras immittere curas.* Tibullus: *Ter cane, ter dictis despue carminibus.* Ergo nutrix illa apud Euripidem in Hippolyto: Βίᾳ δ' ἐπῳδαῖς τῆς λόγου πεπίσμεθα. Φοβούμεθ' αὖ τι πρὸς φέρουσαν νόσον. Quae interpretatus est Horatius epist. 1. lib. 1. *Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem Possis, & magnam morbi depellere partem.*

Ἄλλην βλάψει] Lego, βλάψω.

Αὐτὸ δὲ σφᾶς] Mira mutatio numeri, cum dixisset

ἐπὶ πλουσίων θύρας, subjecit αὐτοῦ. αὐτοῦ autem est τοῦ οἰκοδεσπότου. Hic etiam notandum est, existimasse veteres lui poenas interdum ab hominibus non tantum eorum, quae ipsi perpetrassent, sed etiam, quae majores ipsorum. Qua de re copiosius disputandum est. Vetus opinio est, pro peccatis majorum poenas etiam a posteris lui. Hoc Plato subindicat hoc loco. & idem ostendunt Hesiodi versus supra citati, & loci e sacris, *semen impiorum peribit*, & similes. Ostendit se in ea sententia esse & Virgilius. 1. georgic. *Dii patrii Indigetes*, &c. Et Horatius: *Delicta majorum immeritus lues*, &c. & alibi: *Negligis immeritis nocituram Postmodo te*, &c. Exemplum habes in Croeso Gygis ἀπογόνῳ apud Herodotum lib. 1. Ex sacris etiam litteris videntur depromi posse, quae id ostendant. Nam Deus ipse ait se ulcisci, si quis mandata sua spreverit, ἐπὶ τρίτην καὶ τετάρτην γενεὰν, id est, usque ad nepotes & pronepotes. Exod. 20. Deuter. 5. Neque desunt exempla. Cnam irridens patrem, peccaverat. poenas pependit, non ipse, sed ejus filius Chanaan, qui propterea jussus est servire fratribus suis. Genes. 9. Peccaverat Salomon, qui amore externarum mulierum captus, etiam falsos earum deos coluerat. Propter id peccatum decem tribus ab ejus filio Roboamo abstulit Deus. 3. Reg. 21. ἑώρακας ὡς κατενύγη Ἀχαὰς ἐνὶ προσώπῳ μου; οὐκ ἐπάξω τὴν κακίαν ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ, ἀλλ' ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ἐπάξω τὴν κακίαν ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ. Et nonnihil confirmat hanc opinionem, quod ita quaerunt discipuli de caeco nato: τίς ἥμαρτεν; οὗτος, ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ; Ac Euripides quidem, ut alia multa parum religiose, ita in hoc quoque de injustitia Deorum conquestus est, & Bio Borysthenit. Deos, qui ob majorum peccata posteris poenas infligerent, aeque ridiculos esse, ac medicos, si qui, &c. Et hoc argumento contendere possit aliquis, hoc injustum esse. Aut dederunt poenas illi ipsi majores, aut eis ignotum est. Agathocles, Syracusanus tyrannus, Corcyraeis querentibus, quod ipsorum insulam depopularetur: *At vestri*, inquit, *majores Ulixem hospitio exceperunt*. Et Ithacensibus querentibus, quod ejus milites ex agris ipsorum praedas agerent, pecudesque abducerent: *At hercule*, inquit, *rex vester non oves tantum abduxit, sed & pastorem ipsum excaecavit*. Quae si injusta sunt, sequi videtur, ut

ut, &c. Sed tamen, si posteri bonorum virorum afficiuntur honoribus & praemiis, ut Heraclidae, ut Cimonis posteri, ut alii in aliis civitatibus, quidni etiam, &c. Quid vere dici possit. Verius tamen est, nunquam Deum paterni sceleris poenas a filiis, aut posteris exigere, sed unumquemque, pro iis quae peccavit, poenam sufferre ac sustinere. Itaque Ezech. 18. reprehenditur a Deo ipso vulgatum illud proverbium: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Duobus tantum modis ut Deus, quod peccaverint majores, pro eo poenas a posteris exigere videatur. Interdum si periculum sit, ne ipsi posteri iisdem vitiis implicentur. Ut enim corporum morbi quidam hereditarii sunt, ita interdum & animorum. Jam ut medici interdum sanam corporis partem urunt, ut male affectum membrum curetur. Vide Plutarchum de sera Numinis vindicta. Et haec poena iis ipsis, a quibus exigitur, salutaris est. Interdum autem, quia filii parentum vitia sequuntur, ideo poenas luunt. Ceteroqui nunquam bonus & innocens filius poenas paternorum facinorum pendit. Loci autem superius allati varie exponuntur. Hieronymus in Ezech. duobus modis exponit, uno modo, non puniri eos propter parentum peccata, nisi quoniam ea aemulantur, idque ostendi illis verbis, τοῖς μισοῦσιν ἐμέ. Et hoc ipsum esse misericordiae, quod poena differatur. Eadem sententia est Cyrilli ad finem lib. 3. adversus Julianum, & lib. 6. in Joan. cap. 12. & D. Augustini. Altera expositio Hieronymi mystica est, patres esse προπαθείας ad peccandum, sine quibus nullus esse potest, ideoque non puniri eas. At cum cogitatio peccatum concepit, hunc jam filium esse, si perventum ad opus, nepotem, si quis opere patrato glorietur, & in eo persistat, neque doleat quod peccaverit, hunc jam esse pronepotem. Ab hoc gravissimas exigi poenas.

Δημῆναι] *Diras* intelligit. Horatius: *Diris agam vos*, &c. Tibullus lib. 2. extremo: *Tunc tibi, lena, precor diras*, &c. Plinius lib. 28. *Diris defigi nemo non metuit*. vide Plutarchum in vita Crassi.

Ἐπαγωγαῖς τινι καὶ καταδέσμοις] Id est, πειθανάγκαις. vide fabulam de Numa apud Plutarchum, in vita ipsius, Ovidium 3. fastorum, Arnobium principio libri quinti, & de Tullo Hostilio Plinium cap. 2. lib. 23. Necessitatem

oſtendunt oracula: Καλῶς μὲν τοῖς ἐθέλουσιν, ἐπεὶ μ' ἐπίδηλος ἀνάγκη. Et: Θεσπεσίοις Ἐπιτίμοις μὲ θηλὺ ἐκφάσσεσθαι ἀνάγκης. Plura vide apud Euſebium cap. 8. & cap. 9. libri 5. εὐαγγελικῆς. Xenophon in ἀναβ. Cicero in Tuſcul. Plutarchus in conſolatione ad Apollonium. Sic Ulixes Odyſſ. λ. & Ariſtaeus 4. Georgicorum Virgil. Proteum vinculis adſtringunt: *Hic tibi nate prius vinclis*, &c.

Τέτοις δὲ πᾶσι] Id eſt, *Ad haec autem omnia teſtes adhibent poëtas. Illi quidem de vitio, quam ſit paratu facile, canentes. Obvia res cunctis vitium eſt, facilisque paratu Tota ſimul. namque ad vitium via plana brevisque. At virtus ſudore, ita di voluere, paranda eſt. Viaque ad eam fert & longa & ardua.*

Κακίας πέρι ὄπιτείας] Id eſt, κακῆς τῆς κακίας ἐπ ὀλίγιτὸς κτήσεως. Statim autem pro ὀλίγιτος lego ἀδεκτος.

Ὡς τὸν μὲν] Verſus Heſiodi hi ſunt: Τὸν μὲν τοι κακότητα καὶ ἱλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι Ῥηϊδίως, ἀλίγη (ſed melius, ut hic, legitur λείη) μὲν ὁδὸς, &c. Cicero libr. 6. familiar. *Lepta ſuavisſimus ediſcat Heſiodum, & habeat in ore*: Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα —

Ἱλαδὸν] Plutarchus male exponebat, ut notat Moſchopulus libr. περὶ Ἀττικ. ὀνομάτων.

Οἶμον] Inde littera Pythagorae, & Hercules Prodicius: cui ſimile quiddam apud Silium de Scipione lib. 15.

Καὶ πρηκὺς τὸ πρῶτον] Inde Socrates, radices ſapientiae amaras eſſe, ſed fructus dulces, dicere ſolebat.

Ἐπὶ δ'] Hinc Socrates, aſſuefcendum optimis: eadem enim mox fore jucundisſima.

οἱ δὲ τὰς τῶ θεῶν] Verba ſunt Phoenicis, Achillem alloquentis, Iliados ι. Ἀλλ' Ἀχιλλεῦ δείκανε, &c.

Ὀρφεὺς] Q. l. veteres e Vatic. ἐκκαθ. Muſaeus Lunae, Orpheus Calliopae filius habitus eſt.

Λέγει δ' ὧν] Uſus eſt & hoc Pindari loco Cicero 13. epiſt. ad Atticum, epiſt. *Ante lucem*

Οὐκῶν ἐπειδὴ τὸ δικεῖν, ὡς δηλοῖ μοι τὸ σοφοῖ] Male Marſilius vertit: *exiſtimavit haec juſtitiae.*

Περίβολος μὲν] Id eſt, *In ipſo quidem veſtibulo, & in exteriore cultu circa me in orbem adumbrata quaedam imago virtutis depingenda eſt.*

Κεφαλαίωσε] *Aſtutam.*

Οὔτι βιωσιμὸν ἀνθρώπῳ] *Quicquid poteſt.*

Τῶν λόγων] λογίων, puto.

Ὧς εἰσιν οἷοι θυσίαις] Tales esse nunc.

Καὶ ἀναθήμασι] Adducantur quo homines volunt, pacati.

Ἀζήμιοι ὑπὸ θεῶν] Ἀζήμιοι μὲν ὑπὸ θεῶν.

Καὶ οἱ λύσιοι θεοὶ] Ad eos respexit Euripides in Bacchis: Λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτὸς, ὅταν ἐγὼ θέλω. Horatius: *Ipse Deus, simulatque volo, me solvet.*

Πρὸ μεγίστης ἀδικίας] Ea quae sit, supra dictum est.

Εὐσχημοσύνης κιβδήλου] *Adulterina specie*, Marsilius.

Καθ' ὅσον ἂν οἷός τ' ἦν] Seneca epistola 42. *Multorum, quia imbecillia sunt, latent vitia*, &c.

Ὡς δυναμαὶ μάλιστα κατατείνας λέγω] κατατείνας non est *protrahens orationem*, ut Marsilius putat, sed *intendens quasi nervos*, quibus machina trahitur, quanta maxima possum contentione injustitiam defendo. Sic supra κατατείνας ἐρῶ, τὸν ἄδικον βίον ἐπαινῶν. Et lib. 1. αἱ ἐπιθυμίαι πάνεσθαι κατατείνουσαι.

Ἆρ' οὖν, ἦν δ' ἐγὼ, εἰ γεγνομένην πόλιν] *Constitutam*, vertit Marsilius. Ego, *nascentem*.

Ἔσκεπται, ἔφη] Marsil. vertit: *Ecce consideramus*. male.

Ἐπειδὴ τυγχάνει] Aliam caussam addit Aristoteles 3. polit.

Ἄλλοτι χωρὸς μὲν εἷς] Male in aliis, ἄλλος τις.

Οὕτω ῥᾷον ἢ ἐκείνως] Aut exponendum οὕτω, id est ita, ut priore loco posuisti, ἢ ἐκείνως, quam illo posteriore modo, quem addidisti, aut quae statim sequuntur, ita legendai, ut a Marsilio.

Ἀλλ' οὐκ ἄν πω πάνυ γε μέγα τι εἴη] Marsil. sic: *Nondum satis hoc amplum esset, nisi*. Sed male. Ego sic: *Non admodum magna fiet accessio.*

Καὶ μὴν κενὸς ἂν εἴη ὁ διάκονος] Marsil. *vanus esset*. Ego sic: *si inanis fuerit.*

Πάνυ γε] Citat haec Callistratus l. 2. de Nundinis, cujus verba paulo post referam.

Ἔστι γὰρ] Quicunque aut artem aliquam factitare, aut magno alicui muneri praeesse, idque cum laude obire ac sustinere meditantur, eos necesse est, primum quidem natura aptos esse ad id quod suscepturi sunt. Deinde autem a pueris ita institui atque educari, ut naturalis illa bonitas congruenti & accommodata ad eundem finem institutione magis ac magis corroboretur. Nam etsi natura defuerit, inanis & irritus futurus est omnis, qui in instituen-

tuendo ſumetur, labor: neque ulla tanta naturae praeſtantia eſt, quae ſine uſu ac diſciplina magnum quidquam ac memorabile efficere poſſe videatur. Natura autem hominis in corpore & animo ſita eſt. quorum utrumque ad id munus quo quisque functurus eſt aptum & attemperatum eſſe oportet. Inſtitutio deinde ſequitur: quae ipſa quoque ad eundem finem dirigenda eſt. Aliter enim inſtituendus eſt futurus miles, aliter futurus orator: neque regum & privatorum filiis eadem educatio convenit. Recte igitur & pro cetera ſapientia ſua Socrates de cuſtodibus civitatis diſputaturus, primum quidem expoſuit, quomodo eos & animis & corporibus a natura conformatos ac temperatos eſſe oporteat. Atque inprimis acutos eos ac ſagaces eſſe debere monuit, ita ut omnia celeriter odorentur ac ſentiant. Quis enim ſtupidum aliquem & obtuſum atque hebetem ad privatae domus, nedum ad civitatis cuſtodiam aptum judicaverit? Prius omnia compilaverint fures, quam ille expergiſcatur. Secundo loco in eis requirit celeritatem. Quid enim profuerit, fures videre, ſi eos, cum conſequi non poſſis, effugere patiaris? Quid porro, ſi conſequaris quidem, ſed viribus inferior ſis, ita ut neque praedam eripere, neque eos retinere poſſis? Itaque robur quoque requiri ait. Sunt igitur haec tria in corporibus neceſſaria, *fagacitas*, *celeritas*, *robur*. Sed haec omnia inutilia fuerint, ſi abfuerit animi praeſentia. Ergo illud quoque requiritur, ut corporis vires animi fortitudo comitetur. fortes autem qui ſunt, iidem plerumque & iracundi eſſe conſueverunt; recteque dictum eſt a Peripateticis, iram eſſe fortitudinis cotem. At quae ſpes eſt, in ea civitate pacem ac concordiam fore, in qua homines robuſti & iracundi arma teneant? Nonne & ipſi inter ſe ſaepe digladiabuntur, & reliquam multitudinem ita oppreſſam tenebunt, ut muſare non audeat? Niſi quis forte dicat, eos quodammodo ex iracundia, & ex lenitate permiſtos, ac temperatos eſſe debere. At difficilis eſt iſta fortitudinis cum lenitate, ac facilitate conjunctio. Copulari tamen haec inter ſe, vel ex canibus intelligamus licet: quae fere notis ac familiaribus blandiri ſolent, ignotos & alienos allatrare. Eodem igitur & cuſtodes ingenio deligemus, qui civibus lenes ſe ac faciles, hoſtibus truculentos, ac terribiles offerant. Ac natura quidem cuſtodum qualis eſſe debeat, diximus

Digitized by Google

mus. Sequitur, ut de eorundem institutione dicamus.

Τίς οὖν ἡ παιδεία; Ἢ χαλεπὸν εὑρεῖν] Magna est auctoritas antiquitatis: neque facile credendum est, iis quae longo usu comprobata sunt, quidquam melius posse reperiri. Δεῖ γ, ait Aristoteles 2. πολιτικῶν, μηδ' αὐτὸ ἀγνοεῖν, ὅτι χρὴ ὁσαύτως τῷ παλαῷ χρόνῳ, τὰ τοιαῦτα ἔπεσθαι, ὡς οἷς ἂν δὴ ἤλυθεν, εἰ πάντα καλῶς εἶχε. Eodemque modo Socrates antiquam παιδείαν non facile relinquendam fuit. neque enim tam diu durasset, si melior aliqua reperiri posset.

Ἔστι δὲ πᾶ] Duabus praecipue artibus civilem hominum institutionem veteres contineri putabant, gymnastica, & musica. Atque earum utriusque inventorem faciebant Mercurium: quem iccirco hominibus politioris vitae auctorem fuisse dicebant. Horatius: *Mercuri facunde*, &c. Musica enim format animos, eosque mitiores ac mansuetiores facit: gymnastica autem reddit corpora tum robustiora, tum agiliora etiam, & flexibiliora. Sed utraque alterius condimento indiget. Qui enim musicam sine gymnastica colunt, molles & effeminati evadunt: qui gymnasticen sine musica, agrestes & feri. Plato tertio horum librorum: Οἱ μὲν γοῦν μουσικῇ ἀκράτῳ χρησάμενοι, ἀγεννέστεροι ἢ δεῖ γεγόνασι. οἱ δὲ μισητῇ, μαλακώτεροι ἢ γένοιντ' ἄν, ἢ ὡς πρόσφορον αὐτοῖς. Recte autem utraque conjunctim adhibetur ad instituendos custodes, quos, ut dictum est, & mites ac placidos, & terribiles ac truculentos, esse oportet.

Πῶς δ' οὔ;] Ut enim animus non praestantior modo ac divinior, sed etiam, e Socratis saltem, & Platonis sententia, prior atque antiquior est corpore: ita ejus instituendi cura prior & antiquior esse debet.

Μουσικῆς δὲ αὐτὴν τίνας λόγους, ἢ οὔ; ἴσμεν] Marsilius: *Cum musicam dicis, sermones etiam ponis, nec ne? Porro.* Ego pro αὐτὴν, lego αὐτόν. Constat enim μέλος tribus partibus, λόγῳ, ἁρμονίᾳ, ῥυθμῷ, ut dicetur lib. 3. & statim sequitur, λόγῳ δὲ φαμὲν αὐτόν.

Παιδίας ῥᾴθυμος λήμματι] Admiratio discendi studium excitat. Plato in Theaeteto: Μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν. οὐ γὰρ ἄλλη τις ἀρχὴ φιλοσοφίας, ἢ αὕτη. καὶ ἔοικεν ὁ τὴν Ἶριν Θαύμαντος ἔκγονον φάσκων, οὐ κακῶς γενεαλογεῖν. Aristoteles primo τῶν μετὰ τὰ φυσ. διὰ γὰρ τὸ θαυμάζειν οἱ ἄν-

ἀνθρώπου, καὶ τῶν, ἢ τὸ ἀρχαῖον ἤρξαντο φιλοσοφεῖν. Et ibidem: Διὸ καὶ φιλόμυθος ὁ φιλόσοφος πώς ἐστιν. ὁ γὰρ μῦθος σύγκειται ἐκ θαυμασίων. Ideo pueris primum traduntur fabulae. *Delectat enim quicquid eſt admirabile.* Cicero in partitionibus. Vide Strabonem libro primo γεωγραφ.

Ἔστι γὰρ οὐδὲν] Non enim prorſus mendaces ſunt poëtarum fabulae. Immo ineſt eis etiam aliquid veri. Atque huc pertinet illud Horatii de Homero: *Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet.* Et illud Homeri ὀδυσ. τ. de Ulyſſe: Ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

Οὐκοῦν οἴονθ'] Heſiodus: Ἀρχὴ δέ τ' ἥμισυ παντός. Horatius: *Dimidium facti, qui coepit, habet,* &c. Ariſtoteles primo Ethicorum: Δοκεῖ δὲ πᾶσιν ἡ τὸ ἥμισυ εἶναι τοῦ παντὸς ἡ ἀρχή. καὶ πολλὰ ἐμφανῆ γίνεται δι' αὐτῆς τῶν ζητουμένων: Idem περὶ ζώων γενέσεως lib. 5. αἱ γὰρ ἀρχαὶ μεγάθει ἔσται μικραί, τῇ δυνάμει μεγάλαι εἰσί. Idem primo de caelo: ἡ ἀρχὴ δυνάμει μᾶζον, ἢ μεγάθει. διόπερ τὸ οὐ ἀρχῇ μικρὸν, οὐ τῇ πλάσει γίνεται σπερμώδες. Idem 5. Politicorum: ἡ δὲ ἀρχὴ μέγιστον ἥμισυ οἷόν πως ἐστί. Plato in Cratylo: Δῶ δὲ καὶ τῆς ἀρχῆς πάντες περίγραφον· καὶ πρὸ ἁπάντων τὸν πολὺν λόγον εἶναι, ἢ πολλοῦ δεῖν, ὅτι ἀρχῆς, ὅτι μὴ ἀπέκειτο. Sophocles: Ἄρχου δὲ παντὸς· ἢν τις ἄρχηται καλῶς, Καὶ τὰς τελευτὰς οἶσός ἐσθ' ὅπως ἔχειν. Horatius: *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem Teſta diu.* Virgilius: *Adeo in teneris conſueſcere multum eſt.* Quintilianus: *Natura tenacisſimi* &c. Ariſtoteles principio 8. Politicorum: Ὅτι μὲν οὖν τῷ νομοθέτῃ, &c. Socrates in Euthyphr. ἀρχὴ γάρ ἐστι τῶν νέων πρῶτον ἐπιμεληθῆναι, ὅπως ἔσονται ὡς βέλτιστοι. ὥσπερ γεωργὸν ἀγαθὸν τῶν νέων φυτῶν οἰκὸς πρῶτον ἐπιμεληθῆναι.

Ἀεὶ δὲ μαθὸς] Οὐκ ἄλλως ἔργον ἐστὶ τὸ μεταμανθάνειν ἢ μανθάνειν ἐξαρχῆς. Ariſtoteles lib. 4. Politicorum. *Frangas citius quam corrigas, quae in principio induruerunt.* Quintilianus.

Περᾶσιν δὲ ἡμῖν] Coërcendam, quaſique certis regendam finibus eſſe ait licentiam eorum, qui fabulas fingunt: neque permittendum, ut quidlibet arbitratu ſuo commineiſcantur, ſpargantque in populum: ſed habendus fabularum dilectus, ut quae pulchrae erunt admittantur, ac comprobentur, quae minus, ſeparentur, ac ſecernantur a ceteris, ut a farina furfures, aut a tritico lolium, & rejiciantur.

Τὰς

Τοὺς δ' ἐγκριθέντας] Multo enim pluris interest, quo cibo alatur animus, quam quo corpus. Non est autem dubium, fingi, ac formari nutricum manibus tenella puerorum corpora: ut non tantum partes corporis carneae ac molliores, verum etiam sicciores ac solidiores, proinde ut ab eis conformatae sunt, varias formas induant. Narrat Hippocrates de populis quibusdam, qui ex re Macrocephali vocantur, apud quos qui longissimo capite erant, nobilissimi habebantur. Statim igitur, ut in lucem editus erat puer, caput illius adhuc molle, ac tenerum manibus comprimebant, tum ita alligabant fasciis, ut naturalis illa capitis rotunditas plane tolleretur, cogereturque caput in longitudinem crescere. Longam autem consuetudinem tandem vertisse in naturam, ita ut longo, & acuto, & aliorum omnium populorum dissimili capite nascerentur. Hoc, ut dixi, legitur apud Hippocratem, ἐν τῷ περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων.

Πρῶτον μὲν δὴ] Duo reprehendit in veteribus poëtis, quod non bene imitati sint quae debebant, & quod ea imitati sint quae non debebant. Non bene imitati Deos, & heroas. quibus affinxerunt, quae nullo modo ipsis conveniunt. Quae non debebant, ut Nioben Diis maledicentem: aut in comoedia, faecem plebis multa indecore turpiterque facientem. Caelum tradiderunt unum esse ex antiquissimis diis, qui ex Terra matre, eademque uxore multos liberos susceperit, Oceanum, Coeum, Creum, Hyperiona, Iapetum, alios, & deinde Saturnum; & Cyclopas, quibus unus in media fronte oculus erat: tum postremo Cottum, Briareum, & Gygen, qui quinquagena capita, & centenas manus habebant. At Caelus, ut eorum quisque natus erat, ita eum in terrae visceribus denuo recondebat. Hesiodus: Καὶ τὸ μὲν ὅπως τὶς πρῶτα γένοιτο, &c. Indignata Terra adamantem produxit, & ex eo falcem fecit, filiosque exhortata est ad poenas de patre sumendas. Unus repertus est Saturnus, qui negotium suscipere ausus sit. Is dormienti patri virilia amputavit: eique successit in regnum. Hesiodus, & Apollodorus in bibliotheca.

Οὐδέ γε, ἦν δ' ἐγώ] Id est, *Neque vero, inquam, omnino deos cum diis bellum gerere, aut insidias inter se struere, aut pugnare. neque enim vera sunt. Si quidem talibus civitatis custodibus indigemus, qui turpissimum arbitrentur*

tur, facile ad ſuſcipiendas inter ſe inimicitias adduci. Multum autem abeſt, ut eis pugnas cum gigantibus aliasque multas ac multiplices inimicitias Deorum, & heroum adverſus cognatos, & eadem ex ſtirpe ortos, aut fabulando exponere, aut in ſtragulis picturas proponere debeamus. Immo vero, ſi quidem eis perſuadere volumus, nullum unquam civem alium cum alio ſimultatem exercuiſſe, neque fas eſſe, talia potius ſtatim puerulis, & a ſenibus, & ab aniculis narranda ſunt: eademque, cum jam ſenieres erunt, &c.

Dii bellantes, & diſcordantes inter ſe ſaepe a poëtis inducuntur, ut a Virgilio: *Caelicolae magni, quianam ſententia vobis Verſa retro, tantumque animis certatis iniquis?* Et paulo poſt, Juno & Venus contrariis inter ſe orationibus certant, plenis irae & convicioruni. Sed & Deorum diſſenſionem ſuper bello Trojano ita complexus eſt Ovidius: *Mulciber in Trojam*, &c. Et, cum Iliados 5. Mars apud Jovem ita conqueſtus eſſet de vulnere, quod a Diomede acceperat: Ζεῦ πάτερ, ὁ ἰήμερθεν, &c. ab Jove hoc reſponſum fert: Μήτι μοι ἀποσσόμενος πικρίζεμεν· μουνέζεις. Ἔχθιστος δέ μοι ἐσσὶ θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν. Et in 8. graviter eis minatur, niſi ſibi parcant: Ὃν δ' ἂν ἐγὼ ἀπάνευθε, &c. Et in eodem libro ait, Junonem ſibi perpetuo ſolitam adverſari. Inſidiarum, quas dii alii aliis ſtruant, exemplum eſt primo Iliad. ubi Juno, Minerva, Neptunus & Apollo, &c. cum Thetis adduxit Aegeona.

Γηγενεσσάχλας] Virgilius 1. Georg. *Tum partu Terra nefando*, &c. Fabula eſt apud Ovidium 1. metam. Hoſatius od. 4. lib. 3.

Ποικιλτόν] Supra diſtinxit ξυγοφλοῖ & ποικίλον. Hic ad peplum reſpicit. Harpocration: πέπλος ὁ πίναξ ὁ ἀναγραφόμενος τῇ Ἀθηνᾷ τῶν μεγάλων Παναθηναίων, ὃ μόνον ὑπὸ τῶν ῥάπτων ἐν μεγάροις, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῶν ναυπηγῶν. Virgilius lib. 1. Aeneid. *Interea ad templum*, &c. Plautus: *Nunquam ad civitatem venio, niſi cum infertur peplum.* Ibi depingebantur acu a matronis Deorum bella. Plato in Euthyphrone: Καὶ πέπλους ἄρα ὑφῇ, &c. At Interpres Ariſtophanis in ἱστοῖς, velum Panathenaicae navis, in quo pingeretur acu Pallas Enceladum dejiciens, ait, quarto quoque anno confici ſolitum. Peplographia Varronis. Peplus Ariſtotelis. eſt & alius locus apud Plautum in pro-

prologo Mercatoris: *Neque nisi quinto quoque anno posse tum visere Urbem, atque extemplo inde, ut spectavisset peplum; Rus rursum confestim exigi solitum a patre.* Proclus: ἐκεῖνος ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος ἔχει τοὺς Γίγαντας νικωμένους ὑπὸ τῶν Ὀλυμπίων θεῶν. Marsilius hic quoque omisit πνικιλτέον.

Ὑπὸ ἡμῶν] Immo, ὑπὸ Διός. Vulcanus autem eam solvere conatus, a Jove dejectus in Lemnum.

Ἥρας δεσμοὺς] Iliad. o. sub principium.

Ἡφαίστου ῥίψεις] Iliad. α.

Ὑπόνοια] est cum aliud dicitur, aliud occultatur. Plutarchus ἐν τῷ πᾶς δεῖ τὸν νέον ποιήμ. ἀκούειν· ταῖς πάλαι μὲν ὑπονοίαις, ἀλληγορίαις δὲ νῦν λεγομέναις.

Ἀλλ' αὐτὸ δεῖ, legendum δὴ, τοῦτο, οἱ τόποι περὶ θεολογίας, τίνες ἂν εἶεν] Id est, *At vero istud ipsum, istae, inquam, formae, ad quas effingenda sunt omnia, quae de diis dicuntur, cujusmodi tandem sunt?*

Τοιοίδε που τινες, ἦν δ' ἐγὼ] *Fere, inquam, hujusmodi.*

Οἷος τυγχάνει] Id est, *Qualis Deus est, talem videlicet eum semper describere oportet: sive quis eum in heroicis versibus describat, sive in odis, sive in tragoedia. Ita plane.*

Primum hoc principium est, ut nihil Deo affingamus; sed eum, qualis re vera est, talem etiam exprimamus: Sed hoc majus & difficilius est, quam ut humanis viribus praestari queat. Dei enim essentiam capere humanus animus non potest: solus Deus capax est sui: solus perfecte novit se, & in se omnia. Caligat humana mens ad illam immensam lucem omni luce superiorem: & quo se altius attollere conata est, eo se longius infra id quod petit, jacere sentit. Apud Aegyptios in adyto Minervae, quo nomine illi sapientiam divinam, id est, Deum ipsum intelligebant, ita scriptum erat: *Ego sum, quae sunt, quae futura sunt, quae fuerunt. Tunicam meam nemo unquam retexit.* Quibus significabatur, Deum esse omnia: ejus autem plenam cognitionem neminem unquam consecutum. Vulgatum illud est de Simonide, qui, cum ex eo rex Hiero quaesisset, quidnam esset Deus, unum sibi diem ad cogitandum postulavit. Cum idem postridie sciscitaretur, biduum petiit. Idem cum saepius fecisset, admiratus Hiero, cur ita rem traheret, quaesiit. Tum ille, *Quo magis, inquit, cogito, eo mihi res vide-*

tur obſcurior. Nam nedum eſſentiam ipſius comprehendamus, ne nominare quidem eum ullo idoneo, quodque cum re ſignificata adaequetur, nomine poſſumus. Vereque cum Mercurius ille, quem Ter maximum vocant, anonymon eſſe dixit. Neque immerito Socrates in Philebo cohorreſcere ſe dicit, quoties Deus aliquis nominandus eſt, metuentem, ne ei nomen aliquod parum conveniens tribuat. Et Platonici motum, quo animus noſter fertur ad contemplandum Deum, σιώπην ψυχῆς, id eſt, ſilentium, & taciturnitatem quandam animi vocant. Et D. Hieronymus principium Pſalmi, apud Hebraeos 65. ita convertit: *Tibi ſilentium, laus, Deus*, quod eum ſilentio tantum, & admiratione venerari, non etiam pro dignitate de eo, aut loqui, aut cogitare poſſimus. Neque tamen abſtineri debemus, quo minus Deum qualicunque poſſumus orationis genere celebremus: ſed perpetuo, quantum in nobis eſt, potentiam, ſapientiam, bonitatem ipſius depraedicare: ita tamen, ut & agnoſcamus, & fateamur omnia, quae a nobis de ipſo, aut dici, aut cogitari queunt, minus nihilo eſſe, ſi cum infinitate, atque immenſitate ipſius conferantur.

Hic diſtinguendum breviter ἰσθ-, μιλθ-, τρογνθ-. ex Procli Chreſtomathia.

οὐκοῦν ἀγαθός] Hoc eſt, *Nonne igitur, & bonus re ipſa Deus eſt, & ita de eo praedicandum? Quidni?*

Libro decimo de legibus, tres eſſe dicuntur quaſi χαρακτῆρες deorum, Bonitas, Poteſtas, Cognitio. Hic quoque tres typi theologici traduntur, quibus plane idem indicatur, Bonitas, Immutabilitas, Veritas. Nam bonitas quidem, ut illic primus χαρακτὴρ eſt, ita hic primus typus. Poteſtati reſpondet ἀμεταβλησία, quam Cicero *immutabilitatem* vocat. Infirmum enim & imbecillum eſt, quicquid mutationi obſiſtere non poteſt. Firmum contra & potens, quod ſemper eodem in ſtatu permanet, neque ulla vi mutatur, aut movetur. Cognitioni veritas: ea enim eſt quae cognitionem perficit. Quae igitur hic, & in decimo de legibus, de natura Deorum traduntur, praeclare inter ſe, omni ex parte conſentiunt. Merito autem Dei bonitatem primo loco conſtituit. Nam, ut vere philoſophi docent, ens, unum, & bonum, idem ſunt. Deus autem ſolus proprie

prie est, unde & ipse ita de se, *Ego sum, qui sum*, Exod. 3. solus unus est. nam in eo solo nihil omnino mistum, nihil concretum, ac compositum est. Solus bonus est. Nam & in divinis libris: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Duo autem sunt quae notat Proculus in hunc locum: unum de vi articuli, quod ita loquitur Plato, ὅτι θεὸς. significat τὸ τι καθ' ὑπεροχὴν, ὃ τὸ πᾶς, ut ὁ ἄνθρωπος λογικὸς. Hic non accipitur priore modo, primo, quia infra ait, ἄτοπος τῶν θεῶν παραμυθία ἐν ᾗ ἕξεσιν οὐκ ἐνυπάρχει. secundo, quia vult poëtas in his typis versari, qui non tantum de illo primo, sed & de aliis fabulantur. Μαρτυρῶν ᾗ τῷ καὶ λόγῳ· ὅτι ὅτι πᾶς ἀγαθὸς θεὸς οὐδενὸς, &c. Alterum est, τῷ ὄντι. ὄντως, quod est, ἀμίκτως est. ὃ ὄντως ζῶν, τὸ ὄντως καλόν. Bonitas in Deo non est, ut ἕξις. Sed est αὐτοαγαθὸς. Nam quicquid est in Deo, est Deus. alioqui non esset simplicissimus. Alia omnia quae sunt, quatenus sunt, bona sunt. *Vidit Deus omnia quae fecerat, & erant valde bona.* Sed bona sunt μεθέξει. Solus Deus. τῇ οὐσίᾳ. Bonorum unica causa est, malorum plures.

πλειονοταχῶς. Malorum idea non est. Nam idea est causa. Idea est Deus, ut in Parmenide. Et quicquid est in Deo, Deus est. si ergo est idea malorum, Deus erit causa malorum. aut cum idea malorum sit Deus, & Deus nullius mali causa, idea quoque mali nullius erit causa. *In ipso sunt omnia.* ad Rom. 11. Et omnia quae sunt, quatenus sunt, participant divinitate. Unde Aristoteles, formam esse θεῖόν τι, & Socrates iccirco jurabat per canem, per anserem, per platanum, & similia, quia in omnibus inest aliquid divini, nempe ipsum esse. Item, si est idea malorum, τί τὸ παῖδ' ἐστὶ αὐτοῦ; Non Deus, nullius enim mali causa est. Non homines, agerent enim malum scientes. At ἀγνοοῦσα ἁμαρτάνει τὸ κακὸν πάσχει, ut est in Menone. Nulla igitur est idea malorum. Suntne mala θεῖα; Testimonia, quibus ita videri possit. I. Homerus, cum proposuisset mala, quae Graecis evenerunt ex ira Achillis, addit, Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή, aut, ut Nicanor legebat, βουλῇ. II. Diminutio virtutis est malum. At Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἀνδρῶσιν ἐφήμισε πατρὸς ἐπ, Ὅτεῳ κεν ἵλληται. Iliad. υ. III. Duo dolia in domo Jovis Iliad. α. de quibus plura dicentur infra. IV. Apud Hesiodum Jupiter ita loquitur: Τοῖς δ' ἐγὼ ἀνὰ πυρὸς θῆκα κακά. Et

Pandora, cum qua mala omnia hominibus venisse fabulatur, a Jove ipso missa dicitur. V. Vulgaris consuetudo loquendi. *Malum quod tibi dii dabunt.* Saepe in comoediis, & Tibullus: *Illi sub terris di dent mala multa puellae.* Sunt igitur non tantum δωτῆρες ἐάων, ut eos Hesiodus vocat, sed ταμίαι κακῶν τ', ἀγαθῶν τε, ut Homerus Jovem vocat. Ex sacris. VI. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Job 2. VII. *Indurabo cor Pharaonis.* Exod. 9. *Cui vult miseretur, & quem vult indurat,* ad Rom. 9. VIII. *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ego Dominus faciens omnia haec.* Isaiae 45. IV. *Nunquid erit malum in civitate, quod Deus non fecit?* Contra. I. Plato hic aperte negat Deum esse caussam malorum. & haec est omnium sapientum sententia. II. Ut efficiens boni est bonum, ita efficiens mali est malum. At Deus τῷ ὄντι summe bonus est, sine ulla mali admistione. Non est igitur efficiens mali. Euripides: Εἰ θεοί τι δρῶσι φαῦλον, οὐκ εἰσὶ θεοί. III. Homerus etsi interdum facit homines malorum caussam in Deum conferentes, ut Menelaum Iliad. γ. Ἀτρείδης δ' ὤμοξεν ἰδὼν εἰς οὐρανὸν εὐρὺν, Ζεῦ πάτερ, οὔτις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος. id est, *Ingemit Atrides, oculosque ad sidera tollens, Juppiter, haud divum est te perniciosior alter.* Et Agamemnonem Iliados τ. ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι, Ἀλλὰ Ζεὺς καὶ μοῖρα καὶ ἠερόφοιτις Ἐρινύς. hoc est, *Non ego culpandus, sed qui mihi caussa malorum est, Juppiter, & fatum, & quae nocte vagatur Erinnys.* Haec igitur & ejusmodi alia etsi homines stulte loquentes inducit, tamen Odys. α. gravissime talia omnia reprehendit, ubi Jovem ipsum ita loquentem facit: Ὦ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται. Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσι. id est, *Quam temere divos culpant mortalia saecla. Ex nobis etenim mala dicunt esse: sed ipsi Praeter fata suis vitiis mala tot patiuntur.* IV. Et videntur illi versus Homerici, non alieni esse ab eo quod saepe in divinis litteris docetur; *bona omnia a Deo fluere*: homines autem cum pereunt, sua culpa perire. V. Denique neutrum horum negari potest: omnia quae sunt facta, esse a Deo. *Sine ipso factum est nihil.* Joan. 1. & omnia quae a Deo sunt, bona esse. *Vidit Deus omnia quae fecerat:*

&

& erant valde bona. Gen. 1. Malorum igitur auctor non est Deus. Sed unde sunt mala, si a Deo non sunt? Pythagorei duo principiorum ordines faciebant, bonorum unum, malorum alterum. In uno ponebant *Unum*, *Verum*, *Bonum*, *Impar*, *Rectum*, *Quadratum*, *Marem*, & quaedam alia: in altero *Multa*, *Falsum*, *Malum*, *Par*, *Obliquum*, *Altera parte longius*, *Feminam*, & similia Earum classium meminit Aristoteles primo Ethicorum, 1. τῶν μετὰ τὰ φυσ. & alibi. Ex illo fonte, ut opinor, fluxerunt Marcionitae, Appellitae, Manichaei, & alii, quos eleganter Origenes ἀνοίας καπήλους vocat, quorum alii tria, alii duo principia faciebant: quidam etiam duos Deos, unum bonum, & unum malum, adversus quos gravissime & eruditissime disserit Origenes tribus libris, quos in Dialogo scripsit adversus Marcionitas, & S. Augustinus in libro de natura boni adversus Manichaeos. Erant &, qui non duos Deos, sed duos spiritus principio a Deo genitos dicerent, unum bonum, alterum malum. In quo errore versatur Lactantius lib. 2. quem inscribit de origine erroris. Quidam etiam ex eis dicebant, malorum principium esse hylen, sive materiam, quam corporum creatricem vocabant. Neque deerant, qui errorem illum conarentur Platoni tribuere, quos refutat Plutarchus, ἐν τῷ περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας. & Arnobius lib. 1. adversus gentes, hanc opinionem non prorsus rejicere videtur. Nam inter ceteras de malorum origine sententias, eam quoque proponit his verbis: *Quid enim, si prima materies, quae in quatuor rerum elementa digesta est, miseriarum omnium caussas suis continet rotationibus involutas?* In hac sententia fuerunt & Stoici. & certe τὰ ἔνυλα τῆς ὕλης vitio intereunt, materia adsidue novas formas appetente. De iis loquor, quae sub orbem subjecta sunt. nam in superioribus nihil prorsus est mali. sed tamen cum ipsa materia sit opus Dei, nefas est dicere, eam aut malam, aut malorum caussam esse. Et tamen necesse est, aut malum non esse, aut esse ab alio principio quam a Deo, aut esse ab ipso Deo Si malum non est, quomodo agit? Agit autem, nam corrumpit ac destruit. Et constat mala esse, ut adulteria, furta, caedes, itemque morbos, bella, & similia. Explicatio quaestionis. Malum interdum adversatur τῷ ὄντι, estque τὸ [illegible] nim est vere ὄν, id Deus fecit. unde

necesſario bonum eſt. *Mala natura, ait D. Auguſtinus, nulla eſt.* Quaerere autem unde ſit id quod non eſt, ſupervacaneum & ridiculum videtur. Imo vero Deus, cum omnia quae ſunt produxerit ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι, nihil tamen unquam ita prorſus interire patitur, ut eſſe deſinat. Itaque eos quoque, quos pro juſtitia ſua aeternis apud inferos ſuppliciis damnavit, millies indignos qui ſint, tamen eſſe patitur, ut in eis etiam admirabilis ipſius bonitas & miſericordia eluceat. Unde ex eorum perſona ita loquitur Hieremias: *Miſericordia Domini, quod non ſumus conſumpti.* Sed malum duobus aliis modis accipitur; diciturque malum interdum quod honeſto ac juſto adverſatur: interdum quod acerbum eſt & incommodum, & perpeſſu difficile. Illud Theologi vocant *malum culpae*, hoc *malum poenae.* Malum culpae nullo modo ad Deum referri aut debet, aut poteſt. Sed totum a nobis proficiſcitur, qui pulchro & praeſtanti munere nobis divinitus conceſſo abutimur τῇ αὐτεξουσίᾳ, id eſt, *voluntatis*, ſive, ut Theologi loquuntur, *arbitrii libertate.* Quodſi quis dicere audeat, iccirco quae ab hominibus peccantur, ad Deum auctorem referri poſſe, quod ab eo homines illam ipſam voluntatis libertatem acceperint, & a quo cauſa eſt, ab eodem eſt & id quod ex cauſa efficitur: is non videt, eadem ratione evenire poſſe, ut homines de iis omnibus, a quibus beneficium aliquod acceperunt, conquerantur. An, ſi tibi magnam pecuniae vim donavero, tuque ea ad intemperantiam & libidinem utens, & in morbos incidas, & infamiam tibi concilies, culpare me poteris, quod qua re a me accepta bene & laudabiliter uti potueras, ac debueras, ea ad damnum, & ad dedecus tuum abuti malueris? At videtur Deus interdum eſſe cauſa peccandi, ut cum cor alicujus indurat. ſed veriſſime Theologi docent, peccatum ſaepenumero eſſe poenam peccati. Cum enim hominem in malo pertinacem & obſtinatum videt Deus, avertit ſe ab eo, & eum naturae ſuae obſequi patitur: eoque modo evenit, ut ille qui ita a Deo deſerrus eſt, ex uno vitio in aliud prolabatur. Praeclare, ut ſolet, Paulus in epiſtola ad Romanos, *Cum cognoviſſent Deum*, inquit, *non coluerunt ut Deum, neque ei gratias egerunt*, &c. Idem accidit & Pharaoni, qui, cum multis modis in populum Deo acceptum injurius & iniquus fuiſſet, Deus non ille quidem novam ullam

ullam duritiam in cor ejus induxit, sed ita eum indurari passus est, ut si cera quae solis radiis liquefieri ac molliri poterat, abscedente sole, ad naturalem suam duritiam revertatur. Neque unquam quenquam indurat Deus, nisi quem sibi renitentem ac contumacem videt. Malum autem poenae, ita enim vocemus, ut ab hominibus eruditissimis vocatur, quatenus malum est, peccatis nostris adscribi debet, quibus in nos iram Dei provocamus. quatenus autem a Deo immittitur, & infligitur, in bonis, non in malis, numerari debet. Quinque enim fere sunt caussae, propter quas Deus acerbitates quasdam & incommoda immittit hominibus. Interdum, ut eos ad bonam frugem & ad sanctitatem revocet; eaque tum non magis in malis habende sunt, quam remedia & medicamenta, quibus medici levare morbos, & amissam valetudinem restituere conantur. Interdum autem, ut exemplo eorum qui ob peccata poenas luunt, alii sapientiores facti à peccando deterreantur. Nonnunquam etiam ab iis, quos amat, pro peccatis poenas in hac vita exigit, ne post mortem aliae sint eis graviores & acerbiores luendae. Interdum exercet eorum virtutem, ut magis appareat, & ut det eis materiam majoris gloriae promerendae. Postremo eos qui volutati sunt in coeno viciorum usque ad mortem, neque aut indoluerunt propter perpetrata a se facinora, neque eorum vere atque ex animo poenitentes operam dederunt, ut eorum veniam impetrarent, eos, inquam, detrudit ad inferos, aeternis suppliciis mancipatos. In quo tamen, ut ante dixi, ut justitia, ita misericordia ipsius perspicitur: justitia quidem, quod ut benefactis praemium, ita peccatis poenam constituit: misericordia autem, quod eos non tamen prorsus extinguit, neque ad nihilum redigit, sed esse patitur, ut ne illa quidem infelicium domus, divinae misericordiae prorsus expers reperiatur. Atque his cognitis facile solvi possunt, quaecunque superius a nobis allata sunt. Malum enim culpae a nobis est, non a Deo. Poena autem omnis, quatenus a Deo est, in bonis, non in malis, numerari debet. Etiamne illa quam scelerati apud inferos luunt? etiam; quatenus est a Deo. Quicquid enim justum est, bonum est. Poena autem illa justa est. Ex quo efficitur, ut sit etiam bona. At non eis qui apud inferos sunt. fateor. Sed ut principio lib. 4. de Repu-

blica ait Plato, non unius partis, &c. Universe autem bonum justitiam esse, & multis partibus praestat justitiam divinam observari, quam hujus aut illius impuri hominis poenam praetermitti. Sic quaedam urantur & secantur in corpore, *ne pars sincera trahatur*, ut quidam ait.

Οὔτε Ὁμήρου] Marsilius: *Neque Homeri igitur, neque alterius poetae accipiendum est peccatum stulte de diis dicentis*, &c. male. nam ἁμαρτίαν non refertur ad λοιδορήσαντος, sed ἁμαρτάνοντος. λοιδορηθῆναι autem quid sit, notum est. Achilles Iliad. ω. cum dixisset Priamo, inutilem esse luctum, addit: Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται οὐδὸν Διὸς ἐνὶ Δώματι, ἐκ δώρων, ὁ μὲν ἀγαθῶν, ὁ δὲ κακῶν ἔῃσι. Ὧι μὲν κεράσσας δώῃ Ζεὺς τερπικέραυνος. Ἄλοτε μὲν τε κακῷ, &c. Ὧι δὲ κακὰ πολλὰ δώῃ, λοιδορίην δ' ἐπὶ δῆμον· Καί ἑ ἰφὶ ἀπὸ δῖον, &c. Θνητὸν δ' ὄντα δαΐζει ἀμάρτη δ', ὅτε θεοῖσιν. In quo Homeri loco verius fortasse legitur, ut Plato legit, praesertim cum ita citet & Plutarchus in libro πῶς δεῖ τὴν νέον ποιεῖσθαι. καὶ. sed tamen in Θεμιστοκλεῖ. καὶς Ἄλλοτε. citat ita, ut vulgo legantur. rursus autem ὁ τῷ σοφῷ φησὶς, agnoscere videtur lectionem Platonicam. Bonis sine ulla mali admistione soli dii fruuntur. Homines autem praeclare secum agi existimare debent, si malis suis saltem boni aliquid admisceatur. Ita enim faciunt Dii iis quos diligunt. Sic in Odyss. de Demodoco: Ὃν περὶ Μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε καὶ ἐσθλόν τε. Ὀφθαλμῶν δ' ἄμερσε. κακὴν δ' ἀοιδὴν ἀνῆκε. Pindarus pro uno bono duo mala semper a diis dari: Ἐκ τοῦ ἑνὸς πήματα σύνδυο θνατοῖσι βροτῶν ἀδάητοι. At Euripides: Ῥᾴδιον ἐν γήροντι χρεὼν ἀθλεῖν τὸ κακοῖς. Ἀλλ' ἐν τοῖς εὐτυχοῦσι.

Οὐδ' ἐς πημίας] Iliad. δ. ita legitur: Ζεὺς δέ ς' ἀδμήτην πημίνῃ πολέμοιο πέπυσται. Sed talia non intelliguntur de vere malis, id est, de turpibus. Imo de iis tantum, quae plerumque, ut poenae, divinitus infliguntur.

Ὅρκιον ᾗ σπονδῶν σύγχυσιν] Lib. 3. Iliados. Convenerat inter Graecos & Trojanos, &c. libro autem 4. mittitur Minerva a Jove, missa Laodoci formam induit, & persuadet Pandaro, ut contra foedus telum in Menelaum mittat.

Φίλωνίδην τε τὸν Διὸς] Iliad. υ. Ζεὺς δ' Θέμιν· ἀθλήσων ἤνωγε ἀγορήνδε κελεύσας. Pars illa Iliados vocatur a veteribus θεῶν μαχή. Pro Graecis pugnant Juno, Minerva, Neptunus, Vulcanus, Mercurius. Pro Trojanis Venus, Apollo, Diana, Latona, Mars, Scamander. Judicium dea-

Digitized by Google

dearum nocum est ex Iliad. ε. etsi versus illi ῥηθέντα.

Οὐκ ἄρ' ἐν Αἰσχύλῳ λέγει] Citat hos versus & Plutarchus in libro de audiendis poëtis.

Οὗτος μὲν οὖν] Id est, *Sit igitur, inquam, haec quidem una ex illis legibus. & figuris, ad quas oportebit dici jocose* (*), *& eos, qui quid de Deo dicent, & eos, qui poëmata conscribunt, non esse eum omnium causam, sed bonorum tantum. Abunde, inquit, multa hac de re dicta sunt. Quid autem secunda haec? Nunquid Deum praestigiatorem putas esse & tanquam ex insidiis, modo sub hac, modo sub illa forma conspici? Ita ut interdum quidem ipse aliquid fiat, mutetque speciem suam multas in formas, interdum autem ludificetur nos, efficiatque, ut nobis de ipso talia videantur, an & simplicem esse, & omnium minime a forma sua excedere? Ego vero, inquit, quid in praesentia dicam, non habeo.*

Secundus typus Dei, immutabilitas, cum quo conjungit etiam veritatem. Bipertita enim haec quaestio est. Utrum Deus ipse re vera mutetur; & varias formas induat: an cum ipse immutabilis sit, ludificetur tamen homines, & cum omnino non mutetur, efficiat tamen, ut ipsis modo hanc, modo illam formam suscipere videatur. Dicendum autem est, Deum neque mutari, neque ludificari homines. Nam & immutabilis est, & veracissimus, atque ab omni mendacii genere alienissimus. Deus enim simplicissimus est, maximeque unus. Quod autem perfectum unum & simplex est, immutabile est. Unde Parmenides & Melissus, cum τὸν θεὸν unum esse dicerent, idem immobile esse dicebant. Aristoteles 1. Physicorum: Εἰ δὲ μὴ ὁ κίνησις, ἀδύνατον δὲ ἄλλως, ait Hippocrates, de nat. hom. Quicquid mutatur, compositum est, aliquid enim manet, & aliquid transit. Quicquid mutatur, potentiam admistam habet. Deus autem est actus purus. Quidquid mutatur, acquisit aliquid, quod prius non habebat. Extat hoc argumento liber Philonis, ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον. Convenit hoc cum sacris scripturis. *Tu autem idem ipse es.* Psal. 101. *Ego sum Deus, & non mutor.* Malac. 3. *Ego sum, qui sum.* Exod. 3. Nam quae

(*) In his Editor Ingolstadiensis manum Mureti non assecutus videtur.

quae mutantur, non dicuntur esse, sed fluere, ut in Τιμαίῳ. & iccirco dicebat Heraclitus, *neminem bis in eundem fluvium ingredi*. ut est apud Aristotelem. *Solus Deus natura incommutabilis est.* Augustinus in lib. de fide ad Petrum Diac. & idem in lib. de nat. boni. His positis, videamus, quibus argumentis idem probet Socrates. Quia enim Glauco dixerat, &c. iccirco eum ita interrogat:

Τί δὲ τόδε; οὐκ ἀνάγκη] Inductio ad probandam majorem syllogismi.

Πᾶν τὸ μεταβαλλόμενον τοῦ μεταβάλλοντος ἀσθενέστερον, τὸ δὲ θεῖον δυνατώτατον] Hinc Proculus colligit, unicum esse Deum. sed ipse postea ἀμετάβλητος non est.

Ἀλλὰ μὴν, ὁ θεὸς] Hic continetur ἡ ἐλάττων καὶ τὸ συμπέρασμα.

Ἀλλ' ἄρα αὐτὸν μεταβάλλει ἂν καὶ ἀλλοιοῖ] Altera pars propositionis.

M. AN-

M. A. MURETI

NOTAE

IN

XENOPHONTIS

ΚΥΡΟΥ ΠΑΙΔΕΙΑΝ

ET ΑΝΑΒΑΣΙΝ.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. ANTONII MURETI

NOTAE

IN XENOPHONTIS

ΚΥΡΟΥ ΠΑΙΔΕΙΑΝ.

IN LIBRUM PRIMUM.

Pag. 2. ver. 6. Hen. Steph. In praefatione, quae est ante libros de Institutione Cyri, quo loco enumerat Xenophon eos populos, quos Cyrus sub imperium suum subjecit, nominantur Mariadyni, seu, ut alii scribunt, *Maryadeni*, ex quibus alii *Megadinos*, alii *Magadidos*, alii *Budinos*, (sunt hi quoque Scythiae populi) facere maluerunt. Ego veterem scripturam retineo. *Maryandinorum* mentio est apud Herodotum lib. 6. apud Strab. lib. 7. apud Stephanum. Xenophon ipse lib. 6. de expeditione Cyri, Heracleam, Megarensium coloniam, in Maryandenorum agro esse ait. v. 19. Sub principium narrationis, ubi est ἐπιτάττουσιν αὐτοῖς μὴ κλέπτειν, magis probo, quod in aliis libris legitur, ἔπειτα προτάττουσιν. v. 34. Quod autem statim sequitur de foro illo libero, in quod neque plebi pateret aditus, neque quidquam rerum venalium inferretur: quale hodie in nulla, quod sciam, civitate reperitur: & tamen incredibiles utilitates adferret: id Aristoteles e Xenophonte, ut opinor, haustum in libros suos transtulit, qui tamen apud Thessalos quoque tale forum quoddam esse dixit. Verba ejus sunt e septimo, ut quidem vulgo numerant, libro Politicorum: περὶ δὲ ὑπὸ μὲν τοῦτον τὸν τόπον τοιαύτης ἀγορᾶς εἶναι κατασκευὴν, οἵαν καὶ περὶ Θετταλίαν ἐνομάζουσιν, ἣν ἐλευθέραν καλοῦσιν. αὕτη δὲ ἐστιν ἣν δεῖ καθαρὸν εἶναι τῶν ὠνίων πάντων, καὶ μήτε βάναυσον, μήτε γεωργὸν, μήτ' ἄλλον μηδένα τοιοῦτον παραβαίνειν, μὴ καλούμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων. Tale quoddam forum audio hodieque esse Epidauri. P. 3. v. 14.

v. 14. De eo autem loco, qui pertinet ad judicia ingrati, quae apud Persas dabantur, scripsi jam pridem lib. 8. variarum lectionum cap. ult. v. 35. At paulo post, ubi narrat ephebos partim in venationem cum rege exire, partim in custodia manere solitos, locus perturbate admodum scriptus est, quem ita lego: ἐπεὶ δ' ἐξίη βασιλεὺς ἐπὶ θήρην, καὶ ἅμα τοῦτο παιδείης ἕνεκεν, τοὺς μὲν ἡμίσεας ἐξάγει τῆς φυλακῆς, τοὺς δὲ ἡμίσεας καταλείπει. P. 5. v. 16. Jam vero ubi effeminatum illum, minimeque viro decorum corporis cultum, quo Astyages utebatur, exponit, saepe sensi multis mirabile videri, quod tum sibi etiam oculos pingere solitum scribit. Vix enim videtur id sine magna molestia, & doloris sensu, noxaeque periculo fieri posse. Certo tamen certius est, id antiquitus factitatum. Et in sacris literis de Jezabele: *Depinxit oculos suos stibio.* Et apud Hieremiam: *Et pinxeris stibio oculos tuos.* Et apud Ezechielem: *circumliniisti stibio oculos tuos.* S. Cyprianus in libro de bono pudicitiae: *Quid capillorum mutatur color? Quid oculorum extremitates suffuscantur?* Magis miror, quod lib. 8. Cyrus ipse jam senex praecipuis amicorum, quos assiduo circum se habebat, ut idem faceret, permisisse dicitur: ᾧ ὑπερῄδεϊ δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς στίβοντι, ὡς διοφθαλμότερος φαίνοιτο, ἢ εἶναι. Juvenal. — *pingitque tremantes Attollens oculos.* Plinius: *Tanta est decoris affectatio, ut pinguntur oculi.* Mentio ejus consuetudinis est & apud hunc ipsum in Oeconomico: ᾧ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπαλειφόμενος ἀνὴρ εἶλε. P. 6. v. 10. Paulo post ubi carnes sibi ab avo datas Cyrus inter ministros regios distribuisse dicitur, causam addens, cur cuique quid daret, ita legendum puto: τοσοῦτον ἐνέποντος, ὅσον δίκαιον πάντα, non, ut in optimis etiam libris est, τοσοῦτον πάντων ὅσον δίκαιον πάντα. Et paulo infra: μᾶλλον τὸν ὑποπίνοντα, non, ut in eisdem, μᾶλλον ὑποπίνοντα. P. 7. v. 17. Ubi autem retinendi nepotis cupiens Astyages, multa ei, si maneat, offert, quibus facile puerilis animus capi posset, lego: ἵππους τέ τοι τῶν. ubi vulgo male, ἵππον τέ τοι τῶν. v. 32. Neque multo inferius, ubi narrat Cyrus, se aliquando, quod inter duos pueros perperam judicasset, vapulasse, lego: καί φησι, φάναι, non, ᾧ φῆσιν φάναι. P. 11. v. 16. Ὁ δὲ Κῦρος ἰδὼν ἀβουλήτως τὰς ἄκρας, πυνθάνεται ὑποδυόμενος, εἰ αὐτὸς ἐκεῖνος τὸ πρῶτον ἐνδοίη, ὅπως ἐπιθήσει αὐτῷ. Ἐξεπλάγη] Frustra se torquet homo eruditus, frustra locum suspectum habet. sed sententia eum latuit, quae haec

haec est. Tum primum Cyrum induisse arma: quod tempus ipse nunquam venturum putabat. Ita magna cupiditate flagrabat ea induendi. Est autem naturale, ut quod quis valde cupit, ejus ei omnis expectatio longa videatur. Nota sunt illa senis Comici, qui dormire non poterat: *Rex Juppiter, quae haec est longitudo noctium? Nunquamne pulsa nocte nascetur dies?* v. 22. Paulo autem infra eum locum, ubi est, ἦ γὰρ ἐκεῖνοι, ἔφη, οἱ ἐλαύνοντες; nihilo deterius est, quod in quibusdam veteribus libris legitur, οἱ πλανῶντες. De illis enim loquitur, quos modo dixerat ἄλλους ἄλλοσε καταθεῖν. v. 28. Neque multo post, ubi est, ἐπειδὰν ἴδωσί τινας ἐπ' αὐτοὺς ἐλαύνοντας, lego ἐφ' αὐτοὺς.

v. 34. Καὶ αὐτὸς πρῶτος ἡγεῖτο ταχέως] Malim, ἡγεῖτο τάξεως.

P. 12. v. 27. Μὴ ὁ πατήρ τι ἄχθοιτο] Melius, ὁ πατήρ τι ἄχθοιτο.

P. 13. v. 17. Παρέσται αὐτῆς ὀλίγου χρόνου] Lego, αὖθις.

v. 38. Ἰόντας] Constat legendum, ἰόντες.

P. 14. v. 14. Ἐκ παίδων ὁρῶν ὑμᾶς] Dele illud ὑμᾶς. suavior erit oratio.

P. 15. v. 7. Ἀλλὰ πιστεύω τοι τῇ πείρᾳ, καὶ τῇ ὑμῶν εἰς ἐμὲ εὐνοίᾳ] Lego, πιστεύω τε.

V. 39. Ὡς ἄπερ] Malim, ὡς ὅσαπερ.

P. 16. v. 13. Πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα νῦν ἀνάγκη διαπαναῖν] Pro νῦν lego νὶν, & expono, αὐτὸν τὸν Κυαξάρη. neque me movet, quod νὶν vox poëtica est. Non enim rarum apud hunc scriptorem poëticae voces.

P. 17. v. 22. Ὡς δεῆσον καὶ τούτων ὥσπερ καὶ ὑπὲρ τῆς στρατηγίας τὸν στρατηγὸν ἐπιμελεῖσθαι] Lego, ὡς δεῆσον καὶ τούτων ὑπὲρ τῆς στρατιᾶς τὸν στρατηγὸν ἐπιμελεῖσθαι.

P. 18. v. 1. Ὥσπερ ἱματίων ῥαγέντων] Quod hic Xenophon dicit, medicos similes esse eorum artificum, qui vestes non novas quidem conficiunt, sed laceras, ac detritas resarciunt; idem ab eo, ut opinor, sumptum, transtulit Galenus in librum *de constitutione artis medicae ad Patrophilum*, significans, eam esse ex genere illarum, quae οὐκ αὐτὰ τὰ πράγματα δημιουργοῦσιν, ἀλλὰ ἐπανορθοῦνται τὰ πονήσαντα, καθάπερ αἵτε τὰ διεῤῥωγότα τῶν ἱματίων, καὶ τὰ διεσπαρμένα τῶν ὑποδημάτων συῤῥάπτουσαι.

V. 8. Πλεῖστα γὰρ τὰ ἐσθίοντα ἐν στρατιᾷ, καὶ ἀπ' ἐλαχίστων ὁρμώμενα] Multa sunt in exercitu, quae comedant. non enim militibus tantum cibo opus est, sed & caculis, calonibus, lixis; tum etiam equis, non iis modo, quibus vehuntur equites, sed & iis, qui sarcinas, & impedimenta gestant:

quae

quae omnia, nisi alantur, certam pestem exercitui afferunt. Ideoque bonum imperatorem de commeatu, & pabulo, vel inprimis sollicitum esse oportet. Hucusque plana, & perspicua sententia. Sed fateor, me non videre, quid sit, quod statim sequitur: ἢ ἀπ' ἐλαχίστων ἐρεύμενα. Philelphus vertit. *Et quae a minimis incipiunt.* Quod ego quidem peraeque intelligo, atque si nihil scriptum esset. Quod autem notat eruditus, & diligens typographus, in quibusdam veteribus libris legi, ἐρώμενα, puto equidem verum esse, sed scio in aliis legi ἐρευόμενα, quod verbum cum plane nihili sit, ex eo factum est ῥεμώμενα. Ego autem levi, & facili mutatione putarim melius legi ῥευόμενα, ut hoc dicat Cambyses, milites solere quidem, ubi urget inopia, parvo, ac tenui victu esse contentos, sed eosdem ubi copia est, quasi exploratum habeant fore, ut nunquam postea egeant, solitos large, ac liberaliter praesentibus, ac paratis frui, nihil de futuro cogitantes. Ideoque diligenter hoc imperatori ipsi providendum.

P. 20. v. 7. πλειστατῶ] Lego, πλειόνεσσιν. melius enim convenit cum iis, quae antecesserunt.

V. 35. Φείτεσθ] Non dubito, quin legendum sit, ῥέπτεσθ.

P. 21. v. 7. Πολλὰ μὲν τύπτων ἀναγκάσει ἐπ' ἢ ὑμᾶς ἢ τοὺς πολεμίους πορεύεσθαι] Lego, ἢ ἡμᾶς τοῖς πολεμίοις, ἢ ὑμῖν τοὺς πολεμίους ἐπιδιώκειν.

Καὶ διώξας παραδώσεις, ἑαυτὸν ἀπίστους ποιῶν] Lego, ἢ διώξας ἐπιδώσεις ἑαυτὸν ἀπίστους ποιῶν, ut τὸ ἀπίστους referatur ad τοὺς πολεμίους, qui dum incaute sequuntur eos, qui fugam simulant, ipsi ordines deserunt.

V. 21. Καὶ σφίσιν μὲν ἢ τὸ τῆς μαστιγοῦς τὸ νῶτα, ἢ ἀνδρεῖα δίδωσιμοι, πολὺ δὲ ἢ τὸ τῆς πολεμιωτῆς ῥᾴδιον τὸ παντὶ μαχεσάμενον δίδωμι] Verbum δίδωμι, semel poni satis est; & e priore loco delendum videtur. Priorem autem hujus sententiae partem accepisse videtur ab Homero, cujus illa sunt: τῷ ῥ' ἀοιδὸν μέλιτος ἐπιπλόου' ἄνδρεσσι, τὴ τις ἀκηδίσσας νεκτάρ ἐπὶ ἀμφιπίλνησι. Aut a Pindaro: Ἄνευ πολλᾶν μὲν οἴνου, ἄνθεα δ' ὕμνων πατρίων.

V. 24. Μηδὲν ἄλλο ἢ μιμνήσκων. ἐπ' ἀνδράσι τοῖς μαχεσαμένοις, ἃς ἢ ἐπὶ τοῖς πάνυ μικροῖς] Ita legendum puto, non, ut in omnibus excusis libris legitur.

V. 31. Ἔλκων τὸ πιτυκὰ ἀσὺ ὃ φυγεῖν] Lego, ἕλκων τὸ πᾶν χάλα ἀσὺ ὃ τὸ πιτυκὰ φυγεῖν.

V. 41. Καὶ ὁ τῷ ἱππίῳ, ἢ ὁ ὃ ἐμφανὴς ἀπλησμόνως ἀμφοτέρους ῥᾴδιον

μάχῃ συνάπτειν] Ita legendum est. In libris vulgatis, particula ἢ, e suo loco in alium trajecta est.

P. 22. v. 10. Κατὰ κέρας] Thucydides, ἐπὶ κέρως, ut & hic statim ἐπὶ φάλαγγος.

V. 14. Ἄλλως] Malim, ἄλλος.

V. 17. Μηδὲ δὲ μοι] Malim, μήδε δή μοι.

V. 22. Ἰδιώτας] Lego, ἰδιώτης.

AD LIBRUM SECUNDUM.

P. 23. v. 5. Αὐδὰς] Lego, αὖ πῶς.

V. 31. Οἱ πλείω] Lego, ἐ μείων.

V. 32. Εἰώθη] Lego, εἴωθε.

P. 24. v. 14. Οἱ παρ' ὑμῶν] Delendum illud οἱ.

V. 29. Ἡμίσεον τὸ ἔργον] Legendum, ἡμίσεον.

V. 34. Ἅπαν γενόμενον ἓν, ἴσον] Quod hic ait Cyrus, eandem orationem plus, minusve valere, prout major, minorve est ipsius dicentis auctoritas, idem antea dixerat apud Euripidem Hecuba his versibus: Τὸ δ' ἀξίωμα κἂν σμικρὰς λάβῃς, τὸν σὸν Πάριν λέγουσ' ἂν οὐκ ἂν ἐκδέξασθαι ἴσον, Κἂν πᾶν δικαίως ᾖ πανοῦργον ὀφλεῖν. Quos ita reddiderat Ennius: *Haec tu, etsi perverse dices, facile Achivos flexeris. Nam cum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles, Eadem dicta, eademque oratio aequa non aeque valet.* Videndus Agellius cap. 4. lib. 11.

P. 25. v. 6. Καὶ οἱ περὶ χείρωνα ἡμῶν ἐπὶ] Haec omnia delenda sunt. nam neque sunt in aliis libris, & plane redundant. Videntur per errorem huc tralata ex eo, quod paulo post sequitur: Ἔστι δὲ καὶ περὶ χείρωνα ἡμῶν τοῦτον τοῖον ἐπὶ.

P. 26. v. 4. Τὰς δικαίας] Lego, δικαιοσύνας.

V. 7. Ἐπιστάσθαι] Mihi excuti non potest, quin legendum sit, ἀκριβῶσθαι; etsi scio, quid ab aliis pro vulgata scriptura adferatur.

V. 18. Φοβοῦμαι δὲ ἐδόκουν αὐτῷ] Puto harum vocum duas postremas delendas esse. satis enim est, quod paulo supra positum est, δόξαιμι μὲν αὐτῷ ἀφρονεῖν.

V. 23. Τῷ ἑαυτοῦ τὰς τύχας] Lego, τὰς τῷ ἑαυτοῦ τύχης. & paulo post: οἱ δὲ λοχαγοὶ τοὺς λόχους ἀνάπαυσις. οἱ δὲ ἄρχοντες ἀναπαύσεις ἀναπαύουσι.

V. 34. Ἢ ἐν πορείᾳ] Lego, πορείαις.

V. 39. Τὸν ἡγεμόνα ἔχειν] Deleo, ἔχειν, & lego, ἡγεμονικὸν ἔχειν.

P. 27. v. 11. Οἱ ὕπνοι] Eos dicit, qui tum primum adsciti

scriti erant in homotimos. itaque melius ἰταμοι, ut & in sequentibus eos vocat.

V. 27. Περιφέρει τὸ τέλτον] Legendum, περιφέρετο τὸ τέλτον.

V. 29. Οὐδὲν π δεῖσ] Melius, οὐδὲν ὑπὸ δεῖσθαι.

V. 32. Τῷ ἰμβάπτεσθαι] Lego, τῷ ἐμβάμματι.

V. 37. Δυσκόλως] Lego, δυσκόλοις.

P. 29. v. 13. Οὐδὲν ἀνιαύτερον.] Haec est illa Achillis Homerici: Ἐν δ' ἰὴ τιμῇ, ἢ μὲν κακὸς, οὐδὲ κ' ἐσθλὸς. Et hanc ait Euripides pestem civitatum in Hecuba: Ἐν τῷδε γὰρ κάμνουσι αἱ πολλαὶ πόλεις, Ὅταν τις ἐσθλὸς, κ' ὠφελήμων ἀνὴρ Μηδὲν φέρηται τῶν κακίονων πλέον.

V. 38. Ἐξαιρέτως] Lego, ἐξαιρετέως.

P. 30. v. 20. Παρεκλίσθω] Lego, παρεκκλίσθω.

V. 20. Ἀνήρηται] Melius, ἀνήρητται, ut supra aliquoties eo verbo usus est.

V. 40. Τῦτο γὰρ ἀεὶ κ' λέγειν, κ' ποιῶν δεῖ] Merito typographus locum hunc suspectum habet. Ita enim depravatus est, ut, nisi emendetur, Sibylla aliqua opus sit ad sententiam illius eruendam. Sed quod ille nos remittit ad Latinum Xenophontem editionis suae, ludit videlicet ludum sibi non inusitatum, ut cum tam saepe in obscuris, aut depravatis Thucydidis locis jubet inspici annotationes suas. Totum hujus orationis principium pessime acceptum est a librariis: quod ego partim veteribus libris, partim conjectura fretus, ita proponam, ut legendum censeo: Ἀνδρες φίλοι, ὁ μὲν ἀγὼν ἡμῖν ἐγγύς. ὥστε χρηναι γὰρ εἰ πολίτοις τὰ ἐν ἅθλα τῆς νίκης, ἵν' μὲν ἡμεῖς νικῶμεν, τὰ τῶν πολεμίων ἀγαθὰ πάντα. ἵν' ἡμεῖς ὦμεν νικώμενοι (κ' τῦτο γὰρ λέγειν δεῖ) δηλονότι τῶν πολεμίων τὰ ἡμέτερα. κ' ἔτι τὰ τῶν ἑτημένων ἀγαθὰ πάντα τοῖς νικῶσιν αἰεὶ ἆθλα ἀφίκει. Voces illae δηλονότι τῶν πολεμίων τὰ ἡμέτερα, ita corruptae fuerant, δηλονότι εἴτε πολέμιοι ἂν ἡμέτερα. Deinde, cum e loco suo migrassent, alienum in vicinia occuparant.

P. 31. v. 7. Ὅτι οὐδὲν διαφέρει κακὸν εἶναι] Lego, οὐδὲν διαφέρει κακὸν, ἢ ἀγαθὸν εἶναι.

V. 25. Ἐν κοινῷ κεῖσθ] Hoc Latini dicunt, *in medio positum esse*. ut cum Terentius ait, *in medio positam esse palmam omnibus, qui artem tractant musicam*.

V. 28. Νῦν δ' φημι ἡμῖν, κ' δίδοικται μάχη] Legendum, νῦν δ' ἡμῖν, κ' δίδοται μάχη. Illud φημὶ redundat, fluxitque ex eo, quod statim sequitur, ἡμῖν, frustra geminatis litteris.

V. 42.

V. 42. Τὸ κεφυκέναι] Malim, τῷ. Sed hoc & H. Stephanus notat.

P. 32. v. 2. Ἴσμεν] Ferri poteſt. ſed melius videtur ἴμεν.

V. eod. Ἀλλ' οὗτοι μὲν ἔντιμον βίον, ὃς βίων ἥδιστος, ὃς μόνος] Duas poſtremas voces nullam idoneam ſententiam efficere, nemo non videt. Ego, ſi tantum licentiae mihi ſumere audeam, libens pro eis repoſuerim, καὶ ἄπονον, ut opponat, ἔντιμον, καὶ ἄπονον βίον τῷ ἐπιπόνῳ, καὶ ἀτίμῳ.

V. 3. Μάλιστα, ὦ ἄνδρες] Lego, μάλιστα δὴ, ὦ ἄνδρες.

V. 21. Ἰδὼν δὲ αὐτὸν] Delendum illud, δὲ, ut ſit ἰδὼν αὐτὸν.

P. 33. v. 4. Οὗτοι] Lego, οὕτω.

V. 8. Τῆς τε πραότητος, καὶ τῆς διδασκαλίας] Lego, τῆς τε πραοτάτης διδασκαλίας.

V. 27. Ἐκάλεσε ταύτην τὴν τάξιν, ὥσπερ ἔφη, καὶ τῇ ἄλλῃ] Legendum ſimpliciter, ὥσπερ ἔφη, & illud, καὶ τῇ ἄλλῃ delendum. Fluxit ex eo, quod paulo poſt ſequitur, καὶ οἱ ἄλλοι.

V. 34. Καὶ τῷ δευτέρῳ ἐκέλευσε ταῦτα τοῦτον παραγγεῖλαι] Lego, καὶ τῷ δευτέρῳ ταυτὰ τοῦτον παραγγεῖλαι. Apta ſunt haec ex primo illo verbo παρήγγειλε.

V. 37. Διακοσίων] Niſi me fugit ratio, legendum eſt, τριακοσίων.

P. 35. v. 14. Πολλάκις δὴ] Lego, πολλάκις ἤδη.

V. 23. Καὶ δὴ δύο ἡμέρας] Lego, ἤδη δύο ἡμέρας.

V. 29. Πέμπων ᾔτει τὸν Κυαξάρην ἐπὶ] Lego, πέμπων ἐπὶ τὸν Κυαξάρην ᾔτει.

P. 3[illegible]. v. 6. Ἰμῖν] Lego, ἡμῖν.

V. 8. Λάβε] Lego, λαβὼν.

V. 25. Ἔχων] Lego, ὄχεις.

V. 36. Ἀπίῃς] Veteres quidam libri, οἴσῃς.

V. 41. Πρὸς τὸ ἀνύειν τὴν ὁδὸν, καὶ πρὸς τὸ μάχεσθαι] Hoc ita expreſſit Tacitus libro primo: *Inceſſitque itineri, & praelio.* Idem lib. 13. *viae pariter, ac pugnae.* Q. Curtius lib. 3. *Jamque tertium, ſicut praeceptum erat, ſignum tuba miles acceperat, itineri ſimul paratus, & praelio.*

AD LIBRUM TERTIUM.

P. 37. v. 11. Ὅτι καὶ δὴ αὐτὸς οὗτος ὁμοῦ] Pro καὶ δὴ, lego, ἤδη. quo in genere ſaepe admodum a librariis peccatum eſt. ὁμοῦ autem loco ἀντὶ τοῦ, ἐγγὺς.

P. 38. v. 36. Τῶν πάνυ σοι συμβουλεύω] Dele illud τ.

P. 40. v. 12. Αὐτὸς] Malim, αὐτῷ.

P. 42. v. 41. Ὀρεινή τέ ἐστι, καὶ ὀλίγη ἡ τὰ χρήματα ἔχουσα] Pro ὀλίγη ἡ τὰ, lego ὀλίγιστα.

P. 43. v. 1. Ὅτι ἤδη τοῦτο] Lego, ὅτι ἀλλὰ τοῦτο.

V. 31. Μὴ ἀποδιδόναι, ᾧ καὶ ἀποδιδόντες] Lego, μὴ ἀποδιδόντες, οἳ καὶ ἀποδιδόντες.

P. 41. v. 6. Τὰ νομιζόμενα παρὰ σοὶ ἀποτελεῖν] Deleo illud παρὰ.

V. 12. Ἀσφαλὲς] Lego, ἀσφαλῶς.

P. 48. v. 36. Πρεσβυπισχνοῦνται] Lego, προσυπισχνοῦνται. Dii, inquit, non tantum pugnam commissum iri, neque victores fore praenunciant, sed salutem praeterea nobis, atque incolumitatem pollicentur.

P. 49. v. 6. Αὐτὸς μόνος ἔχων, καὶ τοῦτο ἀγαπῶν] Lego, αὐτὸς μόνος ἔχων, καὶ τούτῳ ἀγαπῶν.

V. 15. Ἐφορῶντες] Lego, ἐφορμῶντες.

V. 22. Καὶ δὴ ἠριστηκότες] Lego, ἤδη ἠριστηκότες.

V. 29. Μωρὸν γὰρ] Notus jam vulgo est Sallustianus ex hoc expressus locus.

P. 51. v. 25. Ἐνέκλιναν] Legendum, ἐξέκλιναν.

AD LIBRUM QUARTUM.

P. 52. v. 4. Φυλακάς τε] Legendum, φυλακὰς δὲ.

P. 54. v. 14. Ὥσπερ οἱ Λακεδαιμόνιοι τοῖς Σκιρίταις] De *Sciritis* videndus Diodorus Siculus lib. 15.

P. 56. v. 34. Ἦν δὲ (τὸ πολλοῖς δὴ συμβεβηκὸς κρατοῦσι) τὴν τύχην ἀνατρέψαι γίγνηται, φυλάξασθαι δεῖ, τὸ ἐφ' ἁρπαγεῖν τραπέσθαι] Operae pretium est videre, quomodo se hic Philelphus gesserit, qui ita locum hunc interpretatur: *Sin quod multis jam accidit vincentibus, fortuna adversetur, cavendum est, ne vos ad rapinam convertatis.* Ego autem libenter quaesierim, quomodo *jam vincentibus fortuna adversetur*, aut quod periculum sit, ne ii, quibus fortuna adversatur, se ad rapinam convertant: cum ipsis potius metuendum sit, ne hostibus praeda fiant. Sed ille quidem, ut saepe, satis habuit, cum omnino nihil diceret, si videretur aliquid dicere. Bonus autem typographus panchresto illo suo utitur, & rejicit nos ad *Annotationes*, in quibus tamen de hoc toto loco silentium est. Illis igitur omissis, ita legendum censeo: ἐν δὲ, ὃ πολλοῖς ἤδη συμβεβηκὸς κρατοῦσι,

σῶσι, τῷ νίκῃ ἀνίσχυσι, φυλάξασθαι δεῖ, τὸ ὑφ' ἁρπαγῆς τραπέσθαι. Illud tamen τῷ τύχῃ ferri poteſt: ſed malo νίκῃ. Hoc autem dicit, *unum eis cavendum eſſe, ne cum ſuperiores eſſe coeperint, convertantur ad praedam, & ad ſpolianda occiſorum corpora*, vel *cadavera*. Eo enim modo multis contigiſſe, ut cum jam vincerent, victoria ipſis e manibus elaberetur. Ejus autem rei crebra in hiſtoriis exempla ſunt. Qui legerant ἰῶ, pro ἰὼ, & ἀνατρέψαι, pro ἀνίσχυσι, addiderant poſtea de ſuo illud χίγνεται.

P. 59. v. 5. Ὅτι οἱ ἄνθρωποι ἐν τούτῳ τὸ χρήσιμον] Legendum, ἐπὶ τούτῳ τῷ χρήσιμον.

P. 60. v. 10. Νῦν μὲν δὴ] Totum hunc locum ita lego: νῦν μὲν δὴ ἔγωγε ἀγαπῶ, ὦ ἱξίων τῷ θεῷ ἱερωθεὶς ἀνδράσι, ῥᾴστον τῇ πίστει κεχρῆσθαι.

P. 61. v. 25. Ἐπὶ τούτοις ἐρῶ, τὸ δὲ πρεπτὸν μὴ] Hic quoque pro τὸ δὲ, legendum πῶς.

P. 62. v. 12. Ὡς ἐπ' ἀπτοίᾳ] *Potare* enim liberalius ſolebant re bene geſta. Unde illud vetus: πίνειν χρὴ ἐπὶ ταῖς συμφοραῖς. Ex quo eſt illud Horatianum, *Nunc eſt bibendum*. Et hinc intelligendum illud Terent. *In turba magna, atque in peccato maximo, Quod vix ſedatum eſt, potaſii, ſcelus, Quaſi re bene geſta.*

V. 13. Ἅτε τῶν δεσποτῶν ἀπολελυθότων] Terentius: *Ita, ut fit, domini ubi abſunt.*

V. 19. Ὥσπερ ἡμῖν εἶναι λίγεται, τὸ ἀγυιᾶσιν] Lego, ὥσπερ ἡμῖν ἰὼ τὸ ἀγυιᾶσιν. Cum per errorem ex ἰὼ, factum eſſet εἶναι, additum poſtea verbum λίγεται.

P. 65. v. 6. Ὅπως] Lego, ὅπου. *Cum ea vendiderint, alia adducunt, ubicunque nos caſtra metati erimus.*

V. 14. Ἄλλοι ἡμῶν] Lego, ἀλλήλοις.

P. 66. v. 14. Ἐπὶ δὲ τὰς πύλας] Locus perturbatus, quem ita legendum cenſeo: ἐπὶ δὲ τὰς πύλας, ἢ ὁμοῖον ἐφάνη αὐτῷ ἑαυτὸν κρατήσειν ἄλλον ἄρχοντα. οἱ μὲν δὴ, &c. vox τῶν ὁμοίων, ſine cauſſa geminata eſt, & ex fine periodi delenda.

V. 28. Τοῦτον ὁ νῦν βασιλεὺς ὑπὸ καλέσαντος τότε βασιλέως] Legendum, τοῦτον ὃν καλέσαντος τοῦ τότε βασιλέως. Cetera delenda ſunt.

V. 32. Παρακαλέσας, τὸ ἀνῆς] Lego, παρικαλέσαι ἀνῆς.

V. 33. Εἶναι] Lego, εἰναι, τὸ ὁ μὲν. Ita autem ſaepe omiſſa eſt particula τὸ poſt verbum εἶναι, propter ſimilitudinem ſyllabarum ναι, & τὸ.

V. 36. Οὗτος] Mellus, ἐγώ.

P. 67. v. 11. Ἀλλ' ὅπως, ὁ Γοβρύας] Unde autem divinarat Cyrus, hunc senem *Gobryan* vocari? Nihil certe dictum est, unde id resciscere potuerit. Simile quiddam notavi jam pridem apud Plautum in Milite glorioso, ubi Palaestrio *Acroteleutium*, mulierem sibi ante eum diem ignotam, ut primum videt, proprio nomine appellat. sed hujus generis sunt paucae quaedam maculae in magnis scriptoribus ferendae, quas *aut incuria fudit, Aut humana parum cavit natura*, ut ait Horatius. Vide lib. 14. variar. lect. cap. 16.

AD LIBRUM QUINTUM.

P. 71. v. 10. Οἵπερ αὐτῶν] Lego, αὐτοῦ.

V. 16. Οἵου ἄλλου] Lego, οἵου, ἄλφιτα, ἄλλου.

V. 13. Καὶ Δαρικὰς ἀμίτρας] Itane quaeso *Daricos*? At *Darici* illis temporibus nulli erant. Tale igitur est, quale illud Virgilii 6. Aeneid. *Portusque require Velinos.*

P. 72. v. 23. Ἐπεὶ δὲ καπιόντα τὰ μυρίπνοα τὸ σῶμα] Non dubium est, quin legendum sit τὸ συσσίτιον.

V. 32. Καὶ ὡς ἔοικεν ἐν σκυτάλῃ ἕδιον ἑκάστῳ καὶ ἡ μὰ] Totum hunc locum eleganter tractat Plutarchus lib. 2. συμποσιακῶν.

P. 74. Μίνθα ἐμβαλεῖν] Homericum, μίνθα ἔμβαλε θυμῷ.

P. 75. v. 15. Εἰδῆτε] Lego, σὺν ἧτε.

V. 16. Τῷδε ἐδὴ μαχαιρῶν] Legendum, τῷδε ἤδη δεῖ μαχαιρῶσθαι

V. 17. Πλείστα ἀγαθὰ] Lego, πλείω ἀγαθά.

V. 28. Ἐπὶ πρώτοις] Legendum unica voce, ἐπιστρατόμαχοι. & paulo post, ἄξοντες. ad supplementum exercitus a Sacis, & Hyrcaniis adducendum. ἐπιστρατικὸς ita dictum est, ut ἐπίμικτον.

V. 39. Ἦν δὲ τῷ ὁ ἵππος χωρίον ὁ Κῦρος, ἐπεῖδον ἴδῃ ὁ Γαδάτας] Haec omnia redundant, & delenda sunt.

V. 42. Ὅσοι δ' ἔκτοσθεν] Dele illud δ', ut sit continuata oratio.

P. 76. v. 3. Παρὰ Κύρου] Legendum, παρὰ Κύρῳ.

V. 4. Γαδάτας ὁ εὐνοῦχος] Delendum, ut minime necessarium.

V. 26. Ἵνα] Lego, εἵνεκα.

P. 78.

Digitized by Google

P. 78. v. 37 Ἐν μόνον παραλείπω] Lego, παραλείπειν, ut significet Xenophon, exposita jam a se esse omnia, quae Cyrus in illo nocturno itinere caute, ac prudenter faciebat: unum modo praetermissum, quod statim subjicit, de expeditis illis, quos praemittebat ad explorandа itinera. paulo autem inferius lego, ἄρχειν δὲ τῶν ἐπὶ τοῖς ὅπλοις ἐῶ.

P. 80. v. ult. Καὶ τοῦτ' ἴφη, λέγω] Melius in veteribus libris, τῷ μὴ τοῦτ' ἴφη λέγω.

P. 81. v. 1. Κοινώμεθα] Lego, κοινασώμεθα. Sic paulo superius: ὅτι ἀνακοινωσόμεθα, ὅτι σὺν τοῖς ἄλλοις τῷ Κύρῳ. & paulo post: ὁ δὲ ἁπλῶς, μὴ ἀνακοινωσόμεθα ἅπερ ἂν ἡ.

V. 31. Πάνυ ἐκοίμων] Alii libri, ἐκοίμων, quod melius videtur.

V. 37. Στρατιὰ] Lego, φρατία.

V. 39. Στρατιὰν] Lego, φρατίαν.

P. 82. v. 36. Οὕτω δὴ ὁ Γαδάτας ἁπλῶν ἐφύλαξε μὲν τὸ τεῖχος σὺν Κύρῳ, ἃ ἀκηκόεσαν] Lego, οὕτω δὴ ὁ Γαδάτας ἁπλῶς ἐφύλαξε μὲν τὸ τεῖχος σὺν Κύρῳ ἀκηκόεσαν.

V. 39. Ἁδιλφοὺς] Melius e veteribus libris, ἀδιλφοὺς.

P. 83. v. 12. Ἀνεγμένοις] Lego, ἀνειμένοις.

V. 18 Ἁπλῶν] Legendum, ἁπλῶς. Sed quaedam ex his ab Henrico notata video, ut & alia quaedam, quae jam in hac pagina notaveram, quae iccirco omitto.

P. 84. v. 1. Ἐπιστολὰς] Nihil necesse mutare, & scribere ἐντολὰς. nam ἐπιστολὰς quoque vocabant mandata. Demosth. 1. Philipp. Aeschylus: σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιστολάς, ἃς σοι πατὴρ ἔφευγε.

AD LIBRUM SEXTUM.

P. 88. v. 6. Ὁ δέ τις Σάκας] Non dubium est, quin legendum sit, Σάκας.

V. 8. Ἀπολαύειν τῷ φόβῳ] Tale est illud Terentianum: *risu emoriri.*

V. 14. Ἀδίκως δὲ ἐγὼ] Lego, ἀδίκως ἄρ' ἐγὼ, neque quidquam aliud muto.

P. 90. v. 15. Πολλοῦ τάλαντα ἀρχαῖα, τὸ χρυσίον] Talentum auri temporibus Homeri non tanti fuit, quanti fortasse aliquis suspicaretur. Id vel ex praemiis ludorum, quae apud eum ponuntur, intelligi potest. Ter-

tio enim ponitur lebes, quarto duo auri talenta. Notat Julius Pollux.

V. 27. Οὐδὲ μίχα μίρ⊙] Lego, ἐδὲν.

V. 30. Ἄλλοι δέ] Non est dubium, quin delendum sit.

V. 32. Ἦττον γὰρ ἀνατρίπτοιμι] Veteres libri, ἧττον γὰρ ἂν ἀνατρίποιτο.

V. 41. Βαλίμιν⊙ δέ τινα] Apertissimum σαλιηφοιὸς, βαλίμιν⊙ ἔδηξεν αὐτῷ. Sic lib. 8. ἐπῆμεν ὁ Κῦρ⊙ ἔδηξεν αὐτῷ. Haec non notanda tantum, sed interdum etiam, dum parce, & apte id fiat, imitanda censeo. Cur enim laudemus in antiquis, quae ipsi imitari nunquam audeamus?

P. 91. v 3. Ἐπεὶ ἦ Ἀράσπας δοκῶν ὑπερτεθῆν ἀπεπήγασεν ἃ ἐβούλετο] Lego, ἐπεὶ ἦ ὁ Ἀράσπας δοκῶν ὑπερτέτοιο, ἀπέτυχεν ὧν ἐβούλετο. & ita interpretor: *Postquam autem Araspas, qui eam sibi morem gesturam putabat, spe sua frustratus est.* Verbum ὑπερτίποιτο ad mulierem, non ad Araspan, referri debet, in quo, ut solet, erravit Philelphus.

V. 5. Ποιήσειν ταῦτα] Lego, πάσειν ταυτὰ.

V. 31. Εἰδέναι, ὡς παράσσομαι ἐν ἴφι, ἦδη νυὶ] Legendum, εἰδέναι, ἢ ὡς παράσσομαι ἐν, &c. Saepe ita peccatum est a librariis, ut post verbum aliquod, cujus extrema syllaba esset νυὶ, omissa sit particula ἢ, propter similitudinem.

P. 92. v. 4. Καὶ λῶ πῃ ἄλλῃ] Libri veteres, λῶ δὲ πῃ ἢ ἄλλῃ.

V. 31. Ὅμοια ἐκείνῳ] Malim, ὅμοια τοῖς ἐκείνου, ut & paulo inferius, ὅμοια τοῖς Κύρου.

V. 43. Τῷ ἀγωγίμῳ] Τῷ ἀγωγίῳ legit Suidas.

P. 94. v. 37. Quod hic, & postea lib. 7. ait Xenophon, ne aspectum quidem camelorum ab equis ferri posse, idem & ab Herodoto, & a Plinio traditum exstat. Neque tamen perpetuo verum est. Ego certe saepe & vidi, & expertus sum, multos equos esse, qui, etiamsi ad camelum proxime accesserint, neque aspectu illius, neque odore terrentur.

P. 95. v. 29. Ἀνὰ γὰρ τάττ] Simile illi Homerico, τὸ γὰρ μίν⊙ ἐπὶ ἢ ἀλκή.

V. 37. Μάθωμεν] Legendum, λάθωμεν.

V. 42. Καταδεδιπνηκότες] Lego, κατεδεδιπνηκότες.

P. 98. v. 5. Καὶ μίσγοντο πρὸς αὐτὰς] Lego, ἢ μίσγοντο, ἢ αὐτὰς.

V. 14.

V. 14. Καὶ δή] Lego, ἤδη.

V. 33. Ἀπίχεσιν] Lego, κατίχεσιν.

V. 40. Εἰ οἱ] Lego, μὴ οἱ.

P. 99. v. 9. Τὰς πολιμίους βλάπτειν, ἢ τὰς συμμάχους ὠφελεῖν] Miror equidem, tam insigne mendum a nemine usque huc notatum fuisse. Nemo enim ita obtusus est, quin, si attentius hunc locum legat, perspecturus sit, verbo ὠφελεῖν totam sententiam corrumpi. Hoc enim dicit Cyrus, πῶς δ' μᾶλλον βαθυτέρας φάλαγγας; sociis potius, quam hostibus damnosas esse. legendum igitur hoc modo: καὶ ἡ βαθύτερα φάλαγγας, ἢ ὡς ἐξικνεῖσθαι τοῖς ὅπλοις τῶν ἐναντίων, ἃ σοι δοκοῦσι, ἔφη, τὰς πολιμίους βλάπτειν, ἢ τὰς συμμάχους.

V. 13. Τούτου δὲ περιποιῆσαι μὲν οὐ τις πέπτωκε] Legendum, ὃς ἂν πέπτωκε.

P. 100. v. 30. Ἀλλ' ὅτι μὲν, &c.] Si cum haec dicerentur, nemo adfuit, mirum, unde ea Xenophon resciverit. In poëtis haec facilius feruntur, qui a Musis afflantur, quae omnia sciunt. In aliis scriptoribus majori excusatione indigent.

P. 101. v. 24. Καὶ ὁρᾶν] Melius in aliis, καὶ θεωρᾶν.

V. 26. Καὶ σιδήρῳ ὑφ' ἵππων ἰσχνειζομένων] Lego, καὶ ἵπποις σιδήρῳ ἰσχνειζομένοις.

AD LIBRUM SEPTIMUM.

P. 102. v. 14. Ἑψόμεθά σοι, ζῶ μίχρι] Hinc fortasis effictum est illud Virgilii: *sequimur, te sancte Deorum, Quisquis es.* —

V. 19. Ἐπισθεν] Lego, ὄπισθεν.

P. 103. v. 32. Τὰ μὲν πλάγια] Delenda plane vox est πλάγια.

P. 104. v. 13. Κατ' ἄκρων] Lego, κατ' ἄκρον.

V. 23. Ἐπινατενόμενα τὰ κέρατα] Libri veteres, ἢ τὰ ἐπινατενόμενα κέρατα. quod & rectum est.

P. 105. v. 10. Ὁμοτράπεζοι] Hi regibus in periculis maxime fideles esse consueverant, neque fere unquam eos deserebant. Sic lib. 1. ἀναβάσεως· πλὴν πάνυ ὀλίγοι ἀμφ' αὐτὸν κατελείφθησαν σχεδὸν οἱ ὁμοτράπεζοι καλούμενοι. Et in eodem libro: πάντες οἱ περὶ αὐτὸν φίλοι, καὶ συντράπεζοι ἀπέθανον ὑπὲρ Κύρου.

V. 15. Καὶ ἵππους, καὶ πόχυς] Libri veteres, καὶ ἵππους, καὶ στοχίς.

V. 35. Εἰ μὴ εἰς τὸ ὄπισθεν] Lego, ἢ εἰ εἰς τὸ ὄπισθεν. hoc & Henricus notavit.

P. 106. v. 6. Ἐπεὶ δὲ ἀνέβη] Mirum in modum depravatus est hic locus, quem ita, ut mihi quidem legendus videtur, adscribam: ἐπεὶ δὲ ἀνέβη, κατεῖδε μεστὸν τὸ πεδίον ἵππων, ἀνθρώπων, ἁρμάτων, φευγόντων, διωκόντων, κρατούντων, κρατουμένων. μένον δ' οὐδαμοῦ οὐδὲν ἔτι ἠδύνατο κατιδεῖν πλὴν τῶν Αἰγυπτίων. Verba illa, τῶν μὲν πολεμίων, φευγόντων, τῶν δὲ ἑαυτοῦ κρατούντων, adjecta sunt ab aliquo, qui claris & perspicuis lucem adferre vellet. Cui enim jam dubium esse poterat, utri fugerent, utri vincerent? ubi autem posteriore loco legitur, κρατουμένων, quin μένον legi debeat, nemo dubitaverit, qui meminerit, ὅτι ἔδοξε τῷ Κύρῳ ἀναβῆναι ἐπὶ πύργον τινὰ κατασκέψασθαι, εἴ τι καὶ ἄλλοτι μένοι τῶν πολεμίων, καὶ μάχοντο. Philelphus quoque legit μένον, sed & quod statim sequitur, ita lego: οὗτοι δὲ ἐπειδὴ ἠπορεῦντο, κυκλοποιησάμενοι, ὥστε παντόθεν ὁρᾶσθαι τὰ ὅπλα, ὑπὸ ταῖς ἀσπίσιν ἐκάθηντο.

V. 14. Ὑπὸ τῶν προδεδωκότων αὐτοὺς] Non est dubium, quin legendum sit, ὑπὲρ, ut & Philelphus legit.

V. 25. Τούτῳ γὰρ μόνῳ συγγεγνώσκεσθαι ἔφασαν] Legendum, τοῦτο γὰρ μόνον συγγεγνώσκετε ἔφαν. *Hujus unius*, inquiebant, *rei nobis gratiam facite, hoc unum nobis remittite, hanc veniam date, ne adversus Croesum arma ferre cogamur.* Sed & Philelphus recte hunc locum accepit. Germanorum autem eruditissimus ita, ut nunquam hoc quidem loco illius vicem pudeat.

P. 107. v. 11. Τὰ δὲ τῶν Χαλδαίων ὅπλα ἔρημα] Philelphus, *Chaldaeorum autem arma sola*, ineptissime, vertendum fuit: *Chaldaeorum autem tentoria deserta.* ὅπλα enim non tantum vocant arma, sed eum quoque locum, in quo milites tendunt, in quo consistunt interquiescendi caussa, & ὅπλα θέσθαι dicuntur, cum locum sibi sumunt, ubi consistant, Quae res ignorata effecit, ut prope innumerabiles loci & apud hunc scriptorem, & apud Thucydidem pessime accepti sint ab interpretibus. Ita accipi hanc vocem, ut dico, confirmabo adductis aliquot locis, ne qua dubitatio relinquatur. Xenophon 1. ἀναβάσεως· εὐθὺς οὖν εἰς τὸ μέσον ἀμφοτέρων ἄγων ἔθετο τὰ ὅπλα. Idem lib. 4. ἐπεὶ δὲ ἦσαν κατὰ τὴν διάβασιν, καὶ τὰς ὄχθας τοῦ ποταμοῦ, ἔθεντο τὰ ὅπλα. Et in eod. Ξενοφῶν δὲ στρέψας πρὸς τοὺς Καρδούχους, ἐντέα τὰ ὅπλα ἔθετο. Et lib. 5.

τοὺς

τοὺς μὲν ὁπλίτας ἐκέλευε θέσθαι τὰ ὅπλα. Et paulo post: οἱ δὲ ὁπλῖται ἔθεντο τὰ ὅπλα. Et lib. 6. καὶ διαβάντες τὸν τάφρον τὰ ὅπλα τίθεν. Sed aut hoc testium satis est, aut non video, quid sit satis. Quamlibet autem multa in hanc rem exempla nullo negotio proferre possim.

V. 31 Ἀξιῶ ὠφεληθῆναι τοὺς στρατιώτας] Pro τοὺς scribendum αὐτοὺς, & vox στρατιώτας delenda est.

V. 38. Οἶδ' ὅτι ἥξουσι] Scribe, ἄξουσι.

V. 41. Ἔξεστι δέ σοι ἰδόντι ταῦτα ἐλθόντι] Lego, ἐξέσται, & vocem ἐλθόντι deleo.

P. 108. v. 4. Ἐβουλόμην δ' ἂν] Lego, ἐβουλόμην γ' ἂν.

P. 109. v. 18. Καὶ ἄλλα πρόβατα] Libri veteres, καὶ ἅμα πρόβατα.

V. 38. Ὅτι ποιήσοιτο] Lego, ὅτι πείσοιτο.

P. 110. v. 19. Σκηπτούχων] Verius videtur, εὐνούχων.

V. 32. Ταυτὰ] Melius, ταῦτα.

V. 38. Εἰσήλατο] Melius videtur, εἰσῆλθεν.

P. 112. v. 18. Τοὺς πρώτους ἀρίστους εἶναι] Idem praecipitur lib. 3. ἀπομνημον. Sumptum autem est ex Homero Iliad. δ. Et idem praecipiunt rhetores in collocatione argumentorum.

V. 25. Μετεβάλλοντο] Fortasse melius, ἐβάλλοντο.

P. 113. v. 2. Μὴ ἂν ἕλοι] Libri veteres, μὴ ἀνέλοιτο.

V. 5. Κατένειμε δώδεκα μέρη] Iidem, κατένειμεν εἰς δώδεκα μέρη.

V. 25. Πολλοὶ δ' αὐτῶν μεθύουσι] Iidem, πολλοὶ δ' ἂν μεθύουσι.

V. 35. Οὐδὲν ἂν εἴη] Totum hunc locum ita legendum puto: οὐδὲν ἂν εἴη θαυμαστὸν, εἰ καὶ ἄκλειστοι αἱ πύλαι αἱ τοῦ βασιλείου εἶεν, ὡς ἐν κώμῳ. ἐν κώμῳ γὰρ δοκεῖ ἡ πόλις πᾶσα εἶναι, τῇδε τῇ νυκτὶ. Hujus autem ipsius convivii mentio est Danielis cap. 5. & hic ille Rex, qui illic vocatur *Balthasar*, Nabuchodonosoris filius.

V. 37. Οὐκ ἂν ἀμελεῖν δέοι] Lego, οὐκ ἄρα μέλλειν δεῖ.

P. 114. v. 1. Πολέμιοι] Lego, πολεμίοις.

V. 29. Ἀνεπιφθόνως] Divide, ut sit ἂν ἐπιφθόνως.

P. 115. v. 32. Οὐκ οἶμαι σχολὴν σοι εἶναι] Lego, οὐκ οἶμαι σχολή σοι ἦν.

P 116. v. 3. Εὖ ἔχει] Delendae sunt hae duae voces: est enim ἀναντάποδοτον, qualia apud hunc auctorem sane multa.

V. 9. Νῦν δὲ ἐπειδὴ οὐχ οὕτω τρόπου μόνον ἔχεις] Lego, νῦν δὲ ἐπειδὴ οὐ τούτους μόνον ἔχεις.

V. 14.

V. 14. Καινὰ ταῦτα] Malim, κατὰ ταυτὰ.
V. 40. Ἐν τοῖς πολιμίοις] Legendum, ὦ τοῖς πολίμοις.
P. 117. v. 17. Μίωνται] Non dubium est, quin legendum sit, μὴ ἀνίωσι.
V. 41. Τότε πλέοσι ἢ φθινῶσι] Pindaricum: ἀσὶ γὰρ τὸν ἔχοντ' ὁ φθόνος ἕρπει.
P. 118. v. 20. Ἐπιτρέπων] Lego, ἐπαρέπων.

AD LIBRUM OCTAVUM.

P. 120. v. 33. Πρῶτον μὲν] Veteres libri, πρῶτα μὲν ὦν.
P. 121. v. 7. Ἄρχων αὐτῶν] Idem, ἄρχων ἐπ' αὐτῶν.
V. 10. Γινομένους ἀληθέστερους] Idem, γλοιμένους ἂν τὰς ἀληθέστερους.
V. 13. Τῷ χρόνῳ ἐπεὶ ἦ δίδαιμονίστερον ἦν] Idem, τῷ χρόνῳ ἐπειδὴ δίδαιμονίστερον ἐπ'.
V. 19. Ὥσπερ οἱ πλεῖν αἱρέμενοι] Horatius: *Vetabo, qui Cereris sacra*, &c. Sunt & Hesiodi, & Callimachi quaedam similia.
V. 25. Ποιέζιος] Libri priscae fidei, πορθίος.
P. 124. v. 18. Πατὴρ κελεύμενος] Δαρεῖος κύπελος, Καμβύσης ὁ βασιλεύς, Κῦρος πατὴρ, Herodotus.
P. 125. v. 33. Ἐξαρκέσαι] Veteres libri, ἐξαρκέσαις.
P. 127. v. 24. Καὶ οἷς τῶν ἄλλων ἤθεσι] Idem, ἢ οἷς ἄλλοις ἤθεσι, & paulo post, πολὺ, non πολοί.
P. 130. v. 33. Ὁπόσῃ ἦ μὴ αὐτοὶ εἶεν] Dele illud μὴ: αὐτοὶ autem est, *soli*. sic apud Platonem, αὐτοὶ γὰρ ἐσμεν. Et apud Plautum in Casina: *Nos sumus*.
V. 24. Ἀμφὶ τὰς ἄλλας] Dele vocem, ἄλλας.
P. 133. v. 10. Ὅλως] Lego, ὡς.
P. 135. v. 42. Ἡ πῶς] Lego, ἄπως.
P. 136. v. 42. Ἔδεσι] Lego, ἴδεσι.
Infra. Σι] Lego, ἰμὶ.
P. 129. v. 38. Πολλαπλάσια ἰμῶ δίφασίν] Deleo illud ἰμῶ.
V. 40. Τὸν ἦ λοιδαμόντων] Melius, λοιδαλόντων.
P. 139. v. 25. Φαίνεσι] Lego, φαίνεται, & mox pro ἀνιαθῶ lego, ἀνιᾶς.
P. 140. v. 19. Ἀκίρετον] Legitur & ἀχάρετον.
P. 141. v. 5. Ὀφείλη μὲν] Scribe, ὀφείλη μὲν γὰρ.
V. 15. Οὐδ' ἂν οἷς αὐτοῖς ἐπίσευον] Delenda haec omnia.
V. 119. Καὶ πάλι.] Melius, ἢ τάδε.
P. 143. v. 14. Ἐκφυγεῖς] Legendum, ἄφυκτος.

Digitized by Google

IN LIBRUM PRIMUM

ΤΗΣ ΚΥΡΟΥ ΑΝΑΒΑΣΕΩΣ.

Cyrus, de quo in superioribus libris dictum est, filium habuit Cambysen secundum, in quo cum extincta esset stirps mascula Persidarum, Atossa, quae illius & soror, & uxor fuerat, eo mortuo, nupsit primum quidem Smerdi magο, deinde Dario. Ex ea, & Dario nascitur *Xerxes* ille, qui tanta cum ignominia a Graecis fugatus est. Hic filium habuit *Artaxerxem*, τὸν μακρόχειρα, qui & *Assuerus* dicitur, cum quo *Hester* in matrimonio fuit. Huic successerunt primo *Xerxes*, deinde Sogdianus, filii legitimi. Quibus brevi tempore interfectis, *Ochus*, qui & *Darius* nothus, pater *Artaxerxis*, & *Cyri*, de quibus in his libris agitur.

P. 114. v. 11. Τισσαφέρνης] Hic ille est, de quo tam multa leguntur apud Thucydidem lib. 8.

V. 21. Ὀπίσω οὐχ φύλακας] Malim, ἐπίσω οὐχ φυλακάς.

P. 146. v. 9. Περὶ σοφίας] Notandum nomine σοφίας significari *musicen*. Et plane apud vetustissimos iidem erant sapientes, poëtae, & musici, ut in 1. Rhetor. Arist. docuimus.

V. 42. Πρὸ τῆς φάλαγγος μίσης] Omnino delenda vox, μίσης.

P. 147. v. 23. Καὶ οἶδ' ὅτι σκιώδης] Jam pridem docui legendum εἶλι, cap. 10. lib. 15. variarum lectionum.

P. 148. v. 22. Ὅπου ἰὼν ἥ] Lego, ὅπου ἂν ᾖ.

P. 149. v. 13. Πείσομαι] Lego, πεισόμενος.

V. 15. Μὴ πεισόμενος] Malim, μὴ πεισομένου.

P. 150. v. 17. Τελαύγους μυελαύλας] Romulus Amasaeus interpres legit τρεῖς μυελαύλας, quod verius puto.

V. 22. Ὡς μέντοι πλείστοις ἰδίοις φιλοσωμάτοις] Lego, ὡς μὲν τοῖς πλείστοις ἰδίοις φίλοις ἡσυχάζοντος.

V. 38. Εἰς ζυγὸν διδρόμους] Legendum, ζεύλῳ, ut docui eo ipso variarum lectionum, quem paulo ante citavi, loco.

P. 151. v. 23. Ἡ μακίη μοι κύριον νομίζειν] Simile illud Ovidii: *Ne sim tibi maxima Juno.*

V. 36.

Digitized by Google

V. 36. Ὀλίγοι δὲ φαθὶ] Nemo non videt legendum ὀλίγαι. sunt autem hi *Struthiocameli*, de quibus Plinius cap. 1. lib. 10.

P. 152. v. 12. Ἀλαῦμον, ἢ ἀλφίτων] Dele illud ἀλαῦμον ἢ. Error natus e dubitatione librarii, utro modo in veteri libro scriptum esset.

V. 37. Τῷ ἢ τῷ Μίνωϊ σφαπωνῶν] Puto legendum, τῶν δὴ τῷ Μίνωϊ ὑὸς σφαπωνῶν.

P. 153 v. 12. Σὺν τοῖς πορίοις τῶν πλοίων] Lego, σὺν τοῖς πλοίοις τῶν περίων.

V. 16. Ἰμῖν] Lego, ἡμῖν.

V. 20. Τὰ πολίμια] Legendum, τὰ πολιμικά.

P. 154. v. 4. Μεταμαμαίλησαί σε] Legendum, μεταμεμέλησθαί σε.

V. 14. Σχολὴ ἰμῖν] Lego, σχολὴ ἡμῖν. & paulo post, ὑὸς ἰβλεπτοὺς.

P. 155. v. 24. Ταῦτα] Lego, ταυτὰ.

V. 30. Ἰσχυρῶς, ἢ πλοῖα πλεῖ] Lego, ἰσχυρῶς ὡς ἢ πλοῖα πλεῖν.

V. 34. Πυθόμενοι] Lego, πυθομένη.

P. 156. v. 34. Ἂν οἶνον] Lego, ἄνυσον.

V. 43. Μίνων] Lego, ἴμεναι.

P. 157. v. 17. Ἀὶ αὐτῶν τῶν Ἐπλίων] Malo, διὰ τῶν Ἐπλίων.

P. 158. v. 31. Αὐτῶν] Legendum, αὐτῷ.

P. 159. v. 17. Ἐδίδε] Lego, διδίδει.

V. 35. Observa, etiam ipsum fratrem regis Persarum vocari servum illius. Itaque ipsemet, paulo ante, cum milites suos hortaretur, οὐ γὰρ ἴστε, inquit, ὅτι τῶν ἐλευθερίαν ἐλοίμιλο. ἀπ αὐτὶ οὐ ἴχω πάντων, ἢ ἔθνων πανδαπλασίων. & ad finem lib 2. ἐκείνης Κύρε ἔσαι ἢ ἐκείνε θέλε.

P. 160. v. 4. Ὅρμιλον] Lego, ὅρμον.

V. 8. Πρὸς τῶν Ἐπλίων] Lego, σὺς τὸν τῶν Ἐπλίων. ut intelligas σιθμόν.

V. 31. Καὶ δὴ] Lego, τὴ.

P. 161. v. 4. Προσπλαπλαίνων] Lego, προσιπλαμπίνων. Sic & Henricus legit.

Digitized by Google

AD LIBRUM SECUNDUM.

P. 161. v. 34. οἱ μὲ ἄχοντο] Lego, οἱ μὲν ἄχοντο.

V. 5. Φίρειος ἵππους] Verbum φίρειος delendum puto.

V. 28. Περὶ δ' ἡμετέρων ἀγαθῶν] Legendum arbitror, ἐπὶ δ' ἡμετέρων συμφόρων.

V. 162. v. 3. Ἐμβιάλων] Verbum hoc depravatum esse video: quid pro eo substituendum sit, non video.

P. 163. v. 4. Εἰ μέν τις μαθήματος συμπείσας ἐπὶ ἐλπίς] Malim, μαθήμασι.

P. 165. v. 28. Ἐκλεγόμενος τὸ ἐπιτήδειον ἕπεσθαι, ἢ τὸ ἄμορ] Lego, ἐκλεγόμενος τὸ ἐπιτήδειον ἕπεσθαι, τὸ ἄμορ. τὸ ἐπιτήδειον autem dicit ἃ δεῖ ἢ βε.

V. 36. Ὀρθῶς] Ne dubitandum quidem puto, quin legendum sit, ὄψον, τὸ ἰχθύειν.

V. 39. Τὰς δέ τινας ξυρούσεσθαι πραγμάτων ἀπαλλάττειν] Lego, ἐς πραγμάτων. De cerebro autem palmae scripsi quaedam cap. 12. lib. 13. variarum lect.

P. 169. v. 22. Παρ' ἐς] Malim, παρ' οἷς.

V. 30. Πρὸς αὐτὸν] Lego, πρὸς αὐτὸ, ut supra, τὸν αὐτὸν τῶν πραγμάτων.

P. 170. v. 6. Ἀποφήνῃ] Malim, ἀποφοίτῃ.

V. 10. Ὀφθῆναι] Lego, ὀφθῆναι.

V. 24. Quod hic traditur solis Persarum regibus licuisse rectam capite tiaram gerere, legitur & apud Herodotum, & apud Senecam lib. 6. de Beneficiis, & significatur ab hoc ipso in illo primo progressu Cyri, qui expositus est lib. 8. παιδείας.

P. 172. v. 8. Totum hunc locum ita legendum, & ita interpungendum puto: ἐκέλευε τοὺς αἰεὶ ἱππεύοντας, τὴν ὀργὴν ἔχοντα, ὅπως τῷ αὐτῷ μισθοφορήσουσι, ἐπ' ἴσῃ τῇ γνώμῃ. ἀκολούθως γάρ, &c.

V. 21. Μὴ ἀσυφαίσῃς] Constat legendum, μὴ ἀσυφᾶς εἶναι.

P. 173. v. 2. Ἀπιτῶν] Lego, ἀπιόντων.

V. 5. Μένων ἦ] Hoc loco notat Marcellinus odium Xenophontis in Platonem. Περιφῶν δέ, inquit, Μένωνα λοιδορῶν τὸν Πλάτωνα ἐπαίρει ἀφ' ὧν αὐτὸς Πλάτωνα ζηλοῖ. vide Variar. lect. lib. 5. cap. 14.

Digitized by Google

AD LIBRUM TERTIUM.

P. 174. v. 15. Ἴσως λύπης, ἢ παῖδα παιτείδων, χρήσιμον, γυμνασιῶν, παιδιὰν, ἃς ἔσπευ ἐνόμιζον ἐν ἥψιδι] Non nego, fieri potuisse, ut nihil de hoc loco Virgilius cogitarit. valde tamen similia sunt illa: *Nec mihi jam antiquam patriam spes ulla videndi, Nec dulces natos, exoptatumque parentem.*

P. 179. v. 3. Εἰ οἱ κύριοι] Romulus, εἰ οἱ Κύριν ζῶσιν.

V. 25. Εἰ ἢ μηδ' οἱ πατρικοὶ θάσσουσιν ὑγιαίνοντι τι μηδὲν φαινόμενοι] Legendum, εἰ ἢ μηδ' οἱ πατρικοὶ διάξουσιν, ὑγιαίνων δὲ μηδὲν φανέσθαι. de hoc loco scripsi lib. 13. variarum lect.

P. 180. v. 10. Λαβόντες] Puto legendum, λαβόντες, ut intelligatur, οἱ καλλιστοι.

V. 21. Ἔξειν] Malim, ἐξίεσθαι.

V. 23. Ὡς ἀναγκαῖον δοκεῖ μοι] Lego, δοκῶ μοι. *quae praefagire mihi videor.*

V. 33. Εἰ μὲν ὃν ἔλαβον τὸν βίλαιον ἱρᾷ] Lego, ἔλαβε.

P. 182. v. 2. Ἱμᾶς] Videtur omnino legendum, ἡμῶν, ut cohaereat cum verbo δεῖ.

V. 7. Καὶ τούτων τῷ μὲν ἄλλων αὐτῶν χρήσεσθαι] Lego, τῷ μὲν ἄλλοις αὐτ' αὐτῶν ἀρχέσειν.

V. 10. Ὁρῶ δὲ ἢ ἵππους] Nisi me valde fallit animus, locus hic totus perturbato vocum ordine mirabiliter depravatus est. Primum igitur dicam, quam esse illius sententiam putem, deinde ut legendus videatur exponam. *Video*, inquit Xenophon, *equos esse in exercitu nostro partim apud me, partim relictos a Clearcho, partim etiam ab aliis, quibus nos nullam aliam ad rem, quam ad ferendas sarcinas utimur. Meum igitur consilium est, ut sarcinas quidem delectis e captivorum numero robustissimis imponamus, eosque adigamus ad illas ferendas: equis autem omnibus imponamus equites, qui fortasse fugientibus hostibus molestiae aliquid, ac difficultatis exhibebunt.* Hoc puto Xenophontem dicere. Totum autem locum legendum hoc modo: ὁρῶ δὲ ἢ ἵππους ὁ τῷ στρατοπέδῳ τοὺς μὲν πλείους παρ' ἐμοὶ, τοὺς δὲ τῷ Κλεάρχῳ καταλελειμμένους, τοὺς δὲ ἄλλοις σκευοφοροῦντας. ἃν ὃν τούτους μὲν τοὺς ἀχμαλώτους ἐκλέξαντες σκευοφοροῦν ἀναγκάζωμεν, οἷς δὲ καὶ τοὺς ἵππους ἐπιτίθεμεν σκευοφοροῦσιν, ἵππους δὲ ὅπου τοὺς φεύγοντας ἐνιάσουσι. Pro σκευόφορα μὲν ἀναδῶμεν substitui, σκευοφοροῦν ἀναγκάζωμεν, pro ἐνιάσουσι, ἐνιάσουσιν. in ceteris nihil mutavi praeter ordinem vocum.

V. 31.

Digitized by Google

V. 31. Ὡς ὅτι φοβεραώτερον] Puto legendum, φοβερώτερον.

V. 38. Ἥλιος δὲ] Neminis judicium damno. sed certè melius videtur: ἄλλοι δὲ ἡφίλη ἀσκαλάφωσα ἠφάνισε.

P. 183. v. 7. Οὓς τι αὐτὶς ἦλθεν ἱστίας ἔχων] Mendum subesse vidit Ericus, ubi subesset, non vidit. Nam & ἦλθεν recte legitur, neque ἔχων bis accipiendum est, sed legendum, οἷς τι αὐτὶς ἦλθεν, ut sit οἷς, pro οὖν οἷς, ut cum dicimus navem captam; aut depressam esse αὐτοῖς ἐνδεέσι.

V. 16. Καὶ μικρὸν ἐπίκεινται οἱ βάρβαροι τῇ τάπι ἀκροβολίσει] Puto tres postremas voces hinc delendas, translatas huc per errorem, ex eo, quod paulo inferius legitur, ἀπῆλθον οἱ βάρβαροι, μείον ἔχοντες ἐν τῇ τάπι ἀκροβολίσει.

P. 184. v. 4. Ὑπὸ μαστίγων] Lego una voce conjuncta; ὑπομαστίγων.

V. 18. Πολὺ περίσσοι οἱ Ἕλλωες] Alius liber, ἐν ᾧ περίσσοι ego ἐνὶ περίσσοι.

V. 25. Ἀπὸ τῆ θορύβῳ ὅλῳ] Lego, ἀλλά τι τῇ θορύβῳ ὅλῳ.

V. 32. Προσελθόντες] Lego, ἐσελθόντες.

P. 185 v. 6. Ὑπὲρ ἑαυτῶ] Dele illud ἑαυτῶ.

V. 40. Καὶ οἱ μὲν ἀμφὶ χειρίσοφον] Hic quoque locus ita perturbatus est, ut intelligi non possit. Ego, ubi est, ἐν τῇς βοηθείας ἀπήντησαν, lego, ἐπὶ βοηθείᾳ ἀπήντησαν. Cetera prope omnia retineo, sed hoc ordine: ἐκεῖ ἔχοντι ὑπὸ τῶν λαμβάνοντι. ὁ δὲ Τιτραφῶν ἐπὶ πατρίδα πορευόμενον ἐπὶ τὰς πύλας, ἵνα καὶ οἱ ἀμφὶ Χειρίσοφον ἐπὶ βοηθείᾳ ἀπήντησαν, ἅλις ἦν ὁδὸς, ἐ δ' ἄνδρες Ἕλλωες, &c. Spero autem hujus loci emendationem; ut quisque diligentissime inspexerit, ita ei maxime probatum iri.

P. 186. v. 9. Πολλὰ δὲ ὁμῶ τοῦτο ἐσβαίνω] Pro τοῦτο libenter legerem, ἐντεῦθεν.

V. 21. Καὶ ὅμοιοι ἦσαν] Lego, ἐν ὁμοῖ ἦσαν.

V. 32. Καὶ ἐπιμιγνύσθαι] Particulam καὶ redundare arbitror.

AD LIBRUM QUARTUM.

P. 188. v. 40. Ἀντισπάζον ἢ αὐτῆς Καλλίμαχος Παρράσιος Ἀρκὰς, ἢ Ἀγασίας Στυμφάλιος Ἀρκὰς, ἢ ἑτέρος ἦν] Legendum: ἀντεσπάζον ἢ αὐτῆς Καλλίμαχος Παρράσιος Ἀρκὰς, ἢ ἑτέρος ἦν. Etenim *Agasiae* nomen sine caussa geminatum esse,

ita perſpicuum eſt, ut ne Romulum quidem id vitioſe demiret.

P. 189. v. 5. Δῆτα ἢ συμβαλεῖσθαι εἰδέναι τινί] Alii alter. mihi dubium non eſt, quin ita legi debeat: οὐκοῦν ἢ συμβάλλεσθαι εἰδέναι τινας οἷς αὐτὸ δεῖται) πάρεστι, τοῦτο συλλογίσασθαι δ' ἐπιμένοντι τὸ πλῆθος ἐς ἀναγκαῖα.

P. 190. v. 16. Πάντες οἱ] Lego, & diſtinguo hoc modo: πάντες οἱ ἐν τούτῳ ᾧ τούτῳ συνόντες, ἐννοεῖν ἔστιν, ᾗ ἐπὶ ἔξοχον, &c. ut utrumque referatur ad Graecos, ſublata voce, οἱ πολλοί.

P. 191. v. 15. Ἀνεχόμενον] Melius in aliis, ἀνεχόμενον ἂν.

P. 192. v. 28. Σκέψαι ᾗ τὸν Καρδόχην] Lego, σκέψαι αὖθις τὸν Καρδόχην.

V. 36. Διαλείποντας] Lego, ἐμπαλαίοντας.

V. 37. Ponenda eſt ſtigme poſt nomen πεντρῶ, & deleuda vox διαλείπει.

P. 193. v. 20. Ἐπὶ τὸν Τελεσίου πεντρῶ. ἔστω δ' ἐν πολλῷ μὲν, μέγας δ' ὦ] Demetrius ὁ ΦΑΛΗΡΕΥΣ, qui vulgo putatur ὁ ΦΑΛΗΡΕΥΣ, in illo ſcito inprimis, & eleganti libello de *Elocutione*, valde commendat hunc locum, cujus verba ipſa juvat adſcribere: τὸ δὲ περίοδον, inquit, ὁ μὲν πικρὸς ἀφύκτους φυλακὰς, τυτθὸς, ἀσαφὴς ἐμπλοκὰς ἔσον, τὸ δ' μακρὸς, μακρὸς, τὸ μεγάλως δὲ, μεγάλως. Καλόν ἐστιν Ξενοφῶντος ἐπὶ τοῦ Τελεσίου πεντρῶ μακρῷ ὄντος, ᾗ πολλῷ, φασὶ ὄντος δὲ πεντρὸς ἓν μέγας μὲν ὦ, πολὺς δέ. τῇ γὰρ βραχύτητι τῆς συλλαβῆς, ᾗ τῇ διπλάσῃ, τῇ εἰς τὸ δὲ, μέγεθος ἐπιθεῖναι ἀμῶν μακρὰν πεντρόν. Quare minime dubium habeo, quin ita legendus ſit Xenophontis locus, ut a Rhetore politiſſimo, & eruditiſſimo citatur, tum propter auctoritatem, & vetuſtatem ipſius; tum quia multum Xenophonti elegantiae, & concinnitatis accedit. Neque enim obſcurum eſt, quanto plus Veneris habeat id, quod fluvio deeſſe videtur, priori loco ponere; deinde autem id, quod ad illius commendationem pertinet, ſubjicere, quam contrarium ordinem tenere.

P. 119. v. 11. Ἀλλῆς ἀναλόσεως] Deleo illud ἀλλῆς, & ex verſiculo proxime ſequenti duas illas voces, ὕστερον π.

V. 43. Ἔληγεν] Lego, ἔλεγεν.

P. 200. v. 9. Ὅτι ἄξω αὐτὸς] Lego, αὐτὸς, & paulo poſt, ἀναγκάσαντα, ᾗ ὑγιαίνοντα δὲ, ἐπὶ ἐπίζηλον, &c.

P. 202.

P. 202. v. 26. Lego, καὶ παγκράτιον ἕτεροι, καὶ καλὴ ἦν ἐγένετο. Sic & Erricus.

AD LIBRUM QUINTUM.

P. 203. v. 17. Καὶ ἄλλως ταῦτα ἔλεγε] Lego, καὶ ἄλλος ταῦτα ἔλεγε.

V. 27. Σὺν προνομαῖς] Lego, σὺν προδρόμοις.

P. 234. v. 6. Βουλεύεσθαι ὑμᾶς ἀπαλλαγῆναι] Lego, βούλεσθαι ὑμῶν ἀπαλλαγῆναι.

V. 39. Καὶ ἡ ἀμφόδος χαλεπὴ] Legendum, ἄφοδος, ut pagina seq. παρεσκευάζοντο τὴν ἄφοδον.

P. 207. v. 5. Ἀργύρια] Delenda vox.

V. 32 Lego, ἂν σύμμαχοι ὑμῶν γενώμεθα; καὶ ὑμεῖς τί οἴεσθαι ἔσεσθαι, &c. Hoc quoque postea animadverti ab Errico notatum esse.

P. 208. v. 4. Ὃ ἐδόκει] Lego, ἢ ἐδόκει.

V. 17. Τῇ στρατιᾷ] Puto legendum, στρατείᾳ.

V. 27. Ὑπολειπομένους] Lego, ὑπολειπομένου.

P. 211. v. 41. Οἱ μὲν ἄνδρες οἱ ἤρηνται] Lego, οἱ μὲν ἄνδρες οἵδε ἤρηνται.

P. 216. v. 15. Ἄγεσθαι αὐτοὺς θανάτῳ] Melius, ἄξεσθαι αὐτοὺς ἐπὶ θανάτῳ.

V. 27. Καὶ τῶν ὄνων ὑβριστότερος εἶναι] Romulus: *vel asinis me atrociorem esse, quos prae atrocitate laborem sentire negant.* Ego vero nescio, quam *atrocitatem* quisquam in asino, animali omnium ἀσυνεστάτῳ (*), animadvertere potuerit. Sed interpretatio illa plane ridicula est. Asini, antequam ad equas, aut asinas admittantur, praedelassari solent, & ita putantur melius inire. Hoc igitur est, quod & hic dicitur, eos ita libidinosos esse, ut lassitudinem non sentiant. Et hodie apud Pictonas proverbii loco usurpari solet, asinos prae inopia, & lassitudine arrigere. Subturpicula haec esse video, neque talia tamen, ut reticeri debuerint.

V. 43. Ὀπέσω γε ἐβούλου] Legendum omnino, ὁπόσω γε βούλεται. ὡς ἔγωγε αὐτὸν οὐκ ἄξω. *Vivat sane quantum vult: nam ego quidem eum hinc non aveham.* Sunt autem ver-

(*) Quid vocis sit ἀσυνέστατος, nescio. Ab ἀσύνετος formari potest ἀσυνετώτατος.

verba omnia ejus, qui se a Xenophonte verberatum querebatur.

P. 217. v. 34. Καὶ περιεγένοντο] Romulus: *Atque in posterum inita ratio est*. Male. Erricus: *Et hic exitus fuit*. Nihilo melius. legendum, καὶ περιεγένετο. *Et vicit Xenophon eos, qui sibi calumniam intendebant.*

AD LIBRUM SEXTUM.

P. 218. v. 15. Ὁ δ' ἔπαιστε τεχνικῶς πως] Romulus: *sed erat ea ludendi ars quaedam*. legit igitur ἔπαιξε. Sed male. Emendat Erricus: *at ille percusserat certo quodam artificio* Hoc est aliter errare. Legendum, ἔπεσε. significat enim, eum, qui percussus fuerat, artificiose quodammodo cecidisse, ita ut ex accepto vulnere mortuus videretur.

P. 219. v. 39. Ὑμῶν] Legendum, ὑμῖν.

P. 221. v. 25. Στράτευμα] Adde articulum, ut sit τὸ στράτευμα.

V. 40. Ὃν μὲν οὖν τρόπον] Hic videtur esse principium libri sexti.

P. 222. v. 24. Πρεσβευταῖς] Lego, πρεσβύταις.

P. 223. v. 8. Κατὰ τὰ μακρὰ] Suspicor legendum, κατὰ τὰ ἄκρα.

V. 37. Τοὺς Ἕλληνας] Dele.

V. 39. Ἔτι δ' ἐν τῇ θαλάττῃ] Lego, ἔτι δὲ τῆς θαλάττης.

P. 225. v. 8. Οἱ δὲ στρατηγοὶ ἐξῆγον μὲν, οὐ συνεκάλεσαν δὲ] Sic & Romulus: *Duces interea eduxerunt, cum ante in unum milites non convocassent*. Ego contra: *Duces autem convocarant quidem milites, sed eos non educebant*. Distinguo autem hoc modo: Οἱ δὲ στρατηγοὶ ἐξῆγον μὲν οὖ, συνεκάλεσαν δὲ. Simile illud de Teleboa, μέγας μὲν οὖ, καλὸς δὲ. Postea animadverti, hoc & ab Errico notatum

V. 20. Καταλιπόντες] Adde, τὰ σκεύη, quod & Romulus habuit.

V. 26. Τριάκοντα] Melius, πεντήκοντα, ut & Romulus legit.

V. 33. Φυλαττόμενοι ἱκανῶς φύλαξι μάχιμοι, τὴν μὲν νύκτα οὕτω διήγαγον] Post vocem φύλαξι, ponenda στιγμὴ τελεία. Deinde

de legendum, ἢ τῷ μὲν γένει ἄπτω δίκαιον, deleto verbo μόριον.

V. ult. Ἐπειδὴ] Lego, ἔστιν, & quae sequuntur ad hunc modum: ἔστιν ὃ οἱ λοχαγοὶ, ἢ οἱ στρατιῶται αἰσχύνεσθαι μὴ ἐπισθαι τὴν ἄλλων ἐπιδόσιν, καταλιπόντες αὐτὸ τὸ καιρὸν ἀπιέναι ἢ πιπραγότα ἐπί.

P. 226. v. 9. Ἐξω τῶν κινδύνων] Sine controversia melius videtur ἐντός.

Eodem, Ὃ, τι ἂν ἡμῖν ἐκ τῆς φάλαγγος] Totum illud, ἐκ τῆς φάλαγγος, inducendum est. per errorem autem factum est ex eo, quod paulo post sequitur, ἐπὶ φαλαγγος.

V. 23. Ἐκκλῖναι, ἐπισθαι] Delenda haec puto. Satis enim est, quod antecessit, ἐπίρρεψιν ἐπισθαι. Ita enim legendum, non ἐπιμψιν.

V. 29. Ὃτι ἐκ ἄξιον εἴη] Lego, ὅτι βελτίς ἄξιον εἴη.

P. 229. v. 23. Δέξιππον] Delendum.

V. 23. In proxima superiore versu legendum quidem est, βιαια χείλια πάσχειν. Sed hic plane legendum, ὅπως ἢ ἡμῖν νῦν ἀξιῶσι.

AD LIBRUM SEPTIMUM.

P. 231. v. 8. Lego, τὸ μὲν στρατόπεδόν μου διαβίσεται.

P. 233. v. 39. Lego, οἱ μὲν τὰ ὅπλα λαβόντες ἀπῆλθον, ὡς ἐκώλυσε, οἱ δὲ ἢ εἰς τὰς πόλεις κατεμίγνυντο. quae interjecta sunt, deleo.

P. 234. v. 8. Διεκρίτητό τε] Malim, διέκρητο τότε.

P. 235. v. 24. Ἦτε] Lego, ἦτον.

V. 29. Ὑμῖν] Lego, ὑμῶν.

P. 237. v. 6. Ταῦτα] Malim, ταυτὶ.

V. 16. Τῶν] Lego, τὸν.

P. 238. v. 11. Ὑποπτωκὼς] Malim, ὑποπεπτωκὼς.

V. 33 Ἡγεῖσθαι] Lego, ἡγεῖτο.

P. 239. v. 19. Τελέκοντα] Malim cum Romulo, πεντήκοντα. & paulo post, λὸ τῶν λόγων.

P. 240. v. 13. Ἐν τοῖς ὀρεινοῖς τοῖς κεκλιμένοις Θραξὶ, dele illud ἐν, & lege, τοῖς Ὀρείταις κεκλιμένοις Θραξὶ. *Oritarum* mentio est & pagina seq.

V. 39 Καὶ σκεύη] Pro καὶ, lego τὰ.

V. 40. Ἐπεὶ περ ἤσθετο] Lego, ἐπεὶ παρέστατο.

V. eod. Ἐβοήθει] Id est, μετὰ βοῆς ἔθει. quomodo hoc verbo interdum & Thucydides utitur.

P. 246. v. 42. Πάντα μὲν ἄνθρωπον ὄντα, προσδοκᾶν δεῖ] Similis sententia versiculi Euripidei: Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ζῶντα, τοῦτ' οὐ πείσομαι.

P. 247. v. 24. Ὅσῳ μᾶλλον συμφέρομαι τούτῳ τὴν τότε πονίαν] Sic *tolerare alicui egestatem*, dixit Plautus Trinummo.

V. 40. Ἔσεσθαι.] Deleatur.

P. 245. v. 44. Οἶδα] Lego, οἶσθα.

P. 247. v. 3. Lego hoc modo: οὐκ οὖν τοῦτο μὲν πρῶτον τὸ πιστεύεσθαί σε τὸ τὴν βασιλείαν σοι κατειργασμένον. Rectissime autem Romulus hunc locum interpretatus est, neque ullius correctoris opera eget.

V. 10. Ἐπήκοοι] In aliis libris, ὑπήκοοι. & versu 14. pro κελεύοις, κελεύοις.

P. 248. v. 8. Οὓς ἔλεγον] Malim, ὧν.

ARI-

ARISTOTELIS
RHETORICORUM
LIBRI DUO,
M. A. MURETO
INTERPRETE.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. A. MURETUS

P. FRANCISCO BENCIO

E SODALITATE JESU

S. D.

Quod non difficile modo factu, ſed prope incredibile ſuapte ſponte videri poteſt, id mihi tecum uſuvenit, Franciſce Benci: ut inter homines ſumma inter ſe caritate devinctos intercedat tamen prope quotidiana contentio: dum & tu, alienorum officiorum benigniſsimus aeſtimator, ſumma quaedam mihi debere te praeditas, & ego contra tantum mihi a te tributum eſſe profiteor, ut omnis mihi ſpes plane praeciſa ſit tecum unquam paria faciendi. Nam ſi rationes putandae, & ad calculum res vocanda ſit: quid a te mihi aliud acce-

ptum ferri poteſt, quam, quod multos abhinc annos, efflorescentem ingenii tui vim admiratus, ducem me tibi ad eas artes praebui, in quibus poſtea, Dei ope & induſtria tua fretus, eos progreſſus feciſti, ut in te jam pridem & eximia dicendi vis, & minime vulgaris eruditio uno omnium ore celebretur? Cujus qualiſcunque officii erga te mei abunde mihi magnam gratiam percipere videor, cum qui ad te audiendum confluunt, ad Mureti auditorem atque alumnum ire ſe praedicant, eaque in te viva ac ſpirantia agnoſcunt, quorum in me olim umbra fortaſſis aliqua ac ſimulacrum fuit. At ego, niſi prorſus ingratum haberi me velim, quae quantaque tibi a me deberi agnoſcam, neceſſe eſt? Tu me primus, tanto adoleſcentior tanto ſenierem, humana contemnere, & pleno gradu ad divina properare docuiſti: cum in ipſo vernantis aetatis flore, poſthabitis voluptatibus, ambitione depoſita, rejectis aliis omnibus curis, in iſtam te ſanctiſſimam & orbi terrarum fructuoſiſſimam hominum cultui divino mancipatorum ſodalitatem contuliſti: cum in ſuſcepto ſemel conſilio tam conſtanter perſtitiſti: neque ceſſiſti illorum vocibus, qui, cum in collegiis veſtris educati eſſent, & illic didiciſſent iſtud neſcio quid quod jactant litterarum, a quo ipſi ordine flagitioſe deſciverant, in eum ne nomen dares, abſterrere te conabantur. In quem tu ſemel admiſ-

missus, ita vitam instituisti, ut facile declaraveris, non illum caecum quendam, ut ipsi mentiebantur, ac temerarium impetum, sed divini numinis instinctum atque afflatum fuisse: &, ut ad ea redeam, quae ad me proprie pertinent, nunquam ex illo consiliis, praeceptis, cohortationibus juvare me, & faces ac stimulos animo meo ad pietatem subdere destitisti. Merito igitur ita te amo, & ut patrem filius, & ut filium pater: his enim nos, quae maxima sunt, caritatis vinculis bonitas divina copulavit. Quare, quod & in ceteris rebus, quoad potero, sedulo faciam, libenter his paucis diebus obsecutus sum studio tuo: &, qui pridem conatus essem secundum Rhetoricorum Aristotelis librum Latine reddere, quanquam hoc tempore & multis, ut nosti, occupationibus obrutus, & molesto ac difficili pedum morbo octavum jam mensem impeditus, in tuam tamen gratiam, etiam primum addidi. Tertium, ut saepe ex me audisti, Latine reddi posse vix puto. Sed si quid unquam mihi vacui temporis dabitur, quod optare magis quam sperare possum, non ego quidem illum interpretabor, sed Aristotelea praecepta, quae eo continentur, mea more tractare, & Latinis exemplis illustrare conabor. In his autem, quos nunc ad te mitto, quosque amoris erga te mei monumentum esse cupio, facile prospicio fore, ut multi multa mirentur, partim longe aliter a me,

Digitized by Google

accepta, quam ab aliis, partim etiam a vulgata Graecorum librorum editione discrepantia. Qui hoc velim cogitent, neque causam mihi ullam fuisse suscipiendi novi laboris, si nulla in re dissensissem a ceteris: & ipsos inter se Graecos libros ita variare, ut a multis discedere necesse sit, quicunque unum sequi velit. Spero autem me brevi breves quasdam notas in hos libros editurum, ex quibus, quid in eis aut praestiterim, aut praestare voluerim, curque locis aliquot, non ab aliis modo, sed ab ipso quoque eruditorum coryphaeo, Petro Victorio, cui debetur, quicquid fructus hac aetate ex horum librorum lectione percipitur, dissentire ausus sim, commodius intelligatur. Romae Id. Feb. MDLXXXV.

ARISTOTELIS
ARTIS RHETORICAE
LIBER PRIMUS,
M. ANTONIO MURETO
INTERPRETE.

c. I. RHETORICE dialecticae altera ex parte respondet. ambae enim quibusdam ejusmodi versantur in rebus, quae communes quodammodo omnium sunt ad cognoscendum, nec ulla certa ac definita arte continentur. Quocirca & omnes quodammodo utriusque participes sunt. Omnes enim usque ad aliquem modum & anquirere in alienam opinionem, & suam tueri, & defendere & accusare conantur. Vulgo igitur alii quidem haec temere praestant, alii autem, propter consuetudinem, ex habitu. Quando igitur utroque modo id evenit, constat, fieri posse, ut haec ad certam viam rationemque redigantur. Quid enim sit causae, cur & qui consuetudine, & qui casu id faciunt, id quod volunt consequantur, videri ac perspici potest. Id autem jam omnes artis opus esse fateantur.

c. II. At nunc ii qui de dicendi arte scripserunt, exiguam modo illius particulam attigerunt. Nam solae probationes ad artem pertinent: cetera appendices quaedam sunt & accessiones. At illi de enthymematis quidem nihil praecipiunt, qui faciendae fidei nervus est: in iis autem quae extra rem sunt, omnis eorum opera consumitur. Criminatio enim & commiseratio & ira, & tales animi affectiones, non ad rem, sed ad judicem pertinent. Neque si in omnibus observaretur, quod & nunc quibus-

dam

dam in civitatibus obſervatur, & quidem in iis quae optimis legibus temperatae ſunt: nihil haberent, quod dicerent. Omnes enim partim quidem exiſtimant ita legibus cautum eſſe oportere; partim autem etiam utuntur iis legibus; ac prohibent extra rem verba facere, ut in Areopago: recte ita exiſtimantes. Neque enim oportet judicem diſtorquere ac depravare, praeoccupantes animum ipſius aut invidia aut commiſeratione. Nam id perinde eſt, ac ſi quis, qua regula uſurus eſt, eam depravet. Praeterea conſtat, ipſius quidem controverſantis nullum aliud munus eſſe, quam ut oſtendat, id quod agitur, aut eſſe, aut non eſſe, aut factum eſſe, aut non eſſe. Sitne autem magnum an parvum, juſtum an injuſtum, quatenus id legislator non definivit, ipſum videlicet judicem cognoſcere ac judicare oportet, non diſcere ab iis qui controverſantur. Ergo maxime quidem oportet recte poſitas leges, omnia quae poſſunt, definire ac decidere ipſas; ita ut quam pauciſſima in arbitrio eorum, qui judicant, relinquantur. Primum quidem, quoniam unum aut paucos deligere facilius eſt ea prudentia praeditos, ut leges ferre ac judicare poſſint, quam multos. Deinde leges quidem feruntur adhibita diuturna conſideratione: judicia autem re adhuc recenti. Itaque difficile eſt iis qui judicant, bene definire quid juſtum atque utile ſit. Jam quod maximum eſt, legislatoris quidem judicium eſt, non de una aliqua re, neque de praeſentibus, ſed & de futuris, & univerſe. At is qui deliberat, quive judicium exercet, jam de praeſentibus ac definitis judicant: erga quos ſaepe aut amor aut odium eſt, aut aliqua propriae utilitatis conjunctio: ita ut non amplius poſſint liquido perſpicere quid verum ſit: ſed aut propria voluptas aut moleſtia tenebras judicio offundat. Aliarum igitur, ut modo dicebamus, rerum quam fieri poteſt pauciſſimarum permittenda eſt judici poteſtas: ſed fuerit, nec ne, futurum ſit, an non ſit, ſitne, an minus, ea certe neceſſe eſt judicum arbitrio permittere. neque enim haec praevidere legislator poteſt. Quodſi haec ita ſe habent, conſtat, eos pro artis praeceptis tradere ea, quae extra rem ſunt, quicunque alia praecipiunt: exempli gratia, quomodo conformatum eſſe oporteat prooemium, aut narrationem, aut unamquamque aliarum partium. Nihil enim his praecipiendis aliud agunt, quam, quomodo judicem

Digitized by Google

hoc aut illo modo afficiant, de artificiosis autem probationibus nihil docent. at id demum est, ex quo quis fieri enthymematicus possit. Nam & eadem causa est, cur, cum eadem sit methodus concionalium & judicialium, cumque pulchrior ac civilior sit concionalium tractatio, de ea quidem sileant, conentur autem omnes tractandorum judiciorum artem aliquam tradere: quoniam minus e re est in concionali genere extra rem evagari: neque tam malitiosum est in concione agere, quam in judicio, sed simplicius. Hic enim judex de suis judicat: ita ut nihil requiratur aliud, quam ut ostendatur ita esse, ut dicit is qui consilium dat. At hoc in judicialibus satis non est: immo vero expedit auditorem praeoccupare. De alienis enim judicium est. Itaque commodi sui rationem habentes, & ad gratiam audientes non tam judicant, quam litigatoribus largiuntur. Quocirca & multis locis, ut & ante dixi, lex prohibet extra rem evagari. Hic autem illi ipsi, quorum existimatio est, satis per se ne id fiat cavent. Quando igitur constat artificiosam quidem methodum circa probationes versari, probatio autem demonstratio quaedam est: tunc enim maxime credimus, cum rem demonstratam esse arbitramur; oratoria autem demonstratio est enthymema: eaque, ut simpliciter dicam, probationum omnium potissima est: enthymema autem, syllogismus quidam: constat, ut quisque maxime pervidere poterit, ex quibus & quo modo fiat syllogismus, ita eum maxime enthymematicum fore, si id praeterea addiderit, ut teneat, & quibus in rebus versentur enthymemata, & quo modo a syllogismis logicis differant. Quid enim verum, & quid simile veri sit, videre, ejusdem facultatis est. Praetereaque homines natura satis facti sunt ad id quod verum est, & plerumque veritatem consequuntur. Quo fit, ut ea bene conjicere possit quae opinionibus hominum consentanea sunt, ejus sit qui eodem modo affectus est etiam ad veritatem. Constat igitur, alios & ea modo artibus suis comprehendere quae extra rem sunt, & cur ad judiciorum tractationem magis inclinent.

c. III. Utilis autem rhetorica est, tum quia natura quidem vera & justa potentiora sunt falsis & injustis, non tamen semper etiam in vulgus facilliora ad persuadendum.

Digitized by Google

dendum) ita ut necesse sit, nisi judicia quomodo par est exerceantur, ea nonnunquam vinci. Id autem animadversione dignum est. Praeterea sunt nonnulli, quibus etiam, si cujus rei scientiam exquisitissimam animo comprehensam teneamus, persuadere tamen facile non est, si ductis ex ea argumentis utamur. Nam oratio quae ex ipsa rei scientia ducitur, docendi ratio quaedam est. Ipsi autem doceri non queunt: immo necesse est e communibus rationes & argumenta ducamus: ut & in topicis diximus de ratione agendi cum vulgo. Accedit huc, quod ut in syllogismis, ita hic quoque contraria persuadere posse oportet: non ut utrumque faciamus: neque enim mala persuadenda sunt: sed & ut ne nos illa ratio lateat: & si quis alius injuste eo dicendi artificio utatur, solvere ipsi possimus, quae ab eo adferuntur. Ergo aliarum quidem artium nulla est, quae contraria argumentando colligat. dialectica autem & rhetorica solae id faciunt. aeque enim sunt utraeque contrariorum. Res tamen ipsae ad disputandum propositae similem naturam non habent: immo vero semper ea quae vera sunt & praestantiora natura, faciliora, ut simpliciter dicam; sunt & ad probandum & ad persuadendum. Ad haec omnia accedit, quod absurdum est, si turpe esse statuamus, opem sibimet ipsi corpore ferre non posse: oratione autem sibi opitulari non posse, turpe non esse ducamus: cum id hominis magis proprium sit, quam usus corporis. Quodsi quis objiciat, magna damna importaturum eum, qui hac facultate contra quam fas est utatur: id & commune est adversus omnia bona, si unam virtutem excipias, & maxime adversus ea quae utilissima sunt: cujus generis sunt robur corporis, firmitas valetudinis, opum affluentia, ductandorum exercituum scientia. His enim omnibus & qui juste utatur, plurimum profuturus, & qui injuste, plurimum obfuturus est. Ergo non esse quidem unius certi ac definiti generis rhetoricen, sed ut dialecticen: & utilem esse constat: & opus ipsius esse non utique persuadere, sed videre omnia, quae in quaque re insunt, apta ad persuadendum: quemadmodum & in aliis omnibus artibus. Non enim est medicinae sanare, sed quousque fieri potest, usque eo perducere. licet enim & eos bene curare, qui ad bonam valetudinem perduci non queunt. Praeter haec autem con-

Digitized by Google

conſtat e ſuperioribus, ejusdem artis eſſe perſpicere tum quid perſuadendi vim habeat, tum quid tale videatur: ut & in dialectica tum quis ſyllogismus ſit, tum quis falſam ſyllogismi ſpeciem prae ſe ferat. Sophiſticus enim non ex eo dicitur, quod poſſit fallere, ſed quod id ſibi ſtudio habeat. Sed hic quidem orator uterque dicetur, ille quidem ſcientia, hic autem etiam inſtituto & conſilio: at illic, ex conſilio quidem ſophiſta, dialecticus autem non ex conſilio, ſed ex facultate.

c. IV. Sed jam conemur de ipſa methodo dicere, quo modo & quibus freti poſſimus ea quae propoſita ſunt conſequi. Rurſus igitur, tanquam a principio definiamus eam: ac deinceps cetera perſequamur. Sit igitur rhetorica facultas perſpiciendi quidquid in quaque re excogitari poteſt idoneum ad perſuadendum. Id enim nulla eſt ars alia quae praeſtet. Nam allarum unaquaeque ad docendum & perſuadendum idonea eſt eo tantum in genere, in quo ipſa verſatur. Ut medicina in eo quod ſalubre, quodque morboſum eſt: geometria in iis quae magnitudinibus accidunt: arithmetica in numero: itidemque ceterae artes ac ſcientiae. Rhetorica autem de qualibet, prope dixerim, re propoſita videtur perſpicere poſſe, quid in ea inſit aptum ad perſuadendum. Unde fit, ut dicamus, eam non habere proprium ullum ac definitum genus in quo verſetur.

c. V. Rationum autem faciendae fidei nonnullae quidem artis expertes ſunt, nonnullae autem artificioſae. Artis expertia dico ea, quaecunque artificio noſtro comparata non ſunt, ſed prius erant: cujusmodi ſunt teſtes, quaeſtiones, ſyngraphae, ceteraque ejus generis. Artificioſa vero, quae arte & opera noſtra comparari queunt. Itaque eorum illis quidem uti, haec vero excogitare oportet. Jam eorum quibus oratione fit fides, tria genera ſunt, unum quod poſitum eſt in moribus ipſius dicentis, alterum, quod in eo, ut certo quodam modo afficiatur auditor: tertium quod in ipſa oratione conſiſtit, ut aut demonſtret, aut demonſtrare videatur. Ac moribus quidem fides fit, cum ita conformatur oratio, ut efficiat eum qui dicit dignum cui habeatur fides. Bonis enim viris magis & facilius credimus univerſe quidem omnibus in rebus: in iis autem, quae exquiſite cognoſci non queunt, ſed tales ſunt, ut varie de ipſis exiſtimare liceat,

omnino & sine ulla exceptione. Id autem ipso orationis genere fieri oportet, non ob praejudicatam de dicentis ingenio ac moribus opinionem. Neque enim ita est, ut quidam in libris de arte posuerunt, qui ita de probitate dicentis locuti sunt, ut de re quae nihil conferat ad persuadendum. Immo vero nihil fere est ad faciendam fidem potentius atque efficacius, quam mores dicentis. Ex persona autem auditorum, cum vi orationis ad aliquem animi motum impulsi fuerint. Neque enim similiter judicamus tristes, & laeti, aut cum diligimus, & cum odimus. Quam unam ad rem omne studium suum conferre diximus hujus artis magistros. Sed hujus quidem rei tota ratio singillatim a nobis explicabitur, cum de motibus animorum disseremus. Oratione autem ipsa adducti credunt, si quando ostenderimus ex iis quae in quaque re insunt apta ad persuadendum, id quod probare volumus, aut verum esse, aut videri. Cum sint igitur haec tria instrumenta faciendae fidei, perspicuum est, haec tria consequi, ejus esse, qui & syllogismo scienter ac perite uti queat, & pervidere ea quae ad mores ac virtutes pertinent, &, quod tertium est, ea quae ad animorum permotiones: tum quid earum quaeque sit, & cujusmodi, tum quibus ex rebus & quomodo excitetur. Unde illud efficitur, rhetoricam esse quasi propaginem quandam dialectices, & ejus quae de moribus disserit, quam suo ac proprio nomine politicen vocari par est. Quocirca & ipsa sibi quasi personam politices induit: & ejus professores se pro politicis venditare conantur, partim per ignorantiam, partim per arrogantiam, partim alias ob causas, quibus interdum hominum animi moveri solent. Est enim particula quaedam & simulacrum dialectices, ut & principio diximus. Neutra enim earum scientia est de certo aliquo ac definito genere, quae sint illius affectiones: sed facultates quaedam sunt rationum comparandarum. De vi igitur & natura ipsarum, & quomodo inter se affectae sint, fere quantum satis est, diximus.

c. VI. Eorum autem quibus eo fides fit, quod is qui dicit, aut demonstret aut demonstrare videatur, ut & in analyticis, aliud quidem inductio est, aliud syllogismus. Voco enim enthymema quidem, syllogismum oratorium: exemplum autem, inductionem oratoriam. Omnes autem demonstrando fidem faciunt, aut exempla proferentes,

Digitized by Google

tes, aut enthymemata, neque quidquam fere aliud. Quocirca si omnino necesse est, eum qui quid demonstrat, aut syllogismo, aut inductione id facere, constat autem ita esse ex analyticis, necesse est utramque horum cum utroque illorum idem esse. Quid autem interfit inter exemplum & enthymema, liquido perspicitur e topicis. Quemadmodum enim in methodicis, ita hic quoque se res habet. Nam cum multa ac similia protuleris, ostendere id quoque de quo agitur, ita se habere, illic quidem inductio est, hic autem exemplum. At vero quibusdam positis, evenire praeterea aliud quippiam eo quod illa sint, illic quidem syllogismus vocatur, hic autem enthymema. Illud quoque constat, inesse utrumque bonum in oratorio dicendi genere. Oratoriae enim dictiones aliae exemplis, aliae enthymematis abundant. Atque ad persuadendum quidem non minus valent, quae exemplis abundant: sed majorem animorum motum efficiunt enthymematicae. Cujus rei quae causa sit, & quomodo utroque genere utendum, dicemus postea: nunc autem de eis ipsis distinctius & enucleatius disseramus.

c. VII Quoniam enim quod ad persuadendum aptum est, alicui tale est: & aliud quidem statim ac suapte vi tale, aliud autem eo, quod videatur demonstratum esse per talia: nulla autem ars singula considerat: ut medicina, non quid Socrati aut Calliae, sed quid ita affecto, aut ita affectis salutare sit: hoc enim arte comprehendi potest: at id quod ad unumquemque singillatim pertinet, infinitum est, neque sub scientiam cadit, ne rhetorica quidem quid cuique probabile sit considerabit, ut Socrati aut Hippiae: sed quid talibus, quemadmodum & dialectica. Est autem proprium opus ac munus ipsius, de ejusmodi rebus dicere, de quibus deliberatur, quaeque arte non continentur: & apud ejusmodi auditores, qui quae procul sita sunt videre, & ex iis quae longe distant ratiocinari non queunt. Deliberamus autem de iis quae utroque modo habere se possunt. Nam quae aliter aut fieri, aut futura esse, aut se habere non queunt, nemo qui de eis ita existimet, deliberat: nullus enim fructus illius deliberationis esset. Ratiocinari autem & concludere aliquid licet aut ex iis quae jam syllogismo conclusa sunt, aut ex iis quae, cum antea conclusa non sint, syllogismo indigent, quod per se probabilia non sint. Ne-

cesse est autem, horum generum illud quidem tale non esse, ut auditor dicentem facile subsequi possit propter longitudinem. Positum est enim, judicem rudiorem ac crassiorem esse. Ea porro quae secundi generis sunt, idonea non sunt ad faciendam fidem: cum eorum non sint, quae confessa sunt, & de quibus plerique omnes eodem modo opinantur. quare necesse est, & enthymema, & exemplum esse de iis quae etiam aliter habere se possunt, exemplum quidem, inductionem, enthymema vero, syllogismum, eumque ex paucis, ac saepe ex paucioribus, quam eum qui primo ac proprie syllogismus dicitur. Nam si quid eorum sit quod facile per se intelligi queat, ne exprimendum quidem est. Ipse enim id addit auditor. Ut si probandum sit, Dorieum vicisse in certamine quopiam eorum in quibus victores coronantur, satis fuerit dicere, eum Olympia vicisse. esse autem ejus generis Olympia, ne addendum quidem est. omnibus enim id notum est.

c. VIII. Quando igitur necessaria pauca sunt eorum, de quibus agunt Oratorii syllogismi, deliberant enim, & consultant homines de iis quae agunt, ea autem omnia ejusmodi sunt: neque eorum fere quidquam necessario fit, ea vero quae plerumque eveniunt, necesse est ex aliis talibus colligi, necessaria autem ex necessariis, quod ex analyticis cognovimus; constat, ea, ex quibus enthymemata ducuntur, partim quidem necessaria esse, sed maximam partem, eorum quae plerumque contingunt. Ducuntur autem enthymemata ex verisimilibus, & ex signis. quare necesse est, illorum utrumque utrique idem esse. Nam verisimile quidem est, quod plerumque fit, non simpliciter tamen, ut quidam definiunt, sed id demum, quod ita affectum est ad id ad quod probandum adhibetur, ut universum ad particulare. Signorum autem quaedam ita se habent, ut particulare aliquid ad universum, quaedam autem ut universum ad particulare. Horum autem id quidem quod necessarium est, tecmerion vocatur. At quod necessarium non est, nomen quo ab aliis distinguatur non habet. Igitur necessaria quidem dico ea, ex quibus confici potest syllogismus. Quocirca tecmerion etiam est hujusmodi syllogismus. Cum enim id quod a se dictum est, putant solvi non posse, tunc a se tecmerion adferri putant, ut eo quod volunt de-

demonſtrato jam, & ad finem perducto. *Tecmar* enim vetere lingua dicitur *finis*. Signorum autem aliud quidem ita affectum eſt, ut ſingulare ad univerſum, quale eſt, ſi quis dicat, quod Socrates cum ſapiens eſſet juſtus fuerit, ſignum eſſe, homines ſapientes eſſe juſtos. ſignum igitur hoc quidem eſt, ſed ſolubile, etiam ſi verum ſit quod dictum eſt, neque enim ſyllogismus ex eo confici poteſt. At quod tale eſt, ut ſi quis dicat, quod quis febrem habeat ſignum eſſe, eum aegrotare, aut peperiſſe eam quae lac habeat, neceſſarium eſt, idque e toto ſignorum genere ſolum eſt tecmerion. ſolum enim, ſi verum ſit, inſolubile eſt. Aliud autem ita affectum eſt, ut univerſum ad particulare; ut ſi quis dicat, quod quis crebro reſpiret, ſignum eſſe eum febricitare. ſolubile autem eſt hoc quoque. Neque enim ſtatim neceſſe eſt febricitare qui anhelet. Quid igitur ſit veriſimile, quidque ſignum, & quid tecmerion, & quid inter ſe differant, dictum quidem eſt nunc quoque; enucleatius autem tum de his, tum quae cauſa ſit cur ex aliis ſyllogismi confici non poſſint, ex aliis poſſint, in analyticis definitum eſt.

c. IX. At exemplum inductionem quidem eſſe, & circa cujusmodi res inductio ſit, dictum eſt. Ita autem affectum eſt, neque ut pars ad totum, neque ut totum ad partem, neque ut totum ad totum, ſed ut pars ad partem, ſimilis ad ſimilem, cum ambo ſub eodem quidem genere continentur; ſed alterum altero notius eſt. ut ſi ex eo colligat quis, Dionyſium cum cuſtodiam petat, clanculum ſibi viam ad tyrannidem affectare, quod, & prius Piſiſtratus idem moliens, cuſtodiam petiit, & cum eam accepiſſet, tyrannidem occupavit: & Theagenes Megaris, & alii quoſcunque idem fecisſe ſciunt, exempli loco ſunt adverſus Dionyſium, de quo utrum eadem de cauſa petat, nondum ſciunt. Omnia autem haec ſub eodem genere continentur: eum qui tyrannidem affectat cuſtodiam petere Unde igitur ducantur probationes, quibus demonſtrari aliquid videtur, dictum eſt.

c. X. Enthymematum autem maximum, quodque maxime plerosque omnes latet, inter ipſa diſcrimen eſt, itemque in diſſerendi ratione ſyllogiſmorum. Quaedam enim rhetoricae convenientia ſunt, quaedam ad alias artes, ac facultates pertinent, partim jam repertas, partim

nondum ab hominibus comprehenſas. Quo fit, ut oratores interdum imprudentes ab officio, ac munere ſuo diſcedant, propius, quam par eſt, ea de quibus dicunt attingentes. Magis autem conſtabit quod dicimus, ſi pluribus explicetur. Dico enim, tum dialecticos, tum rhetoricos ſyllogiſmos eſſe eos, quorum & ſpecies & locos tradimus. Hi autem communes ſunt, & de juſtis, & de naturalibus, & civilibus, & de multis quae ſpecie differunt. Cujusmodi eſt locus ex eo quod magis, & ex eo quod minus veriſimile videtur. Nihilo enim magis licebit ex eo ſyllogiſmum aut enthymema ducere de rebus juſtis quam de naturalibus, aut de qualibet alia re propoſita diſputantem. etſi haec ſpecie differunt. ſpecies autem, quaecunque enuntiationes ad ſingulas ſpecies generave pertinent. Exempli cauſa, de phyſicis effata quaedam ſunt, ex quibus neque enthymema, neque ſyllogiſmus, de iis quae ad mores pertinent, duci ullus poteſt, itidemque de his alia ex quibus nihil quod ad phyſica pertineat duxeris. Eodemque modo in omnibus ſe res habet. Atque illa quidem non efficient in ullo certo, ac definito genere intelligentem; nullum enim eis certum genus ſubjectum eſt. At haec quo quis melius delegerit, latebit aliam quandam artem efficiens a dialectica & rhetorica. Si enim incidat in principia, jam non dialectica, aut rhetorica erit, ſed ea ipſa cujus principia tenet. Ducuntur autem maximam partem enthymemata ex iis quas ſpecies vocamus, quae particulares ſunt, ac propriae, ex communibus autem pauciora. Ut igitur in topicis, ſic & hoc loco diſtincte explicandae ſunt & ſpecies, & loci, ex quibus enthymemata ſumuntur. Voco autem ſpecies quidem eas enuntiationes quae ad quodque genus proprie pertinent: locos autem eos qui aeque communes ſunt omnium generum. Primum igitur explicemus genera rhetorices, ut eis quot ſunt diſtinctis ſeparatim cujusque elementa, & effata perſequamur.

c. xi. Sunt autem rhetorices genera numero tria; nam & eadem auditorum diſtinctio eſt. Omnis enim oratio conſtat ex tribus: ex eo qui dicit, ex re de qua dicitur, & ex eo ad quem verba fiunt. Atque ad hunc, id eſt, ad auditorem omnia tanquam ad finem diriguntur. Neceſſe autem eſt eum qui audit, aut ſpectatorem

modo

modo esse, aut disceptatorem, id est, rei, ac sententiae moderatorem, disceptatorem autem, aut de rebus praeteritis, aut de futuris. Judicat autem de futuris exempli causa is qui in concionem venit, de praeteritis autem ut Judex; is autem qui spectator modo est, de vi, ac facultate dicentis. Itaque necesario tria sunt genera sermonum oratoriorum, deliberativum, judiciale, & id quod ad ostentationem comparatum est. Deliberatio autem dividitur in suasionem, & dissuasionem. semper enim tum qui privatim consilium dant, tum qui ad populum verba faciunt, alterum horum efficiunt. Judicium autem in accusationem ac defensionem. Horum enim alterutrum facere necesse est eos, qui judicio contendunt. At id quod ad ostentationem refertur, in laudem, & vituperationem. Tempora autem horum cuique proposita sunt, consilium quidem danti futurum: de futuris enim consilium dat aut suadens, aut dissuadens: contendenti autem judicio, praeteritum. semper enim de iis quae facta sunt, ille quidem accusat, hic autem defendit. Generi autem ad ostentationem comparato maxime quidem proprium est tempus praesens: omnes enim ex iis quae insunt, aut laudant, aut vituperant: adhibent tamen persaepe, & praeterita, revocantes ea in memoriam, & futura tanquam praesagientes. Finis autem alius alii propositus est: cumque tria genera sint, totidem sunt etiam fines: consilium quidem danti, utile, & damnosum. nam is quidem qui hortatur, studet ostendere, id quod suadet melius esse: qui autem dehortatur, ut a deteriore avocat. alia autem tanquam auxilia ita adsumit, ut ad hoc referat; justum, aut injustum, honestum, aut turpe. Judicia autem tractantibus justum, & injustum. adsumunt autem hi quoque alia, ut ad hoc referant. Laudantibus autem, & vituperantibus honestum, & turpe. Alia vero hi quoque ad haec referunt. Argumento autem est, eum esse quem dixi singulis propositum finem, quod de ceteris interdum ne contenderint quidem. Exempli causa, is qui judicio provocatur, interdum ne infitiabitur quidem, se id fecisse quod dicitur; neque damnum a se datum negabit, at injuriam fecisse nunquam fatebitur. Nam ne judicio quidem tunc opus foret. Itidem ii qui consilium dant, saepe alia quidem projiciunt, ac largiuntur: adduci tamen nulla ratione possint, ut aut inutilia suadere se, aut utilia dissuadere fateantur.

Digitized by Google

quin autem injustum sit, vicinos populos, etiam qui nulla injuria provocarint, in servitutem redigere, saepenumero ne laborant quidem. Eademque ratione qui laudant, quique vituperant, non id considerant, fecerit quis quae sibi utilia sint, an minus: quin etiam saepe in laude ponunt, si propria utilitate neglecta pulchrum aliquid ac glorioſum fecerit. Itaque laudant Achillem quod opem Patroclo ſodali ſuo tulerit, ſciens ſibi moriendum esſe, cum alioqui vivere ipſi liceret. Huic autem talis quidem mors glorioſior fuit, at vivere utilius fuisſet. Conſtat igitur ex iis, quae dicta ſunt, magnam vim enuntiationum iis de rebus tenendam esſe. Nam & tecmeria, & veriſimilia, & ſigna enuntiationes ſunt oratoriae. Omnino enim Syllogiſmus ex enuntiationibus conſtat: enthymema autem ſyllogiſmus eſt ex ejus generis enuntiationibus, de quibus diximus, compoſitus, atque conflatus.

c. XII Quando autem quae impoſſibilia ſunt, neque facta esſe, neque factum iri queunt, ſed poſſibilia tantum, neque aut ea quae facta non ſunt facta esſe, aut quae futura non ſunt factum iri poſſunt: neceſſe eſt; & conſilium danti, & contendenti in judicio, & ei qui facultatis in dicendo ſuae ſpecimen exhibet: enuntiationes habere de poſſibili, & impoſſibili, de eo quod factum eſt, aut minus, & quibus colligat fore aliquid, aut non fore. Tum vero quando omnes, & qui laudant, & qui vituperant, & cohortantur, & dehortantur, & accuſant, & defendunt, non ea modo quae diximus conantur oſtendere, ſed etiam aut magnum, aut parvum esſe, vel bonum, vel malum, vel pulchrum, vel turpe, vel juſtum, vel injuſtum, vel per ſe de illis dicentes, vel cum aliis contendentes, ac comparantes: conſtat, ſuppetere eis debere enuntiationes tum de magnitudine, & exiguitate, tum de majori, & minori, tum univerſe, tum particulatim de unoquoque eorum. Exempli causſa, quod majus bonum ſit, quodque minus: itemque in iis, quae juſte, injuſteve facta ſunt, eademque ratione de ceteris.

c. XIII. Quibus igitur de rebus enuntiationes colligere ac comparare neceſſe ſit, dictum eſt. His autem cognitis, enucleatius nunc de unoquoque explicandum eſt: ut quibus de rebus inſtituatur deliberatio, & quibus de rebus aga-

agatur in iis orationibus, quae ad oſtentationem comparantur, tertio autem quae in judiciis verſari ſoleant. Primum igitur videndum eſt, cujus generis ſint ea bona malave, quae ſibi proponit is, qui conſilium dat. non enim de omnibus deliberatur, ſed de iis tantum, quae & fieri, & non fieri poſſunt. Nam de iis, quae neceſſario aut ſunt, aut erunt, itidemque de iis, quae aut eſſe, aut evenire impoſſibile eſt, deliberatio non inſtituitur. Ac ne de iis quidem omnibus quorum eventus incertus eſt. bona enim quaedam a natura, quaedam à fortuna pendent, eorum quae vel evenire, vel non evenire poſſunt, de quibus deliberare nihil profuerit. Immo vero perſpicuum eſt, ea tantum in deliberationem adduci, quae eam naturam habent, ut in poteſtatem noſtram redigi queant, utque principium ortus ipſorum in noſtra poteſtate ſit. Quaerimus enim usque eo, dum, poſſibilia nobis, an impoſſibilia ſint, reperiamus. Omnia igitur ſingillatim accurate percenſere, & in certa genera diſtinguere, de quibus agere ſolent: tum certo, ac vero definire quantum de eis dici poteſt, non eſt hujus loci, ac temporis: tum quod ne rhetoricae quidem artis opus illud, ac munus eſt, ſed ad aliam, cujus verior harum rerum intelligentia propria eſt, pertinet, tum quod plura jam a nobis ipſi rhetoricae conceſſa ſunt iis, quorum ipſius propria conſideratio eſt. Vere enim etiam in ſuperioribus diximus, rhetoricen compoſitam eſſe ex analytica ſcientia, & ex politica quae ad mores refertur. Similis autem eſt partim quidem dialecticae, partim diſputationum ſophiſticarum. Quo autem quis aut dialecticen, aut hanc ipſam magis conatur ita tractare, non ut facultates, ſed ut quae certam alicujus rei ſcientiam contineant, eo magis imprudens naturam ipſarum extinguit ac delet, transferendo, ita eas concinnans, ac ſi, non dicendi modo, ſed certarum rerum ſibi propoſitarum ſcientiam, & intelligentiam tradant. Nos autem quae explicare quidem eſt operae pretium, ſed ſuum tamen politicae locum ad conſiderandum relinquunt, ea nunc perſequamur.

c. XIV. Sunt autem quinque fere numero maxima, ac praecipua eorum, quae in conſiliis agitari ſolent. Agitur enim de vectigalibus & reditibus publicis, de bello, & pace; de cuſtodia regionis, de iis quae importantur, & exportantur, & de legum conſtitutione. Eum igitur qui

de vectigalibus sententiam dicturus est, primum quidem nosse oportet, quantum ex quaque re civitas capiat: ut, si quid praetermittitur, addatur: si quo minus quam par est ex re aliqua percipitur, augeatur. Noti autem ei esse debent sumptus quos facit civitas: ut si quis supervacaneus est tollatur; si quis justo major, minuatur. opulentiores enim fiunt, non ii modo, qui ad opes aliquid addunt, sed ii quoque, qui de sumptibus detrahunt. Haec autem non usu tantum domestico intelligi queunt, sed ea etiam quae ab aliis utiliter ad eam rem inventa sunt, tenenda sunt ei, qui ad tales consultationes idoneus esse meditetur. De bello autem, & pace dicturus, primum quidem civitatis vires, & copias teneat, tum quantae sint eae, quae nunc suppetunt, tum quae praeterea parari possint; & cujus generis utraeque sint: tum quomodo & quae bella gesserit. Neque vero de sua, sed & de vicinis civitatibus haec cognorit necesse est, aut de iis cum quibus bellum existere posse opinio est: ut cum potentioribus quidem quiete pacificeque (*) vivatur: adversus inferiores autem in eorum potestate sit, qui deliberant, bellum facere velint, an minus. Sed & copias utriusque similes, an dissimiles sint nosse oportet. nam in hoc quoque positum est, ut aut meliori, aut iniquiori conditione pugnetur. Ad haec autem necesse est non propria modo ac domestica bella cognita habere, sed & aliorum quis ea exitus consequatur. similium enim similis plerumque esse exitus solet. De custodia autem regionis, noscendum est, & quomodo illa custodiatur, & qui sit praesidiariorum militum numerus, & cujus generis sint, & quibus locis imponenda sint praesidia. Id autem nisi qui regionis peritus sit, scire nemo potest. Haec autem ideo noscenda, ut sive minor justo est custodia, augeatur: seu qua non necessaria, tollatur: & ut opportuna loca diligentius custodiantur. Ad annonam autem quod attinet, quanta illius copia, & cujus generis civitati sufficiat, intelligendum: & quae illic nascatur, quaeque aliunde importetur: quarumque rerum, aut exportatione egeant, aut invectione, ut cum iis populis pacta, conventionesque fiant. Duo enim sunt hominum genera, apud quos ne offendant cives, providendum est: qui potentiores sunt, & qui ad haec quae modo diximus

(*) *Pacifice*, vox multius auctoritatis.

Digitized by Google

rimus utiles. Ut autem omni periculo careat civitas, necesaria quidem est harum omnium rerum intelligentia, non minimum autem positum est in scientia legum constituendarum. In legibus enim posita est civitatis salus. Itaque intelligendum est, & quot sint rerum publicarum genera; & quae cuique utilia sint; & quae cuique exitiosa esse soleant, tum ipsius reipubhcae propria, tum contraria. Dico autem exitio esse quae propria sunt; quoniam praeter optimam remp. ceterae omnes, sive remittantur, sive intendantur, intereunt. Exempli gratia, populi potestas non tantum si remittatur imbecillior fit, ita ut tandem reducatur ad paucorum potentiam, sed etiam si valde intendatur. Ut & deformitas nasi, qui media sui parte quasi gibberus est, & ejusdem nimia depressio non tantum si remittantur perveniunt ad mediocritatem, sed si magis etiam aut intumescat gibbus ille nasi, aut deprimatur, eo pervenit denique, ut ne nasus quidem esse videatur. Utile autem est ad leges ferendas, non tantum scire, quae gubernandi ratio conferat ad civitatem tuendam, considerantem id ex superiorum temporum historia, sed & nosse quibus legibus alii populi utantur, & quales qualibus conveniant. Constat itaque, ad leges quidem ferendas, utiles esse eos libros, quibus terrarum situs ac descriptiones continentur: nam ex eis leges, & instituta gentium hauriri queunt: ad dandum autem de rebus publicis consilium, historias eorum qui res gestas litteris prodiderunt: quae omnia ad politicen, non ad rhetoricen pertinent. Haec igitur sunt quibus instructum oportet esse eum, qui de rebus maximis sententiam dicturus sit.

c. xv. Nunc quae sint ea ex quibus, & de his, & de aliis dicenti sumenda sunt, quibus aut incitet, aut deterreat, denuo persequamur. Fere autem, & cuique privatim, & communiter omnibus propositum quasi signum quoddam est, quo tendentes, alia & expetunt, & fugiunt: idque est, ut summatim dicam, tum felicitas, tum partes ipsius. Quare, exempli caussa, sumamus quid sit populariter loquendo & ex quibus constet felicitas. nam de ea, & de iis quae ad eam conferunt, deque iis quae illi adversantur, omnis suasio, & dissuasio ab omnibus instituitur. Quae enim ad eam partemve ejus aliquam comparandam, aut eorum aliquid ex minore majus efficien-

Digitized by Google

ciendum valent, ſuſcipienda ſunt: quae autem vel tollunt, vel impediunt, vel aliquid eorum quae ipſi repugnant, efficiunt, ab iis abſtinendum eſt. Sit igitur felicitas, bonus rerum ſucceſſus cum virtute conjunctus: aut ea rerum ad vitam pertinentium abundantia, ut nihil praeterea requiratur: aut ſuaviſſima vita extra omne periculum poſita: aut firmus ſtatus & poſſeſſionum, & corporum, cum vi ac poteſtate eorum conſervandorum & parandorum. Fere enim horum unum, aut plura felicitatem eſſe omnes fatentur. Quod ſi tale quiddam eſt felicitas, neceſſe eſt, partes illius eſſe nobilitatem, amicorum copiam, bonorum amicitiam, bonos, ac virtute praeditos filios, eorumque ipſorum copiam: facilem, & commodam ſenectutem, tum praeterea virtutes corporis, ut bonam valetudinem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, vires aptas ad publica certamina, gloriam, honorem, proſperam fortunam, virtutem, & partes ipſius, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, juſtitiam. nam ita demum quis cumulatus bonis omnibus, nulliusque praeterea rei indigens fuerit, ſi & iis quae in ipſo homine ſunt, & externis bonis affluat. neque enim praeter haec, alia ulla ſunt. In ipſo autem homine ſunt tum animi, tum corporis bona: extra autem, nobilitas, amici, pecuniae, honos. Convenire praeterea arbitramur, & opes, ac civilem potentiam, & fortunam adeſſe. nam ita demum vita ab omni periculo remotiſſima fuerit. Eodem igitur modo ſumamus etiam quid horum quodque ſit. Igitur genti quidem, & urbi nobilitas eſt, ſi cives ex eo ipſo ſolo progeniti ſint, aut antiqui, & ſi primi ejus conditores, ac duces illuſtres fuerint, & ſi multi ex eis propagati ſint illuſtres iis rebus quibus hominum ſtudia commoventur. Privatim autem nobilitas ſpectatur & ex maribus, & ex feminis: & ex eo, ut quis utraque ſtirpe ex civibus legitime prognatus ſit, & tanquam in urbe, ut generis principes nobiles fuerint, aut propter virtutem, aut propter divitias, aliudve quid eorum, quae in honore habentur: & multi ex eodem genere illuſtres, tum viri tum feminae, tum juvenes, tum natu grandiores. Bonos autem, ac multos liberos habere quid ſit, obſcurum non eſt. Commune igitur, ipſum, bonis liberis abundare dicitur, ſi juventus & multa fuerit, & bona. Bona autem, virtute corporis,

ut

ut proceritate, pulchritudine, robore, aptis ad certamina publica viribus. Animi vero virtutes juvenum propriae sunt temperantia, & fortitudo. Privatim bonitas, & copia liberorum est, si & multos quis ex se susceptos, & tales liberos, tum mares, tum feminas habeat. Feminarum autem virtus corporis quidem pulchritudo, & magnitudo, animi autem temperantia, & industria sine sordibus. Peraeque autem, & publice, & privatim danda opera est, ut unumquodque horum, & in viris, & in feminis insit. Nam quibus quae ad mulieres pertinent, male instituta sunt, ut Lacedaemoniis, dimidium fere iis abest felicitatis. Divitiarum autem partes sunt, pecunia numerata, multum agri, praediorum possessiones, itemque supellectilis, & pecorum, & mancipiorum, numero, magnitudine, pulchritudine praestantium. Eaque omnia ut & tuta sint, & homine ingenuo digna, & utilia, & propria. Ac utilia quidem magis sunt, quae fructuosa: ingenuo autem homine digna, quorum omnis prope fructus in animi oblectatione positus est. Fructuosa autem voco, ex quibus capiuntur reditus annui: oblectationis autem causa comparata, ex quibus nihil, quod quidem aliqua aestimatione dignum sit, percipitur praeter usum. Tuta autem sunt, quae quis ita possidet, ut in potestate ipsius sit usus illorum. Proprium id, cujus alienandi penes eum qui possidet potestas est. Alienationem autem voco donationem, & venditionem. Omnino autem divitem esse magis in utendo, quam in possidendo positum est. Nam & divitiae sunt, ejusmodi rerum exercitatio, & usus. Bona autem existimatio est, ab omnibus virum gravem & auctoritate praeditum existimari, aut tale aliquid habere, ut id omnes appetant, aut multi, aut boni, aut prudentes. Honor autem signum quidem est eum cui habetur beneficum haberi. Honore autem afficiuntur jure quidem vel maxime, qui jam beneficium dederunt: sed tamen is quoque honoratur, qui potest benefacere. Beneficium autem aut ad salutem pertinet, eaque omnia quibus fit, ut simus, aut ad divitias, aut ad aliud aliquod bonum eorum, quae paratu facilia non sunt, aut omnino, aut eo loco, aut eo tempore: multis enim etiam quae exigua videntur honori fuerunt: sed cum ad ea, aut locorum, aut temporum commendatio accederet. Par-

ter

tes autem honoris sunt sacrificia, inscriptiones aut versibus conclusae, aut etiam sine versibus, praemia, sacella, priores in consessibus loci, sepulcra, statuae, alimenta ex publico: tum ea quae barbarorum consuetudo fert, ut genua veniente aliquo flectere, assurgere, & loco cedere, tum dona quae apud quosque in pretio sunt. Nam in dono est & datio rei quae possideatur, & honoris significatio. Quo fit, ut & pecuniae amantes, & honoris cupidi dona appetant. in eis enim insunt quae utrique appetunt; cum & rem augeant, quod avidi pecuniae, & honori sint, quod honoris cupidi concupiscunt. Corporis autem virtus est sanitas: quae ita accipienda est, ut & morbo quis careat, & corpore utatur. Multi enim ita valent, ut Herodicus dicitur, quos propter talem sanitatem nemo beatos dixerit: cum aut omnibus, aut plerisque eorum quae hominum vita fert abstinere cogantur. Pulchritudo autem sua cujusque aetatis propria est. Atque adolescentis quidem pulchritudo est, corpus habere idoneum ad labores, tum qui currendo, tum qui ad vi decertandum capiendi sunt, cum quadam oris, ac vultus suavitate. Quocirca pulcherrimi sunt pentathli, quod aeque apti sunt & ad vim, & ad celeritatem. Ejus autem qui florenti aetate est, ad labores bellicos: cum eo ut & aspectu jucundus sit, & ferocitatis aliquid prae se ferat. Senis autem quod satis sit ad labores necessarios sustinendos, ita ut molestus non sit iis, qui una sunt, quod nullo incommodo laboret eorum quibus senes conflictari solent. Robur autem potestas quidem est movendi alium arbitratu suo. Necesse est autem, qui alterum movet, ut id faciat, aut trahendo, aut pellendo, aut sublimem tollendo, aut premendo, aut collidendo. Quare qui robustus est, aut eis omnibus, aut eorum quibusdam valet. Magnitudinis autem praestantia est, superare proceritate, crassitudine, latitudine, usitatum hominum modum, tanto, ut ne propter illam exuperantiam tardiores fiant corporis motus. Vires autem aptae ad publica certamina constant ex magnitudine, robore, & celeritate. Nam & celeritas in robore ponitur. qui enim potest certo quodam modo crura jactare, ac movere cito, & longe, cursor est: qui premere, & cohibere, luctator: qui autem ictu pellere, pugil: qui autem his utrisque valet, pancratia-

sti-

ſticus: qui omnibus, pentathlus. Commoda autem ſenectus eſt, cum & ſera ſenectus advenit, & doloris ac moleſtiae expers. nam neque is qui cito ſeneſcit, commoda uti ſenectute dicendus eſt, neque is qui ſero quidem, ſed cum dolore ac moleſtia. conſtat autem ex virtutibus corporis, & ex fortuna. nam neque perturbatione vacabit, niſi & immunis a morbis, & robuſtus fuerit; neque ſine fortuna diu vivere expers moleſtiae poterit. Eſt autem quaedam etiam ſine proſpera valetudine, & ſine robore, vitae producendae facultas. Multi enim diu vivunt ſine virtutibus corporis. Sed harum rerum accurata tractatio nihil hoc quidem tempore neceſſaria eſt. Multorum autem ac bonorum amicitia quid ſit, obſcurum non eſt, ſi quid amicus ſit, definiamus. Eſt autem amicus, qui ita affectus animo eſt, ut quae ei quem amat bona eſſe putat, ea, ipſius cauſſa, conficere ſtudeat. Cui ergo tales multi ſunt, is amicis abundat: cui etiam viri boni, is bonos amicos habet. Bona autem fortuna eſt, eum, quorum bonorum cauſſa fortuna eſt, ea eveniunt, & inſunt, aut omnia, aut plurima, aut maxima. Cauſſa autem eſt fortuna nonnullorum quidem, quae parantur etiam arte: at multorum quae ſine arte, ut eorum, quae natura efficiuntur, ita tamen ut etiam praeter naturam evenire poſſint. Nam bona quidem valetudo arte effici poteſt: at pulchritudinis, & magnitudinis cauſſa natura eſt. Omnino autem ejus generis bona a fortuna ſunt, quibus invidetur. Ea quoque bona ad fortunam referuntur, quae praeter rationem eveniunt: ut, quod cum cereri fratres deformes ſint, hic formoſus ſit: aut quod alii theſaurum non viderunt, hic autem reperit, aut quod telum eum attigit, qui prope erat: hunc autem non attigit. aut quod non venit aliquo, qui ſolus ſemper eo ventitabat; qui autem ſemel venerant, perierunt. Haec enim omnia in fortunae proſperitatibus numerari ſolent. De virtute autem, quando in ratione laudandi maxime proprius ejus tractandae locus eſt: tum cum eo ventum erit, accurate explicabimus. Quaenam igitur ſpectare debeant qui ſuadent, ut quae aut futura ſint, aut jam adſint, perſpicuum eſt; ex quo etiam conſtat quae ſpectare debeant, qui diſſuadent: ea videlicet quae iis adverſantur.

c. XVI. Quoniam autem conſilium danti utilitas propo-

po-

posita est, ad quam omnia dirigat, deliberant autem non de fine, sed de iis quae ducunt ad finem: ea vero sunt, quae in singulis rebus agendis utilia sunt: utile autem quod est; bonum est, sumenda, ac comparanda nobis fuerint elementa de bono, & utili simpliciter. Sit igitur bonum, quod ipsum propter se expetendum est, & cujus causa aliquid expetimus. Et id quod appetunt omnia; aut ea in quibus inest sensus, aut mens, aut si mentem accipiant: & quaecunque mens unicuique suggesserit. Et quicquid mens, quae in quoque est, ei attribuit, id cuique bonum est. & quo praesente bene se habet, neque quidquam praeterea requirit. Et id ipsum quod sibi ex se sufficit. Et quod talia aut efficiendi, aut conservandi vim habet. & id quo posito, talia consequuntur. Et quae vim habent aut prohibendi, aut tollendi ea quae talibus adversantur. Consequitur autem aliud alii duobus modis: aut enim simul, aut postea. Exempli causa, ex eo quod quis discit, sequitur ut postea sciat: at ex eo quod bene valet, simul sequitur, ut & vivat. Efficientia vero tribus modis dicuntur, quaedam ita, ut bene valere, efficiens est bonae valetudinis: quaedam ita, ut cibi ejusdem efficientes sunt: quaedam denique, ut corporis exercitatio, quae plerumque ut bene valeamus efficit. His positis necesse est, ut & bonorum sumptiones in bonis sint, & malorum depulsiones. Sequitur enim mali quidem depulsionem, statim, ut quis malum habeat: boni autem sumptionem illud postea, ut habeat bonum. Bonum quoque est pro minore bono, majus bonum sumere: & minus aliquod malum subire, ut majus effugias. Nam quo minus a majore superatur, ejus fit, boni quidem sumptio, mali autem depulsio. Virtutes quoque necesse est in bonis esse. nam, & bene afficiunt eum in quo sunt, & vim habent efficiendi, atque augendi ea quae bona sunt. De unaquaque autem illarum, quae, & cujusmodi sit, separatim dicendum est. Et voluptatem necesse est bonum esse. Natura enim duce omnia animalia eam appetunt. Quare, & quae jucunda sunt, & quae pulchra, bona ut sint necesse est. nam illa quidem voluptatis efficientia sunt: pulchrorum autem partim suavia, partim ipsa per se expetenda sunt. Ut autem singillatim dicamus, bona haec ut sint, necesse est: felicitas, nam & per se expetenda est, & sibi ex se sufficit,

Digitized by Google

est, & illius causa alia persequimur: justitia, fortitudo, temperantia, magnitudo animi, magnificentia, & alii ejusmodi habitus: virtutes enim sunt animi: & bona valitudo, & pulchritudo, & talia: virtutes enim sunt corporis, & multorum bonorum efficientes, ut bona valitudo voluptatis, & vitae. Quo fit, ut optimum quiddam esse videatur: quoniam causa efficiens est duorum, quae apud plerosque maximo in pretio sunt, voluptatis, & vitae. Divitiae. virtus enim haec patrimonii est, & multarum rerum conficiens. Amicus, & amicitia. nam & per se expetendum quiddam est amicus, & multorum efficiens. Honos, existimatio. nam & jucunda sunt, & multorum efficientia, & plerumque evenit, ut in iis qui honorantur, insint ea, propter quae honorantur. Dicendi facultas, rerum gerendarum facultas. omnia enim hujus generis multorum bonorum efficientia sunt. Itemque bonitas ingenii, memoria, docilitas, perspicacitas, talia omnia. nam hae facultates multorum bonorum in se efficientiam continent. Itidemque omnes sciendiae, atque artes. Et vivere. nam, ut boni ex eo nihil aliud consequatur, ipsum per se expetendum est. Et quod justum est: publice enim prodest. Haec igitur fere sunt, quae omnes bona esse consentiunt.

C. XVII. In iis autem, quae dubitationem aliquam habent, hinc ducuntur syllogismi. Cui quod adversatur, malum est, ipsum bonum est. Et cui quod pugnat, hostibus prodest. Exempli causa, si ignavos cives esse, maxime prodest hostibus, constat, fortitudinem civibus utilissimam esse. omninoque quod hostes volunt, & quo gaudent, ei quod pugnat, utile videtur. Unde & recte dictum est: *Quam laeta haec Priamus, si senserit, ebibat aure.* Neque tamen hoc perpetuo verum est: sed plerumque. Nihil enim prohibet interdum idem utile esse iis, qui inter se disident. Unde & illud proverbio jactatum est: *Mala homines conciliant:* cum idem utrisque damnosum est. Et quod nimium esse non potest, bonum est. quod autem justo majus est, malum. Et id cujus causa multi labores suscepti, multi sumptus facti sunt. Jam enim bonum videtur, & putatur finis esse, ac multorum quidem finis. Finis autem, bonum est. Unde, & haec dicta sunt: *Quam se hoc jactarit Priamus.* &, *Turpe est & manisse diu.* Et illud proverbium, *Ad so-*

res urceum. Et id quod multi appetunt, & id quod videtur dignum, pro quo ſuſcipiantur contentiones. Quod enim appetunt omnes, bonum eſſe dicebamus. at multi pro omnibus habentur. Et quod laudabile eſt. nemo enim quod bonum non eſt laudat. Et id quod etiam hoſtes laudant. Nam pro eo eſt, ac ſi omnes ita eſſe fateantur: cum ii quoque quibus quis malum dedit agnoſcant. Videntur enim eo id fateri, quod res dubitationem non habeat. Ut contra nihili ſint oportet, quos, & amici vituperant, & inimici non vituperant. Quocirca ſe Corinthii hoc Simonidis verſu contumelia affectos putarunt: *Corinthiis autem Ilium haud iraſcitur.* Et quod quis aut prudentium, aut praeſtantium virorum, aut mulierum judicio ſuo aliis antepoſuit: ut Minerva Ulisſem, Theſeus Helenam, Deae Alexandrum, Achillem Homerus. omninoque ea quae aliis conſulto anteponuntur. Conſulto autem in rebus agendis anteponunt, & ea quae diximus, & quae hoſtibus mala ſunt, & quae amicis bona. Et quae fieri poſſunt. Fieri autem poſſe dicuntur duobus modis: tum ea quae quoquo modo, tum ea quae facile fieri poſſunt. Factu autem facilia ſunt, quaecunque aut ſine moleſtia, aut brevi tempore. Difficultatem enim aut moleſtia, aut temporis diuturnitate metimur. Et ſi ut volunt. volunt autem aut ſine ulla mali admiſtione, aut ita, ut bonum malo facile praeponderet. Id autem erit, ſi poena, aut lateat, aut parva ſit. Et propria. Et quae nemo alius obtinet. Et eximia. ita enim major eſt honos. Et quae ſibi conveniunt, atque apta ſunt. Talia autem ſunt, quae ſunt nobilitati, ac potentiae ſuae accommodata. Et quae ſibi deeſſe putant: etiam ſi exigua ſint. nihilo enim minus ea ſibi comparanda eſſe arbitrantur. Et quae facile ad exitum adduci poſſunt. non enim tantum fieri, ſed & facile fieri poſſunt. Talia autem ſunt, quae aut omnes, aut plerique, aut ejusdem ordinis, aut etiam inferiores ex animi ſententia confecerunt. Et quae amicis grata, inimicis moleſta fore norunt. Et quaecunque ſibi conciliare ſtudent ii, quos ipſi admirantur. Et ad quae natura facti, quorumque periti ſunt. Facilius enim ea ſibi ſucceſſura putant. Et quae nemo abjectus ac parvi pretii. Laudabiliora enim ſunt. Et quae concupiſcunt. Quod enim quis cupit, non jucundum modo, ſed & melius videtur, & maxime quique ea,

Digitized by Google

ea, ad quae natura propensi sunt: ut qui victoriae cupidi, spe victoriae: qui honoris cupidi, honore: qui pecuniae, pecunia proposita, aliique eodem modo commoventur. De bono igitur, & de utili hinc argumenta ducenda sunt.

c. XVIII. Sed quoniam saepe accidit, ut cum utraque utilia esse fateantur, utrum utilius sit, controversentur, de meliore deinceps, & utiliore dicendum fuerit. Ponamus igitur praestare quidem id dici, quod & alterum tantum est, & eo amplius: superari autem id, quod in altero inest. Ponamus item, majus, ac plus semper referri ad id quod minus est: magnum autem, & parvum, itemque multum, & parum dici habita ratione usitatae magnitudinis, ac multitudinis. & eam quidem quod superat; magnum, quod autem ab ea abest, parvum vocari, & multum, ac parum eodem modo. Quoniam igitur bonum esse dicimus, tum id quod suapte causa, ac non alterius, expetendum est, tum id quod omnia appetunt, appeterentve, si mens eis, ac prudentia accederet, & quod habet vim efficiendi, ac conservandi talia, & quo posito talia consequuntur: finis autem est id quo id quo cetera diriguntur, & vicissim id, quo cetera diriguntur, est finis: cuique autem bonum, id quod ita affectum est ad ipsum: necesse est, & plura uno, & paucioribus, si modo id unum, aut haec pauciora in illis pluribus connumerentur, majus bonum esse. Insunt enim. At id quod in altero inest, ab eo superari docuimus. Itemque, si quod maximum est aliquo in genere, praestat ei, quod in altero maximum est: illud quoque simpliciter huic praestat: itidemque, si quod genus simpliciter alteri praestat, praestabit etiam id quod in illo genere maximum est, ei quod in altero maximum. Ut, si maximus vir maxima muliere major est, sequitur, ut & viri omnino mulieribus majores sint: itemque, si viri omnino mulieribus majores, ut maximus vir maxima muliere major sit. Generum enim, & eorum quae in quoque genere maxima sunt exuperantiae, eadem inter se proportione respondent. Majus quoque illud est, quo posito alterum sequitur: cum tamen ipsum, altero posito, non sequatur. Sequi autem dicitur aut simul, aut deinceps, aut potestate. Nam ejus quod sequitur usus est in illo altero. Sequitur autem simul quidem, ut, qui

bene valet, ſequitur, ut & vivat: cum tamen vivere poſſit, neque bene valere. Deinceps autem: ut diſciplinam, ac ſtudium ſcientia. Poteſtate autem, ut ex ſacrilegio furtum. Qui enim ſacrilegium fecit, etiam furtum fecerit. Et quae cum eodem collata, majore parte vincunt, ipſa quoque majora ſunt. Neceſſe eſt enim, ut & illud ſuperent, quod tertio illo majus eſt. Majora ſunt etiam quae majoris boni efficientia. Hoc enim eſt, majus, ut efficiens, eſſe. Itidemque majus eſt id, cujus cauſſa efficiens major eſt. Si enim id quod bonam valetudinem efficit, praeſtat ei, quod voluptatem: ſequitur, ut & bona valetudo praeſtet voluptati. Et id quod magis propter ſe expetendum eſt, eo, quod non propter ſe. Ut robur melius eſt re aliqua ſalubri. Nam haec non propter ſe, at illud propter ſe expetitur: quam boni naturam eſſe diximus. Et ſi alterum quidem finis ſit, alterum autem non. Hoc enim propter aliud expetitur: illud propter ſe. ut exercitatio ad bonam valetudinem refertur. Et quod minus indiget aut alio, aut aliis. quod enim tale eſt, magis ipſum ſibi ex ſe ſufficit. Minus autem indiget, quod indiget aut paucioribus, aut facilioribus. Et cum hoc quidem ſine illo, aut non eſt, aut ne contingere quidem poteſt: at illud ſine hoc poteſt. magis enim ſe contentum eſt id, quod alio non indiget: itaque majus bonum videtur. Et ſi illud quidem principium ſit, hoc autem non. Et ſi alterum cauſſa ſit, alterum non ſit: eandem ob cauſſam. Nam ſine cauſſa, ac principio neque eſſe, neque fieri quidquam poteſt. Et ſi duo principia ſint, quod a majore principio eſt, majus. Et ſi duae cauſſae, quod ex majore cauſſa efficitur, majus. Contraque ex duobus principiis, quod majoris principium eſt, majus: & e duabus cauſſis, quae majoris efficiens, major. Conſtat igitur ex iis, quae diximus, utroque modo poſſe aliquid majus videri. nam, & quod principium eſt, eo quod non eſt; & quod non eſt, eo quod eſt, majus videri poteſt. Finis enim majus quiddam eſt; cum tamen principium non ſit. Ut Leodamas Calliſtratum accuſans, majorem culpam eſſe dicebat ejus qui conſilium dediſſet, quam qui facinus perpetraſſet. neque enim futurum fuiſſe, ut fieret, niſi conſilium antecesſiſſet. At rurſus accuſans Chabriam, graviorem eſſe injuriam ejus qui feciſſet, quam ejus, qui conſilium

de-

dedisset. nihil enim nociturum fuisse consilium, nisi qui illud exequeretur, extitisset. nam, & omnem deliberationem ad agendum referri. Et quod rarius est, praestat ei, cujus copia suppetit: ut aurum ferro: cum minus utile sit. Aestimationem enim ei adjicit difficultas. Alio autem modo id, cujus magna copia est, ei, quod rarum est. majorem enim usum praebet, & plus est saepe, quam raro. unde dictum est, aquam rerum omnium optimam esse. Omninoque quod difficilius est, praestat faciliori. rarius enim est. At alio modo quod facillius est, difficiliori. Ita enim se habet, ut volumus. Et cui quod adversatur majus est. Et quo privari, majus. Et virtus major est eo, quod virtus non est: & vitium majus eo quod non est vitium. Altera enim fines jam sunt, altera nondum ad finem perducta sunt. Et quorum opera pulchriora, aut turpiora, majora etiam ipsa sunt. Majora sunt etiam, quae a majoribus virtutibus vitiisve proficiscuntur. Quae enim causarum ac principiorum, eadem etiam eorum quae ex ipsis eveniunt, vicissimque quae horum, eadem illorum etiam ratio est. Et quibus excellere majus, aut pulchrius est. Exempli causa, pluris est acutissimo videre, quam sagacissime odorari. nam & visus odoratui praestat. & sodalium amantem esse, quam amantem pecuniae, pulchrius. itaque & studium erga sodales studio pecuniae praestat. Et contra quae meliora, & pulchriora sunt, eis excellere majus est, ac pulchrius. Et quorum cupiditates pulchriores, meliores que sunt. Majora enim quae sunt, majorem commovent appetitionem sui. Et quae pulchriora, ac meliora sunt, eorum pulchriores, ac meliores sunt cupiditates, eandem ob causam. Et quae scire pulchrius est, ac studio dignius, ea quoque ipsa pulchriora, & studio digniora sunt. Quae enim scientiae, eadem veri ratio est. Verum autem illud quod ad se pertinet, scientia quaeque pertractat. Et quae ipsa studio digniora, ac pulchriora sunt, eorum etiam scientia proportione studio dignior, ac pulchrior est, ob eadem illa quae diximus. Et quod majus bonum judicarent, ac judicarunt prudentes vel omnes, vel multi, vel plures, vel praestantissimi, id necesse est ita se habere, aut simpliciter, aut si pro sua prudentia judicarunt. Atque hoc etiam in aliis rebus communiter dici potest. Nam, & quid, & quantum, & quale sit, intelligentium, ac

prudentium judicio ſtandum eſt. ſed nos de bonis modo id diximus. Definitum eſt enim, bonum id eſſe, quod, ſi prudentia rebus ipſis tribueretur, unaquaeque illarum expeteret. ex quo perſpicuum eſt, id quoque majus bonum eſſe, quod prudentia magis expetendum eſſe dictat. Et quod ineſt melioribus, aut ſimpliciter, aut quatenus meliores ſunt. ut fortitudo viribus corporis. Et quod praeoptaret qui melior eſt, aut ſimpliciter, aut quatenus talis eſt: ut injuriam accipere potius quam facere. Id enim juſtiſſimus quisque maluerit. Et quod ſuavius eſt, eo quod minus ſuave. Voluptatem enim ſequuntur omnia: & hoc ipſum voluptate affici propter ſe appetunt. Boni autem, & finis eam eſſe naturam diximus. Suavius autem eſt, cui minus admixtum eſt moleſtiae, & ex quo diuturnior percipitur voluptas. Et quod pulchrius eſt, quam quod minus puchrum. Pulchrum enim eſt, aut quod ſuave eſt, aut quod propter ſe expetendum. Et quorum aut ipſi ſibi, aut amicis cauſſam eſſe ſe malunt, ea majora bona ſunt, quorum autem minime, majora mala. Et diuturniora brevioribus; & ſtabiliora infirmioribus. Superat enim uſus, illorum quidem, tempore: horum autem, voluntate. Firma enim magis eis adſunt, cum volunt. Et quemadmodum fuerit unum ex conjugatis, aut ſimilibus caſibus, cetera etiam conſequuntur. Exempli cauſſa, ſi fortiter, pulchrius, & magis expetendum eſt, quam temperanter, [illegible] quoque magis expetenda eſt, quam temperan[illegible]tem eſſe, quam temperantem. Et quod [illegible] tunt, eo quod non omnes. Et quod plures, eo quod pauciores. Nam bonum eſſe dicebamus, quod omnes expetunt. melius igitur quod magis. Et quod qui controverſantur, aut hoſtes ſunt, aut quorum ea de re judicium eſt, aut quos ipſi recte judicare poſſe judicant. Nam illud quidem perinde eſt, ac ſi omnes ita judicent: hoc autem, ut ſi ii penes quos arbitrium eſt, & intelligentes. Atque interdum quidem id cujus omnes participes ſunt, majus videtur. Ignominia enim quaedam eſt non participare. Interdum autem id, cujus aut nemo, aut pauci. rarius enim eſt. Et quae laudabiliora ſunt, nam eadem ſunt etiam pulchriora. Et quibus majores honores habentur. honos enim quaſi aeſtimatio quaedam eſt. Et quibus majores poenae ſunt conſtitutae. Et

quae

quae majora sunt iis, quae omnium consensu atque opinione magna habentur. Fit etiam, ut quae per partes explicantur, eadem majora videantur. Plurium enim exuperantia videtur. Unde, & poëta persuasisse ait uxorem Meleagro, ut excitaretur, dicentem: *Quaecunque in capta vis cernitur urbe malorum. Intereunt cives. urbem depascitur ignis. Abducunt alii natos, matresque decoras.* Componendo etiam, quasique inaedificando res augentur: ut facit Epicharmus: tum ob eandem causam, qua fit, ut crescant, cum per partes explicantur: videtur enim compositio magnam exuperantiam indicare: tum quia principium & causa magnarum rerum videtur. Quoniam autem quod difficilius est, quodque rarius, majus est: fit, ut occasiones, & aetates, & loca, & tempora, & facultates magnitudinem rebus concilient. Nam & si supra vires, & si supra aetatem, & si supra eos qui ejusdem ordinis sunt, & si hoc modo, aut hoc loco, aut tempore, haec omnia magnitudinem habent, & in rebus pulchris & bonis, & justis, & contrariis. Unde & illud epigramma est in Olympionicen: *Haud ita pridem humeros corbis mihi dura premebat, Ex Argo pisces cum veherem in Tegean.* Et Iphicrates se ipsum depraedicabat his verbis: *Ex quibus ad haec perveni?* Et quod naturale est, adquisito. difficilius enim est. Unde, & poëta dicit: *Ipse ego me docui.* Et maxima pars ejus quod ipsum magnum est. Ut Pericles in laudatione funebri, *Juventutem ex civitate ita sublatam, ut si ver ex anno tollereiur.* Et quae usui sunt in majore indigentia, ut quae in senectute morbisve tribuuntur. Et e duobus quod propius accedit ad finem. Et quod ipsi bonum est, quam quod simpliciter bonum. Et quod fieri potest, eo quod non potest. Illud enim ipsi utile est, hoc non item. Et ea quae in ipso vitae fine sunt. magis enim sunt fines. Et ea quae ad finem accedunt. Et quae ad veritatem referuntur potiora sunt iis quae ad opinionem. Definitio autem ejus quod ad opinionem refertur haec est; quod non optaret quis, si futurum esset, ut lateret. Quocirca & beneficium accipere videri potest magis expetendum, quam tribuere. Nam illud optabit aliquis, etiam si nemo resciturus sit: at beneficium dare qui velit, si futurum sit, ut id omnes lateat, non sane facile reperietur. Et quaecunque esse volunt potius, quam videri,

talia enim magis referuntur ad veritatem. Unde & justitiam pusillum quiddam esse ajunt: quod videri justum, quam esse praestet. At de bona valetudine non idem dicunt. Et quod ad multa utilius est, ut ad vivendum, ad bene vivendum, ad voluptatem, ad res pulchras gerendas. Unde, & opes, & bona valetudo in maximis rebus habentur: omnia enim haec in se continent. Et cui minus molestiae adjunctum est: & cui comitatur voluptas. Plura enim sunt uno: cum & voluptas bonum sit, & doloris vacuitas. Et e duobus id quod eidem adjectum, totum ipsum efficit majus. Item quae cum adsunt non latent, majora iis quae latent. Ea enim tendunt ad veritatem. Quocirca divitem & esse, & videri, majus bonum videri potest, quam divitem esse Et quod carum, & amabile est, huic quidem solum, aliis autem non solum. Quocirca non par poena legibus constituta est, si quis oculum effodiat ei, qui unicum habet, & si ei qui duos. Illi enim ablatum est, quod unum ac solum carum habebat. Unde igitur ducenda argumenta sint & ad suadendum, & ad dissuadendum, fere dictum est.

c. XIX. Maximum autem, & potentissimum ad persuadendi facultatem, & ad bene dandum consilium est, formas omnes rerumpub. animo comprehensas habere; & cujusque mores, & leges, atque instituta, & quid cuique earum utile sit, posse distinguere. Parent enim omnes ei, quod utile est. Utile autem est id, quod conservat reip. statum. Praeterea ratum est, & dominatur in civitate id, quod pronuntiaverint ii penes quos summa rerum est. Varium autem id est pro varietate rerum publicarum. quot enim reipublicae genera sunt, totidem sunt ea quae in quaque dominantur. sunt autem reip. genera quatuor; populi potestas, dominatus paucorum, potestas optimatium, & monarchia. Itaque quod in civitate dominatur, ac decernendi potestatem obtinet, horum aut aliqua pars, aut totum aliquid sit, necesse est. Status autem popularis est respub. in qua sorte distribuuntur magistratus. Paucorum potestas, in qua ex censu. Optimatium, in qua ex institutione, & disciplina. Institutionem autem eam dico, quae lege constituta est. Qui enim constanter manserunt in iis quae legibus constituta sunt, in potestate optimatium imperant. Necesse est autem eos optimos videri, unde & status ille nomen hoc con-

Digitized by Google

consecutus est. Monarchia autem est, ut nomine ipso indicatur, in qua penes unum sunt omnia: eaque vel regnum, si certo ac definito ordine res gubernentur, vel, si infinite, atque interminate (*) omnia uni permissa sunt, tyrannis. Neque ignorandus est suus cujusque reipub. finis. ea enim sectantur, quae ad finem pertinent. Est autem populari quidem statui propositus finis, libertas: paucorum dominatui, divitiae: optimatium potestati ea quae ad institutionem, & ad observationem eorum quae legibus sancita sunt, pertinent Regno ex legibus praeesse: tyrannidi cautio, ac custodia. Constat igitur, distinguendum esse, qui mores, quae leges cuique earum conveniant: quaeque cuique utilia sint: quando ad eum finem omnia referentes, singula persequuntur. Ac quoniam non ea tantum oratione fit fides, quae argumentis nititur, sed etiam ea qua dicentis mores exprimuntur: credimus enim, quod talem esse eum qui dicit opinamur, id est, virum bonum, aut benevolentem, aut utrumque: nobis quoque tenendi sunt mores cujusque civitatis. nam in quacunque rep. mores ipsius maximam vim ad persuadendum habeant, necesse est. Illi vero qui sint, ex iis ipsis, quae supra diximus, intelligetur. Nam mores quidem facile cognoscuntur ex iis quae quis in rebus agendis potiora judicat. delectus autem ille, & consilium ad finem refertur. Quaenam igitur sibi proponere debeant ii, qui suadent ut futura, aut quae jam sint: & unde sumenda sint, quibus fides fiat aliquid utile esse, itemque de moribus, & institutis cujusque reipub. quomodo uberem eorum cognitionem nobis parare possimus, dictum est, quantum temporis ratio postulare videbatur. accuratius enim de hoc toto genere in politicis disputatum est.

c. xx. Sequitur nunc, ut de virtute, & vitio, deque pulchro, ac turpi disseramus. hi enim fines propositi sunt laudanti, & vituperanti. Nam his de rebus disputantes, eadem opera ostendemus, quomodo consequi possimus, ut qui audiunt, nos ita moratos esse judicent: quam faciendae fidei secundam rationem esse dicebamus. Eadem enim sunt quibus, & nobismet ipsis, & alii fidem ex opinione virtutis conciliare poterimus. Quoniam autem evenit, ut & joco, & serio saepe laudemus non ho-

(*) Hoc adverbio nemo Latinorum usus est.

hominem modo, aut Deum, ſed & inanima, & animal quodlibet: eodem modo nobis pronuntiata quaedam de eis tenenda ſunt. Itaque quantum ad rem judicandam ſatis eſt, de iis quoque dicamus. Pulchrum igitur eſt, quod cum propter ſe expetendum ſit, laudabile eſt Aut quod, bonum cum ſit, jucundum eſt eo ipſo quod bonum. Quodſi id pulchrum eſt, neceſſario efficitur, virtutem pulchrum quiddam eſſe. eſt enim & bonum quiddam, & laudabile. Virtus autem eſt, ut videtur, facultas parandi, & conſervandi ea quae bona ſunt, & facultas multa, magnaque beneficia tribuendi, idque ad omnia manat, ac pertinet. Partes autem virtutis, juſtitia, fortitudo, temperantia, magnitudo animi, liberalitas, clementia, prudentia, ſapientia. Neceſſe eſt autem eas maximas eſſe virtutes, quae aliis utiliſſimae ſunt: ſi quidem virtus eſt facultas benefaciendi. Atque haec cauſſa eſt, cur juſti ac fortes maximo in honore ſint. altera enim in bello utilis eſt, altera in pace. Deinde liberalitas. projiciunt enim pecuniam liberales, neque de ea dimicant: quam ceteri concupiſcunt. Eſt autem juſtitia quidem virtus, qua fit, ut ſuum quisque ex legis praeſcripto teneat. Injuſtitia vero, qua aliena praeter legem detinentur. Fortitudo autem, qua prompti ſunt ad pulchra facinora in periculis edenda, & ut lex jubet: cujus ad juſſa perpetuo parati ſunt. Huic timiditas adverſatur. Temperantia virtus, qua ad voluptates corporis ita affecti ſunt, ut lex jubet. Huic adverſatur intemperantia. Liberalitas, quae pecuniis ad benefaciendum utitur. illiberalitas autem contra. Magnitudo animi, quae in rebus magnis ad aliorum beneficium pertinentibus cernitur. Magnificentia, quae in ſumptibus faciendis magnitudinem, ac ſplendorem ſequitur. Eis autem adverſatur parvus, & anguſtus animus, & ſordida quaedam in ſumptu faciendo parſimonia. Prudentia autem virtus eſt mentis, qua fit, ut bene deliberare poſſint de bonis malisque rebus, quas diximus ad beatam vitam pertinere. De virtute igitur ac vitio univerſe, itemque de utriusque partibus, quantum huic inſtituto ſatis eſt, diximus. Quibus cognitis, non magna erit in ceteris difficultas. Conſtat enim, & ea quae virtutis efficientia ſunt, neceſſario pulchra eſſe: ad virtutem enim tendunt: & ea quae a virtute proficiſcuntur. Talia autem ſunt tum ſigna virtutis, tum opera. Quando autem ſigna, & quaecunque

Digitized by Google

que talia sunt, quae quis ex virtute aut fecit, aut excepit, ac perpessus est, pulchra sunt, necesse est, tum quaecunque fortitudinis, aut opera, aut signa, aut fortiter facta sunt, pulchra esse: tum quae justa, & quae juste facta: non etiam quae quis juste perpessus est. In hac enim una ex omnibus virtutibus non semper pulchrum est, juste aliquid excipere, ac perpeti: immo vero poena juste affici turpius est, quam injuste. Et in ceteris virtutibus eodem modo. Pulchra sunt etiam ea, quibus pro praemio propositus est honos. Et quibus honos magis quam pecunia. Et quae cum expetenda sint, non sua causa quis facit. Et quaecunque quis, propria utilitate neglecta, pro patria fecit. Et quae simpliciter bona sunt. Et quorum fructus non ad ipsum pervenit qui ea facit. Talia enim videtur causa sua facere. Et quae mortuo potius quam vivo tribui solent. Nam quae vivo tribuuntur, magis est, ut ea sua quisque causa suscipere videatur. Et quaecunque opera ad aliorum commodum pertinent. minus enim ea referre ad se is qui agit videtur. Et quaecunque beneficentiae munera in alios exercentur, ita ut ad ipsum non pertineant. Et quae in eos, qui beneficio provocarunt. justum enim est. Et beneficia. non enim ad eum, qui dat, pertinent. Et contraria illorum, propter quae erubescunt. Turpia enim, & dicentes, & facientes, & meditantes erubescunt. Quod & Sappho ostendit his versibus. cum enim dixisset Alcaeus: *Fari volo: sed me prohibet pudor.* illa ita respondit: *Si quidquam honesti mens ferat, ac boni: Nec lingua quidquam turpe paret tua: Nullo impedireris pudore, Sed facile eloquerere honesta.* Et ea pro quibus sine ullo timore decertant. ita enim afficiuntur, ubi quid agitur eorum, quae ad gloriam ferunt. Et quae natura praestantiora sunt, eorum virtutes, & opera pulchriora; ut viri quam mulieres. Et quorum fructus ad alios potius, quam ad ipsos, pervenit. Unde & quod justum est, & justitia pulchrum quiddam est. Et ab inimicis poenas sumere potius, quam cum eis transigere. Nam, & justum est, quod acceperis, vicissim referre: justum autem quod est, pulchrum est: & fortis animi est non vinci. Et victoria, & honos in rebus pulchris sunt. Nam & expetenda sunt, cum fructum nullum afferant, & virtutis exuperantiam ostendunt. Et quae facile in hominum memoria haerent. Et

quo

Digitized by Google

quo quidque magis tale est, eo pulchrius. Magis autem ea quae etiam mortuum sequuntur. Et quibus honos conjunctus est. Et quae eximia sunt, quaeque unius propria, pulchriora. Facilius enim in memoria haerent. Et possessiones, ex quibus nullus fructus percipitur. sunt enim liberaliores. Et quae proprie apud quemque populum pulchra habentur: & quaecunque signa sunt eorum, quae apud quosque laudantur. Ut Lacedaemone comam alere pulchrum est. Libertatis enim signum est: quoniam facile non est, ut quisquam cui prolixa (*) coma sit, ullum servile munus obeat. Et nullam artem fordidam exercere. liberi enim hominis, est, non vivere aliis servientem. Sumere etiam oportet quae vicina sunt iis quae in quoque insunt, tanquam eadem sint: idque tum ad laudem, tum ad vituperationem. Ut eum qui cautus, & in rebus gerendis frigidus est, timidum, & insidiatorem: eum qui fatuus est, virum bonum: eum qui nihil sentit, lenem: ac denique ea quae quemque consequuntur, semper in meliorem partem detorquebimus. Ut iracundum, ac furiosum, simplicem vocabimus: arrogantem, magnificum ac gravem: & eos qui modum transeunt, tanquam virtutibus praeditos. Ut audacem vocabimus fortem, & prodigum, liberalem. Nam & multis ita videbitur: & vim habet subdolae, ac fallacis conclusionis ex causa. Si enim extra ullam necessitatem ad subeunda pericula promptus est, multo magis videri potest eodem animo, ubi id honestas exigit. & si sua quibuslibet dilargitur, multo magis amicis. Est enim quaedam praestantia virtutis, omnibus benefacere.

c. XXI. Videndum etiam illud est, apud quos laudemus. Ut enim Socrates dicebat, audientibus Athenienssibus Athenienses laudare, difficile non est. Ac quae apud quosque magni fiunt, de eis ita disserendum, ac si magni facienda essent. ut inter Scythas, aut Lacedaemonios. Omninoque quod in pretio est eo perducere, ut & pulchrum sit. Videntur enim haec vicina esse. Et quaecunque ita ut conveniebat gesta sunt. Ut si quis digna majoribus suis gessit, & iis ornamentis quae prius in ipso inerant. Nam, & in magna felicitatis parte ponen-

(*) Muretum decepit prava lectio Terentii Heaut. II. 3. 49. *capillus prolixus*. ubi meliores libri recte habent: *capillus promissus*. Vide Bentlejum.

nendum', & honeſtum eſt, relictam ſibi a majoribus, aut a ſe antea partam gloriam aliqua acceſſione cumulare. Et ſi quid melius, ac pulchrius actum eſt, quam convenire videbatur. Ut ſi quis in proſperis quidem rebus moderato, in adverſis magno, & excelſo animo, aut potentior effectus, tanto aequior, ac placabilior fuerit. Quale eſt illud Iphicratis: *Ex qualibus ad qualia perveni?* & illud Olympionicae: *Haud ita pridem humeros corbis mihi dura premebat.* Et illud Simonidae: *Quae patremque virumque & fratres nacta tyrannos.* Quando autem laus ex actionibus oritur: proprium autem eſt viri boni, conſulto agere; conandum eſt, ut quod actum eſt, conſulto actum eſſe doceamus. Quam ad rem utile fuerit, ſi quis idem ſaepius egiſſe videatur. Quocirca & ea quae contigerunt, quaeque fortuito evenerunt, ita ſumenda ſunt, ac ſi conſulto facta ſint. Nam ſi multa, & conſimilia proferantur, id argumentum virtutis videbitur, & tale, ut ex eo colligatur, conſulto facta eſſe. eſt autem laus oratio, quae magnitudinem virtutis declarat. oſtendendum igitur eſt, tales eſſe actiones. Encomium autem operum eſt. ea vero quae extra ſunt, adſumuntur ad fidem: ut nobilitas, ut educatio. Conſentaneum enim eſt, ex nobis bonos oriri, & eum qui ita nutritus ſit, talem eſſe. Quocirca etiam encomiis celebramus eos qui jam aliquid tale geſſerunt. Nam quo quisque ſit animi habitu, operibus judicatur. Etenim eum quoque laudaremus qui nihil tale fecit: ſi certo talem eſſe eum crederemus. Jam macarismos, & eudaemonismos (ſignificatur his vocibus oratio, qua quempiam, ut felicem ac beatum deprædicamus) illa igitur ſunt quidem inter ſe eadem. ſed alia ab iis, de quibus modo explicatum eſt. Nam ut virtutem felicitas continet, ſic illa in eudaemonismo continentur.

c. XXII. Communis autem forma, ac ratio videtur laudis, & conſilii. Nam quae in conſilio dando praeciperes, ea, mutato tantum orationis genere, encomia fiunt. Quando igitur quae facere & qualem eſſe virum bonum oporteat, tenemus: haec quaſi praecepta tradentes, inflectere, atque immutare oportet ipſo genere dicendi. Exempli cauſa. Magno quemque, & excelſo animo eſſe oportet, non fortunae bonis fretum, ſed ſuis. Hoc ita dictum praecepti vim habet. laudis autem, hoc modo: Magno, & excelſo animo eſt, non fortunae bonis fre-

Digitized by Google

fretus, sed suis. Itaque cum quempiam laudare vis, vide, quid ei praecipiendum, & cum praecipere, quid laudandum. Genus autem dicendi necessario aliud, atque aliud erit: cum oratio qua quid vetatur, in eam qua nihil vetatur commutata fuerit.

c. XXIII. Utendum est etiam multis eorum, quae ad augendum valent: ut si solus, aut primus, aut cum ejus facti socios non multos habeat, aut si maxime, ac praecipue aliquid gesserit. Omnia enim haec pulchra sunt. Ex temporibus quoque, & rerum momentis ad laudandum multa ducuntur. Ut si quid fecit supra quam ab eo expectari posse videbatur: & si saepe eadem in re bene se gesserit. Magnum enim, neque fortuito, sed ipsius virtute, atque industria factum videtur. Et si quae ad incitandum, aut honorandum valent, hujus causa reperta, ac comparata sunt. ut in quem primum encomium factum est: quod Hippolocho contigit: & ut primis Harmodio, & Aristogitoni statuae sunt in foro positae. Eademque in contrariis ratio est. Quodsi ex eo ipso quem laudas, satis tibi multa non suppetant, comparandus erit cum aliis. quod faciebat Isocrates; ut qui tractandis judiciis assuetus foret. Cum illustribus autem comparare oportet. Amplum enim quiddam, & praeclarum est, praestare praestantibus viris. Accommodata est autem amplificatio ad laudes. nam in exuperantia est. exuperantia vero e genere pulchrorum est. Quare si cum illustribus non liceat, certe tamen cum aliis comparare oportet: cum exuperantia ipsa virtutem indicare videatur. Omnino autem formarum quae omnibus orationum generibus communes sunt, amplificatio quidem epidicticis accommodatissima est. Actiones enim sibi ad tractandum sumunt eas, de quibus nulla dubitatio est: ut nihil aliud requiratur, quam ut augeantur, & exornentur. Exempla autem deliberativis. nam ex praeteritis tanquam vaticinantes, de futuris judicamus. Enthymemata vero judicialibus. Causam enim, & demonstrationem maxime recipit id quod actum est, cum obscurum sit. Unde igitur laudes, ac vituperationes omnes fere ducuntur; & in quae intueri oportet eos qui laudant ac vituperant, & unde tum encomia, tum probra oriuntur, haec fere sunt. His enim cognitis, etiam contrariorum natura perspici potest. Ex contrariis autem vituperandi argumenta sumuntur.

C. XXIV.

Digitized by Google

c. XXIV. Sequitur nunc, ut explicemus, in accusando, & defendendo unde syllogismos erui oporteat. Considerandа autem sunt tria; unum, quae quotque sint ea, quibus ad inferendam injuriam impelluntur: alterum, quomodo ipsi affecti: tertium autem, quibus, & quomodo affectis. Explicemus igitur haec deinceps, si prius definierimus, quid sit injuriam facere. Sit igitur, injuriam facere, sponte laedere adversus legem. lex autem alia propria est, alia communis. Voco autem propriam quidem, ex qua scripto comprehensa remp. administrant. Communem, quaecunque sine scripto probari omnium gentium consensu videntur. sponte autem faciunt, quaecunque scientes, & non coacti. Non autem quaecunque sponte eadem & consulto faciunt: at quicquid consulto, idem scientes. Nemo enim id ignorat, quod consulto facere instituit. Cur autem laedendi, & male faciendi adversus legem consilium capiant, duo haec sunt, improbitas, & incontinentia: Qui enim vitium aliquod habent, aut unum, aut plura, qua in re vitiosi sunt, in ea sunt etiam injusti. Ut avarus in pecuniis, intemperans in voluptatibus corporis, mollis in ignavia, timidus in periculis: metu enim adducti, socios periculi deserunt. Ambitiosum honos, facilem ad irascendum ira, victoriae cupidum victoria, amarum, & injuriae memorem ultio, stultum error in dijudicando justo, & injusto: impudentem existimationis contemptus ad imponendam injuriam impellit: eodemque modo qui ceteris vitiis laborant, ad quod quisque fertur, id eum ad injuriam adducit. Sed haec quidem facile intelligi possunt, tum ex iis quae de virtutibus dicta sunt, tum ex iis quae de permotionibus animi suo loco dicturi sumus.

c. XXV. Reliquum est, ut dicamus, cujus rei causa, & quomodo affecti, & quos injuria afficiant. Primum igitur exponamus, quarum rerum aut appetitione, aut fuga ad faciendam injuriam aggrediantur. Constat enim, accusanti quidem diligenter videndum, quae, & cujusmodi ex iis in adversario insint, quorum cupiditate homines injuriam aliis faciunt: defendenti autem, quae, quamque multa non insint. Omnes autem omnia faciunt, partim per se ipsos, partim non per se ipsos. Atque eorum quidem quae non per se ipsos, alia fortuito, alia necessario. Eorum autem quae necessario, alia quidem per vim; alia

alia autem natura. Quare omnia quae non per se ipsos agunt, alia quidem fortuito, alia natura, alia autem per vim. Quaecunque autem per se ipsos, quorumque ipsi caussae sunt, alia quidem consuetudine, alia vero appetitione. eorumque partim appetitione rationis participe, partim rationis experte. Est autem voluntas quidem appetitio boni cum ratione conjuncta. nemo enim aliud vult, quam quod bonum putat. Appetitiones autem rationis expertes, ira & cupiditas Ita quaecunque homines agunt, ob unam, e septem caussis agant necesse est: fortunam, vim, naturam, consuetudinem, rationem, iram, cupiditatem. Ulterius autem ac minutius ea distinguere, ut pro aetatum aut habituum animi, aut aliarum rerum varietate, supervacaneum est. Non enim si evenit juvenibus ut iracundi sint, utque cupiditatibus efferantur, iccirco caussa est juventus cur talia faciant, sed ira & cupiditas Neque divites, & egentes propter divitias, aut paupertatem talia faciunt: sed his quidem propter indigentiam evenit, ut pecuniam, illis autem propter facultates, ac copias, ut voluptates non necessarias concupiscant. sed hi quoque agunt, non divitiis, aut paupertate impulsi, sed cupiditate. sic & justi, injustique, & alii qui ex habitibus nominantur, iisdem impulsi caussis agunt omnia. aut enim ratiocinatione, aut motu animi. sed illi quidem bonis moribus, bonisque animi motibus, hi autem contrariis. Evenit autem, ut habituum varietatem consimiles animorum motus consequantur. Ut, ne longius abeamus, in eo qui temperans est, ipsa fortasse temperantia bonas opiniones, bonasque cupiditates excitat de voluptatibus: intemperantis autem iis ipsis de rebus contraria judicia sunt. Quare tales quidem divisiones praetermittendae sunt: considerandum autem est, quae quosque consequi soleant. Nam albus quidem, an ater sit aliquis, & procero, an exiguo corpore, nihil ad hanc rem interest: neque definiri possunt ullae morum varietates, quae ullas corporum dissimilitudines consequi soleant. At juvenis si quis, an senex, justus, an injustus: hoc jam interest. Omninoque quaecunque ita eveniunt, ut varient mores eorum quibus eveniunt. Exempli caussa, interierit, dives sibi quis, an pauper esse videatur, & adversa, an prospera fortuna uti. Haec igitur postea perseque-

Digitized by Google

quemur. Nunc de reliquis primum disseramus. Fortunae tribuuntur ea; quorum indefinita caussa est, quaeque non certae alicujus rei caussa fiunt, neque semper, neque plerumque, neque ordinatim. de his autem ex ipsa fortunae definitione constat. Naturae, quorum & in ipsis caussa est, & ordinatim. aut enim semper, aut plerumque eodem modo eveniunt. si quidem quae eveniunt praeter naturam, ea accurate considerare nihil necesse est, naturane, an aliquam aliam ob caussam eveniant. Videri autem potest & fortuna talium caussa esse. Ut fiunt, quae qui faciunt, contra quam cupiunt, aut contra quam faciendum esse statuunt, faciunt. Consuetudine, quae eo faciunt, quia saepe fecerunt. Judicio autem & inductione animi, quaecunque ex iis quae bona esse diximus, utilia sunt, aut ut finis, aut ut pertinentia ad finem: si quia prosunt, iccirco fiunt. Quaedam enim utilia etiam intemperantes faciunt: cum tamen in eis non utilitatem, sed voluptatem sequantur. Per excandescentiam autem, & iram ea, quae ad ultionem pertinent. Interest autem inter ultionem. & castigationem. Nam castigatio quidem refertur ad bonum ejus, qui eam excipit: at ultio ad eum, qui poenas exigit: ut animus ipsi expleatur. Quae igitur circa res versetur ira, constabit ex iis, quae suo loco de motibus animorum dicturi sumus. Per cupiditatem autem fiunt, quae suavia videntur. Est autem id quoque cui assuevimus, inter suavia. Multa enim etiam eorum quae natura suavia non sunt, ubi eis assueverunt, cum voluptate faciunt. Denique, ut omnia summatim complectamur, quaecunque per se homines faciunt, aut bona sunt, aut videntur bona, aut suavia, aut videntur suavia. Quando autem quae per se faciunt, sponte faciunt? non sponte autem quae non per se: sequitur, ut omnia quae sponte faciunt, aut bona sint, aut videantur bona, aut suavia sint, aut suavia videantur. Pono enim in bonis etiam depulsionem malorum, aut eorum quae videntur mala: itemque commutationem majorum in minora. haec enim quodammodo expetenda sunt. Itidemque liberationem ab iis, quae aut molesta sunt, aut videntur: aut majorum in minora commutationem, in rebus jucundis numero comprehendendum igitur est, quot quaeque sint tum utilia, tum suavia. Ac de utili quidem dictum est prius in deliberativis. De suavi autem

jucundum eſt ejus recordari, eumque quodammodo intueri, & quae faceret, & qualis eſſet. unde & illud dictum eſt: *Sic ait: & cunctis lugendi incuſſit amorem.* Dulce etiam eſt ulciſci ſe. Nam quod non conſequi moleſtum eſt, id conſequi dulce eſt. Qui autem iraſcuntur, ſi doloris ſui poenas repetere non poſſint, incredibiliter cruciantur animo: gaudent autem ſpe ultionis. Jucundum eſt & vincere, non iis modo qui victoriae cupidi ſunt, ſed omnibus. Nam qui vincit, hoc ipſo ſibi ſuperior videtur: quod quidem omnes cupiunt, aut remiſſius, aut vehementius. Quando autem vincere jucundum eſt: neceſſe eſt, ſuaves etiam eſſe luſus in quibus decertatur, in quibus tibia canendo, diſputandove contenditur. frequens enim in eis victoria eſt. & ludos talorum, & pilae, & aleae, ac teſſerarum. Idemque dicendum eſt de ludis paulo ſeverioribus. Nam eorum quidam adhibita conſuetudine jucundi fiunt, quidam ſtatim jucundi ſunt. Ut venatio omnisque ars captandi feras. Ubi enim certamen eſt, ibi & victoria. Unde, & cauſarum judicialium, & contentioſarum diſputationum jucunda tractatio eſt iis, qui aſſueverunt, quique in eis valent. Honos quoque & bona exiſtimatio e numero ſunt rerum ſuaviſſimarum. talem enim ſe quisque putat, qualem haberi videt: & magni pretii eſſe: eo magis, ſi id dicunt ii, quos ipſe vere ſentire arbitratur. Tales autem ſunt vicini magis, quam qui procul habitant: & qui una verſantur: & noti, & cives magis, quam externi: & qui ſunt, quam qui futuri ſunt: & prudentes, quam imprudentes: & multi, quam pauci. Ab eis enim veriſimilius eſt vera dici. Quos autem quis valde contemnit, ut puerulos, ac beſtias, quo in honore, quave exiſtimatione apud eos ſit, non laborat: ipſius quidem exiſtimationis gratia: ſed, ſi forte, ob aliud quippiam. Eſt & amicus in rebus jucundis. Nam & amare dulce eſt: nemo enim vinum amat, quin vino gaudeat: & amari. In eam enim opinionem adducitur qui ſe amari videt, ut bonum ſe putet: quod omnes qui ejus rei ſenſum aliquem habent, concupiſcunt. Amari autem eſt, ipſum propter ſe carum haberi. Jucundum eſt, & admirationi eſſe: quoniam id quoque ipſum honori eſt. Sed & adulatione permulceri jucundum eſt, & adulator ipſe jucundus. Speciem enim praebet admiratoris, & amici. Et eadem cre-

bro

Digitized by Google

bro facere dulce est. cui enim assuevimus, id suave esse dicebamus. Et alia ex aliis mutare dulce. Mutando enim ad statum naturae convenientem perducimur: perpetuaque eodem in statu permansio superat habitum naturae consentaneum. Unde dictum est illud: *Rerum omnium jucunda commutatio est.* Propterea enim, & homines, & res ipsae jucundae intervallo temporis fiunt. mutatio enim illa quaedam est ex praesenti: simulque quod interjecto tempore fit, id raritas ipsa commendat. Et discere jucundum est: & admirari plerumque. Nam in admiratione inest quaedam discendi cupiditas. Itaque quod admirabile est, commovet etiam cupiditatem sui: discendo autem constituitur animus in statu naturae consentaneo. Et beneficium tribuere, & accipere, jucundum est: nam qui beneficium accipiunt, consequuntur id quod volunt: qui autem tribuunt, ostendunt se habere, & superiores esse: quae utraque homines appetunt. Ac quoniam jucundum est bene aliis facere, fit, ut jucundum quoque sit, alios corrigere: & inchoata perficere; itemque cum suave sit discere, & admirari: necesse est, ut & jucunda sint ea, quibus imitatio aliqua continetur. qualia sunt pictorum, & statuariorum, & poëtarum opera: & quicquid denique bene, ac scienter imitatum est: etiam si res ipsa, quae imitando effecta est, jucunda non sit. Non enim eo gaudet: sed quia ratiocinando colligit, hoc illud esse: ex quo evenit, ut aliquid discat. Et ancipites variique casus, & servari ex periculis quae propemodum oppresserint: omnia enim haec admirationem habent. Quando autem quod naturae convenit, suave est: & quae ejusdem generis sunt: ut homo homini, equus equo, juvenis juveni. Unde ducta sunt & proverbia: *Aequalis aequalem delectat:* &, *Ut semper similem:* &, *Leo leonem novit, & lupus lupum.* et, *Graculus graculo*, & quaecunque alia ejusmodi sunt. Quoniam autem quicquid simile, & ejusdem generis est, idem jucundum est: & ita quisque maxime affectus est ad semet ipsum: necesse est omnes aut magis, aut minus sui amantes esse. omnia enim haec maxime insunt cuique erga semet ipsum. Et quando omnes sui amantes sunt: necesse est, sua cuique jucunda esse: ut opera, ut orationes. Quocirca & adulatorum amantes plerumque sunt, & eorum a quibus amantur: & honoris, & liberorum.

ſui enim cujusque libri, ipſius opera ſunt. Et inchoata perficere ſuave eſt. ipſorum enim jam opus ſit, a quibus perficitur. Et quoniam imperare ſuavisſimum eſt, ſapientem etiam videri ſuave eſt. Sapere enim quiddam eſt aptum ad imperandum. Eſt autem ſapientia, multorum, & admirabilium ſcientia. Praeterea quia plerique omnes honoris ſtudio tenentur, neceſſe eſt, ut & alios reprehendere jucundum ſit. Itemque in quo quis excellit, in eo tempus ponere. quemadmodum & Euripides ait: *Namque urget illud quisque, & in illo temporis Ponit diurni maximam partem libens, In qua ipſemet ſe vincit, ac praeſtat ſibi.* Similiter autem, cum luſus jucundus ſit, omnisque animi remiſſio, & riſus: neceſſario fit, ut ridicula omnia jucunda ſint, & homines, & facta. Diſputatum autem eſt ſeparatim de ridiculis in libris de poëtica. Haec igitur de ſuavibus dicta ſint: ex quibus & moleſta, quae eis adverſantur, facile intelliguntur. Atque haec ſunt, quibus adducti homines injuriam faciunt.

C. XXVI. Quomodo autem affecti & quos praecipue petant, nunc explicemus. Adducuntur igitur ad faciendam injuriam, cum putant rem & effici, & a ſe effici poſſe: ſive ſperant fore, ut cum fecerint, lateant: ſive ut, re detecta, impune abeant: ſive ut poena minor ſit lucro, quod vel ipſi conſecuturi ſunt, vel ii quos amant. Quaenam igitur fieri poſſe videantur, quae minus: in ſequentibus explicabitur. Haec enim communia ſunt omnium rhetorices partium. Sperant autem, poſſe ſe poenam, cum quid injuſte fecerint, effugere ii maxime, qui dicendo valent, qui in rebus agendis verſati ſunt, multaque ejusmodi certamina obierunt. Tum qui amicis abundant, quique opibus. Et maxime quidem, ſi ea quae diximus habeant ipſi: ſin minus, ſi tales amicos habeant, aut miniſtros, aut participes ſceleris. His enim omnibus fit, ut & facere poſſint, & latere, & poenam effugere. Et ſi amici ſint, vel iis ipſis, quos injuria afficere meditantur, vel judicibus. Nam amici & minus ſibi cavent ab injuria, &, ea accepta, tranſigunt potius, quam ut eam judicio perſequantur. Judices autem gratificantur iis, quibus amici ſunt, eosque vel omnino abſolvunt, vel certe levem eis poenam imponunt. Ad laedendum autem apti ſunt primum ii, quorum ipſa condi-

tio

tio crimini adverſari videtur, ut, ſi qui infirmo corpore eſt, accuſetur, quod alium verberarit, aut pauper, & deformis adulterii poſtuletur. Ea quoque facile ſuſcipiuntur, quae valde in aperto ſunt, & ante oculos poſita. nemo enim ea ſollicite cuſtodit: propterea quod neminem prorſus putant ita audacem fore. Et quae tanta, ac talia ſunt, ut ea nemo adhuc aggreſſus ſit: ab eis enim ſibi cavet nemo. omnes ſi quidem, ut a morbis, ſic ab injuriis uſitatis cavent ſibi: quo autem morbo nemo adhuc laboravit, ab eo ſibi cavendum nemo putat. Et quibus nemo inimicus eſt, & quibus multi. nam illi quidem ſperant fore ut lateant; quoniam ſibi ab eis nemo cavet: hi autem, & latent, quia neque videntur facile quenquam aggreſſuri fuiſſe: cum ſibi ab eis omnes caverent: & paratam habent excuſationem, nunquam ſe id aggredi auſuros fuiſſe. Et quibus facile eſt occultare quod ſurripuerunt, aut mutata forma, aut loco, aut id facile vendere. Et qui, etiam ſi non latuerint, poſſunt a ſe periculum judicii depellere, aut in longum tempus differre, aut judices corrumpere. Et qui, ſi multati ſint, poſſunt multae ſolutionem repellere, aut in longum differre: aut propter paupertatem nihil habent quod amittant. Et quibus lucra quidem aperta, & manifeſta ſunt, aut magna, aut in propinquo: multae autem aut parvae, aut obſcurae, aut quae in longum diem differantur. Et id, quo perfecto, nulla poena par emolumento eſt. quale quiddam habere tyrannis videtur. Et quibus injuſte facta, quaeſtui, poenae autem probro tantum ſunt. Contraque quibus injuſte facta laudis etiam aliquid afferunt: ut ſi eadem opera quis patri, matrive factas injurias ulciſcatur: quod Zenoni contigit: poenae autem aut pecunia, aut exilio, aut aliqua ejusmodi re luuntur. Utrique enim, & utroque modo affecti facile ad inferendam injuriam adducuntur: niſi quod non fidem, ſed qui moribus ſunt inter ſe contrariis. Et qui ſaepe aut latuerunt, aut poenas non dederunt. Et qui ſaepe fruſtra tentarunt aliquid efficere. Sunt enim, ut in rebus bellicis, ſic in his quidam eo ingenio, ut denuo pugnent. Et quibus voluptas luerumve praeſens proponitur, quod autem dolorem inurit, aut damno eſt, aut in diem. tales enim ſunt incontinentes. Incontinentia autem in iis omnibus rebus eſt, quae appetuntur. Et quibus contra, in praeſentia quidem

excipiendum eſt aliquid moleſti, quodve detrimento ſit: ſed voluptas, aut utilitas poſtea conſecutura, ac diuturnior futura eſt. continentes enim, & prudentiores talia perſequuntur. Et quae videri posſunt fortuito fecisſe, aut neceſſitate, aut natura, aut conſuetudine: & omnino per errorem non injuriae faciendae animo. Et qui ex bono & aequo ſecum actum iri ſperant. Et qui rei alicujus indigentes ſunt. Indigent autem duobus modis: aut neceſſariis, ut pauperes: aut ſupervacaneis, ut opulenti. Et qui aut in valde bona exiſtimatione ſunt, aut magna infamia laborant: illi quidem, quod nemo facile creditu-rus ſit, eos tale quid fecisſe: hi vero, tanquam nihilo majore infamia futuri. Ita igitur affecti homines aggrediuntur injuriam facere. hos autem praecipue petunt, quos dicemus, & iis in rebus, de quibus dicemus.

c. xxvii. Eos qui habent ea, quorum ipſi indigent vel ad neceſſitatem, vel ad abundantiam ſupervacaneam, vel ad voluptatem fruendam. Et eos qui procul abſunt, & eos qui in proximo ſunt: nam his quidem cito aliquid eripere, illi vero non cito ſe ulciſci queunt. Exemplo ſunt ii, qui Carthaginienſes depraedantur. Et eos qui ſibi non cavent, neque diligentes ſunt in ſe, ac rebus ſuis tuendis. hos enim latere facile eſt. Et remiſſos ac negligentes. Solliciti enim hominis eſt injurias ſuas perſequi Et verecundos. neque enim facile adducuntur, ut de lucro contendant. Et eos qui a multis injurias acceperunt, neque tamen eas perſecuti ſunt: tanquam qui ſint, ut in proverbio eſt, *Myſorum praeda.* Et quos nunquam, & quos ſaepe laeſerunt. utrique enim negligentes ſunt in cavendo: cum illi nunquam ab eis laeſi ſint: hi autem non jam amplius ſe laeſum iri putent. Et qui accuſati alias ſunt, aut accuſari facile posſunt. hi enim neque judicio experiri volunt, cum judices metuant: neque eis fidem facere posſunt, quo ex genere ſunt, qui inviſi ſunt, & ii quibus invidetur. Et eos adverſus quos praetendere aliquid posſunt, ut quod aut majores eorum, aut ipſi, aut eorum amici, aut laeſerint, aut laedere voluerint vel ipſos, vel majores, vel eos quorum ipſi curam habent. atque id eſt, quod proverbio dicitur: *Colore tantum malitia aliquo indiget.* Et amicos, & inimicos. nam illos quidem facile eſt, hos vero ſuave. Et eos qui amicis carent. Et eos qui neque in dicendo, ne

que

que in rebus agendis valent. Aut enim ne aggrediuntur quidem injuriam ſuam perſequi, aut tranſigunt, ac decidunt, aut nihil efficiunt. Et eos quibus operae non eſt tempus conterere expectantes, dum aut judicetur, aut multa ſolvatur: cujus generis ſunt hoſpites, & qui victum ſibi induſtria ſua comparant. Tales enim, & parvo abſolvuntur, & facile ſedantur, ac conquieſcunt. Et eos qui multas injurias fecerunt: aut tales, quales ipſi nunc accipiunt. Prope enim eſt, ut ne injuria quidem eſſe videatur, cum quis in eo genere injuriam accepit, in quo eſſe ipſe injurius in alios ſolebat. Dico autem: ut, ſi quis hominem in alios petulantem, ac contumelioſum verberet. Et eos qui mali quippiam ipſis aut fecerunt, aut facere voluerunt, aut volunt, aut inibi eſt, ut faciant. Id enim, & dulce eſt, & pulchrum: & prope eſt, ut ne injuria quidem ſit. Et eos quibus laedendis gratum facient aut amicis, aut iis quos admirantur, aut iis quos amant, aut dominis, aut omnino iis, ad quorum voluntatem vitam ipſi ſuam dirigunt. Et eos a quibus ſperant ſe aliquid boni conſecuturos. Et eos, de quibus jam conqueſti ſunt, quibusque amicitiam renuntiarunt. Nam & talia prope accedere videntur ad id quod injuria vacat. Qualia ſunt quae Callippus faciebat adverſus Dionem. Et eos, quibus alii eandem injuriam impoſituri ſunt, niſi ipſi occuparint: tanquam ne ullam quidem amplius deliberationem res capiat. Quemadmodum Aeneſidemus dicitur ad Gelonem, qui cives ſuos in ſervitutem redegerat, cottabia miſiſſe, ut qui, quod ipſe facturus erat occupaſſet. Et eos, quos ubi injuria affecerint, multa poſtea juſte facere poterunt, tanquam facile medicaturi. Ut Jaſon Theſſalus ajebat, quaedam injuſte facienda eſſe, ut poſtea multa juſte facere poſſis. Eas autem injurias facile faciunt, quas multi facere ſoliti ſunt. ſperant enim, ſe veniam conſecuturos. Et ea ſubripiunt, quae facile eſt occultare. qualia ſunt quae vel cito conſumuntur, ut eſculenta: vel facile mutari poſſunt aut figura, aut colore, aut temperatura: vel quae multifariam abſcondere facile eſt. Talia autem ſunt quae facile poſſunt, & portari, & parvis in locis abſcondi: & a quibus nullo modo diſcrepantia multa, planeque ſimilia prius habebat is qui injuriam fecit. Et quaecunque proferre ii, quibus facta injuria eſt, pudore prohi-

bentur: ut, si illusum sit pudicitiae uxorum, aut ipsorum, aut liberorum. Et quae qui persequatur, videatur lites sequi. Talia autem sunt parva, & ea quibus venia tribui solet. Quomodo igitur affecti injurias faciant, & quales, & qualibus, & quam ob causam, haec fere sunt.

c. XXVIII. Nunc omnia injuriarum, & omnia juste factorum genera distinctius explicemus, hinc ducto principio. Justa igitur & injusta dupliciter distinguuntur, tum quod a duabus legibus manant, tum ratione eorum ad quos referuntur. Legem autem dico aliam propriam, aliam communem: propriam quidem eam, quam sibi quisque populus statuit, eamque aut non scriptam, aut scripto comprehensam: communem autem eam, quae naturalis est. Est enim justum quoddam natura: & injustum: de quo homines, quasi divino quodam instinctu vaticinantur, etiam si nulla de eo inter illos communicatio, aut pactio intercesserit. Quale & Antigone apud Sophoclem dicere videtur, justum esse affirmans, sepelire Polynicen, quamvis vetitum sit, quod id natura sit justum: *Neque enim hodie jus hoc receptum est, aut heri: Aeternitate fixum ab omni sed viget. Neque prior quae sit ejus, ulli cognitum est.* Et ut Empedocles dicit de non interficiendis animalibus. Id enim non aliis quidem justum est, aliis non justum. *Sed sese in populos spatia alta per aetheris omnes Porrigit, effuso splendet qua lumine caelum.* Et ut Alcidamas in Messeniaco dicit. Eorum quoque ratione ad quos pertinet, in duo genera distinguitur. Nam tum quae facienda sunt, tum quae non sunt, aut ad totam communitatem, aut ad unum aliquem ex communitate referuntur. Unde & juste, & injuste facere duobus modis aliquis potest. aut enim ad unum aliquem certum, ac definitum pertinet, quod factum est, aut in commune. Nam qui adulterium facit, aut verberat, unum aliquem laedit: at qui militiam detrectat, ipsum commune. Cum igitur omnia injuriarum genera distincta sint, aliaeque ad ipsum commune, aliae ad alium aliosve pertineant, si prius repetierimus, quid sit injuriam accipere, cetera persequamur. Injuriam igitur accipit, cui quid fit injuste a sponte facientibus. Supra enim definitum est, eum demum injuriam facere, qui sponte agit. Quoniam autem necesse est, eum, qui injuriam accepit, laedi, & invitum laedi: laesionum quidem

Digitized by Google

dem genera ex iis, quae ſupra diximus perſpicua ſunt. Bona enim & mala per ſe antea diſtinximus. Sponte etiam fieri docuimus ea, quae & ſcientes faciunt, & non coacti. Itaque neceſſe eſt omnes accuſationes aut ad commune, aut ad privatum referri, & de eo eſſe quod quis commiſit, aut neſciens, & invitus, aut ſponte & ſciens: idque aut conſulto, aut aliqua animi permotione. Sed de ira quidem dicetur, ubi de animi perturbationibus agemus: qualia autem, & quomodo affecti conſulto faciant, in ſuperioribus dictum eſt. Quoniam autem ſaepe, cum ſe id quod objicitur, feciſſe fateantur, ipſam criminis inſcriptionem non agnoſcunt: aut negant factum ſuum tale eſſe, ut ea inſcriptione notandum ſit: exempli cauſſa, coepiſſe quidem ſe, ſed furatos non eſſe: & priores verberaſſe, neque tamen contumeliam feciſſe: & commiſcuiſſe quidem corpus, ſed adulterium non feciſſe: aut furatos eſſe, ſed non feciſſe ſacrilegium: neque enim quidquam abſtuliſſe, quod Deo ſacrum eſſet: aut coluiſſe quidem, ſed non agrum publicum: aut collocutos quidem cum hoſtibus, ſed non prodidiſſe: propterea haec quoque accurate providenda, ac diſtinguenda ſunt: quid ſit furtum, quid contumelia, quid adulterium: ut ſive probare velimus eſſe, ſive non eſſe, poſſimus, quid in quaque re juris ſit, patefacere. Sunt autem haec omnia in eo poſita, ut id quo de agitur, injuſtum eſſe, & improbum, aut non injuſtum eſſe doceamus. Improbitas enim & ipſum injuſte facere ex conſilio pendet. Ejus autem generis nomina, ut contumelia, ut furtum, etiam conſilium adſignificant. Non enim ſi quis verberavit, ideo ſtatim contumeliam fecit: ſed ſi certo conſilio, ut ignominia afficiendi eum quem verberavit, aut ut ipſe ex eo voluptatem perciperet. Neque quisquis clam quid ſuſtulit, omnino furatus eſt: ſed ita demum, ſi animo nocendi ei cujus res eſt, eamque avertendi. Ut autem in his, ſic & in aliis ſe res habet.

c. xxix. Quando autem juſtorum, & injuſtorum duo genera eſſe dicebamus: unum eorum quae ſcripta ſunt, alterum eorum, quae non ſcripta: de iis quidem, de quibus leges loquuntur, dictum eſt: eorum autem quae ſcripta non ſunt, bipertita etiam diviſio eſt. Nam alia quidem ſunt, quae cum eximia quadam, aut virtute, aut improbitate conjuncta ſunt: quibus laudes, honores, do-

dona, aut contra, dedecus atque infamia propoſita eſt. Ut gratiam habere bene merito, aut ei vicisſim benefacere: & promptum eſſe ad opem ferendam amicis: & quaecunque alia ejus generis ſunt. Alia vero ſunt, quaſi ſupplementum quoddam legis ſcriptae. Juſtum enim videtur etiam id, quod aequum bonum eſt, & aequum bonum eſt jus quoddam ſcripta lege praetermiſſum. Evenit autem hoc, partim invitis eis, qui leges ſcribunt, partim etiam ſponte ipſorum. Invitis quidem, cum quid eorum intelligentiam effugit: ſponte autem, cum quid certo definire non poſſunt: immo vero univerſe quidem loqui neceſſe eſt: res autem non ita ſe habet: ſed plerumque. Et quaecunque definire facile non eſt, propter infinitatem: ut quanto & quali ferro quis alium vulnerarit. aetas enim defecerit, ſi quis ea enumerando perſequi velit. ſi res igitur indefinita ſit, & de ea tamen ferenda lex ſit, legem univerſe loqui neceſſe eſt. Itaque etiam ſi annulum quispiam habens, manus alicui intulerit, aut percuſſerit, lege quidem ſcripta tenetur, & injuſte facit: re vera autem, injuſte non facit: atque id aequum bonum eſt. Quodſi aequum bonum eſt, quod diximus, facile intelligitur, quaenam aequa & bona ſint: quae minus: quique aequitatis amantes homines ſint. nam & quibus oportet veniam tribuere aequum eſt, & non parem poenam ſtatuere iis quae per errorem, & iis quae per injuriam admiſſa ſunt: neque erratis, infortuniis. Sunt autem infortunia quidem, quae praeter rationem, & ſine malitia: errata autem, quae, non illa quidem praeter rationem, ſed tamen ſine malitia: at injuriae, quae neque praeter rationem, & cum malitia conjuncta ſunt: nam quae cupiditate [illegible] eadem ab improbitate proficiſcuntur. Aequum eſt etiam iis quae humana imbecillitas fert, ignoſcere. Neque legem, ſed legislatorem ipſum intueri. Neque verba legis, ſed ſententiam ejus qui legem tulit. Neque quid factum ſit, ſed quo animo, ac conſilio factum. Neque partem, ſed totum. Neque qualis ſit nunc is qui inſimulatur; ſed qualis aut ſemper aut plerumque fuerit. Et magis in memoria habere quid boni acceperis, quam quid mali. Et beneficiorum quae accepit, potius, quam eorum quae contulit. Et aequo animo acceptam injuriam ferre. Et malle verbis, quam factis, rem de-

cer-

Digitized by Google

cerni. Et malle ad arbitrum ire, quam ad judicem. Arbiter enim aequitatem intuetur: at judex legem. & ejus rei causa repertus est arbiter, ut aequitas valeat. De aequis igitur, & bonis ita disputatum sit.

C. XXX. Majores autem injuriae sunt, quae a majore injustitia manant. Quo fit, ut etiam quae minimae videntur, interdum sint maximae. Quemadmodum Melanopum accusabat Callistratus, quod eos qui templum faciendum redemerant, in singula capita sesquiobolo fraudasset. At justitiae contraria ratio est. Causa autem est: quoniam vi ac potestate superant. Qui enim sesquiobolos furatus est, nullo fraudis genere abstenturus videtur. Interdum igitur majus dijudicatur hoc modo, interdum ex damni dati magnitudine. Et cui par poena reperiri non potest: sed quaecunque statuatur, minor. Et cui remedium nullum adhiberi potest. Odiosum enim est, quicquid immedicabile est. Et pro quo poenas exigere is, qui injuria laesus est, non potest. Immedicabile enim est. Omnis enim ultio ac coërcitio medicina quaedam est. Et si is qui injuriam accepit, ipse grave de se supplicium sumpsit. Multo enim majore poena dignus est qui fecit. Ut Sophocles Euctemonis causam agens, qui se ob illatam sibi contumeliam jugulaverat, negavit se minoris litem aestimaturum, quam quanti eam is qui injuriam acceperat ipse sibi aestimasset. Et quod quis solus, aut primus, aut non multorum exemplo admisit. Magnum est etiam eadem in re saepe peccare. Et si propter quempiam quaesita, & excogitata sint ea quae ad prohibendum, & ad multandum valent. Ut Argis poenam in eum statuunt, qui causam legi ferendae dedit. Et propter quem aedificatus est carcer. Et injuria, quo ferina quaeque magis est, eo major: & quo quaeque magis consulto ac cogitato facta est. Et quod qui audiunt, cohorrescunt potius, quam misereantur. Et oratoria quidem talia sunt: quod quis uno facto multa jura violaverit, ac migraverit: ut jusjurandum, dexteras, fidem datam, connubii jura. Videtur enim quasi cumulus quidam injuriarum. Et si quis eo ipso in loco injuste fecerit, ubi qui id faciunt, poenis affici solent. quod faciunt falsi testes. Ubi enim non injuste fecerit, qui ne in judicio quidem id facere veretur? Et quae maximum pudorem inducunt. Et si quis eum fecit,

rebus teſtes ſunt: fuit, aut non fuit: eſt, aut non eſt: quale autem quidque ſit: ut juſtum, an injuſtum: utile, an inutile, teſtes idonei non ſunt. At teſtibus ab aetate noſtra remotis, etiam his in rebus maxima habetur fides. Corrumpi enim non poſſunt. Rationes autem de teſtibus in utramque partem hae ſunt. Teſtes quidem non habenti, ex argumentis judicandum eſſe, atque id eſſe quod dicitur, optimo animo judicare. Neque fieri poſſe, ut argumenta, pecunia propoſita adducantur ad judices fallendos. Neque unquam argumenta convinci, quod falſum pro teſtimonio dixerint. Habenti autem adverſus eum qui illis deſtitutus eſt, dicendum eſt, argumenta judiciorum metu non teneri. Et nihil opus futurum teſtibus, ſi argumentis cujusque rei veritas cognoſci poſſet. Teſtimonia autem alia quidem ſunt de ipſo, alia de adverſario: & alia quidem de re, alia vero de moribus. Ex quo conſtat, nunquam defutura eſſe utilia teſtimonia. Si enim de re non ſuppetent, quibus aut confirmetur id quod a nobis dicitur, aut quod ab adverſario, refellatur: at de moribus vel noſtris in bonam partem, vel adverſariorum in contrariam, non deerunt. Cetera vero de teſte aut amico, aut inimico, aut inter utrumque interjecto: aut bonae exiſtimationis, aut de quo mala opinio ſit, aut media: & quaecunque ejusmodi diſſimilia ſunt, iisdem ex locis duci queunt, ex quibus ducuntur etiam enthymemata.

c. XXXIII. Ad pacta conventa autem quod attinet, eatenus in eis tractandis munus oratoris verſatur, ut ea vel exaggeret, vel deprimat, aut fidem eis conciliet, aut detrahat: hoc eſt, ſi cauſſam quidem ſuam adjuvent, ut eis fidem conciliet, eaque rata eſſe debere confirmet, ſin pro adverſario faciant, contra. Ad fidem igitur eis vel conciliandam, vel detrahendam, eadem plane ratio eſt, quae in teſtibus. quales enim fuerint, qui tabulis ſubſcripſerint, quive eas adſervarint, talesque tabulae ipſae habebuntur. Ac ſi quidem uterque faciet tur pactum initum eſſe: ſi quidem a nobis faciat, amplificanda erit vis illius; Nam pactum lex quaedam privata eſt, & de certo negotio. Et pacta quidem non ita demum rata ſunt, ſi cum lege conſentiant: at leges pactis robur, ac firmitatem tribuunt. Omninoque lex ipſa pactio,

Digitized by Google

ctio, ac conventio quaedam est: ita ut quicunque fidem fallit, pactionesque subvertit, is leges ipsas tollere videatur. Praeterea pleraque inter homines negotia pactis continentur: ut, si quis ea irrita faciat, is eadem opera mutuum inter homines commercium tollat. Sed & cetera quae huc conveniunt, in aperto sunt, nulloque negotio videri queunt. Iin causas nostrae adversentur, & adversarios sublevent: primum quidem quaecunque adversus legem, quae causam nostram laederet, dici possunt, eadem huc quoque conveniunt. Absurdum enim est, cum legibus, si recte positae non sint, sed aberraverint, qui eas tulerunt, standum non putemus, si pactis necessario standum arbitremur. Dicemus etiam, judicem juris quasi dispensatorem esse: ut eum, quid justius sit, non quid pactis comprehensum, spectare oporteat. Et jus quidem perverti non posse, neque fraude, neque per vim: natura enim valere: at pacta interdum iniri, & deceptis hominibus, & coactis. Praeterea considerandum, num conventio repugnet alicui legi aut scriptae, aut communi, & iis quae justa, quaeque honesta sunt. Itemque, num aliis conventionibus, seu posterioribus, seu prioribus. Aut enim posteriores ratae sunt, priores autem irritae: aut priores justae, posterioribus autem admista fraus est: utro modo nobis expediet. Videnda quoque est utilitas: sic ubi forte ipsis judicibus talium pactionum observatio nocitura sit. Et quaecunque alia ejusmodi sunt: nam ea quoque facile videri queunt.

C. XXXIV. Quaestiones autem testimonia quaedam sunt. Iccirco autem eis tribuitur fides: quod necessitas quaedam adjuncta est. Non est igitur difficile, quae circa eas dici possint, videre: quibus aut confirmentur, si pro nobis faciant: ut quod solae ex omni testimoniorum genere verae sint: aut si adversus nos, & adversarium sublevent, dissolvat quis eas, & enervet, disputans adversus totum illarum genus. Nam si quibus adhibeantur tormenta, nihilo minus falsa dicunt, quam vera: interdum obdurantes, ne vera dicant, interdum facile mentientes, ut cruciatu citius liberentur. Habenda autem in promptu exempla sunt nota judicibus, quibus ita usu venisse docemus:

c. XXIV. Jurisjurandi autem quadripartita tractatio est. Aut enim illud defert, aut accipit, aut neutrum, aut alterum quidem facit, alterum detrectat: id est, aut defert, sed non accipit: aut accipit, sed non defert. Ac praeter haec omnia alia etiam ratio est, cum juratum est aut ab hoc, aut ab illo. Qui igitur non defert, dicet se id non facere, quoniam homines facile pejerant. Et quod adversarius quidem, si juraverit, liberabitur onere solvendi: at si non juraverit, sperat ipse fore, ut judices eum damnent. Et malle se ejus rei periculum facere in judicibus: illis enim se fidere, adversario non fidere. Qui accipere non vult, turpe sibi videri dicet, pro pecunia jurare, & se, si improbus esset, facile juraturum fuisse. praestat enim, ut aliquid lucri facias, improbum esse, quam gratis. at se, si juraverit, habiturum pecuniam, non habiturum, si non juraverit. Atque ita jurisjurandi detrectatio a bonitate quadam proficisci videbitur, non a pejerandi metu. Et Xenophanis dictum huc accommodari potest: non esse aequam provocationem divini numinis contemptori adversus pium, ac religiosum. tantundem enim esse, ac si robustus infirmum provocet, ut aut verberet ipse, aut vapulet. Qui jusjurandum accipiet, dicet se sibi fidem habere, adversario non habere. Et inverso Xenophanis dicto ita utetur, aequum esse, si qui Deum negligit, jusjurandum deferat, is autem qui Deum metuit, juret. Neque ferendum visum iri, si qua de re juratos alios judicare vult, de ea jurare ipsemet nolit. At qui defert, dicet pium esse totam rem Deis permittere. Et adversario nihil opus esse aliis judicibus: se enim illi judicandi potestatem facere. Absurdum autem esse, qua de re ipse jurare nolit, si de ea jurare alios postulet. Quando autem, quomodo singula seorsim tractanda sint, constat, illud quoque constat, quomodo debeant copulata tractari. Ut, si quis accipere quidem vult, sed deferre non vult: aut contra deferre quidem, sed non accipere: aut si utrumlibet facere paratus est, aut si neutrum. Nam ut res ipsas, sic quae in quaque dicenda erunt, ex iis quae jam diximus, copulari necesse est. Quodsi juratum

sit,

Digitized by Google

ſit; & jusjurandum ei ipſi qui juravit adverſetur, negabit, perjurium eſſe, eo non ſtare. Nam & qui injuſte facit, ſponte facit: & qui pejerat, injuſte facit: at quae per vim, aut per errorem fiunt, ab invitis fiunt. Recurrendum igitur eo eſt, ut pejerare, non in ore, ſed in mente poſitum eſſe dicamus. At ſi juraverit adverſarius, dicemus, omnia pervertere eum, qui eo quod ipſe juravit, ſtare nolit. Nam ob eam cauſſam etiam iis legibus utimur, in quas juravimus. Et, A vobis, quidem, judices, poſtulamus, ut ea quae juraſtis, obſervetis: nos autem iis quae juravimus, ſtare nolemus? Et quicquid aliud amplificando dici poteſt. Ac de probationibus quidem artis expertibus haec dicta ſint.

Digitized by Google

ARISTOTELIS RHETORICORUM LIBER SECUNDUS,

M. A. MURETO INTERPRETE.

c. 1. Unde igitur ducenda sint ea, quibus utamur in suadendo, ac disſuadendo, vituperando, ac laudando, accuſando, ac defendendo: tum quae opiniones ac propoſitiones utiles ſint ad faciendam in his rebus fidem, diximus. Fere enim de iis, & ex iis ducuntur enthymemata proprie in unoquoque genere orationum. Quando autem rhetorica ad exiſtimationem audientium dirigitur: nam & qui deliberant, judicant, & qui judicia exercent: neceſsario videndum eſt oratori, non tantum ut oratio ipſa apta ſit ad demonſtrandum, & ad faciendam fidem: ſed & ut ipſe cujusdam modi videatur: & eum cujus exiſtimatio eſt, certo quodam modo afficiat. Multum enim intereſt ad fidem, maxime quidem in deliberationibus, deinde autem etiam in judiciis, cujusmodi videatur is qui dicit, & quomodo eum erga ſe affectum eſſe ii qui audiunt arbitrentur: tum praeterea quomodo ipſi quoque affecti ſint. Horum autem in deliberationibus quidem utilius eſt, eum, qui ſententiam dicit, talem videri: in judiciis autem auditorem hoc aut illo modo affectum eſſe. Neque enim eadem videntur iis qui amant, & iis qui oderunt, neque iratis, & iis qui ſedato ac compoſito animo ſunt: ſed aut omnino alia, aut certe non aeque magna. Nam qui amat eum de quo judicat, is facile culpam ipſius aut nullam eſſe, aut exiguam putat: in eo autem qui odit, contra evenit. Et cupienti quidem, atque ad bene ſperandum propenſo, ſi ſuave ſit quod futurum proponitur: & fore, & bonum fore videtur: ei autem qui & cupiditate vacuus eſt, &

aegre

aegre ad ſperandum adducitur, contra. Tres igitur cauſſae ſunt, cur qui dicunt digni videantur quibus habeatur fides: nam, praeter argumenta, tot ſunt ea propter quae credimus. Sunt autem haec, prudentia, virtus, & benevolentia. Nam propter haec omnia, aut propter eorum aliquod, in dicendo, aut in dando conſilio mentiuntur. Aut enim per imprudentiam non recte opinantur: aut, cum recte opinentur, per improbitatem non dicunt ea quae videntur: aut prudentes quidem & boni viri ſunt, ſed non benevolentes. Quo fit, ut, cum, quid ſit factu optimum, norint, non tamen id ſuadeant: neque alia praeterea ejus rei cauſſa reperiri poteſt. Neceſſe igitur eſt, eum in quo haec omnia ineſſe videantur, fide dignum ab auditoribus exiſtimari. Ac prudentiae quidem & probitatis opinio quibus rebus conciliari queat, ex iis quae de virtutibus antea diſputata ſunt, petendum eſt. Nam quibus rationibus efficimus, ut alius talis habeatur, iisdem conſequi poterimus, ut ipſi quoque tales eſſe videamur. De benevolentia autem, & amicitia, in ea, in quam nunc ingredimur, motuum animi explicatione dicetur.

c. II. Motus autem animi, quibus immutati homines aliter atque aliter judicant, ſunt ii, quibus conſequens eſt moleſtia, & voluptas. Ut ira, miſericordia, metus: quaeque alia hujusmodi ſunt, eisve adverſantur. Horum autem uniuscujusque tractatio tripertita eſſe debet: ut, exempli cauſſa, cum de ira diſſeritur, quomodo affecti homines propenſi ad iram ſint, & quibus, quasque ob cauſſas irafci ſoleant, explicetur. Nam ſi horum unum, aut alterum, non autem omnia, teneamus, non poterimus arbitratu noſtro iram in audientium animis gignere. Eademque eſt ratio ceterorum. Ut igitur in ſuperioribus propoſitiones quasdam communes deſcripſimus, ita in his quoque faciamus, deque eis eadem ratione, & via diſſeramus.

c. III. Sit igitur ira, appetitio cum aegritudine conjuncta, ulciſcendi, opinione quidem noſtra, ejus, qui aut nos ipſos, aut noſtrorum aliquem, cum id eum facere non conveniret, neglexiſſe videatur. Quodſi haec irae vis atque natura eſt, neceſſe eſt eum qui irafcitur, certo, ac definito alicui irafci, verbi cauſſa, Cleoni, non autem univerſe homini: idque, quod is aut ſibi, aut ſuo-

Digitized by Google

rum alicui quippiam fecerit, facturusve fuerit. Et omni irae comitari voluptatem quandam, eam videlicet, quae capitur ex ſpe futurae ultionis. Suave enim eſt cuique, conſecuturum ſe putare quae appetit. Nemo autem appetit ea, quae nullo modo poſſe fieri putat. At qui irascitur, appetit. Quocirca praeclare de ira dictum eſt: *quae melle liquenti Suavior, humano fuccenſa in pectore gliſcit.* Conſequitur enim voluptas quaedam, tum ob eam quam diximus cauſſam: tum quod qui irati ſunt, toti jam nunc in ulciſcendo, mente & cogitatione verſantur. Itaque ſpecies ea, quae tunc obverſatur animo, talem quandam voluptatem efficit, qualis eſt quae capitur in ſomniis. Quando igitur negligere eſt, ita de re aliqua opinari, ut ea nihili facienda videatur: (ſi quidem & mala & bona, & quae ad ea pertinent, digna ſtudio ducimus: quae autem aut plane nullum, aut perexiguum momentum habent, ea nihili facienda arbitramur) tria ſunt neglectus genera: contemptio, incommodatio, & contumelia. Nam & qui contemnit, negligit: quae enim nihili facienda ducunt, ea contemnunt: & quae nihili ſunt, negligunt. Et qui incommodant, negligere videntur. Eſt enim incommodatio, ſtudium impediendi ea quae alius vult, non ut is, qui ita alium impedit, fructum ullum ex eo percipiat: ſed tantum, ut ne ille alter id quod vult conſequatur. Quando igitur nullum in eo commodum ſuum ſequitur, illum alterum negligit. Certe enim neque eum ſibi nocere poſſe putat, metueret enim, non negligeret: neque quidquam adferre quod quidem alicujus momenti ſit: daret enim operam, ut ei amicus eſſet. Is quoque qui contumeliam facit, negligit. Eſt enim contumelia, ea facere, aut dicere, quae cum alterius ignominia conjuncta ſint: non ut is qui facit, commodum ullum ex eo conſequatur, neque quod ei quidquam factum ſit, cur id facere debeat: ſed ut libidini ſuae obſequatur. Qui enim referunt, non contumeliam faciunt, ſed ulciſcuntur. Cauſſa autem voluptatis, quam nonnulli facienda contumelia capiunt, ea eſt, quod quibus male faciunt, eis ſe ita demum ſuperiores putant. Quare & juvenes, & divites contumelioſi ſunt: ita enim dum faciunt, ſibi ſuperiores videntur. Contumeliae autem proprium eſt, detrahere alteri dignitatem: id autem qui facit, negligit. quod enim nihili eſt, id nullo in pretio

eſt,

eſt, neque ut bonum, neque ut malum. Unde iratus Achilles ita loquitur: *Omni me Atrides plane ſpoliavit honore. Nam mihi praecipuum dederant quod munus Achivi Praereptum, ſuaque adductum in tentoria ſervat.* Et, *Nullius ut pretii, atque incerta ſede vagantem.* Ut qui propterea iraſcatur. Convenire autem putant, ſe magni fieri ab inferioribus genere, potentia, virtute: omninoque qua quisque in re multo alium ſuperat. Ut pecunia pauperem dives, dicendi facultate eloquens indiſertum: qui imperat, eum qui imperio ſubeſt: qui ſe dignum qui imperet putat, eum qui dignus eſt cui imperetur. Unde illud, *Regum magna ira potentum eſt.* Et, *Conceptam tamen iram alta ſub mente recondit.* Stomachantur enim propter eum, quem ſupra ceteros obtinent, dignitatis gradum. Itemque iis a quibus bene ſibi fieri putant oportere. Sunt autem ii quibus quisque bene fecit, aut facit: aut ſuorum aliquis, aut cauſa ſua, aut vult, aut voluit. Jam igitur conſtat & quomodo affecti ipſi iraſcantur, & quibus, & quas ob res. Nam ipſi quidem, cum aegro animo ſunt. Appetit enim aliquid is cui aegre eſt. Sive igitur quis ei directo adverſetur, ut ſi ſitienti obſtet ne bibat, ſeu non plane directo, peraeque tamen idem facere videtur. Et ſive contra tendat quis, ſive etiam non adjuvet, ſeu qua alia in re moleſtus ſit ita affecto, iis omnibus, is qui ita affectus eſt, iraſcitur. Quare & qui aegrotant, & quos paupertas urget, & qui amant, & qui ſitiunt, omninoque qui quid cupiunt, neque id conſequi poſſunt, iracundi ſunt, & facile incitantur, praeſertim adverſus illos qui praeſentem ipſorum ſtatum negligunt. Ut aegrotus quidem adverſus eos qui ſe negligunt in iis quae ad morbum pertinent: qui paupertate premitur, in iis quae ad paupertatem: qui bellum gerit, in iis quae ad bellum: qui amat, in iis quae ad amorem: itidemque in ceteris. Prout enim quisque affecto, ac perturbato animo eſt, ita in eo quaſi via ſtrata ac munita eſt ad iram ex hac, aut ex illa re concipiendam. Praeterea vero, ſi contra expectabat fore. Majorem enim moleſtiam inurit, quod valde praeter opinionem accidit: ut & magis delectat, ſi quod volumus, eveniat. Ex iis igitur perſpicuum eſt, quae horae, tempora, affectiones, aetates facile ad iram incitari queant: & quando, & ubi. Conſtat etiam, quo magis in eis ſunt,

eo incitari facilius. Ergo ipsi quidem ita affecti facile ad iram impelluntur.

c. IV. Irascuntur autem iis qui deridentur, qui ludibrio habent, qui dictis aculeatis mordent, ac configunt. contumelia enim afficiunt. & iis qui talia damna inferunt, ut in eis insit ludibrii, ac contumeliae significatio. Necesse autem est talia esse, quaecunque neque ulciscendi causa fiunt, neque utilitatis quidquam adferunt facientibus. jam enim per contumeliam fieri videntur. Et maledicentibus ac contemnentibus iis in rebus, in quibus ipsi maximum studium ponunt. ut qui honorem captant e studio philosophiae, si quis eos in philosophia non magni pretii esse dicat: aut de forma eorum detrahat, qui se formosos videri student: eodemque modo in ceteris. Multo autem magis irascuntur, si suspicentur, ea, quibus ornati videri volunt, sibi non inesse, aut omnino, aut non valde, aut etiam se tales non videri. Quodi se egregie instructos putent iis bonis, in quibus pungitur, quid in se dicatur, non laborant. Et amicis magis, quam non amicis. putant enim convenientius esse, bene sibi ab iis fieri, quam ab eis qui amici non sunt. Et iis qui ipsis honorem habere, eosque curare consueverant, si id facere desierint. nam & ab iis contemni putant. alioqui enim idem facturos quod prius. Et iis qui non vicissim benefaciunt, neque parem gratiam referunt. Et iis qui contrariis rebus student, si inferiores sint. contemnere enim hi omnes videntur, atque hi quidem qui contraria studia sequuntur, videntur eos quibus adversantur pro inferioribus habere: illi autem qui gratiam non referunt, ita se gerere, quasi ab inferioribus acceperint. Major etiam ira commovetur, cum qui contemnunt alios, ipsi nullo loco, ac numero sunt. Positum est enim, iram excitari, cum quis ab iis contemnitur, a quibus non convenit. convenit autem inferioribus non contemnere. Et amicis irascuntur, cum si ullam benedicendi, aut benefaciendi occasionem praetermittant, tum multo magis, si contraria faciant: sive etiam amicorum indigentiam non animadvertant, ut Antiphontis Plexippus Meleagro. Signum enim neglectus est, non animadvertere. nam quae curamus, ea nos non latent. Et iis qui infortuniis ipsorum laetantur: omnipotque iis quos in adversis rebus suis tranquillo esse animo vident. Alterum enim

enim inimici ſignum eſt, alterum ejus qui parvi faciat. Et iis qui non curant, ſintne moleſti futuri. Unde & iis, qui mala nuntiant, iraſcuntur. Et iis qui aut audierunt de ipſis, aut in eis viderunt quae turpia ſunt. Similes enim ſunt aut contemnentibus, aut inimicis. Amicorum eſt enim una condoleſcere. Omnes autem, cum mala ſua ſpectant, dolent. Sunt autem quinque potiſſimum hominum genera, apud quos, ſi parvi fiant, iraſcuntur. Apud eos quibuscum de honore contendunt: apud eos quos admirantur: apud eos quos volunt habere admiratores ſui: apud eos quos verentur: & apud eos qui ipſos verentur. Apud hos omnes ſi ſe parvi fieri videant, magis iraſcuntur. Et iis qui quantopere aliquem deſpiciant, ſignificant in iis quibus ipſe ſine turpitudine non opitulari non poteſt. cujusmodi ſunt parentes, liberi, uxores, ii qui imperio ſubſunt. Et iis qui gratiam non reddunt. Nam hoc quoque deſpicientiae genus eſt ab officio alienum. Et qui quid ſerio agunt, iraſcuntur iis, qui ſecum ſuper ea re diſſimulantes, quaſique jocantes loquuntur. Eſt enim talis diſſimulatio quiddam contemptui affine. Et iis qui propenſi ſunt ad benefaciendum aliis, niſi ipſis quoque benefaciant. Nam & hoc contemptus ſignificationem habet, quod aliis omnibus tribuas, id uni alicui non tribuere. Sed & oblivio iram efficit, ut nominum: etſi res parva eſt. Videtur enim & oblivio neglectum indicare. Nam ex incuria naſcitur oblivio. incuria autem neglectus quidam eſt. Quibus igitur iraſcantur, & quomodo affecti, eademque opera quas ob cauſſas, explicatum eſt. Conſtat autem, oratori videndum eſſe, cum iram concitare vult, ut auditores dicendo ita afficiat, quomodo qui affecti ſunt, facile iraſcuntur: & in adverſariis oſtendat eſſe ea, propter quae iraſcuntur, & tales eſſe, qualibus iraſcuntur.

c. v. Quando autem ira incitari, & deliniri adverſantur, itemque ira lenitati: intelligendum eſt etiam, quomodo affecti, lenes ſint, & erga quos, & quibus rebus leniantur. Sit igitur delinitio, ſedatio, & reſtinctio irae. Si ergo iraſcitur quisque eis a quibus negligitur: negligit autem nemo, niſi id ſponte faciat: conſtat, qui aut tale nihil fecerint, aut inviti fecerint, aut de quibus ita opinemur, eis nos mites, ac lenes fore. Itemque iis,

Digitized by Google

qui facere volebant contra quam fecerunt. Et iis qui ipſi in ſe tales ſunt. nemo enim ſe ipſum negligere videtur. Et iis qui fatentur, quosque poenitet. Quaſi enim hoc ipſum poenae loco ſit, quod dolent ſe ita fecisſe, ſedatur, ac conquieſcit ira. Atque id notare poſſumus, cum a ſervis poenas exigimus. Eis enim qui negant, & adverſus nos cauſam ſuam defendere conantur, ſaeviores: at eis qui ſe merito vapulare fatentur, placabiliores ſumus. Cauſſa autem haec eſt, quod aperta negare, impudentia eſt: impudentia autem eſt quidam neglectus: itaque quos valde contemnimus, apud eos non verecundamur. Et iis qui ſe nobis abjiciunt, neque verbis adverſantur. videntur enim fateri ſe inferiores eſſe. Qui autem inferior eſt, metuit. Et nemo quem metuit, deſpicatur. Conquieſcere autem iram adverſus eos qui ſe abjiciunt, etiam canes oſtendunt, qui proſtratos non mordent. Et iis qui ſerio nobiſcum agunt, cum ipſi ſerio agimus. Qui enim ita facit, haudquaquam videtur contemnere nos, ſed cura, ac ſtudio dignos putare. Et iis qui nobis aliquando majoribus in rebus gratificati ſunt. Et iis qui preces adhibent, ac deprecantur. humiliores enim ſunt. Et iis qui contumelioſi non ſunt. neque ludibrio habere ſolent, aut parvi facere: ſive in nullum omnino hominum genus tales ſint, ſive non in bonos viros, ſive non in eos qui tales ſint, quales ipſi ſumus. Omninoque ad leniendum valent, quaecunque adverſantur iis, quibus ira excitatur. Et iis quos metuimus, quosque reveremur, quam diu ita affecti ſumus, non iraſcimur. Metuere enim aliquem, & eidem iraſci eodem tempore nemo poteſt. Et iis qui quid per iram fecerunt, aut non iraſcimur, aut minus iraſcimur. Non enim videntur per contemptum fecisſe: cum enim cui iraſcitur, nemo plane contemnit. contemptus enim ſine aegritudine animi eſt. at irae ſemper aegritudo comitatur. Et iis qui nos verentur. Qui autem contra affecti ſunt atque ii qui iraſcuntur, eos ad lenitatem propenſos eſſe conſtat. Ut in ludo, ac joco, in riſu, in feſto die, in proſpero ſucceſſu, & re bene geſta, ut fame ſitique depulſa: omninoque cum omni moleſtia vacui ſunt, aut etiam in voluptate conſtituti, ea modo quae inſolentes, ac contumelioſos non efficiat. Et in bona ſpe, & interjecto tempore, neque recentes ab ira.

Tem-

Tempore enim ira ſedatur. Sed & is facilius ſedatur, qui jam ab alio poenas exegit. Quocirca recte Philocrates, cum ei populus iratus eſſet, quaereretque ex eo quidam, cur cauſſam ſuam non diceret, Nondum, inquit, tempus eſt. Quando igitur? cum alium, inquit, eodem crimine falſo accuſatum videro. Miteſcunt enim, cum iram in alium effuderunt. Ut in Ergophilo contigit. nam cum ei infenſiores eſſent, quam Calliſtheni, liberarunt eum tamen, quia pridie Calliſthenem capite damnaverant. Et ubi quis alium convicit, facilius ei placatur. Placamur etiam, cum is cui iraſcebamur, in majus aliquod malum incidit, quam nos ipſi ei adferre voluiſſemus. quaſi enim nobis poenas dediſſe videtur. Sed & qui ſe aliquid injuſte feciſſe putant, cur quod ipſis factum eſt, merito factum ſit, facile acquieſcunt. Neque enim excitatur ira adverſus id quod jure factum eſt: non enim amplius putant ſe injuria laeſos: iram autem hinc commoveri dicebamus. Quare ii, a quibus poenas exigere volumus, prius oratione caſtigandi ſunt. Si quidem & ſervi cum ita caſtigantur, minus iniquo animo ferunt. Facile etiam deſiſtimus ab ulciſcendi ſtudio, cum putamus eos quos ultum imus, ſenſuros non eſſe, ſibi a nobis eum dolorem inuri, & cur inuratur. Ira enim ſingulos petit, & ſingula nota eſſe vult. ut & ex ejus definitione conſtat. Quare praeclare poëta: *Dicito. me Trojae everſor taecavit Ulixes.* Ut qui ſibi eum ultus non videretur, niſi ſciret ille, & a quo, & quam ob cauſſam, ita male acceptus eſſet. Itaque neque aliis, quicunque non ſentiunt, iraſcuntur, neque amplius mortuis. ut qui & paſſi jam ſint id quod ultimum pati poterant, & ſenſuri non ſint: quod, qui irati ſunt, concupiſcunt. Recte igitur poëta de Neſtore, cum Achillem ab ira revocare vellet, eo jam mortuo: *Nunc etenim in terram ſenſu furit ille carentem.* Conſtat igitur, lenire, ac mitigare volentibus, ex iis locis ſumenda ea, quibus eos quidem, quos placare volunt, tales efficiant: eos autem quibus illi iraſcuntur, oſtendant, aut metuendos eſſe, aut verendos, aut aliis in rebus gratificatos, aut invitos feciſſe, aut iis quae fecerunt, ſupra modum dolere.

C. VI. Nunc quos ament, quosque oderint, & quas ob cauſſas, dicamus. ac principio quid ſit amicitia, quidque amare, definiamus. Sit igitur amare, velle alicui ea

quae

quae bona arbitrare: idque ejus causſa, non tua, ad eaque pro viribus ei procuranda, ac conficienda propenſum eſſe. Amicus autem eſt qui amat, & contra amatur. Putant autem ſe amicos eſſe, qui ſe ita inter ſe affectos putant. His autem poſitis, neceſſe eſt, amicum eſſe, eum qui una gaudet bonis, doletque adverſis alterius, nullam aliam ob causſam, niſi propter illum. Omnes enim gaudent, cum ea eveniunt, quae volunt, dolentque, cum contraria: ut moleſtiae ac voluptates ſigna ſint voluntatis Et quibus jam eadem bona ſunt, & eadem mala. Et qui iisdem amici ſunt, iisdemque inimici. eos enim neceſſe eſt idem velle. Itaque cum alii velit ea, quae ille quoque alter vult: videtur ei, cum quo ita voluntate conſentit, amicus eſſe. Amant etiam eos, qui aut ipſis, aut iis quos ipſi caros habent, beneficia tribuerunt aut magna, aut prompto atque alacri animo, aut certis quibusdam temporibus, idque ipſorum causſa. Et quos exiſtimant velle benefacere. Et amicorum amicos, eosque qui amant, quos ipſi amant. Et qui amantur ab iis quos ipſi amant. Et qui iisdem inimici ſunt, eosdemque oderunt, & quos oderunt ii, quos ipſi oderunt. Iis enim omnibus eadem videntur bona quae ipſis: unde fit, ut ea velint, quae ipſis bona ſunt, quod amici eſſe, diximus. Eos quoque amant, qui aut propenſi ſunt ad alios pecunia adjuvandos, aut ad eorum ſalutem defendendam. Quo fit, ut liberales, & fortes viri in honore ſint. Et juſtos. tales autem putant eos, qui ex aliis ſibi victum non parant, cujusmodi ſunt, quibus opera vita eſt, & ex his ii praecipue qui agros colunt, maximeque qui ſuos. Et temperantes: quia ſe injuriis abſtinent. Eademque de causſa eos qui multis ſe negotiis non implicant. Amamus etiam eos quibus amici fieri volumus, ſi ipſi quoque idem velle videantur. Hujusmodi autem ſunt, tum qui virtute praeſtant, tum ii qui bona exiſtimatione ſunt, aut apud omnes, aut apud optimos, aut apud eos quos ipſi, quive ipſos admirantur. Praeterea illos quorum convictus, ac conſuetudo ſuavis eſt. Tales autem ſunt, qui faciles ſunt, neque ad aliena peccata redarguenda propenſi, neque concertationum avidi, neque contentioſi. Omnes enim qui tales ſunt, pugnaces ſunt, & qui pugnant, videntur velle contraria. Et ii in quibus ineſt dexteritas quaedam, &

ad

Digitized by Google

ad jocandum in alios, & ad excipienda aliorum joca. utrique enim idem petere videntur cum eo quicum versantur: cum & in se dicta aequo animo ferre possint, & ipsi urbane in alios dicant. Amant etiam eos qui laudant bona, quae in ipsis insunt: & ex iis ea maxime, quae ipsi, ne in se non insint, verentur. Et mundos tum facie, tum vestitu, tum omnibus vitae partibus. Et qui exprobrare non solent neque aliena peccata, neque beneficia sua. utrique enim redarguunt. Et eos qui facile obliviscuntur acceptas injurias, neque in animo conservant ac continent, si quas causas habent de aliis conquerendi, sed placabiles sunt. quales enim eos in alios esse existimant, tales in se quoque fore arbitrantur. Eos quoque amamus, qui maledici non sunt: quique non norunt, neque aliorum mala, neque nostra, sed bona tantum. id enim faciunt viri boni. Et eos qui non adversantur iratis, neque studiose ac serio aliquid agentibus. tales enim pugnaces sunt. Amamus etiam studiosos nostri, ut eos qui nos admirantur, bonosque, ac cultu, & studio dignos esse censent, quique gaudent nostra consuetudine, praecipueque si ob ea magni fiamus, in quibus volumus ipsi aut admirationi esse, aut egregii, aut jucundi ac suaves videri. Amat etiam quisque similes sui, & iisdem studiis deditos: nisi eorum alter alteri obstet: & nisi sibi ex eodem studio victum quaerant: tunc enim evenit illud, *Figulus figulo* Et eos, qui eadem concupiscunt, quae modo talia sint, ut ea simul consequi queant: alioquin enim idem hic quoque evenit. Amant etiam eos, erga quos ita affecti sunt, ut ne verecundentur apud eos ob eas res quae opinione tantum turpes habentur: cum tamen eos non contemnant: & quos verentur conscios habere eorum quae vere, ac re ipsa turpia sunt. Et apud quos in pretio esse, aut a quibus beati haberi, non tamen sibi ab eis invideri volunt, aut eos amant, aut eis amici esse volunt. Et quos libenter ad consequenda bona adjuverint, nisi majora sibi ex eo mala eventura sint. Et iis, qui & absentes & praesentes aeque amant. Unde fit, ut qui tales sunt etiam erga mortuos, ab omnibus amentur. Omninoque eos amant, qui vehementer sunt amici amicis: neque eos deserunt: nam ex omnibus bonis maxime amantur boni amici. Et eos qui apud se nihil fingunt. tales autem sunt, qui etiam vitia

sua

sua detegunt. Diximus enim, eorum quae opinione tantum turpia habentur, apud amicos non pudere. Quodsi quem pudet, non amat, quem non pudet, amanti similis est. Et qui metuendi non sunt: quibusque confidimus. Nemo enim quem metuit, diligit. Partes autem amicitiae sunt, sodalitas, necessitudo, cognatio, & quaecunque talia sunt. Efficientia autem amicitiae sunt, beneficium, & si quis quid fecerit non rogatus, & si, cum fecisset, aliis non praedicaverit. nam ita demum videtur fecisse ejus causa cui tribuit: non autem propter aliud.

c. VII. De inimicitiis autem & odio, constat, ex contrariis quaerenda esse argumenta. Efficientia autem inimicitiarum sunt, ira, incommodatio, criminatio. Atque ira quidem existit ex iis quae ad nos pertinent: at inimicitiae ex iis quae ad nos non pertinent. Odimus enim, quem talem esse opinamur. Et ira semper est in singulos, ut in Calliam, aut Socratem: at odium etiam in totum aliquod hominum genus. nemo enim est qui furem, qui sycophantam non oderit. Et ira quidem tempore sanari potest: odium non potest. Et illa quidem molestiam inferre studet: hoc vero malum dare potius. Nam iratus quidem sentire vult eum, quem ulciscitur: ejus autem qui odit, nihil refert. Molesta autem omnia sentiuntur: at e malis quae maxima sunt, minime sentiuntur, ut injustitia, imprudentia. nullam enim molestiam vitii praesentia inurit. Et alterum cum aegritudine conjunctum est, alterum ea vacat. aegre enim est ei, qui irascitur: at ei qui odit, non item. Et illum quidem, si multa mala eveniant ei cui iratus est, misericordia ceperit: hunc vero flectere nihil potest. Nam ille quidem eum cui irascitur, vicissim molestе aliquid perferre vult: at ille eum quem odit, prorsus extingui. Constat igitur, ex iis sumi posse ea quibus tum eos qui inimici amicive sunt, tales esse doceamus, tum eos qui non sunt, in eam opinionem adducamus, tum dissolvamus ea, quibus nitentur il, qui horum utrumlibet dicent: tum si, irane, an odio factum sit aliquid, ambigatur, utram in partem maluerimus, audientium animos impellamus.

c. VIII. Quae autem, & quos, & quomodo affecti metuant, hac ratione intelligetur. Sit igitur metus molestia aut perturbatio quaedam ex objecta specie imminentis

tis mali, in quo insit vis aut interimendi, aut molestiae inferendae. Non enim omnia mala metuit quia: ut, ne injustus, neve tardo ingenio fiat. Sed quaecunque aut magnas molestias adferre, aut etiam interimere possunt. atque ea ipsa ita demum, si non longe distent, sed propinqua sint, ita ut immineant. Homines enim ea quae longe absunt, non timent. sciunt enim omnes sibi esse moriendum. Sed quia id prope esse non putant, non laborant. Quodsi haec metus natura est, necesse est, terribilia esse, quaecunque videntur magnam vim habere interimendi, aut ita nocendi, ut magna aliqua molestia consequatur. Quocirca talium & signa ipsa terribilia sunt. Prope enim adesse videtur, quod terribile est. Nam & hoc ipsum periculum est, rei terribilis appropinquatio. Talia autem sunt inimicitiae, & ira potentium. Constat enim, eos & velle, & posse: ita ut inibi jam sit, ut faciant. Et injustitia viribus praedita. Nam injustus, eo ipso injustus est, quod velit. Et virtus contumelia affecta, vires habens. Constat enim, eam semper quidem cupere ulcisci se, nunc autem etiam posse. Terribile est etiam metui ab iis qui nocere possunt. paratos enim esse eos necesse est. Quando autem plerique hominum improbi sunt, & vinci se a lucro sinunt, & in periculis timidi sunt: plerumque terribile est ex aliena potestate pendere. Itaque qui facinoris alicujus alii conscii sunt, metuendi sunt, ne aut prodant, aut deferant. Et qui possunt injuriam facere, terribiles iis qui possunt injuria affici. Magnam enim partem homines injuriam, cum possunt, faciunt. Et qui aut injuriam acceperunt, aut accepisse se putant. semper enim captant occasionem. Et qui injuriam fecerunt, si vires habeant, metuendi sunt. metuunt enim, ne quod fecerunt sibi referatur. positum autem est hoc terribile esse. Et competitores earum rerum, quas utrique simul consequi non queunt. semper enim adversus tales quasi bellum quoddam gerunt. Et qui terribiles sunt potentioribus, etiam ipsis terribiles sunt. Nam si potentioribus nocere possunt, multo magis ipsis. Eandemque ob causam ii, quos timent, qui potentiores sunt. Et qui majoribus viribus praeditos sustulerunt. Et qui non dubitant in potentiores impetum facere. aut enim jam metuendi sunt, aut certe cum viribus aucti erunt. Ex

iis

iis autem qui injuria affecti sunt, & ex inimicis, aut competitoribus, non ii qui ira maxime efferveſcunt, & libere loquuntur, ſed ſedati, & diſſimulatores, & callidi. Incertum enim eſt, an prope ſint. ita ut nunquam conſtet, eos longe abeſſe. Omnia autem terribilia, terribiliora ſunt, cum, ſi quid in eis peccatum ſit, corigi non poteſt: ſed aut omnino talia ſunt, ut corrigi non queant, aut eorum correctio in adverſariorum poteſtate ſita eſt. Et adverſus quae auxilium nullum eſt, aut non facile. Atque ut univerſe dicam, terribilia ſunt quaecunque cum aliis eveniunt, aut imminent, miſericordiam commovent. Terribilia igitur, & quae metuunt homines, haec fere praecipua ſunt. Quemadmodum autem affecti ipſi metuant, nunc explicemus. Si ergo metus eſt cum quadam expectatione excipiendi, ac perpetiendi aliquid, quod interitum adferre poſſit: conſtat, eos non metuere, qui ſibi nihil tale evenire poſſe arbitrantur. Neque ea metuunt, quae ſibi putant evenire non poſſe: neque eos, a quibus non putant, neque tunc cum eventura ea non putant. Neceſſario igitur ii demum timent, qui & ſibi evenire poſſe mali aliquid, & ab iis, & haec mala, & tunc evenire poſſe arbitrantur. Non putant autem ſibi tale quidquam accidere poſſe, neque ii qui in magnis proſperitatibus, aut ſunt aut videntur, unde & contumelioſi ſunt, & contemptores, & audaces: tales autem efficit divitiarum affluentia, robur, amicorum copia, potentia: neque ii qui omnia ſibi atrocia evenisſe jam putant, ita ut obriguerint ad futurum: ut ii qui jam ad ſupplicium ducuntur: ſed oportet ſpem aliquam ſubeſſe, ſervari ſe poſſe ab eo quod illos anxios, & ſollicitos habet. Cui rei hoc argumento eſt: quod metus ad conſultandum homines excitat. de rebus autem deſperatis nemo conſultat. Itaque ſi quando cauſſae noſtrae expediet, ut auditores metuant, tunc ita eos dicendo afficere conabimur, ut putent, talia ſibi accidere poſſe: quod & majoribus ac potentioribus acciderint. Oſtendemus etiam, ejusdem ordinis aliquos, qui perpetientur, perpeſſive ſint, a quibus non putaſſent, & quae non putaſſent, & tum cum minime putaſſent.

c. IX. Quando igitur conſtat, quid ſit metus, & quae terribilia, & quomodo affecti ſinguli metuant: conſtat etiam, quid ſit confidere, & quibus in rebus, & quo-

Digitized by Google

modo affecti homines facile confidant. Nam, & fiducia metui adversatur; & id quod fiduciam gignit, ei quod terret. Itaque spes est, cum opinione, ea quae salutem adferre possint, praesto esse: ea vero quae terrendi vim habeant, aut nulla esse, aut longe abesse. Fiduciae autem efficientia sunt haec: si qua terrere possunt, procul absint: quae saluti esse, praesto sint. & cum, si quid evenerit, non desint facultates corrigendi, ac resarciendi: & auxilia aut multa, aut magna, aut utraque. Et si injuriam neque acceperint, neque intulerint: & si competitores aut omnino non sint, aut vires non habeant; aut, si habeant, amici sint. Et si beneficia aut tribuerint, aut acceperint. Aut si plures sint, quibus eadem utilia sint, aut potentiores; aut utrumque. Ipsi autem ita affecti facile confidunt: si multa ad eum quem volebant exitum perduxisse se, neque quidquam sibi incommodi evenisse opinantur. Aut saepe in periculum adducti, incolumes evaserint. Duobus enim modis terroris expertes homines fiunt: aut quod experti non sint, aut quod auxilia parata habeant. Ut in periculis, quibus conflictantur in mari, firmo animo sunt tum qui rudes sunt tempestatum, tum qui usu & experientia multas expediendae salutis suae rationes tenent. Confidunt etiam, cum vident sui similes non terreri, neque inferiores, & eos quibus ipsi se potentiores putant. Eos autem tales esse ducunt, quos vicerunt aut ipsos, aut alios potentiores, aut similes. Et si putent adesse sibi plura, & majora eorum, quibus qui praestant, terribiles sunt. Cujusmodi sunt pecuniae magnitudo, robur corporum, amicorum, regionis, apparatuum belli aut omnium, aut maximorum. Et si aut neminem injuria affecerint, aut non multos, aut non tales, ut ab eis sibi timere debeant. Omninoque si, quae ad Deos pertinent, prospera ipsis ac secunda sint, tum alia, tum signa atque oracula. Nam & ira fiduciam efficit, & iram opinio illa, cum quis non se injuriam facere, sed sibi injuriam fieri putat: & divinum numen existimatur iis quibus injuria fit opitulari. Et eum, si priores impetum fecerint, nihil se incommodi accipere posse, aut accepturos esse, aut rem tamen bene gesturos arbitrantur. Ac de iis quidem quae metum aut fiduciam afferunt, dictum est.

C. X. Quarum autem rerum homines pudeat, quarum

non pudeat, & apud quos, & quomodo affecti ipſi pudore afficiantur, aut minus, ex his intelligetur. Sit igitur pudor moleſtia quaedam, & perturbatio animi, orta ex iis malis quae ignominiam inurere videntur aut praeſentibus, aut praeteritis, aut futuris. Impudentia autem contemptio quaedam, & firmitas animi adverſus ea ipſa. Quodſi haec pudoris natura eſt, neceſſe eſt ea mala cuique pudorem incutere, quae turpia videntur eſſe ipſi, aut iis quos curae habet. Talia autem ſunt quaecunque a vitio proficiſcuntur, ut abjicere clypeum, aut fugere: timiditatis enim eſt: & fraudare alium depoſito: injuſtitiae enim eſt: & commiſcere corpus cum quibus non oportet, aut quo loco, aut quo tempore non oportet: eſt enim intemperantiae: & lucrum facere ex rebus puſillis, aut turpibus, aut ex iis quae fieri non poſſe videantur, ut a pauperibus, aut a mortuis. Unde & proverbium eſt, *etiam a mortuo aliquid abradere.* Hoc enim a turpis lucri cupiditate, & ab illiberalitate naſcitur. Et non ſubvenire pecunia, cum poſſis, aut reſtrictius ſubvenire. & tale auxilium petere ab iis qui minus habent: & mutuam pecuniam capere, cum quis a te petiturus videtur: & petere, cum aliquem repetiturum, aut repetere, cum eum a te petiturum putas. Et laudare, ut petere videaris: & cum repulſus ſis, nihilominus petere. Omnia enim haec ſigna ſunt illiberalitatis: praeſentem autem laudare, adulationis. Et bona quae in eo inſint ſupra modum laudare, mala vero inducere, ac quaſi oblinere. Et immodice dolere alieno dolore. Et quaecunque alia ejus generis ſunt. adulationis enim ſigna ſunt. Et imparem eſſe iis laboribus, quos ferant grandiores natu, aut delicati, aut in majore dignitatis gradu collocati, omninoque ii qui minus videntur poſſe. omnia enim haec mollitiam arguunt. Et ab alio beneficium accipere, & ſaepe. Et quae benigne in alium feceris exprobrare. Haec enim omnia puſilli, & humilis animi ſigna ſunt. Et de ſe dicere ac praedicare. Et aliena ſibi vindicare. arrogantiae enim eſt. Itidemque in omnibus vitiis: nam & facta, & ſigna, & talia turpia & pudenda ſunt. Et praeterea quorum bonorum omnes participes ſint, aut omnes ſimiles, aut plerique, eorum expertem eſſe. ſimiles autem voco, qui ejusdem gentis ſunt, civitatis, aetatis, familiae, uno verbo, pares. Jam enim

tur-

turpe est, eorum participem non esse: ut eruditionis, usque ad aliquem modum, itidemque aliorum. Atque haec omnia eo turpiora, si in ipso culpa haereat. Tunc enim magis intelligitur, haec a vitio esse, cum quis sibi causa est, ut ea in se aut extiterint, aut sint, aut futura sint. Verecundantur autem cum sibi aut eveniunt, aut evenerunt, aut eventura sunt, quaecunque ignominiam ac dedecus conciliant. Ut cum quis aut corpore, aut foedis factis alicui inservit, ac morigeratur. cujus generis est, flagitiosam alicujus libidinem explere. Ac quae quidem ad intemperantiam pertinent; turpia sunt, sive sponte, sive invitus ea quis perferat: quae autem ad vim, ita demum, si invitus. Talis enim perpessio ab ignavia est, & timiditate. Et ea a se non depellere; neque ulcisci. Quae igitur pudorem incutiunt, haec & talia sunt. Quoniam autem pudor est species quaedam quae obversatur animo, amissae, amittendaeve existimationis, idque ipsius existimationis causa, non eorum quae inde proveniunt: & nemo de existimatione laborat, nisi propter ipsos, qui de se existimant: necesse est, eorum quemque pudere, quorum rationem sibi habendam putat. Rationem autem quisque habet eorum a quibus colitur, & eorum quos colit ipse, & eorum a quibus se coli vult: & eorum quibuscum de honore concertat, & quorum opinionem non contemnit. Coli igitur ac suspici se ab iis volunt, eosque suspiciunt ipsi, qui bono aliquo praediti sunt, eorum quae honore digna censentur. Aut a quibus vehementer cupiunt impetrare aliquid, quod in ipsorum potestate est, ut amantes. De honore autem concertant cum paribus Laborant autem de opinione prudentium, ut qui vere opinentur. Tales autem sunt senes, & eruditi. Et pudorem movent quae in oculis sunt, & in propatulo. Unde & proverbio dicitur, *pudorem in oculis habitare.* Quare eorum magis nos pudet, qui semper una futuri sunt, & qui attente observant quid a nobis agatur. Utrumque enim est in oculis. Et eorum qui iisdem culpis obnoxii non sunt. constat enim contra ipsis videri. Et eorum qui quos peccare putant, facilea ad tribuendam eis veniam non sunt. Ajunt enim, quae quisque facit, ea facientibus aliis eum non indignari: ex quo perspicuum est, indignari, cum ea faciunt, quae ipse non facit. Et qui quae sciunt, libenter in vulgus

enuntiant. Nihil enim intereſt non videri peccaſſe, & peccatum non efferri foras. Libenter autem talia diſeminant, tum qui injuriam acceperunt: obſervant enim, quid fiat ab iis a quibus laeſi ſunt: tum maledici. nam ſi eos qui nulla in re peccant, traducunt tamen, multo magis eos qui peccant. Et ii qui aliena peccata inquirere ſibi ſtudio habent, ut deriſores, & comoediarum ſcriptores: nam hi quoque maledici ſunt, & ad aliena peccata divulganda propenſi. Eos quoque verentur, a quibus nihil unquam fruſtra petierunt: videntur enim eis admirationi eſſe. Quo fit, ut etiam eos vereantur, qui tunc primum a ſe aliquid petunt, ut apud quos integra adhuc ſit exiſtimatio ſua. Tales autem ſunt, & qui recens amici nobis eſſe cupiunt: viderunt enim quae in nobis ſunt optima: unde bene reſpondit Euripides Syracuſanis: & ex vetuſtis familiaribus, ii qui nullius turpitudinis conſcii ſunt. Pudorem autem commovent non ea modo ipſa quae diximus pudenda eſſe, ſed & eorum ſigna. Exempli cauſſa, non tantum rebus venereis operam dantes verecundantur: ſed & ejus rei ſigna pudorem incutiunt: neque tantum facientes ea quae turpia ſunt, ſed & dicentes. Eodemque modo non tantum eorum nos pudet, quos diximus, ſed & eorum qui ipſis indicaturi ſint. Itaque ſervos quoque, & amicos eorum veremur. Omnino autem neque eos veremur, quorum opinionem valde contemnimus: ut nemo veretur puerulos, aut beſtias: neque earundem rerum pudet apud familiares & apud ignotos: ſed apud familiares quidem, eorum quae ad veritatem, apud externos autem, eorum quae ad opinionem. Ipſi autem ita affecti, facile verecundantur: primum quidem ſi qui ſint ita erga eos affecti, ut eos eſſe diximus, quos verentur. Erant autem, ii aut qui admirationi ſunt, aut qui admirantur, aut quibus admirationi eſſe ſtudent, aut a quibus egent re aliqua, quam, ſi exiſtimationem amiſerint, non conſequentur. Hique, ſi aut videant: ut Cydias in oratione de dividendo agro Samio dixit: petiit enim ab Athenienſibus, ut exiſtimarent ſe circtos eſſe corona Graecorum omnium, qui non tantum audituri eſſent, ſed viderent ea quae illi ſuffragiis ſuis ſciſcerent: aut prope ſint, ſenſurive ſint. Quo fit, ut qui in malis ſunt, ſe tunc ab eis conſpici nolint, qui eos aliquando beatos eſſe ducebant. Quem enim

Digitized by Google

enim quis beatum esse judicat, eundem admiratur. Et si habeant ea quae pudorem incutiunt, sive res, sive actiones vel suas, vel majorum, vel aliorum quibus cum aliqua eis intercedit necessitudo: omninoque eorum pro quibus ipsi verecundantur. Tales autem sunt tum si quos diximus, tum ii qui aut magistris nobis, aut consiliariis usi sunt. Et si qui sint ejusdem ordinis, cum quibus de honore contendant. Multa enim & faciunt homines, & non faciunt, talium pudore commoti. Magis etiam eos pudet, qui sciunt se visum iri a conscis contractae illius maculae, & in illorum oculis fore. Unde & Antipho poëta, cum Dionysii jussu ad supplicium ducerentur, videretque eos quibus secum una moriendum erat, cum e portis exirent, caput sibi obvolventes, Quid, inquit, caput obnubitis? an ne quis vos horum cras videat? Haec igitur de verecundia dicta sint. De invverecundia autem, constat, e contrariis magnam nobis enthymematum copiam fore.

C. XI. Quibus autem gratiam habeant, & quas ob res, aut quomodo ipsi affecti, perspicuum erit, si prius, quid gratia sit, definierimus. sit igitur gratia, qua is qui quid habet, dicitur gratificari indigenti: non ut aliquid referat: neque ut ad eum qui gratificatur aliquid propterea perveniat: sed ejus tantum caussa, cui gratificatur. Magna autem, si aut valde egentibus, aut si magna tribuantur, aut difficilia, aut in ejusmodi temporibus, aut si solus, aut primus, aut maxime. Egere autem dicuntur homines iis quae appetunt, maximeque si eis carere sine dolore non possunt. Tales autem sunt cupiditates: ut amor. Et qui male affecto sunt corpore, & qui in periculis versantur. Nam & qui periclitatur, & cui aegre est, concupiscit. Quocirca & qui in paupertate, fugave subveniunt, etiam si parva quaedam ac minuta suppeditaverint, propter magnitudinem indigentiae, & propter tempus ipsum, magnam gratiam ineunt. Ut is qui in Lyceo storiam dedit. Necesse igitur est ad talia subvenire iis, quos devincire volumus: sin id non liceat, ad aequalia, aut majora. Itaque cum constet, & quando, & quibus in rebus, & quomodo affectis hominibus tribuendo beneficio concilietur gratia: perspicuum est, ex iis sumenda esse, quibus ostendamus, hos quidem aut esse, aut fuisse in tali molestia, & indigentia:

illos autem in tali necesitate suppeditasse tali aliquid. Constat etiam, unde sumenda sint, quibus removeri possit gratia, & effici, ut nulla gratia deberi videatur. Aut enim suum commodum illos in tribuendo sequi, secutosve esse: id autem beneficium non est: aut casu fecisse, aut coactos: aut reddidisse, non dedisse. seu scientes, seu nescientes. Utroque enim modo aliquid pro aliquo redditur: ut ne sic quidem gratia ulla debeatur. Ac perlustrandae sunt animo omnes categoriae. Spectatur enim beneficium re ipsa, magnitudine, qualitate, tempore, loco. Signum autem, si minus aliquid nobis tribuere noluerunt. Et si inimicis suis aut eadem, aut paria, aut majora tribuerunt Constat enim, ne illa quidem tribuisse quod nobis bene cuperent. Aut si quis ea quae tribuit vilia esse norit. Nemo enim vilibus egere se confitetur. Quibus igitur rationibus gratia aut conciliari, aut detrahi possit, expositum est

c. XII. Nunc autem dicamus, quae miserabilia sint, & quorum misericordia commoveri, & quomodo ipsi affecti, homines soleant Sit igitur misericordia aegritudo quaedam exorta ex eo quod malum esse videatur, aut interitus, aut molestiae adferendae vim habens, ei qui tali forte indignus sit: quodque tale est, ut id nobis quoque, aut alicui nostrorum evenire posse arbitremur: idque si ejusmodi malum propinquum esse videatur. Constat enim, necesario requiri, ut is, qui alium miseraturus est, talis sit, ut putet aut sibi, aut suorum alicui evenire posse aliquid mali, idque tale, quale in definitione dictum est, aut simile, aut propinquum. Quare neque si qui funditus periisse se putant, miserantur: nihil enim amplius sibi putant diri evenire posse, ut quibus omnia jam evenerint: neque qui sibi supra modum beati videntur: immo vero contumelioſi sunt. Nam si bona omnia sibi adesse putant: illud quoque necesse est sibi adesse existiment, ut ne in ullum malum incidere possint: est enim hoc quoque in bonis. Contra vero tales sunt, ut posse sibi evenire aliquid putent, tum ii, qui jam in malum aliquod inciderunt, ex eoque evaserunt: tum senes & propter prudentiam, & propter experientiam. Et imbecilli, & timidiores magis. Et eruditi: bene enim secum rationem reputant. Et quibus sunt parentes, aut liberi, aut uxores. Nam & eos in suis quisque ducit: & obno-

xii

xii ſunt ejusmodi caſibus. Non autem ii qui ſunt in motu animi ad adjuvandam fortitudinem apto, ut in ira, & confidentia. Haec enim, quid futurum ſit, non cogitant. Neque ii quos contumelioſos ſecundae res fecere: nam nec hi quidem putant ſibi quidquam accidere poſſe. ſed qui inter hos interjecti ſunt. Neque rurſus qui valde metuunt: neque enim qui perterrefactus eſt, miſeratur alios, ſed ipſe de ſe cogitat. Et ſi viros bonos eſſe aliquos putent. nam qui de nemine bene ſentit, omnes malo dignos eſſe arbitrabitur. Omnino autem cum ita affectus aliquis eſt, ut aut ſibi aut ſuis talia, vel jam evenisſe meminerit, vel ne eveniant timeat. Quemadmodum igitur affecti miſereantur, dictum eſt. Quae autem res miſericordiam concitent, ex definitione perſpicuum eſt. quaecunque enim moleſtiam ac dolorem inurunt, omnia miſerabilia ſunt. Et quaecunque interimendi vim habent. Et quorum malorum cauſſa fortuna eſt, quae quidem alicujus ponderis ſint. Dolorem autem adferunt, & interimendi vim habent mortes, verbera, corporum vexationes, ſenectus, morbi, cibi penuria. Mala autem quae a fortuna invehuntur, ut ſolitudo ab amicis, ut paucitas amicorum Itaque etiam divelli ab amicis, & familiaribus, miſerabile eſt. Et deformitas, imbecillitas, debilitatio. Et ſi unde boni quid expectari par erat, inde malum aliquod proveniat. Et ſi ſaepe tale aliquid contingat. Et ſi boni quid tum demum evenit, cum is, cui evenit, perpeſſus eſt quicquid perpeti poterat. Ut Diopithi regia munera jam mortuo miſſa ſunt. Et ſi boni aut nihil evenerit, aut tum demum evenerit, cum fructus jam nullus ex eo percipi poteſt. Haec igitur, & talia ſunt, quae miſericordiam commovent. Miſerantur autem & familiares: niſi ſi qui eis arcto admodum neceſſitudinis vinculo conjuncti ſint. nam in hos ita affecti ſunt, ut in ſe ipſos. Quocirca & Amaſis filium quidem ad ſupplicium duci videns, non illacrimavit: ſed cum amicum mendicantem videret. Nam hoc quidem miſerabile erat: illud autem atrox. Differt enim atrox a miſerabili: immo vero atroeitas miſericordiam exturbat: ſaepeque in contrarium utiliter adhibetur. Miſerantur praeterea, cum id quod grave ac moleſtum eſt, appropinquat. Et quisque ſimiles ſui, aut aetate, aut moribus, aut habitibus, aut dignitate, aut genere. Nam

haec omnia efficiunt, ut magis putet quisque sibi idem evenire posse. Omnino hic quoque intelligendum est, quaecunque homines in semet ipsis metuunt, ea cum aliis eveniunt, misericordiam commovere. Quoniam autem quae perpessu acerba sunt: ita demum miserationem commovent, si prope esse videantur: quae autem decem abhinc millibus annorum fuerunt, futurave sunt, neque expectantes, neque memoria repetentes miserantur, aut omnino, aut non adaeque: necesse est, eos, qui ad misericordiam commovendam conformati sunt, & gestu corporis, & voce, & veste, & omnino actione miserabiliores esse. Haec enim qui adhibent, efficiunt, ut res propinqua esse videatur, constituentes malum ante oculos, aut ut futurum, aut ut praeteritum, & quae nuper fuere, aut brevi futura sunt, propter eam ipsam causam miserabiliora sunt. Et indicia, & actiones: ut vestes eorum qui grave aliquid pertulerunt, & quaecunque ejus generis sunt: & sermones ab iis habiti in ipsa calamitate, ut jam morientium: praecipueque si in ejusmodi temporibus bonos viros se esse ostenderint. Omnia enim haec, quia vicina videntur, efficaciora sunt ad misericordiam commovendam: tum quod is cui talia obtigere, tali sorte indignus sit: tum quod ante oculos res ipsa statuatur.

C XIII. Misericordiae autem maxime quidem adversatur ea quae indignatio dicitur. Pugnant enim haec quodammodo, cum tamen ab iisdem moribus proficiscantur, dolere adversis rebus alicujus, quod eis indignus sit: & prosperis, quod is item indignus sit. Uterque autem horum animi motuum hominis est bonis moribus praediti. Nam & quibus res immerentibus male succedunt, cum eis una dolere, eosque miserari: & quibus bene, praeter ipsorum dignitatem, eis indignari oportet. Injustum enim est, quicquid est praeter dignitatem. Quocirca Diis quoque ipsis tribuimus indignationem. Videri autem potest, & invidentia miserationi eodem modo opponi, tanquam vicina, & eadem cum indignatione: sed tamen alia est. Nam & invidentia aegritudo quaedam est, quae animum perturbat ob res alterius secundas, non tamen ejus qui eis indignus sit: sed qui aequalis ac similis. Hoc autem & in eis qui indignantur, & in eis qui invident peraeque inesse oportet, ut ne doleant cau-

sa

ſa ſua, neque quod ſibi aliquid aliud eventurum putent: ſed ejus tantum ipſius cauſa, qui proſpera fortuna utitur. Jam enim haec non invidentia, neque indignatio fuerit, ſed metus, ſi eo angatur quis ac perturbetur animo, quod ex aliena proſperitate mali ſibi aliquid eventurum ſit. Conſtat autem fore, ut ex his affectibus alii etiam affectus inter ſe contrarii conſequantur. Nam qui ex bonorum virorum calamitatibus dolorem capit, idem ſi malis male eſſe viderit, aut gaudebit, aut certe nullam ex ea re moleſtiam ſentiet. Nemo enim vir bonus parricidae aut ſicarii ſupplicio miſericordia commovetur. Gaudendum enim potius eſt, cum tale aliquid evenit: ut & cum proſpera fortuna utuntur, qui ea digni ſunt. Utraque enim juſta ſunt, & viro bono gaudium adferunt. Neceſſario enim quae videt evenire ſui ſimili, ea ſperat etiam eventura ſibi. Eorundemque morum haec omnia ſunt: ut contraria contrariorum. Nam qui alienis malis laetatur, idem eſt etiam invidus. Nam quae cuique res cum ſit, cumque eſt, moleſtiam adfert: idem ejus rei abſceſſu atque interitu gaudeat, neceſſe eſt. Quare ſunt haec quidem omnia apta ad impediendam miſericordiam: differunt autem inter ſe ob eas quas diximus cauſas. Itaque ſunt omnia eodem modo utilia ad efficiendum, ne res miſerabiles eſſe videantur. Primum igitur de indignatione dicamus, tum quibus indignentur, tum quas ob res, tum quomodo ipſi affecti: deinde cetera perſequemur. Hoc autem ex iis quae jam diximus, planum eſt. Si enim indignari eſt, aegre ferre, quod alicui res proſpere ſuccedant praeter ipſius dignitatem: primum quidem conſtat, non omni cujusque generis bona indignationem concitare. Non enim ſi quis juſtus aut fortis evadat, aut virtutem denique aliquam conſequatur, propterea ei quisquam indignabitur. Neque enim contrariis rebus miſericordia commovetur. Sed ſi opes, ſi potentiam, & talia, quibus, ut univerſe loquar, digni ſunt viri boni: & ii qui habent ea quae natura bona ſunt, ut nobilitatem, dignitatem formae, & quae ſunt hujus generis. Quoniam autem quod antiquum eſt, prope naturale videtur eſſe: neceſſe eſt ſi plures idem bonum habeant, majorem in eos indignationem concitari, qui id nuper conſecuti ſint, atque ob id bene, ac feliciter vivant. Majorem enim dolorem inurunt ii,

qui nuper ad divitias pervenerunt, quam ii, quibus illae veteres ſunt, & hereditariae. Eodemque modo qui ad imperia, ad potentiam, ad copiam amicorum, liberorum, & quaecunque alia ſunt ejusdem generis. Itidemque, ſi horum ope aliquid aliud boni nanciſcantur. Nam & hic majorem moleſtiam afferunt, qui repente divites facti ſunt, ſi propter opes magiſtratum aliquem ceperint, quam ii, quibus vetuſtae ſunt divitiae. Eademque in cereris ratio. Cauſa autem eſt: quoniam hi quidem videntur ſua & propria habere: illi autem non ſua. Quod enim ſemper videtur ita ſe habere, verum videtur. Quo fit, ut alii videantur habere non ſua. Ac quoniam non cuilibet bonum quodlibet convenit: ſed eſt quaedam analogia, & aliud alii convenit: ut pulchra arma non juſto conveniunt, ſed forti: & matrimonia praeſtantia non iis qui nuper divites eſſe coeperunt, ſed nobilibus: evenit, ut interdum etſi vir bonus conſequatur aliquid boni, quia tamen id bonum ipſi non convenit, commoveatur indignatio. Sed & ſi inferior cum ſuperiore contendat: maxime quidem, ſi ea ipſa in re in qua inferior eſt. Unde & illud dictum eſt: *Ajacis autem declinabat pugnam Telamoniadae. Jupiter enim ei indignabatur, ſi quando fortiori viro contenderet.* Sin minus, etiam quacunque in re inferior cum ſuperiore contendat. Ut ſi muſicus cum viro juſto. praeſtat enim juſtitia muſicae. Quibus igitur & propter quae indignentur, ex his perſpicuum eſt. ſunt enim haec & talia. Propenſi autem ſunt ad indignationem, qui & maximis bonis digni ſunt, & ea conſecuti. Neque enim juſtum eſt, ſimilem eſſe eorum qui ſimiles non ſunt, dignitatem. Secundo autem loco, qui cum boni, gravesque viri ſint, ea non conſequuntur: nam & recte judicant, & oderunt ea quae injuſta ſunt. Et ſi honoris cupidi, ac talium actionum appetentes: praecipue ſi iis in rebus gloriae cupidi ſint, quas alii, cum indigni ſint, conſequuntur. Omninoque qui dignos eſſe ſe exiſtimant iis quibus indignos alios eſſe ducunt, eis, & ob illa, facile indignantur. Quo fit, ut homines fervili ingenio praediti, & non magni pretii, qui nullo ſtudio honoris tenentur, non ſint propenſi ad indignationem. Nihil enim tale eſt, quo ſe ipſi dignos exiſtiment. Conſtat autem ex iis, cujusmodi ſint homines, quibus adverſa fortuna uten-

Digitized by Google

mentibus, aut male rem gerentibus, aut ab eo quod cupiunt excidentibus, gaudere, aut certe nullam ex eo molestiam capere oportet. Ex iis enim quae diximus etiam contraria intelliguntur. Itaque si dicentis oratio judices quidem tales effecerit, eos autem qui misericordiam sui commovere conantur, iis ipsis in rebus de quibus agitur, ostendat esse indignos qui consequantur quod volunt, dignos autem qui non consequantur, fieri non potest, ut miseratio excitetur.

c. XIV. Constat autem, & quas ob res invideant, & quibus, & quomodo ipsi affecti. Si quidem invidia est, molestia quaedam ex eo, quod in eo, de quo diximus, bonorum genere, alii similes bene ac feliciter rem gerere videantur: idque non ut ne quid eveniat ei qui invidet, sed eorum ipsorum causa quibus invidetur. Ergo invidebunt ii, quorum aliqui similes aut sunt aut videntur. Similes autem dico, genere, cognatione, aetate, habitu, gloria, facultatibus. Et quibus parum abest, quin eadem omnia sint. Quocirca qui magnas res gerunt, fortunaeque prospera utuntur, invidi sunt: quicquid enim ad alios pervenit, id sibi eripi arbitrantur. Et qui praeter ceteros in re aliqua magni sunt: maximeque si ob sapientiam, aut felicitatem. Et honoris cupidi magis invidi, quam qui honoris studio vacant. Et qui opinionem sapientiae aucupantur. Coli enim ob sapientiam volunt. Et omnino qui ex quaque re gloriam captant, ubi de ea re agitur, facile aliis invident. Et qui angusti, ac pusilli sunt animi: omnia enim eis videntur magna. Quae autem bona sint, ob quae invidetur, jam dictum est. nam ex quibuscunque rebus gloriam, & honorem ambiunt, hominumque opinionem aucupantur, & quaecunque in prosperitate fortunae posita sunt, iis fere omnibus invidia concitatur. Maximeque ob ea quae ipsi appetunt, aut putant habere se oportere: aut quorum possessione ipsi vel paullo superiores sunt, vel paullo inferiores. Perspicuum etiam est, quibus invideant. nam eadem opera id quoque explicatum est. Proximis enim & tempore, & loco, & aetate, & gloria invident. Unde dictum est, *Namque invidere novit & cognatio.* Et iis, quibuscum de honore contendunt. Si quidem & cum iis contendunt, quos diximus: neque invidet quisquam iis qui abhinc decem milibus annorum aut fuerunt, aut erunt, aut

aut mortuis, neque iis qui habitant ad columnas Herculis, neque iis a quibus se longo intervallo, aut suo aut aliorum judicio relinqui putant, neque iis, quibus se multo superiores esse arbitrantur, talibus, & ob talia non invident. Quoniam autem cum eorundem studiorum aemulis, & cum rivalibus, omninoque cum iis qui eadem quae ipsi, concupiscunt, de honore concertant, eis maxime invideant, necesse est. Unde dictum est: *& figulus figulo*. Et iis qui cito aliquid consecuti sunt, ab iis qui vix, aut ne vix quidem idem consequi potuerunt, invidetur. Et iis quibus id quod volunt consecutis, ac bene rem gerentibus aliquod nobis ex eo dedecus conflari videtur. Tales autem sunt, qui propinqui, similesque sunt. Constat enim, quod non idem bonum consequamur, culpa id nostra evenire: quare ea molestia animum vellicans invidiam efficit. Et iis a quibus quae sibi conveniunt, quaeve ipsi olim obtinuerunt, haberi, atque obtineri vident. Quae causa est, cur seniores, junioribus invideant. Invident etiam qui magnos sumptus ad aliquid obtinendum fecerunt, iis qui parvo sumptu idem sunt consecuti. Constat etiam, quas ob res, & quibus in personis, & quomodo affecti ii qui tales sunt gaudeant. Nam quomodo affecti dolent alienis bonis, eodem modo affecti gaudebunt contrariis. Itaque si judices quidem ita oratione conformati fuerint: si autem qui misericordiam sui excitare, aut boni quid consequi volunt, tales sint, quales paullo ante diximus, constat, eos ab iis, quorum in manu, & arbitrio res est, misericordiam non consecuturos.

c. xv. Quomodo autem affecti, & qualia, & in quibus aemulentur, ex iis, quae statim dicturi sumus, intelligetur. Nam si aemulatio dolor quidam est, cum iis qui nobis natura similes sunt, bona quaedam honorifica suppetant, quorum ipsi quoque capaces sumus, non quod ea in illis insint, sed quod nobis quoque non insint: (unde & aemulatio bonum quiddam est, & bonis viris conveniens; at invidere, improbum, & hominum improborum: nam qui aemulatur, talem efficere se studet, ut ipse quoque boni aliquid nanciscatur: at qui invidet, id studet efficere, ut ne alter boni quid habeat) necesse est, propensos esse eos ad aemulandum, qui dignos esse se putant bonis quibusdam quibus carent: cum tamen eo-

eorum capaces sint. Neque enim quisquam ea postulat, quae capere se non posse intelligit. Quare tales sunt adolescentes, & magnanimi: & quibus talia bona suppetunt, quae honoratis viris digna sunt. ut opes, amicitiae, magistratus, & ejusdem generis alia. Bonos enim viros esse se, par esse arbitrantur, quia tales esse par est eos, qui talibus bonis affluunt. Et quos ceteri tales putant. Et quorum majores, aut cognati, aut propinqui, aut gens, aut civitas honorata est, faciles sunt iisdem in rebus ad aemulandum. Propria enim sibi esse haec, seque eis dignos esse arbitrantur. Quodsi ea bona quae honorem pariunt, aemulanda sunt, necesse est, & virtutes ejusmodi esse: & quaecunque aliis fructuosa, ac benefica sunt. honos enim tribuitur beneficis, ac probis viris. Et bona quorum fructus ad propinquos pertinet: ut opes, ac pulchritudo magis, quam bona valetudo. Constat & qui ad aemulandum expositi sint: haec enim & talia qui habent, facile aemulos inveniunt. Sunt autem haec quae diximus: ut fortitudo, sapientia, imperium. Qui enim imperant, multis benefacere possunt: exercituum ductores, oratores, omnes denique, quibus talis aliqua potentia est. Et ii quorum similes multi, aut familiares, aut amicos esse se studeant. Et quos multi mirantur, aut ii quos ipsi mirantur. Et quorum laudes, & encomia celebrantur vel a poëtis, vel ab orationum scriptoribus. Contemnunt autem homines ii quos diximus contrarios. adversantur enim haec inter se, aemulatio, & contemptus: aemulari, & contemnere. Necesse est autem eos qui tales sunt, ut aut ipsi alios, aut ipsos alii aemulentur, contemptores esse eorum in quibus insunt mala iis bonis quae aemulationem commovent contraria, idque ob ea ipsa mala. Quo fit, ut saepe contemnant homines fortunatos, si quando eis toto illo genere bonorum quod honore dignum est carentibus, fortuna tantum adsit. Quaenam igitur ea sint, quibus animorum motus aut excitari, aut sedari queant, qui etiam fidem conciliant, explicatum est.

C. XVI. Nunc autem qui mores, aut animorum motus, aut habitus unamquamque aetatem, ac fortunam consequi solent, explicemus. Dico autem animorum motus, iram, cupiditatem, & talia, de quibus ante dictum est: habitus autem virtutes, & vitia. dictum est au-

autem de iis quoque in superioribus: quae consilia capere, & cujusmodi res gerere soleant, qui eis praediti sunt. Aetates autem sunt, juventus, aetas virilis, & senectus. Fortunas autem voco, nobilitatem, opes, potentiam, quaeque iis adversantur, omninoque prosperam, adversamque fortunam. Juvenes igitur iis moribus sunt, ut facile concupiscant, & quae concupiverunt exequantur: & ex cupiditatibus corporis, maxime propensi in Venerem, ejusque impotentes. Facile autem mutantur, & fastidiunt ea quae concupiverunt. Et valde quidem cupiunt. sed cito desinunt. Acriter enim volunt quod volunt, sed non diu volunt. Qualis esse fames ac sitis aegrotantium solet. Et iracundi, & in ira celeres, talesque, ut animi impetum sequantur: & imperat eis ira. Nam prae honoris studio non patiuntur se contemni, sed excandescunt, si qua se injuria affici putent. Et honoris cupidi sunt, aut potius victoriae. Praestare enim aliis cupit juventus. Victoria autem, exuperantia quaedam est. Atque utriusque harum rerum studiosiores sunt, quam pecuniae: pecuniae autem minime omnium: propterea quia nondum experti sunt egestatem. quale est illud Pittaci dictum de Amphiarao. Neque malitiosi sunt; sed boni ac simplices: quia nondum multa improbe facta cognorunt. Et credili, quia non saepe delusi sunt. Et faciles ad sperandum. Ut enim ebrii, sic & juvenes calidi sunt natura. simulque quia nondum eos sua spes saepe frustrata est. Et magnam partem spe vivunt. Nam spes quidem futuri est, memoria autem praeteriti. Juvenibus autem quod futurum est, multum est: quod praeteriit, breve. primis enim temporibus aetatis, nihil se meminisse, omnia sperare arbitrantur. Et tales ut nihil negotii sit eos fallere: facile enim sperant. Et fortiores. iracundi enim sunt, & spei pleni. Quorum illo quidem fit, ut ne timeant: hoc autem, ut confidant. Nam neque quisquam dum irascitur, timet, & concepta animo boni spes, confidentes facit. Et verecundi. Nondum enim percipiunt quae pulchra sunt, expetenda esse: sed a lege tantum instituti sunt. Et magnanimi. nondum enim domiti ac compressi sunt a vita; immo rudes sunt rerum necessariarum. Et magnitudo animi est, dignum se magnis rebus existimare: id autem bene sperantis est. Et in agendis iis quae dignitatem ha-

habent potius versari volunt, quam in iis quae utilitatem adferunt. Mores enim magis, quam ratiocinationem in vivendo sequuntur. Est autem ratiocinatio quidem ejus quod utile est: virtus autem honesti. Et amicorum ac sodalium amantes magis, quam ceterae aetates: tum quia gaudent convictu: tum quia nondum quidquam utilitate metiuntur: quare ne amicos quidem. Et quicquid peccant, in eo peccant, quod modum transeunt, suntque justo vehementiores: adversus dictum Chilonis. nimis enim faciunt omnia. nam & nimis amant, & nimis oderunt, & adaeque cetera omnia. quin & scire se cuncta putant, & adseverant. nam & haec causa est, cur omnibus in rebus modum transeant. Et eas injurias faciunt quae cum contumelia conjunctae sunt, non quae a nocendi studio proficiscuntur. Et propensi sunt ad misericordiam. omnes enim bonos, & meliores quam sint, arbitrantur. sua enim innocentia alios metiuntur: ita ut eos indigna pati putent. Et amantes risus, quare etiam urbani. Urbanitas enim, erudita contumelia est. Mores igitur adolescentum quidem hujusmodi sunt.

C. XVII. Seniores autem, & ii, qui jam defloruerunt, fere contrariis sunt moribus. Nam quia diu vixerunt, pluribusque in rebus decepti sunt, atque aberrarunt, quodque rerum humanarum magna pars fluxa est, neque quidquam pro certo confirmant, & sunt in omnibus rebus remissiores. Et putant: sciunt autem nihil. Et dubitantes, semper addunt ad ea quae dicunt, fortasse, & facile: & omnia ita dicunt, asseveranter autem nihil. Et malitiosi sunt. malitia enim est, de omnibus in deteriorem partem suspicari. Ac praeterea suspiciosi, propter incredulitatem: increduli autem propter experientiam. Ac neque valde amant, neque valde oderunt, ob eas causas. Sed ex Biantis praecepto, & *amant ut osuri*, & *oderunt ut amaturi*. Et parvi animi: quia domuit, ac compressit eos vita. nullam enim rem magnam, neque eximiam, sed ea quae ad vitam necessaria sunt, concupiscunt. Et illiberales. nam una quaedam rerum necessariarum est pecunia. ac simul usu edocti sciunt, quam difficile sit adquirere, & quam facile amittere. Et timidi, ac cuncta praemetuentes: ut qui contra adfecti sint, quam juvenes; nam hi refrigerati sunt, illi calidi.

Ita

Itaque senectus viam muniit ad timiditatem. nam & metus refrigeratio quaedam est. Et vitae amantes, praesertim extremo vitae tempore. est enim cupiditas ejus quod abest. & qua quisque re eget, eam maxime concupiscit Et plus satis queruli. nam & haec parvitas quaedam animi est. Et ad utilitatem omnia plus quam par est in vivendo dirigunt, non ad dignitatem. amant enim semet ipsos & quod utile est, id cuique bonum est: quod autem pulchrum, simpliciter. Et inverecundi potius, quam verecundi. quia enim non aeque curant id quod pulchrum est, & id quod utile, de opinione aliorum non laborant. Et non facile adducuntur ad sperandum, propter experientiam. pleraeque enim res hominum fluxae sunt. & plerumque in deteriorem partem cadunt. ac praeterea propter timiditatem Et memoria vivunt potius, quam spe. vitae enim quod ipsis supereſt, parum est: quod praeteriit; multum. est autem spes quidem futuri: memoria autem praeteritorum. Quae etiam eis causa est loquacitatis. perpetuo enim narrant ea, quae temporibus suis facta sunt: ut qui ex eorum recordatione voluptatem capiant. Irae autem eorum acres sunt, sed imbecillae. Et cupiditates aliae quidem deseruerunt eos, aliae autem oblanguere. Itaque neque cupiditatibus agitantur, neque eas in agendo sequuntur, sed lucrum. quare qui ea aetate sunt, temperantes videntur. nam & remiserunt ipsae cupiditates: & serviunt lucro. Et magis vitam dirigunt ad ratiocinationem, quam ad mores. nam ratiocinatio id quod utile est spectat, mores virtutem. Et injurias faciunt non cum contumelia, sed cum studio nocendi conjunctas. Misericordes autem sunt etiam senes, sed non eadem de causa qua juvenes. Illi enim propter benevolentiam erga homines: hi propter imbecillitatem. Omnia enim mala putant sibi imminere. Hoc autem dicebamus esse misericordis. Unde & queruli sunt, ac non urbani: neque jocorum amantes. Querulum enim esse, & jocorum amantem, adversantur. Juvenum igitur, & senum mores hi sunt. Itaque quando homines libenter accipiunt eas orationes, quae moribus suis congruunt, ac similes: non est obscurum, quo modo ita uti oratione possimus, ut & ipsa oratio, & nos ipsi tales esse videamur.

c. XVIII. Qui autem corroborata ac confirmata aetate sunt,

con-

conſtat, eos, quod ad mores attinet, inter illos de quibus diximus, medios fore: detracto eo quod in utrisque nimium eſt. Ergo neque valde confidentes erunt: id enim audaciae eſt; neque valde meticuloſi. Sed recte ad utramque affecti. Neque omnibus credentes, neque omnibus diffidentes: ſed omnia magis ex veritate pendentes. Neque tantum dignitate, neque tantum utilitate, ſed utraque vitam dirigentes. Neque ad parſimoniam, neque ad effuſionem propenſi, ſed ad id quod convenit. Itidemque neque ad iram, neque ad cupiditatem: ſed, & temperantes cum fortitudine, & fortes cum temperantia. nam in juvenibus, & in ſenibus diviſa ſunt haec. Si quidem juvenes quidem fortes, & intemperantes ſunt: ſenes autem temperantes, & timidi. Atque ut univerſe loquar, quaecunque utilia ſeorſum habent juventus & ſenectus, ea utraque habent. quibus autem in rebus illae modum aut tranſeunt, aut non attingunt, in eis a confirmata aetate moderatio, acquabilitasque retinetur. Viget autem corpus quidem a trigeſimo aetatis anno usque ad trigeſimum quintum. animus autem circa undequinquageſimum. De juventute igitur, & ſenectute, & confirmata aetate, quibus unaquaeque moribus ſit, haec dicta ſint.

C. XIX. De bonis autem quae a fortuna eveniunt, qui quae eorum mores comitari ſoleant, deinceps explicemus. Ergo nobilitatis quidem mores hi ſunt, ut eum in quo eſt efficiat honoris ſtudioſiorem. Solent enim quibuſcunque bonum aliquod abeſt, illud augere, quaſique cumulare. Eſt autem nobilitas, dignitas majorum, & contemptorem etiam eorum, qui ſimiles ſunt ipſorum majoribus. Propterea quod haec procul magis, quam in propinquo poſita, honorificentiora, & glorioſiora habentur. Nobilitas autem in familiae virtute conſiſtit: at generoſus dicitur, qui a natura non degenerat. Quod plerumque non contingit nobilibus: immo multi eorum ſunt haud magni pretii. Nam ut in agris, iisque quae e terra gignuntur: ita in familiis proventus quidam eſt: & interdum, ſi bona familia fuerit, naſcuntur in ea ad aliquod tempus viri eximii: ac deinde rurſus ex intervallo alios emittit. Degenerant autem illae quidem familiae quae ingenio excellunt, in mores inſaniores: ut qui ab Alcibiade, & a Dionyſio ſuperiore orti ſunt. Quae

autem stabili, & firmo ingenio praeditae sunt, in ignaviam, & stolliditatem: ut qui a Cimone, & Pericle, & Socrate.

c. xx. Qui autem mores divitias consequantur, facile est videre. Contumeliosi enim sunt divites, & superbi: quam quasi labem contrahunt a possessione divitiarum. ita enim affecti sunt, quasi alia omnia bona possideant. Divitiis enim, quanti sint alia omnia, aestimari quodammodo videtur. quare videntur omnia divitiis esse vendia. Et delicati, & salacones: Delicati quidem ob molitiam, & felicitatis ostentationem. Salacones autem & inepti, quoniam omnes solent tempus consumere iis in rebus, quarum amore capti sunt, quasque mirantur. & quia putant, quae a se, eadem a ceteris magni fieri. neque prorsus abs re ita affecti sunt. multi enim sunt, qui indigent iis qui rem habent. Unde & illud dictum est a Simonide, de sapientibus, & opulentis: cum eum Hieronis uxor interrogasset, utrum esse praestaret, sapientem, an divitem: Divitem, inquit. videre enim se sapientes ad fores opulentorum praestolari. Et quia se dignos putant qui imperent. habere enim ea quae homines faciunt imperio dignos. Et, ut summatim dicam, divitiae mores efficiunt insipientis fortunati. Longe autem alii sunt mores eorum qui nuper partas divitias possident, & eorum qui a majoribus traditas. quod qui nuper divites facti sunt, magis laborant iis omnibus vitiis, iisque deterioribus. Nam nuper ad divitias pervenisse, est quasi nescire divitem esse. Imponunt autem injurias non a nocendi studio, sed a contumelia, & ab intemperantia profectas: quales sunt verbera, & adulterium.

c. xxi. Mores quoque potentium fere maxima ex parte noti, apertique sunt. alia enim habent potentes eadem quae divites, alia meliora. sunt enim potentes studiosiores honoris, & erectiore animo quam divites. Ejusmodi enim res appetunt, quarum administrandarum sibi facultas est propter potentiam. Et studiosiores sunt: propter diligentiam quam adhibere perpetuo coguntur, in iis quae ad conservandam potentiam pertinent. Et σεμνότεροι potius quam βαρύτεροι. id est, ita fere arrogantia graves, ut aliis propterea graves, odiosique non sint. Dignitas enim eos magis conspicuos facit. quare me-

modice se gerunt. [illegible] autem est placida quaedam, & decora gravitas. Quodsi quando injuriam faciant, non parvas, sed plane magnas injurias faciunt.

c. XXI. Prosperitas autem fortunae eos mores per partes adfert, quos diximus. nam quae maximae prosperitates habentur, ad illa referuntur, & praeterea ad bonorum liberorum copiam, & ad corporis bona. Superbiores igitur, & minus consideratos fortunae prosperitas facit. Unum, quod ad mores attinet, optimum adfert: efficit enim homines divini numinis amantes, & certo quodam modo ad cultum divinum affectos: cum credant, propter ea bona, quae sibi a fortuna proveniunt. Dictum est igitur de moribus per aetatum, ac fortunarum discrimina: nam quae iis de quibus dictum est contraria sunt, e contrariis intelligi possunt. Ut, qui sint mores pauperis, infortunati, impotentis.

c. XXIII. Quoniam autem orationis ad persuadendum comparatae usus ad judicium refertur: nam quae scimus, & de quibus jam judicavimus, in eis nihil amplius opus est oratione: judicium autem est, etiam si quis apud unum oratione utens hortetur, aut dehortetur: quemadmodum faciunt qui unum aliquem verbis castigant, quive ei aliquid suadent: nihilo enim minus ille unus judex est: si quidem judex, ut summatim dicam, is est cui persuadendum aliquid est: nec refert, utrum adversus quempiam qui contrariam sententiam defendat, dicendum sit, an adversus aliquam propositam sententiam: necesse est enim hic quoque oratione uti, & quae adversus nos faciunt, tollere, in quae tanquam in adversarium quempiam, instituitur oratio: eodemque modo in ostentativis: nam in iis ad spectatorem tanquam ad judicem habetur oratio: quanquam omnino is demum proprie judex est, qui in civilibus concertationibus judicat id quod quaeritur: si quidem & in iis de quibus in foro lis est, & in iis de quibus deliberatur, quomodo se res habeat, quaeritur: de variis autem pro rerum publicarum varietate moribus dictum est prius, cum de genere deliberativo ageremus: ita ut definitum jam sit, quomodo, & quibus viis moratas orationes efficere possimus: cumque unicuique generi suus finis diversus a ceteris propositus sit: de omnibus autem illis collectae a nobis sint opiniones & propositiones, ex quibus argumenta ducunt,

& qui consilium dant, & qui facultatis in dicendo suae specimen exhibent: & qui causas agunt: ac praeterea explicatum sit de iis, quibus moratae orationes fieri possunt: reliquum est, ut de communibus disseramus. Omnibus enim necesse est, in orationibus, praeter ea quae cujusque generis propria sunt, uti iis, quibus fieri posse, aut non posse aliquid ostenditur: & alios quidem eniti, ut doceant aliquid fore, alios autem, ut aliquid fuisse. Communia sunt etiam omnium orationum, ea quae de magnitudine traduntur. Utuntur enim omnes extenuatione, & amplificatione, & suadentes, aut dissuadentes, & laudantes, aut vituperantes, & accusantes, aut defendentes. His autem explicatis, conemur aliquid communiter de enthymematis dicere, si quid habeamus: & de exemplis: ut iis quae reliqua sunt additis, perficiamus id quod ab initio proposuimus. Est autem ex communibus amplificatio quidem ad genus ostentativum accommodatissima, ut dictum est. quod autem factum est, ad judiciale. Possibile autem, & id quod futurum est, ad deliberativum.

c. xxiv. Primum igitur dicamus de possibilibus, & impossibilibus. Si ergo contrarium possibile sit aut esse, aut fieri: etiam contrarium videri poterit possibile. Ut si possibile est hominem benevalere, possibile est & aegrotare. Eadem enim potestas est contrariorum contraria. Et si simile possibile est, alterum quoque simile. Et si quod difficilius est possibile est, & quod facilius. Et si bonum ac pulchrum fieri possibile est, & omnino fieri possibile. Difficilius enim est pulchram domum esse, quam domum. Et cujus principium potest esse, potest etiam finis. Nihil enim eorum quae impossibilia sunt, aut fit, aut fieri incipit. Exempli causa, ut diametros communem aliquam mensuram habeat. neque enim aut incipiet unquam fieri, aut fiet. Et cujus finis, etiam principium. Omnia enim ex principio fiunt. Et si quod posterius est aut essentia aut ortu, possibile est fieri, etiam id quod prius. Ut, si virum fieri possibile est, & puerum. prius enim fit illud. Et, si puerum, virum quoque. illud enim principium est. Et quorum amor aut cupiditas inest a natura. Nemo enim fere impossibilium amore capitur, eave concupiscit. Et quorum scientiae sunt atque artes, ea quoque possibile est & esse & fieri.

Et

Et quorum ortus principium in eis est quae nos aut cogere, aut in sententiam nostram adducere possumus. Sunt autem haec, quibus potentiores sumus, quorumve aut domini aut amici. Et, quorum partes possibiles sunt, etiam totum. Et, si totum possibile est, etiam partes. Nam si proschisma, & cephalis, quae calceamenti partes sunt, fieri possunt, calcei quoque fieri possunt. Et, si calcei possunt, illa quoque possunt. Et, si genus est eorum quae fieri possunt: etiam species, &, si species etiam genus. Ut, si navigium fieri possibile est, etiam triremem: &, si triremem, etiam navigium. Et si alterum eorum quae eam naturam habent, ut inter se conferantur, possibile est, alterum quoque. Ut si duplum, etiam dimidium: & si dimidium, etiam duplum. Et si sine arte, aut apparatu potest aliquid fieri, magis etiam poterit arte, & diligentia adhibita. Unde & ab Agathone dictum est: *Necesse est alia quidem a fortuna fieri, Alia autem a nobis, ad quae ars adhiberi solet.* Et si deterioribus aut inferioribus, aut imprudentioribus possibile est, magis erit iis, qui contrario modo affecti sunt. Ut & Isocrates ajebat, *ferendum non esse, si Euthymus quidem didicisset, ipse autem reperire non posset.* De impossibilibus autem, constat, ex iis quae contraria sunt eis quae modo diximus, argumenta sumenda esse.

c. xxv. Factum autem sit, an non sit, ex his considerandum est. Nam primum quidem, si factum est id quod per naturam minus fieri poterat, factum fuerit & id quod magis. Et si factum est id quod postea fieri solet, factum est & id quod prius. Ut, si oblitus est, aliquando etiam didicit. Et si potuit ac voluit, fecit. omnes enim qui & possunt, & volunt, agunt. nihil enim obstat. Et si & voluit, & nulla res externa prohibebat. Et si potuit, & iratus erat. Et si potuit, & cupiebat. Plerumque enim quae cupiunt homines, ea si possint, agunt. Improbi quidem per impotentiam; boni autem, quia quae bona sunt cupiunt. Et si inibi erat, ut faceret. verisimile est enim, qui jam in eo erat, etiam fecisse. Et si facta sunt quaecunque naturaliter fieri solent ante illud, aut propter illud. Ut, si fulsit, & tonuit. Et si tentavit, etiam fecit. Et si quae antea fieri solent, aut ejus rei causa fieri solent, facta sunt, ut si fulsit, tonuit etiam: & si tentavit, fecit etiam. Et si quae postea

niam, inquit vulpes, hi pleni jam sunt mei, & partum sanguinis ducunt. quodsi hos avulseris, venient alii famelici, qui quantum mihi sanguinis reliquum est, exsugent. Eodem modo & vos, inquit, viri Samii, hic quidem nihil amplius laedit: dives enim est: quodsi eum interficiatis: venient alii pauperes, qui pecunias publicas depeculantes dissipabunt. Sunt autem fabulae aptae ad concionem: & hoc boni habent, quod res quidem gestas similes invenire, difficile est; fabulas autem, facilius. fingere enim oportet, ut & parabolas: si quis modo possit, quid in rebus simile sit, videre: quod facilius redditur tractatione philosophiae. Faciliores igitur inventu sunt fabulae. sed utiliores ad deliberandum res gestae. similia enim plerumque sunt futura praeteritis. Ubi autem enthymematum copia non est, utendum est exemplis ut demonstrationibus. per haec enim fit fides. At cum enthymemata non desunt, utendum exemplis ut epilogis post enthymemata. Nam cum priore loco ponuntur, similia sunt inductioni: inductio autem oratoribus accommodata non est, nisi paucis in locis. cum autem posteriore, similia sunt testimoniis: testis autem quocunque loco valet ad faciendam fidem. Quare & cum priore loco ponuntur, multa ponere necesse est: cum autem subjiciuntur, etiam unum satis est. Utilis est enim testis fide dignus, etiam si unus sit. Quot igitur sint exemplorum genera, & quomodo ac quando eis uti oporteat, dictum est.

c. XXIX. Quod autem attinet ad sententias orationi intexendas, si prius dixerimus quid sit sententia, ita maxime perspicuum erit, quibus de rebus, & quando, & cui generi hominum conveniat in orationibus sententiose loqui. Est autem sententia, enuntiatio, non tamen de rebus singulis: ut, qui vir sit Iphicrates: sed universe prolata: neque quibuslibet de rebus universe: ut, rectum curvo esse contrarium: sed de rebus agendis: deque iis quae in agendo aut persequenda, aut fugienda sunt. Itaque cum enthymemata sint syllogismi de illo rerum genere, fere & conclusiones, & principia enthymematum, sententiae sunt, detracto syllogismo. Quale illud est; *Quisquis sapit, gnatos ita instituat suos, Sapientiores vulgo haberi ne velit.* Haec igitur sententia est; addita autem causa cur ita sit, totum illud est enthymema, ut;

Nam

Nam praeter eam, quam contrahunt ignaviam, Invidiam, & odium a civibus ferunt ſuis. Et illud, *Nullus beatus undique eſt mortalium.* Et, *Nemo omnium eſt, quem liberum merito voces.* ſententia eſt: addito autem eo quod ſequitur, enthymema: *Fortunae enim aut eſt ſervus, aut pecuniae.* Si igitur ſententia eſt id quod diximus, neceſſe eſt, quatuor eſſe genera ſententiarum. aut enim cum epilogo erit, aut ſine epilogo. Demonſtratione igitur egent, quaecunque admirabile aliquid dicunt, aut controverſum. Quae autem nihil admirabile, ſine epilogo. Earum autem neceſſe eſt, alias quidem, quod praecognitae ſint, nihil epilogo indigere. Ut, *viro autem bene valere optimum eſt, ut nobis quidem videtur.* Nam eadem eſt multorum opinio. Alias autem, propterea quod ſimul atque proferuntur, perſpicuae ſunt intuentibus. ut, *Non eſt amator, quisquis ſemper non amat.* Earum autem quae cum epilogo proferuntur, aliae quidem ſunt partes enthymematis, ut, *Quisquis ſapit:* aliae autem enthymematicae quidem, ſed non partes enthymematis: quae etiam omnium probatiſſimae ſunt. eae autem ſunt in quibus elucet cauſſa ejus quod dicitur. ut in hoc: *Ne ſerva immortalem iram, qui mortalis es.* Nam dicere ſervandam non eſſe iram, ſententia eſt: at quod additum eſt, *qui mortalis es*: etiam cur id fieri non debeat, dicit. Simile eſt hoc quoque: *Mortalem mortalia oportet ſapere, haud immortalia.* Conſtat igitur ex iis, quae diximus, & quot ſententiarum genera ſint, & quas ad res unumquodque conveniat. nam de controverſis quidem aut admirabilibus non ſine epilogo: ſed aut propoſito epilogo, uti oportet ipſa ſententia tanquam concluſione: ut ſi quis dicat, Ego igitur, quod ad me quidem attinet, quando neque invidiam ſibi colligere oportet, neque ignavum eſſe, ajo, abſtinendum eſſe a ſtudiis ſapientiae: aut cum hoc quod poſteriore loco poſitum eſt, prius dixeris, illud alterum addere. Iis autem quae ſunt de rebus non illis quidem admirabilibus, ſed tamen obſcuris, apte & concinne addenda eſt cauſſa, cur ita ſit. Conveniunt autem hic quoque apophthegmata Laconica: & ea quae aenigmatum ſpeciem habent, ut quod Steſichorus in Locrenſes dixit: *Non oportet contumelioſos eſſe: ut ne cicadae humi canant.* Convenit autem ſententioſe loqui, aetate quidem, iis qui ſeniores ſunt:

Digitized by Google

iis autem de rebus, quarum quisque peritus est. Nam qui ad eam aetatem non pervenerit, eum sententias funderc, indecorum est: ut & fabulas narrare: iis autem de rebus, quarum peritus non sit, stulti est, & ineruditi. Cui rei satis argumento est, quod rustici maxime omnium sententias eudunt, & facile pronuntiant. Universe autem dicere, quod tamen universe verum non sit, maxime convenit in conquestione, & in exaggeratione: atque in his aut principio, aut post rem demonstratam. Utendum autem etiam pervulgatis, communibusque sententiis, si utiles sint. Nam quia communes sunt, rectae etiam ac verae videntur, ut consensu omnium comprobatae. Ut exhortanti ad subeundum proelii periculum eos qui litare non potuerint: *Pro patria pugnare, ea demum avis optima sola est.* Et hortanti eos qui inferiores sunt: *Communis Mavors.* Et ad interficiendos inimicorum liberos, etiam si nullam injuriam faciant: *Stultus qui natos occiso patre relinquit.* Sunt & proverbia quaedam, sententiae. Ut illud, *Atticus vicinus.* Proferendae sunt etiam sententiae, adversus ea, quae publice probata sunt: dico autem publice probata, ut, *Nosce te ipsum*: &, *Ne quid nimis*: si quid contra dici possit, quo aut mores meliores indicentur, aut quod aptum sit ad aliquem animi motum exprimendum. Exprimitur autem motus animi, ut si quis iratus dicat, falsum esse, debere unumquemque se nosse. Certe enim hic, si se ipse novisset, nunquam se dignum esse duxisset, qui duceret exercitum. Mores autem meliores indicantur, ut hoc modo. Non oportet, ut vulgo dicitur, amare tanquam osurus sis: sed potius odisse, tanquam amaturus sis. Oportet autem ipso dicendi genere animi sui propensionem declarare: sin minus, causam subjungere: aut ita dicentem, Oportet amare, non, ut vulgo dicunt, sed ut si semper amaturus sis. alterum enim insidiatoris est. aut hoc modo: Non placet mihi quod vulgo dicitur: Veri enim amici est, ita amare, ut semper amaturum. ac ne illud quidem, Ne quid nimis, improbos enim immodice odisse oportet. Multum autem adjumenti adferunt in dicendo: primum quidem propter stultam quandam vanitatem audientium: gaudent enim, si quis universe loquens incurrat in eas opiniones, quas ipsi in parte habent. Quod autem dico, ita magis intelligetur: simul-

sinuibque quomodo sententias venari oporteat. Sententia enim, ut dictum est, enuntiatio quaedam est de toto genere: gaudent autem, cum universe dici vident id, quod ipsi jam in parte aliqua prius animo conceperant. Ut si cui mali vicini, aut mali liberi obtigerint, facile adsentietur dicenti: Nihil est odiosius vicinia: aut, Nihil stultius est, quam liberos procreare. Itaque danda opera est, ut conjectura quodammodo consequamur, quas quaque de re anticipatas opiniones habeant: tum deinde de illis universe pronuntiare. Hunc igitur unum usum habet sententiosum dicendi genus, & alium praeterea potiorem. moratas enim orationes facit. Mores autem habet oratio, quae declarat, quid cui anteponat, quidque expetat is qui dicit, in ratione vivendi. omnes autem sententiae id praestant. nam qui sententiam profert, is universe pronuntiat aliquid de rebus in vita eligendis. Itaque si bonae fuerint sententiae, probitatis opinionem conciliabunt etiam ei qui dicit. Ergo de sententia quidem, & quid sit, & quot genera, & quomodo eis utendum, & quem fructum adferant, haec a nobis dicta sint.

c. xxx. De enthymematis autem dicamus aliquid universe, quomodo ea quaerere oporteat: ac deinde tradamus locos. alia enim horum utriusque ratio est. Enthymema igitur syllogismum quendam esse, prius dximus: & quomodo sit syllogismus: & quomodo differat a dialecticis. neque enim longe repetentem, neque omnia sumentem concludere oportet. Illud enim obscurum est propter longitudinem: hoc autem, inutile quaedam loquacitas, quia perspicua & aperta dicuntur. Nam & haec causa est, cur apud imperitam multitudinem aptiores sint ad persuadendum incruditi quam eruditi. quemadmodum ajunt poetae, *indoctos in vulgus magis ad dicendum musicos esse*. Etenim illi quidem communia quaedam, & universa dicunt: hi vero, ex iis quae sciunt auditores, quaeque rei propinqua sunt. Itaque non ex omnibus quae videntur, sed e definitis quibusdam dicendum est: ut aut iis qui judicant, aut iis quorum ipsi judicio acquiescunt. Atque hoc ipsum, ita eis videri, constare oportet aut ipsis omnibus, aut plurimis. Neque tantum ex necessariis argumentandum: sed etiam ex iis quae plerumque fiunt. Primum igitur intelligendum est, quicunque de re aliqua dicturus vel disputaturus est, sive syllogismo po-

politico, sive quolibet alio, si necessario, quae in ea re insunt, aut omnia, aut pleraque nota esse oportere. Si enim nihil habeas, nihil erit unde possis argumenta ducere. Quod autem dico, hujusmodi est. Quomodo fieri potest, ut consilium demus Atheniensibus, bellare, an non debeant, nescientes, quibus illi copiis instructi sint, navalibus, an terrestribus, an utrisque :: & eae ipsae quantae sint: & quae vectigalia, qui amici, aut inimici: ac praeterea, quae bella gesserint, & quomodo, & ejusdem generis alia? aut quomodo eos laudare, nisi teneamus navalem pugnam in Salamine, aut proelium Marathonium, aut quae pro Herculis stirpe gesserunt, aut aliquid ejusmodi? omnes enim qui laudant, ex iis quae in quoque pulchra aut insunt, aut inesse videntur, laudandi argumenta ducunt: eodemque modo vituperant ex contrariis, intuentes quid in eis tale aut insit, aut inesse videatur. Ut quod Graecos in servitutem redegerunt, quodque eos etiam a quibus adjuti erant in bello adversus barbaros, quique se in eo bello strenue, fortiterque gesserant, in captivitatem abduxerunt: Aeginetas, & Potidaeatas: ejusdemque generis alia. Et si quid aliud ab eis tale peccatum est. Eodemque modo qui accusant, quique defendunt: in ea quae insunt intuentes accusant, atque defendunt. Nihil autem interest, de Atheniensibus, an de Lacedaemoniis, de homine, an de deo dicendum sit. Nam & si Achilli consilium dare velimus, & si eum laudare aut vituperare, & si accusare aut defendere: sumenda sunt quae in eo aut insunt, aut videntur: ut ex eis dicendi materiam petamus: laudantes quidem, aut vituperantes, si quid pulchrum ineſt aut turpe: accusantes autem, aut defendentes, si quid justum aut injustum: consilium autem dantes, si quid utile aut noxium. Eademque ratio est, si quis de re qualibet orationem instituat. Ut, de justitia, bonumne sit, an minus: ex iis quae justitiae aut bono. Itaque, quando omnes hanc argumentandi viam sequi videntur, sive id accuratius, sive molliori, ut dicitur, brachio faciant: neque enim undecunque argumenta ducunt, sed ex iis quae in quaque re insunt: nam & ratio ipsa pervincit, fieri non posse, ut quisquam aliter id quod vult probet: constat, necesse esse, ut in topicis, habere selectas propositiones de rebus quae usu venire possunt, maximeque opportunas,

nae sunt: de iis autem quae repente eveniunt, eodem modo quaerere, intuentem non in incerta, & indefinita, sed in ea quae insunt in eis rebus, de quibus dicendum est: & circumscribentem quam plurima, & cum eo quod agitur maxime cohaerentia. Quanto enim plura eorum quae insunt, senebuntur a dicente: tanto erit facilius argumentari: quanto autem propinquiora, tanto magis propria erunt, minusque communia. Voco autem communia quidem, ut laudare Achillem, quod homo fuerit, & quod unus e semideis, & quod ad Trojam ordines duxerit. haec enim & aliis multis insunt. quare hic nihilo magis Achillem laudat, quam Diomedem. Propria autem, quae nulli alii, quam Achilli, contigere. Ut quod fortissimum Trojanorum Hectorem interfecerit: quodque Cygnum qui omnes e navibus exire prohibebat, cum vulnerari nequiret: quodque omnium natu minimus, neque jurejurando adstrictus, in eam expeditionem profectus sit: & quaecunque alia ejusmodi sunt. Unus igitur & primus hic seligendi modus est.

C. XXII. Nunc elementa enthymematum explicemus. Elementum autem, & locum enthymematis idem voco. Primum ergo dicamus ea quae necessario inprimis dicenda sunt. Sunt enim enthymematum genera duo: quod alia quidem eo adhibentur, ut rem aut esse aut non esse demonstrent, alia autem ad redarguendum. Et differunt, ut in dialecticis elenchus & syllogismus. Est autem demonstrativum enthymema, colligere ac concludere aliquid ex iis quibus adversarius ipse adsentitur. Redarguit autem illud, quo concluditur aliquid eorum quae adversarius negat. Species igitur utiles & necessariae fere a nobis expositae jam sunt. Selegimus enim propositiones ex quibus ducenda sunt enthymemata de bono & malo: de honesto, & turpi: de justo, & injusto. De motibus etiam animi, & de habitibus qui in singulis hominum generibus reperiri solent, itidem loci sunt a nobis in superioribus traditi. Nunc autem alio modo universe eos omnes complectamur, deque eis dicamus, ita ut quasi aliqua nota appositi, indicemus qui ad demonstrandum valeant, qui ad redarguendum: atque eos quoque unde ducuntur ea quae videntur enthymemata, sed non sunt, quando ne syllogismi quidem sunt. Quibus explicatis, quomodo argumenta aut dissolvendo, aut objiciendo debilitari queant, enucleabimus. I. Est au-

autem locus quidem unus aptus ad demonstrandum, ex contrariis. Inspiciendum enim est ei quidem qui negat, num contrarium in contrario non insit: ei autem qui confirmat, num contrarium in contrario insit. Exempli caussa, temperate vivere bonum est: intemperanter enim vivere, noxium est. aut ut in Messeniaca: *Si enim bellum caussa est praesentium malorum: pace nimirum corrigentur: Quando etenim si quis fecit invitus male, Injustum fuerit illi iccirco irascier: Neque si coactus quisquam alii faxit bene, Putandum est illi ullam deberi gratiam.* Et illud, *At si inter homines falsa reperiunt fidem: Putandum est etiam contra, multa abtingere; Quae, vera cum sint, non tamen accipiunt fidem.* II. Alius e similibus casibus, similiter enim oportet inesse, aut non inesse. Ut si quis probare instituat, non omne justum bonum esse: nam & quicquid juste evenit, bonum esset. nunc autem expetendum non est, juste mori. III. Alius ex iis quae inter se conferuntur. Si enim alteri inest, ut honeste aut juste fecerit: alter quoque honeste ac juste perpessus esse dicetur: & si honeste fecit, qui mandavit, honeste etiam qui exsecutus est. Ut Diomedon publicanus de vectigalibus: *si enim vobis turpe non est, ne nobis quidem redimere.* Et si quid in quempiam juste atque honeste factum est: juste etiam fecit, qui fecit: & contra. Fallit tamen interdum haec concludendi ratio. Si enim quis juste mortuus est, juste etiam passus est. at fortassis a te interfici non debuit. Quare seorsum haec considerare oportet: num qui quid pertulit, dignus fuerit, qui perferret: & num is qui fecit, dignus qui faceret: deinde utrum a nobis facit, eo uti. Interdum enim nihil vetat, quin haec dissideant: ut in Alcmaeone Theodectis: *Matrem tuam nemo oderat mortalium?* Respondens autem ait, haec seorsum spectanda esse. Cumque quaesiisset Alphesiboea, quomodo: excipiens ille, ita ait: *Mori quidem illam debuisse statuerunt: Sed non manibus illi necem adferri meis.* Et ut judicium de Demosthene, deque iis qui interfecerant Nicanorem. quia enim judicati sunt eum juste occidisse, juste etiam mortuus visus est. Et de eo qui Thebis occisus fuerat. de quo dati sunt judices, num dignus fuisset qui interficeretur. tanquam injustum non sit eum occidere, qui juste interfici possit. IV. Alius ex eo

quod

quod magis, & eo quod minus. Ut, ſi ne dii quidem norunt omnia, multo minus homines, Hoc enim eſt, Si cui magis ineſſe videtur, non ineſt, ne illi quidem, cui minus. Illud autem, Qui patrem verberat, multo magis propinquos verberarit: ex eo pendet: ſi quod minus ineſſe videtur, ineſt, & quod magis, Licet igitur utro opus eſt, id confirmare: ſive ineſſe, ſive non ineſſe. V. Praeterea: ſi neque magis, neque minus. Unde dictum eſt: *Ergo tuus quidem miſerandus eſt pater, Amiſſis gnatis: Oeneus autem non erit, Orbatus tali tamque illuſtri filio?* Et, quodſi Theſeus injuſte non fecit, ne Alexander quidem. Et, ſi non Tyndaridae, neque Alexander. Et, ſi Patroclum Hector, & Achillem Alexander. Et, ſi ne alii quidem artifices parvi pretii ſunt, neque philoſophi. Et, ſi ne imperatores quidem eo mali ſunt, quia ſaepe vincuntur: neque ſophiſtae. Et, ſi privatum hominem exiſtimationis veſtrae rationem habere oportet: vos quoque exiſtimationis Graecorum rationem habere debetis. VI. Alius locus eſt, inſpicere, num ex ipſo tempore aliquid erui poſſit. Ut Iphicrates in oratione adverſus Harmodium: *Si antequam haec gererem, ſtatuam mihi poſtulaſſem, ſi ea geſſiſſem: certe decrevisſetis: nunc, confectis rebus, eam denegabitis? Nolite igitur committere, ut quod facile polliciti eſſetis, cum u me beneficium expectabatis, id nunc beneficio affecti denegetis.* Et rurſus, ſi quis ſuadeat Thebanis, ut Philippo per fines ſuos iter in Atticam concedant. Nam ſi hoc petiiſſet, prius quam eis adverſus Phocenſes auxilium ferret, certe promiſiſſent. Abſurdum igitur eſt, quia prior eos beneficio provocavit, fidemque eorum ſecutus eſt, ſi nunc iter ei denegabunt. VII. Alius, ex eis quae in nos dicta ſunt, adverſus eum ipſum qui dixit, argumentari. Excellit autem hic locus. Ut in Teucro. Et id quo uſus eſt Iphicrates adverſus Ariſtophontem: cum interrogaſſet eum, nunquid ipſe naves accepta pecunia proditurus eſſet: isque id negaſſet: *Quod igitur*, inquit, *tu, qui Ariſtophon es, non feciſſes, ego, qui ſum Iphicrates, feci?* Oportet autem adeſſe hoc, ut ille alter facilius adduci poſſe videatur ad flagitium: alioqui enim ridiculum videbitur, ut ſi adverſus Ariſtidem accuſantem ita quispiam loquatur. Hoc igitur redarguere oportet. Univerſe autem hic locus eſt: cum

quis

quis objicit aliis ea quae ipſemet facit aut faceret: aut exhortatur eos ad ea facienda, quae ipſe neque facit, neque faceret. VIII. Alius, ex definitione. Ut, Daemonium nihil aliud eſt, quam aut deus, aut dei opus. Et vero qui dei opus eſſe aliquod putat, eum neceſſe eſt putare etiam deos eſſe. Et ut Iphicrates, *generoſiſſimum eſſe qui optimus ſit.* Nam & Harmodio, & Ariſtogitoni nihil prius generoſum inerat, quam generoſum aliquid perpetraſſent. Et ſe illis conjunctiorem eſſe. *Conjunctiones certe ſunt res a me geſtae rebus Harmodii, & Ariſtogitonis, quam tuae.* Et ut in Alexandro. Omnium ſententia, homines intemperantes unius corporis fructu non eſſe contentos. Et cauſſa quam adferebat Socrates, cur ad Archelaum ire nollet. Contumeliam enim eſſe dicebat, ut in injuriis, ita in beneficiis acceptis, ſi quis ea compenſare non poſſet. Nam hi omnes definientes, & ſumentes quid quaeque res ſit, concludunt id quod agitur. IX. Alius, ex varia, & multiplici vocis alicujus ſignificatione, ut in topicis. X. Alius, ex partitione. Ut, ſi omnes ad injuſte faciendum aliquo horum trium impelluntur: vel ob hoc, vel propter hoc alterum, vel propter illud: & horum duo ſunt, propter quae fecisſe non poteſt: ob tertium autem, ne ipſi quidem accuſatores dicunt. XI. Alius, ex inductione. ut ex Peparethia. Quod de filiis mulieres omnibus in locis definiunt, quid verum ſit. Nam & de hoc Athenis Mantiae oratori adverſus filium contendenti mater pronuntiavit. & Thebis cum Iſmenias & Stilbo inter ſe contenderent, Dodonis mater filium eſſe Iſmeniae declaravit: & ex eo habitus eſt Theſſaliſcus Iſmeniae filius. Et rurſus ex lege Theodectis: *Si iis qui male alienos equos curarunt, non committunt ſuos: neque iis qui aliorum naves everterunt: idque in omnibus rebus eodem modo ſe habet: iis quoque qui male aliorum ſalutem cuſtodierunt, ad tuendam ſuam uti nemo debet.* Et Alcidamas, ut oſtenderet, eruditos viros nusquam non magni fieri, *Ergo*, inquit, *Parii Archilochum, quamvis maledicum, honorarunt. Et Chii Homerum, quamvis civis non eſſet: & Mitylenaei Sapphonem, quamvis mulier eſſet: & Lacedaemonii Chilonem in ſenum ordinem adlegerunt, qui tamen eruditionis minime ſtudioſi ſunt. Et Italiotae Pythagoram: & Lampſaceni Anaxagoram peregrinum hominem hono-*

ra-

rarunt ſepulchro, eumque etiam nunc honore afficiunt. Et Athenienſes quam diu Solonis legibus uſi ſunt, beate vixerunt: & Lacedaemonii, quam diu legibus Lycurgi: & Thebana civitas tam diu felix fuit, quam diu ei philoſophi praefuerunt. XII. Alius, ex judicio de eadem re aut ſimili, aut contraria. maxime quidem, ſi omnes & ſemper: ſin minus, at plurimi ſaltem, aut ſapientes, aut omnes, aut plurimi, aut boni: aut ſi illi ipſi qui judicant, aut quorum judicio illi acquieſcunt: aut a quibus diſſentire in judicando non oportet, ut a dominis: aut adverſus quorum ſententiam judicare honeſtum non eſt: ut adverſus deos, aut patrem, aut magiſtros. Quale eſt quod Autocles dixit in Mixidemidem: *An venerandae quidem deae honeſtum ſibi putarunt in Areopago cauſam dicere: Mixidemides autem id recuſabit?* Aut, ut Sappho, *mori malum quiddam eſſe. dii enim ita judicarunt: alioqui mori voluiſſent & ipſi.* Aut ut Ariſtippus adverſus Platonem, qui quidquam adſeverantius protulerat, ut ipſi quidem Ariſtippo videbatur: *At vero, ſodalis ille,* inquit, *noſter,* Socratem autem dicebat, *nihil unquam tale.* Et Ageſipolis Delphis interrogabat Deum, cum prius oraculum accepiſſet Olympiae, nunquid ipſi eadem quae patri viderentur: quaſi turpe ſit, contra patris judicium dicere. Et de Helena, ut Iſocrates ſcripſit, *eam ſtudio dignam fuiſſe. Si quidem Theſeus ita judicavit.* Et de Alexandro, quem deae ceteris antepoſuerunt. Et de Euagora, *inſigni virtute virum fuiſſe,* ut Iſocrates dicit. *Nam & Conon adverſa fortuna uſus, aliis omnibus praetermiſſis, ad Euagoram venit.* XIII. Alius, ex partibus. ut in Topicis: cujusmodi motio ſit anima. aut enim haec aut illa. Exemplum ex Socrate Theodectis: *In quod templum impius fuit? quos eorum veneratus non eſt, quos civitas in deorum numero habet?* XIV. Alius, quandoquidem pluribus in rebus uſu venit, ut ex eis & boni, & mali aliquid conſequatur: ex eo quod conſequitur, aut hortari, aut dehortari: aut accuſare, aut defendere: aut laudare, aut vituperare. Exempli cauſa. Eruditionem conſequitur invidia. quae malum eſt: & ſapientia, quae bonum eſt. Erudiri ergo non oportet. neque enim colligenda invidia eſt. Erudiri ergo oportet. Sapientem enim eſſe oportet. Hic locus eſt ars Callippi, ſi quis addiderit diſputationem de eo quod fieri poteſt,

& alia, ut dictum est. XV. Alius, Si quando de duobus inter se oppositis, aut disuadere oporteat, etiam eo, quem prius diximus, loco in ambobus uti. Interest autem, quod illic quidem qualiacunque opponuntur: hic autem contraria. Ut sacerdos quaedam vetabat filium suum popularem oratorem fieri. nam si, inquiebat, justa dices, in odium hominum incurres: si injusta, in deorum. Ergo popularem oratorem fieri oportet: si enim justa dixeris, dii te amabunt, sin injusta, homines. Hoc autem est idem cum eo quod vulgo dicitur, *flagnum emeris, & sales.* Et haec est praevaricatio: cum e duorum contrariorum utroque & bonum, & malum aliquod sequitur, utraque utrisque contraria. XVI. Alius, quando homines non eadem palam, & in occulto probant, sed palam quidem justa, & honesta maxime laudant: privatim autem praeoptant utilia: ex his alterum colligere conari. Nam in admirabilibus locus hic maxime dominatur. Sumendum autem est utrum utile fuerit. XVII. Alius, ex eo quod eadem proportione colligantur. Ut Iphicrates ad eos qui volebant filium ipsius, quamvis ad legitimam aetatem non pervenisset, quia procero corpore erat, cogi ad obeunda munera publica: *Si*, inquit, *pueros pueros pro viris habetis, etiam eos viros qui pusillo corpore sunt viros esse decernetis.* Et Theodectes in lege: *Civitas*, inquit, *donatis mercenarios milites probitatis ergo, ut Strabacem & Charidemum: qui autem ex illis nefaria facinora fecerunt, eis exilium non irrogabitis?* XVIII. Alius, si quod consequitur, idem sit: etiam ea ex quibus consequitur, eadem esse. Ut Xenophanes dicebat, *aeque impios esse qui deos ortos esse dicerent, & qui dicerent eos mori.* Utroque enim modo evenire, ut dii aliquando non sint. Omninoque quod ex utroque evenit, semper ut idem sumere. Judicaturi autem estis non de Socrate, sed de hoc toto instituto, nunquid oporteat philosophari. Et quod terram & aquam dare, servire est. Et in commune foedus adscribi, leges accipere. XIX. Alius, ex eo quod homines non eadem sequantur antea & postea, sed contra. quale est hoc enthymema. An cum fugeremus, pugnavimus, ut redeamus: nunc autem cum redimus, fugiemus, ne pugnemus? Tunc enim pugnare volebant potius, quam in patria manere: nunc autem malunt non pugnare, quam

XX.

XX. Alius, cujus rei causa aliquid esse aut fieri potest, ejus rei causa dicere id esse aut factum esse. Ut si quis cui quid det, ut postea idem illi auferens, dolorem inurat. Unde & illud dictum est: *Fortuna multos saepe in altum provehit, Non quod bene illis esse consultum velit: Sed ut inde casu insigniore corruant.* Et illud ex Meleagro Antiphontis: *Non ut feram conficiant, sed ne tristior Meleagri virtus tota ut esset Graecia.* Et illud ex Ajace Theodectis: *Quod Diomedes Ulixem sibi prae ceteris comitem elegerit: non quia eum magni faceret: sed ut comitem inferiorem haberet.* Evenire enim potest, ut id aliquis propterea faciat. XXI. Alius communis & judiciorum & deliberationum, inspicere ea quae impellunt, & ea quae revocant: & quorum causa faciunt homines, aut fugiunt. haec enim sunt, quae si quidem insint, agere oportet. Ut si possibile est, si facile, si utile aut ipsi aut amicis: aut damnum ac detrimentum importat inimicis. aut si poena minor est quam pro re. Et hortantur autem ex his, & revocant ex contrariis: & ex his ipsis tum accusant, tum defendunt. Et his quidem quae revocant, utuntur ad defendendum: iis autem quae impellunt, ad accusandum. Est autem hic locus tota ars Pamphili, & Callippi. XXII. Alius, in iis quae videntur quidem fieri, sed tamen incredibilia sunt: quod non viderentur, nisi aut essent, aut propemodum essent. Aut etiam amplius. aut enim ea, quae sunt, aut ea quae verisimilitudinem habent, opinantur homines. si igitur hoc incredibile est, ac non verisimile: verum sit oportet. non enim ita videtur, quia verisimile ac credibile sit. Quemadmodum Androcles Pittheus, cum in lege quadam accusanda dixisset, *Egent leges lege quae ipsas corrigat:* eique populus obstreperet: *Quippe*, inquit, *& pisces egent sale*. quod tamen verisimile non est, neque credibile: cum in falso alantur, sale egere. et oleae oleo. & si incredibile est, ex quibus oleum nascitur, ea ipsa oleo egere. XXIII. Alius, ad redarguendum aptus: videre ea quae dissident, si quid in omnibus & temporibus, & actionibus, & sermonibus dissideat. Separatim quidem in adversario, hoc modo: Atqui ait quidem se vestri amantem ac studiosum esse: conjuravit autem cum triginta viris. Separatim autem in se ipso, hoc modo: Et ait quidem me sectatorem esse litium: non potest autem offendere, mihi unquam

cum quoquam litem in judicio fuisse. seperatim autem in se & in adversario. Et hic quidem nullum unquam sumptum fecit: ego autem etiam vestrum multos redemi. XXIV. Alius, allata caussa, calumniam dissolvere. Ut, cum quaedam mulier corpus suum corpori filii supposuisset, ut eum amplexaretur, videbatur cum eo corpus commiscere: exposita autem caussa cur id faceret, dissoluta est calumnia. Et in Ajace Theodectis, Ulixes adversus Ajacem caussam exponit, cur cum sit Ajace fortior, non tamen talis esse videatur. XXV. Alius, ex caussa: ut sive caussa sit, rem esse, sive caussa non sit, ne rem quidem esse dicamus. Nam & caussam una comitatur id quod ex ea efficitur: & sine caussa nihil est. Ut, Leodamas cum se defenderet accusante Thrasybulo, quod nomen ipsius in columna quae in arce erat, ignominiae caussa inscriptum fuisset: sed erasum ab eo sub triginta viris: fieri hoc non posse respondit: *tanto enim plus fidei sibi habituros fuisse XXX. viros, si inimicitias ipsius cum populo illa inscriptione testatas vidissent.* XXVI. Alius, si alia ratione commodius fieri poterat, potestve. Constat enim, si ita est, factum non esse. Nemo enim sponte eligit ea quae minus commoda sunt, talia esse cognoscens. Est autem hoc captiosum. Saepe enim re jam confecta, cognoscit aliquis, quomodo ea commodius confici potuerit. cum id ei antea obscurum esset. XXVII. Alius, considerare, num quid agendum sit, quod adversetur iis quae cum maxime fiunt. Ut Xenophanes interrogantibus Elaeatis, deberentne Leucotheae sacra facere, eamque lugere, an non: auctor fuit, *si eam deam putarent, ne lugerent: si hominem, ne sacra facerent.* XXVIII. Alius, ab iis in quibus erratum est, accusare, aut defendere. Ut in Medea Carcini, alii quidem eam accusant, tanquam filios interfecerit: cui rei argumento esse dicunt, quod pueri non compareant. Erraverat enim Medea in filiis amandandis. Ipsa autem ita se defendit: quod non filios, sed ipsum Jasonem interfectura fuerit. nam si alterum perpetrasset, errasset falsene, si hoc alterum omisisset. Est autem hic locus, & haec species enthymematis, tota prior ars Theodori. XXIX. Alius, ex nomine. Ut Sophocles: *Vere Sidero, nomen ex merito gerit.* Et ut solent in deorum laudibus dicere. Et ut Conon Thrasybulum *Thrasybulum* vocabat.

Et

Et Herodicus Thraſymacho, *ſemper Thraſymachus es.* & Polo, *ſemper Polus es.* Et in Draconem legislatorem: *non hominis eſſe leges ipſius, ſed Draconis:* aſperae enim erant. Et Euripidis Hecuba in Venerem: *Merito ejus nomen ab imprudentia incipit.* Et ut Chaeremon: *Pentheus futuro nomen a luctu gerens.* Ex enthymematis autem magis commendantur, quae ad refellendum, quam quae ad demonſtrandum valent. Enthymema enim quod redarguit, concluſio eſt contrariorum in anguſtum locum. Comparata autem inter ſe contraria, audienti magis perſpicua fiunt, omnium autem & quae redarguendi, & quae demonſtrandi vim habent, maxime conturbant animos audientium ea, quae ipſi ſimul ac proferri incipiunt, provident: ita tamen ut ne hoc eveniat, quod illa levia, & minus altis radicibus fixa ſint. Una enim ſecum ipſi quoque in animo gaudent, quod ea praeſenſerint. Et ea quae ipſi ita ſubſequuntur, ut ſtatim expoſita intelligant.

c. xxxii. Cum autem in ſyllogismis eveniat, ut alii vere ſyllogismi ſint, alii non ſint quidem, ſed tamen eſſe videantur: neceſſe eſt & in enthymematis idem evenire: quandoquidem enthymema ſyllogismus quidam eſt. loci autem fallacium enthymematum hi ſunt. I. Unus quidem ex ipſo dicendi genere. Cujus una pars eſt, ut in dialecticis, cum ratione nihil concluſeris, ita tamen orationem in extremo conformare, ut aliquid concluſiſſe videaris. Non ergo & hoc & illud. Neceſſe igitur eſt hoc & illud. Nam & contortum, & tanquam ex contrariis concluſum dicendi genus ſpeciem aliquam enthymematis efficit. talis enim dictio quaſi ſedes eſt, & regio ipſius enthymematis. Et videtur haec fallacia ex ipſa orationis, conformatione proficiſci. Eſt autem utile ad hoc ut ſyllogiſtice dicere videaris, multorum ſyllogismorum capita coacervare: ut, Alios quidem ſervavit, alios autem ultus eſt. Graecos autem in libertatem vindicavit. Etenim haec ſingula quidem ex aliis demonſtrata ſunt: cum autem ita conglobata proponuntur, videtur ex ipſis quoque aliquid effici. Altera autem pars, ex homonymia. Ut dicere, murem eſſe animal magni pretii, a quo ſacra omnium auguſtiſſima nomen habeant. *Mys* enim Graece *mus* eſt: & myſteria ſacra ſunt omnium auguſtiſſima, Aut, ſi quis canem laudans, adſumat una canem caeleſtem, aut Deum Pana: quia in eum ita cecinit Pindarus: O *beate, quem & magnae deae canem*

Digitized by Google

omnifarium vocant Olympii. Aut quia turpissimum est, ne canem quidem ullum reliquum esse, ex eo concludat honestum esse, si sit canis. Aut dicere Mercurium maxime ex omnibus diis ad communicanda sua propensum esse: solus enim *communis Mercurius* vocatur. Et, logon esse rem omnium praestantissimam: nam & praestantes viri, non pecuniis, sed logo digni sunt. Logo enim dignum non uno tantum modo dicitur. II. Alius, id, quod separatim verum est, conjunctim dicere: aut quod conjungendum erat, dividere. Quoniam enim idem videtur esse, & saepe tamen non idem est: utrum ex usu nostro fuerit, id facere oportet. Hinc autem nata est Euthydemi fallax conclusuncula: ut, *Scis triremes in Piraeeo esse?* separatim enim novit. Et eum qui elementa scit, scire etiam carmen: etenim carmen idem est. Et, quoniam bis tantum valetudini nocet, dicere, ne unum quidem salubre esse: absurdum enim est ex duobus bonis connari unum malum. Ac sic quidem ad redarguendum valet: ad demonstrandum autem hoc modo: Non enim bonum unum est, duo mala. Omnino autem locus fallax, & captiosus est. Rursusque illud Polycratis in Thrasybulum, quod *triginta tyrannos sustulerit*: conjungit enim. Aut illud in Oreste Theodectis: ex divisione enim est: *Num, quaeso, justum est, si qua sustulerit virum, et ipsam mori? Sed & paternam filio ulcisci necem.* Atqui haec ipsa gesta sunt. Etenim si quis haec conjungat, non amplius fortasse justum fuerit. Potest autem hoc referri ad fallaciam mancae, ac mutilae orationis. non enim explanatum est, a quo. III. Alius autem locus, exaggeratione confirmare aliquid, aut refellere. Id autem est, cum qui reum aliquid fecisse non docuit, rem ipsam amplificat, & extollit. Efficit enim haec ratio, ut de duobus alterum videatur, aut non fecisse eum, qui accusatur, si ipsemet eam rem in majus attollat: aut fecisse, si accusator excandescat. Enthymema igitur non est: decipitur enim auditor, factum aut non factum id putans, de quo nihil tale demonstratum est. IV. Alius, e signo. Ut, si quis dicat, civitatibus utiles esse amores. Nam Harmodii, & Aristogitonis amor Hipparchum tyrannum sustulit. Et si quis dicat, furem esse Dionysium: improbum enim esse. Nam sic quoque nihil concluditur. Non enim quicunque improbus est, fur est: sed quicunque fur, improbus. V. Alius, ob id quod

casu

casu accidit. Ut quod ait Polycrates in mures, *eos auxilio fuisse, corrosis arcuum nervis.* Aut si quis dicat, ad coenam vocari, honorificentissimum esse. Achilles enim in Tenedo, quod vocatus non fuisset, graviter Achivis succensuit. At ille succensuit, tanquam ignominia affectus. contigit autem hoc eo ipso tempore, quo vocatus non est. VI. Alius, ex eo quod sequitur. Ut in Alexandro, eum magnanimum fuisse. cum enim aliorum consuetudinem contemneret, in Ida solum egisse. Quod enim magnanimi tales sunt, hic quoque magnanimus videri queat. Et quando formam colit, & nocte vagatur, adulter est: nam & adulteri tales sunt. Simile autem est, ut si quis dicat mendicos in sacris & canere, & saltare: & exsulibus habitare licere ubicunque voluerint. Quod enim iis qui beate vivere videntur, haec insunt, ii quoque quibus ea insunt, beati videri queant. Interest autem quomodo. quare hoc quoque incidit in vitium mancae, ac mutilae orationis. VII. Alius, quae causa non est, eam ut causam ponere. Ut quia simul, aut postea factum sit. quod enim postea evenit, quasi propterea evenerit, accipiunt. Et maxime in reipublicae tractatione. Ut, quod Demades *Demosthenis reipublicae curationem malorum omnium causam extitisse.* postea enim contigit, ut bellum excitaretur. VIII. Alius, ab omissione temporis, & modi. Quale hoc fuerit. Juste abduxit Alexander Helenam. ipsi enim Helenae data erat a patre eligendi potestas. Fortasis enim non semper, sed principio. nam & usque ad eum finem hoc facere poterat pater. Aut si quis contumeliam esse dicat, pulsare homines liberos. non enim omnino ita est: sed ita demum, si quis eos prior injuria lacessat. IX. Praeterea quemadmodum in contentiosis ex eo quod simpliciter, & eo quod non simpliciter, sed adjuncto aliquo verum est, exstitit adumbratus syllogismus: exempli causa, quod non est, opinabile est. ergo est. In Elenchis, non ens esse: certe enim non ens est non ens: & id quod cognosci non potest, sciri posse: certe enim quod cognosci non potest, sciri potest cognosci non posse: sic & in rhetoricis exstitit adumbratum enthymema ex eo quod non simpliciter verisimile est, sed adjuncto aliquo, verisimile. Est autem hoc non universe: ut & Agathe dixit: *Credibile hoc aliquis non immerito dixerit, Multa hominibus evenire non credibilia.*

Evenit enim aliquid praeter id quod verisimile erat. Ita ut verisimile sit etiam id quod est praeter verisimile. Hoc autem posito, etiam id quod verisimile non est, verisimile erit. non tamen simpliciter. Immo vero, ut in contentiosis, eo fraus fit, quia non additur qua ex parte, aut cum quo collatum, aut ubi: ita & hic. quia quod praeter verisimile est, non est simpliciter verisimile, sed tantum aliqua ex parte. Est autem ars Coracis composita ex hoc loco. Nam sive quis non sit obnoxius crimini: ut si qui imbecillo corpore est, causam dicat quod alium verberarit, parata defensio est: Non enim verisimile est: sive obnoxius, ut si robustus, itidem parata: Non est verisimile eum id fecisse: facile enim intelligebat, id in se verisimile visum iri. Itidemque in ceteris. necesse est enim, aut talem esse, ut in eum cadat suspicio, aut talem, ut non cadat. Ergo videntur quidem utraque verisimilia: est autem illud quidem verisimile: hoc autem non simpliciter, sed ut dictum est. Atque hoc est quod dicitur, efficere, ut causa inferior superior fiat. Unde merito avertabantur homines id quod Protagoras profitebatur. nam & mendacium est: neque verum, sed adumbratum verisimile: neque in ulla arte, praeterquam in rhetorica, & in contentiosa. Ac de enthymematis quidem, tum de iis quae sunt, tum de iis quae videntur, dictum est.

C. XXIII. Consequens autem est iis, quae diximus, ut de solutionibus disseramus. Duplex igitur est ratio solvendi: una contrario syllogismo adferendo: altera, aliquid objiciendo quod obstet. Ac contrarii quidem syllogismi iisdem illis ex locis duci queunt. Etenim ex iis quae in opinione hominum sita sunt, syllogismi eruuntur: multis autem de rebus homines contraria opinantur. Objectiones autem quatuor modis fiunt, ut & in topicis. aut enim ex re ipsa, aut ex contrario, aut ex simili, aut ex rebus judicatis. A re ipsa, ut si de amore enthymema sit, eum bonum esse: duobus modis resistere licebit: aut enim universe: ita ut dicamus, omnem indigentiam malum esse: aut in parte: neque enim diceretur *amor Caunius*, nisi essent & mali amores. Ex contrario autem, ut si enthymema sit, virum bonum amicis omnibus benefacere: At ne improbus quidem male. E similibus autem, ut si enthymema sit, Omnes ii quibus mali aliquid factum est, semper oderunt. At neque ii qui be-

ne

neficium acceperunt, ſemper amant. Judicia autem ea demum quae ab illuſtribus viris facta ſunt. Ut, ſi quis enthymemate confirmarit, ignoſcendum eſſe temulentis; ignorantes enim eos peccare: obſiſti poteſt hoc modo. Non igitur laudandus eſſet Pittacus: neque enim legibus conſtituiſſet majores poenas, ſi quis ebrius deliquiſſet. Quando igitur enthymemata ducuntur ex quatuor, nempe ex veriſimili, exemplo, tecmerio, & ſigno: atque illa quidem enthymemata quae concluſa ſunt ex iis quae plerumque aut ſunt aut videntur, ex veriſimilibus ſunt: quae autem per unum ſimile, aut plura, per exemplum: at quae per neceſſarium, quodque ſit: per tecmerium: quae vero per aliquid quod in univerſo, aut in parte ſit, ſeu verum ſit, ſeu minus, per ſigna: veriſimile autem eſt, non quod ſemper, ſed quod plerumque: conſtat talia enthymemata ſemper diſſolvi poſſe, adferendo aliquid, quod eis obſiſtat. Diſſolutio autem videtur quidem, ſed non ſemper eſt vera. Non enim, qui occurrit argumento, ita ſolvit, ut veriſimile eſſe neget, ſed ut dicat non eſſe neceſſarium. Quo fit, ut propter hanc fallaciam, ſemper plura invenire liceat ad defendendum, quam ad accuſandum. Quando enim accuſator ſemper veriſimilibus ad probandum utitur: neque idem eſt ita ſolvere, ut dicas veriſimile non eſſe, & ut neges eſſe neceſſarium: ac quod plerumque tantum verum eſt, ſemper ei aliquid objici poteſt: neque enim veriſimile eſſet, ſed ſemper verum, & neceſſarium: ſtatim arbitratur judex, ubi ita diſſolutum eſt, aut veriſimile non eſſe, aut non ex eo judicandum: in quo fallitur, ut dicebamus: non enim ex neceſſariis tantum judicare eum oportet, ſed etiam ex veriſimilibus. nam & hoc eſt optima mente ac ſententia judicare. non igitur ſatis eſt, ſi ita ſolvat, ut neget neceſſarium eſſe: ſed ita ſolvendum eſt, ut oſtendat non eſſe veriſimile. Quod ita demum conſequi poterit, ſi id quod contra adferetur, tale erit, ut ipſum potius dicatur plerumque evenire. Atque hoc duobus modis: aut tempore, aut rebus ipſis: maxime autem, ſi utroque. Si enim & plura & ſaepius ita eveniunt, hoc veriſimile magis eſt. Solvuntur autem & ſigna, & quae ex eis ducuntur enthymemata, etiam ſi ſigna ipſa vera fuerint, ut in ſuperioribus diximus. Omne enim ſignum ineptum eſſe ad conficiendum ſyllogiſmum, conſtat ex analyticis. Eorum autem quae ab

exemplis ducuntur, eadem solutio est, quae verisimilium. Nam etsi dissimile aliquod exemplum adferamus, ostendemus non esse necessarium: & multo magis, si plura ac saepius aliter evenire doceamus. Quodsi & plura, & saepius ita evenire constet, ut adversarii volunt, pugnandum est, ut ostendamus id quod agitur non esse simile, aut non similiter, aut omnino discriminis aliquid esse. Teemeria autem, & enthymemata, quae ex eis conficiuntur, non possumus quidem ita dissolvere, ut negemus necessariam esse argumenti conclusionem. constat autem hoc quoque ex analyticis: quare alia dissolvendi via nulla relinquitur, quam ut ostendamus, verum non esse id quod dicitur. Sin autem constet, & verum esse, & teemerium esse: hoc jam insolubile evadit. Omnia enim eo perducta sunt, ut certa & perspicua demonstratio sit. Augere autem & extenuare, non est elementum enthymematis. idem autem voco elementum & locum. Est enim elementum seu locus, in quem multa enthymemata incidunt. Augere autem & extenuare, est quodammodo ostendere, aliquid magnum aut parvum esse, ut & bonum, aut malum, justum aut injustum, & quidlibet aliud. Haec autem omnia sunt circa quae versantur syllogismi, & enthymemata. quare si horum unumquodque locus enthymematis non est, ne augere quidem, & extenuare loci fuerint. Neque ea enthymemata quorum in dissolvendo usus est, ad aliud genus pertinent, quam quae ad confirmandum valent. Certe enim solvit is, qui aut demonstrat, aut aliquid objicit: demonstrat autem contra, id quod adversatur ei quod conclusit adversarius. Ut, si ille docuit factum esse, hic docet factum non esse: si ille factum non esse, hic factum esse. Itaque hac quidem ratione nihil est discriminis: cum iisdem utrique utantur. adferunt enim enthymemata, quibus aut non esse, aut esse confirment. Objectio autem non est enthymema: sed, ut in topicis, opinionem aliquam adferre, qua planum fiat, aut syllogismum non recte conclusum, aut falsum aliquid pro vero sumptum esse. Ac de exemplis quidem, & sententiis, & enthymematis, omnino que de iis quae ad sententiam pertinent, tum unde eorum copiam parare, tum quomodo ea dissolvere oporteat, haec a nobis disputata sint. Reliquum est, ut de elocutione, & de collocatione dicamus.

M. AN-

M. A. MURETI

IN

RHETORICORUM

ARISTOTELIS

LIBRUM PRIMUM

SCHOLIA.

Digitized by Google

exemplis ducuntur, eadem solutio est, quae verisimilium. Nam etsi dissimile aliquod exemplum adferamus, ostendemus non esse necessarium: & multo magis, si plura ac saepius aliter evenire doceamus. Quodsi & pluries, & saepius ita evenire constet, ut adversarii volunt, pugnandum est, ut ostendamus id quod agitur non esse simile, aut non similiter, aut omnino discriminis aliquid esse. Teemeris autem, & enthymemata, quae ex eis conficiuntur, non possumus quidem ita dissolvere, ut negemus necessariam esse argumenti conclusionem. Constat autem hoc quoque ex analyticis. quare alia dissolvendi via nulla relinquitur, quam ut ostendamus, verum non esse id quod dicitur. Sin autem constet, & verum esse, & temerium esse: hoc jam insolubile evadit. Omnia enim eo perducta sunt, ut certa & perspicua demonstratio sit. Augere autem & extenuare, non est elementum enthymematis. idem autem voco elementum & locum. Est enim elementum seu locus, in quem multa enthymemata incidunt. Augere autem & extenuare, est quodammodo ostendere, aliquid magnum aut parvum esse, ut & bonum, aut malum, justum aut injustum, & quidlibet aliud. Haec autem omnia sunt circa quae versantur syllogismi, & enthymemata. quare si horum unumquodque locus enthymematis non est, ne augere quidem, & extenuare loci fuerint. Neque ea enthymemata quorum in dissolvendo usus est, ad aliud genus pertinent, quam quae ad confirmandum valent. Certe enim solvit is, qui aut demonstrat, aut aliquid objicit. demonstrat autem contra, id quod adversatur ei quod concessit adversarius. Ut, si ille docuit factum esse, hic docet factum non esse: si ille factum non esse, hic factum esse. Itaque hac quidem ratione nihil est discriminis: cum iisdem utrique utantur. adferunt enim enthymemata, quibus aut non esse, aut esse confirment. Objectio autem non est enthymema: sed, ut in topicis, opinionem aliquam adferre, qua planum fiat, aut syllogismum non recte conclusum, aut falsum aliquid pro vero sumptum esse. Ac de exemplis quidem, & sententiis, & enthymematis, omninoque de iis quae ad sententiam pertinent, tum unde eorum copiam parare, tum quomodo ea dissolvere oporteat, haec a nobis disputata sint. Reliquum est, ut de elocutione, & de collocatione dicamus.

M. AN-

M. A. MURETI

IN

RHETORICORUM

ARISTOTELIS

LIBRUM PRIMUM

SCHOLIA.

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN

LIBROS

ARISTOTELIS

DE

ANIMA

LIBER PRIMUS

Digitized by Google

M. A. MURETUS GEORGIO GOZZIO, PATRICIO RAGUSINO, S. D.

Etsi prudentia e libris hauriri non potest, Georgi: dubium tamen non est, quin tractatio, ac pervolutatio certi cujusdam generis librorum plurimum momenti habeat ad prudentiam comparandam. Tales autem sunt cum alii, tum ii praecipue, quibus aut historia perite, & intelligenter explicata, aut praecepta ad informandam vitam utilia continentur. Jam utroque in genere apud Graecos quidem duo mihi videntur excelluisse, Xenophon & Plutarchus: e Latinis autem nimium fortasse mihi sumo, qui tanta de re judicare audeam: sed ut reprehendendus essem, si quasi judex aut arbiter statuerem: ita licere arbitror tanquam unus e multis, quid sentiam dicere: ex omni igitur Latinorum scriptorum copia longe mihi hac laude supra ceteros, Cornelius Tacitus excellere videtur. Quare iis qui litteras ita tractare cupiunt, non ut a vitae muneribus feriati, abditarum rerum, & vulgi captum superantium meditatione animum pascant: sed ut in hominum consuetudine, & in reipublicae administratione versantes, & privatim, & publice ceteris prosint: vobisque praesertim, qui ea in republica nati estis, quae voto vestro, id est, nobilium, consilio, atque auctoritate regitur; ejusmodi scriptores, praeter pauca quaedam Plutarchi, quae ad mathematicas disciplinas, aut ad physiologiam pertinent, totos diligentissime cognoscendos,

dos, & in manibus habendos puto. Platonis autem & Aristotelis non omnia, sed utriusque ea modo quae ad conformandos mores, & institutionem reipublicae, & ad eloquentiam pertinent. Hoc meo consilio & alii olim nobiles adolescentes usi sunt, quorum etiam nonnulli hodie magni ac clari in civitatibus suis viri uberes se ex eo fructus percipere fatentur: & tu cum maxime uteris: qui horas tibi quotidie aliquot sumis, quas mecum in accurata talium scriptorum lectione consumas. Hoc igitur studio tuo adductus, simulque impulsus amicitia ac familiaritate nostra, quae multis abhinc annis instituta ita jam crevit, vix ut quisquam sibi ipse carior sit, quam uterque nostrum est alteri, do dicoque tibi commentarium in libros Aristotelis de arte dicendi, nuper a me, ut commodis auditorum meorum consulerem, Latino sermone, ut potui, expressos. Cur eum laborem post tot alios susceperim, neque tibi ignotum est. & alii suo loco ac tempore sine ulla in quemquam contumelia intelligent. Liber quidem secundus ejusmodi est, ut, si singuli libri cum singulis conferantur, vix ullum reperiri posse opiner, qui plus ad prudentiam conferat. Tibi autem certo scio munusculum hoc gratissimum fore, tum suapte vi, tum quod ab homine tui amantissimo proficiscitur. Ac praeter ceteras voluptates, quas eo relegendo capies, illa, ut spero, non minima futura est, quod quoties eam partem inspicies, in qua summus philosophus quae opulentos ac nobiles vitia comitari soleant, tradit, te, qui utraque re, non multos, ne quid gravius dicam, in civitate tua superiores habes: omnium tamen judicio, ab eis omnibus vitiis longissime abesse cognosces. Mirificam enim etiam erga infimos comitatem ac facilitatem perpetuo retinens, ita te geris, ut nobilitatem quidem pro incitamento, opes autem pro instrumento exercendae virtutis a rerum omnium praepotenti Deo accepisse videaris. Vale. Romae. Idib. Februarii. MDLXXVII.

M. A N.

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN

RHETORICORUM

ARISTOTELIS

LIBRUM PRIMUM

SCHOLIA.

QUATUOR argumentis praecipue τὰ γνήσια deprehendi solent, similitudine elocutionis, convenientia sententiarum: si aut liber ille, de quo quaeritur, citetur in aliis γνησίοις, aut in eo citentur alii, quos constet esse γνησίους: & si eum ex antiquis ii, qui de hujusmodi rebus judicare poterant, pro Aristoteleo habuerunt. Quod attinet ad similitudinem elocutionis, quicunque in Aristotele versati sunt, facile hoc fatebuntur. Sententiarum convenientia hic spectari non potest; cum alii nulli libri Aristotelis de Rhetorica reperiantur. Sed cum in his citentur Topica, Analytica, Politica, quae Aristotelis esse constat, non est dubium, quin Aristotelis legitimus hic partus sit. Ex veteribus Gregorius Nazianzenus eos, ut Aristoteleos agnovit, qui etiam Scholia quaedam in eos scripsisse perhibetur. Cicero, Quintil. Alex. Aphro. Dionysius Halicar. citant. Explicanda supersunt tria, τάξις, διαίρεσις, & ad quam philosophiae partem pertineant. Videri posset post Dialecticen & Physicen; cum sit utriusque παραφυὰς. sed cum & de enthymemate atque exemplo, & tum de virtutibus ac vitiis, tum de motibus animi satis multa tradantur ὡς ἐν τύπῳ; neque orator accuratam earum rerum scientiam profiteatur, verius est, qui excultus sit iis artibus, quibus pueri ad humanitatem informari solent,

poetas triverit, historiam degustaverit, ei hos libros non incommode posse proponi. Summa haec est: Rhetorica est facultas videndi, &c. Quae autem ad faciendam fidem valent, partim sunt ἔντεχνα, partim ἄτεχνα. Ἄτεχνα, ut testes, &c. quae non inveniuntur arte, sed tamen arte tractantur. ἔντεχνα sunt trium generum: in moribus dicentis; in affectione animi ejus qui audit: in ipsa oratione, quae aut demonstret, aut demonstrare videatur. Hoc postremum praecipuum est, & de eo primo loco agit. Probat orator quod vult duobus instrumentis, enthymemate & exemplo, quae ἀντίστροφα sunt syllogismo & inductioni. Enthymemata ducuntur e locis: loci autem singulorum generum proprii aut communes. Genera ῥητορικῶν λόγων tria. Eorum fines Loci ad unumquodque genus, communes sunt περὶ τοῦ δυνατοῦ, καὶ ἀδυνάτου, περὶ τοῦ γεγονέναι ἢ μὴ, περὶ μεγέθους καὶ σμικρότητος, tum simpliciter, tum comparate. Loci proprii exponuntur libro primo, eademque opera docetur, quomodo ita comparari possit oratio, ut in ea significatio probitatis eluceat. Ad finem autem illius, tractantur probationes artis expertes. In secundo omnes animorum permotiones sigillatim tractantur, & earum tum origo, tum vis ac natura copiosissime ostenditur. Sequitur tractatus eorum locorum, qui communes sunt omnium generum, tum de exemplis, de sententiis, de ratione communi enthymematum inveniendorum, unde etiam ducantur, quae falsam enthymematum speciem habent, & quot quibusque modis enthymemata dissolvantur. Liber tertius continet praecepta elocutionis, & quaedam de iis partibus, quibus fere constant orationes. Haec horum librorum summa est. sed ad quam philosophiae partem pertinent? partim sunt ὀργανικοί, partim πολιτικοί. De interpretibus dici hic possit, Graeco ἀνωνύμῳ, Petro Victorio, Daniele Barbaro, Ant. Mirandulano, Antonio Majoragio.

IN LIBRUM PRIMUM SCHOLIA.

Rhetorica dialecticae ex altera parte respondet &c.] Prooemio utitur, non extrinsecus petito, ut Plato, & eum secutus Cicero solet, & ut hunc quoque ipsum in iis libris, quos ἐξωτερικοὺς vocabat, interdum facere solitum Cicero libro quarto epistolarum ad Atticum scribit: sed connexo ac cohaerenti cum iis rebus, de quibus explicaturus est, ut in Ethicis ad Nicomachum, in Physicis, in libris de sapientia, & aliis. Videtur autem hoc prooemium quatuor praecipuis partibus contineri. Quarum in prima docet, permagnam esse Rhetorices cum Dialectica similitudinem, quasique germanitatem. In secunda ostendit, ut ceterarum rerum, ita & dicendi artem quandam confici posse. In tertia, veteres dicendi magistros, & eos quoque, qui tum ejus se artis doctores profitebantur, in quibusdam levibus, & nugatoriis rebus, & ipsius artis accessionibus, quasique appendicibus occupatos, ea omnia, quae vere ad artem pertineant, & in quibus vis ac robur ipsius positum est, omisisse. Postremo, quia nonnulli Rhetoricam criminabantur, ut quae multorum malorum & privatim, & publice effectrix esset; demonstrat, injuste atque immerito id fieri; neque iccirco vituperandam artem, quod ea nonnulli ad hominum perniciem abuterentur: cum praesertim magnas utilitates, si quis ea recte utatur, adferat; multisque nominibus dignissima sit, in qua plurimum operae ac studii collocetur. Cicero 1. de Invent. initio. Haec prope omnia necessario tractanda fuerunt principio horum librorum propter Platonem. Plato enim cum Dialecticam mirabiliter extulisset, Rhetoricam contra depresserat, abjecerat, omnique dignitate spoliaverat: cum eam adulationis particulam quandam esse diceret, neque alio loco habendam, quam artem coquorum. Ac de Dialectices quidem laudibus, multa sunt in Parmenide, in quibus illud, nisi qui se in ea diligenter exercuerit, nunquam ad veritatis cognitionem perventurum, & lib. 7. de Repub. ait, eam, ὥσπερ θριγκὸν τοῖς μαθήμασιν ἐπάνω κεῖσθαι, id

est, *quasi pinnaculum quoddam, & fastigium in summo disciplinarum positam esse: neque ullam esse ea superiorem.* De Rhetorica vero nota sunt illa in Gorgia, ἐμπειρίαν τινὰ εἶναι καὶ τριβὴν, ἀλλ' οὐ τέχνην. & ἀντίστροφον εἶναι τῇ μὲν ἰατρικῇ δικαιοσύνην, τῇ δὲ ὀψοποιητικῇ ῥητορικήν. Quo respiciens Cicero in magna laude Isocrati ponit, quod Plato exagitator omnium Rhetorum, hu c miretur unum. Ne quem igitur a Rhetorices studio Platonis revocaret auctoritas, ei statim a principio occurrere Aristoteles voluit, his verbis; ἡ ῥητορικὴ ἀντίστροφός ἐστιν, οὐ τῇ μαγειρικῇ, ὥς φησι Σωκράτης παρὰ Πλάτωνι, πολλοῦ γε καὶ δεῖ, ἀλλ' ἐκείνῃ τῇ κατ' αὐτὸν τὸν Πλάτωνα ἀπασῶν τῶν τεχνῶν ἀκροτάτῃ καὶ σοφοτάτῃ διαλεκτικῇ. *Rhetorica aequalis, quasique gemina est, non arti coquinae, ut apud Platonem ait Socrates, longe id quidem a vero abest, sed ei, quae ipsius Platonis judicio summum ac principem locum inter omnes artes obtinet, Dialecticae.* haec Aristotelis hoc loco sententia est: haec causa, cur hinc potissime sibi exordiendum putaverit. Sed quoniam vox ἀντίστροφος negotium hac tempestate exhibuit hominibus eruditissimis, de vi ac potestate illius paulo mihi plura dicenda sunt, ne quid, quod ad horum librorum intelligentiam pertineat, quantum quidem a me praestari poterit, omittatur. Ἀντίστροφα igitur dicuntur, quae non plane quidem eadem sunt, sed tamen inter se pro proportione respondent. Sic non male dixerit aliquis, radicem in arboribus esse ἀντίστροφον ori animalium; quod ut animalia ore, sic arbores radicibus sumunt, quo alantur. Sic oculum dicamus licet ἀντίστροφον menti; quod enim est animo mens, id oculus est in corpore. Sic Plato septimo de Repub. τὴν μουσικὴν ait esse ἀντίστροφον τῆς γυμνασικῆς: quoniam quod efficit in corporibus gymnastica, idem praestet in animis musica. & in eodem libro, juvenum animos exercendos esse ἀντιστρόφως τοῖς περὶ τὸ σῶμα γυμνασίοις. Sic Aristoteles quarto πολιτικῶν, e quatuor oligarchiae generibus, id quod postremo loco posuerat, ait esse ἀντίστροφον τῇ τοραννίδι ἐν ταῖς μοναρχίαις, καὶ τῇ τελευταίᾳ ἐν ταῖς δημοκρατίαις. & in eodem libro, id tyrannidis genus, quod omnium pessimum est, ἀντίστροφον εἶναι τῇ βασιλείᾳ. Ergo aut eundem locum, aut eandem, aut certe comparem vim obtinent ἀντίστροφα, sed non in iisdem: suntque partim

tim similia, partim dissimilia. atque hoc divinitus expressit Plato in Gorgia, qui cum dixisset τῇ ἰατρικῇ ἀντίστροφον εἶναι τὴν δικαιοσύνην: statim addidit: ἐπικοινωνοῦσι μὲν δὴ ἀλλήλαις, ὅμως δὲ διαφέρουσί τι ἀλλήλων, ut jam ex Platone dicamus, ἀντίστροφα εἶναι τὰ ἐπικοινωνοῦντα μὲν ἀλλήλοις, ὅμως δὲ διαφέροντά τι ἀλλήλων. Sic Plutarchus in commentario, πῶς δεῖ τὸν νέον τῶν ποιημάτων ἀκούειν, ait Poëticen ἀντίστροφον εἶναι τῇ ζωγραφίᾳ: quod illa quidem sit, ut Simonides dicebat, vocalis pictura, haec autem quasi muta quaedam & tacita poësis. Sic in Categoriis duplum & dimidium, dominus & servus, & similia dicuntur ἀντιστρέφειν: quod ut duplum dimidii duplum est, ita dimidium dupli dimidium: ut dominus servi dominus, ita servus domini servus. Sic libro primo Analyticorum ἀντιστρέφειν dicuntur enunciationes, quae ordine tantum extremorum differunt: Ut, *quiddam jucundum est turpe: quiddam turpe est jucundum. Nihil quod optabile sit, turpe est, nihil quod turpe sit, optabile est.* Sic paeana προκαταρκτικὸν, ait Demetrius, ἀντίστροφον εἶναι τῷ καταληκτικῷ, quod temporibus pares cum sint, longam syllabam ille primam habeat, hic ultimam. sic ἀντιστρέφειν dicuntur versus, qui etiamsi inversi legantur, versus esse non desinunt, ut ille Virgilii: *Musa mihi caussas memora, quo numine laeso.* Erit enim & sic hexameter: *Laeso numine quo, memora caussas mihi Musa.* In Odis Pindari, & in choris Tragicorum, itidem in choris Aristophanis, quae ἀντιστροφὴ dicitur, ea τῇ στροφῇ, & numero & genere versuum prorsus aequalis est. Ἀντιστροφὴν denique vocant Geometrae, ut auctor est Proculus lib. 3. comment. in primum elementorum Euclidis, cum duo problemata ita inter se affecta sunt, ut collocatione tantum partium differant, sitque quod in uno concluditur, alterius hypothesis, & contra. Quibus ex omnibus, aliisque ejusdem generis liquido perspici potest, ἀντιστρέφου nomine aliud nihil, nisi aequalitatem quandam, indicari, ut, cum ait Aristoteles, τὴν ῥητορικὴν ἀντίστροφον εἶναι τῇ διαλεκτικῇ, significet, hanc illi quodammodo aequalem esse, eique, quod ait Cicero, *altera ex parte respondere*: quomodo & Alexander Aphrodisiensis exponit libro primo commentariorum in Topica. Neque enim ullo modo dissentit Cicero ab Alexandro, neque ullam harum partium repugnantiam ostendere voluit, cum dixit

ex altera parte, sed hoc significavit, si quis ex una parte Dialecticam statuat, ex altera Rhetoricam, hoc est, si eas inter se contendat ac comparet, fore, ut intelligat, esse alteram alteri aequalem. Hoc enim valet & apud Graecos ἀντὶ, & apud Latinos *ex altera parte*, pro quo interdum etiam dicimus, *contra*. Virgilius: *Carthago Italiam contra*, id est, e regione, ἐναντίον τῆς Ἰταλίας, ἀντικρὺ, & ex Graeco ἐναντίον fecit Propert. *inante*: *Si quis vult fama tabulas anteire vetustas, Hic dominam exemplo ponat inante meam.* Dicitur & pro eodem *ex adversum*. Terentius in Phorm. act. 1. sc. 2. & in Adelph. act. 4. sc. 2. *Ex adversum ei loco tonstrina erat quaedam*. Imo vero ipsa vox, *contra*, sola ac per se posita, interdum significat ἀντιστροφὴν, ut, omnis homo est animal, sed non contra, ἀλλ' οὐκ ἀντιστρόφι, & aequalitatem. Plautus: *is amat, &c. Atticis, & illa illum contra, &c.* Idem: *Illic homo carus non est, amo contra.* Male autem Victorius putavit in his verbis explicandis Ciceronem ab Alexandro dissentire; & illis verbis, *ex altera parte*, repugnantiam quandam inter has artes indicari. Male etiam Majoragius ea ita accepit, ac si Cicero dixisset, non ex utraque parte respondere Rhetoricam Dialecticae, sed tantum ex altera. Prorsus enim *ex altera parte* significat ἐναντίον, *e regione*: neque verius quidquam est, quam & totam Rhetoricen toti Dialecticae, & instrumenta quibus utitur Rhetor, iis quibus utitur Dialecticus, altera ex parte respondere, ut e sequentibus magis intelligetur.

Ambae enim quibusdam, &c.] Ostendit quomodo sint ἀντίστροφοι, nempe quod earum utraque versetur in quibusdam, quae communiter ab omnibus hominibus, & intelligi & judicari queunt: neque ulla certa ac definita arte continentur. Ac de dialectica quidem id vel inde notum esse potest, quod dialecticus non ex veris, neque ex propriis, sed ex opinionibus eorum, quibuscum disserit, & ex communibus ratiocinatur. Itaque non sumit ea ex quibus argumentationem concludit, uti facit is, qui docet, sed interrogat: ut ex Platonis dialogis, & e commentariis Xenophontis intelligi potest. Ergo disserit quidem περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος, ut est principio Topicorum, non tamen apte ad docendum; alioqui oporteret eum omnium artium peritum esse, sed ex commu-

ni-

nibus quibusdam, aut ex iis quae is, quicum disputat, ita sibi videri, responderit. Τὸν μὲν περὶ ἑκάστου ἐπιστήμονα ἔλεγχον ὁ ἐπιστήμων ἐν ἑαυτῷ, ὅτι μὴ ἂν φαίνηται, ἄτε ἐκ, ἢ διατί, ἢ ἢ ἂν ἢ πρώτοις καὶ ἐξ ἀδιαιρέτων τίχοιμι ὁ διαλεκτικῆ, ait Aristoteles in elenchis. sunt enim quaedam singularum disciplinarum propria, ut Geometriae, *super data linea recta triangulum, quod aequis lateribus sit, posse describi; Omne triangulum habere tres angulos duobus rectis pares;* Arithmeticae, *Omnem numerum esse dimidium duorum inter quos collocatus est, simul junctorum,* & similia quaedam communia, aut omnium, aut plurium, ut, *contraria contrariorum efficientia esse; contrario uno cognito, cognosci & alterum. quicquid de genere vere dicitur, aeque vere de qualibet parte generis dici,* & talia. Ex hoc igitur posteriori genere argumenta Dialecticus ducit. Aristoteles Elenchis: ἔστιν ἐριστικὸν ὁ συλλογισμὸς ὁ φαινόμενος ὢν, διὸ τῷ ἀεὶ πάσων ὢν, πᾶσαι δὲ αἱ τέχναι κρῶνται τοῖς κοινοῖς περί. Dic de quatuor generibus λόγων, quae sunt τὸ διδασκαλικὸν, τὸ διαλεκτικὸν, τὸ συλλογιστικὸν, τὸ ἐριστικόν. De discrimine διαλεκτικῆ, ἢ συλλογιστικῆ, item ἐριστικῆ, ἢ σοφιστικῆ. Haec igitur de Dialectica. Rhetorica autem discrepat ἀεὶ ὁ καλῆ, ἢ αἰσχρῆ, ἀγαθῆ, ἢ κακῆ, δικαίου, ἢ ἀδίκου. ut ait Plato in Euthyphrone. quae & ipsa talia sunt, ut nemo non se de eis judicare posse confidat. Diligenter autem norandum est hoc loco, utramque harum facultatum versari in iis, quae nulla certa arte continentur.

Quocirca & omnes quodammodo utriusque participes sunt. &c.] Quia harum facultatum utraque ejusmodi versatur in rebus, de quibus omnes sine magistro, ipsa natura duce, cognoscere quodammodo ac judicare possunt: fit, ut earum etiam utriusque nemo non quodammodo particeps sit. Nam & examinare & excutere alienam sententiam, & suae rationem reddere, eamque defendere, quod Dialecticorum munus est, & accusare ac defendere, quod Rhetorum, nemo est, quin, oblata sibi occasione, conetur. Ἐξετάζειν. ἐτάζειν, verum, ἐξετάζω, quid in quaque re veri sit inquiro. Idem indicatur verbo ἀναιρεῖν in Elenchis: πάντες δὲ μάχεσθαι πρὸς ἐγχειροῦσιν ἀναιρεῖν τοῖς ἐπαγγελλομένοις. ἐπιχειρεῖν λόγον est defendere aliquam sententiam, ejusque rationem reddere. duo priora sunt Dialectici, posteriora Rhetoris, sibique e regione respondent.

Vulgo igitur alii quidem haec temere &c.] Haec est secunda pars prooemii, in qua docet, Rhetoricen non esse τεχνὴν ἐμπειρίαν ἄλογον, sed certis praeceptis includi, & ad artem redigi posse. Notandum autem, quod ait, *redigi posse*, non, *jam redactam esse*. Ejus enim rei laudem sibi ipse vindicat. Hunc locum Cicero ita expressit lib. 2. de oratore: *Etenim cum plerique temere, ac nulla ratione causas &c.* At Quintil. lib. 2. cap. 17. *Nec dubium est, quin in re alius se inartificialiter, alius artificialiter gerat, in ea esse artem*, &c.

Quid enim fit causae, cur & qui consuetudine] Nam hoc differunt οἱ τεχνῖται τῶν ἐμπείρων, ὅτι οἱ μὲν τὸν αἴτιον ἴσασιν, οἱ δ' οὔ. οἱ μὲν γὰρ ἔμπειροι τὸ ὅτι μὲν ἴσασι, διότι δ' οὐκ ἴσασιν. οἱ δὲ τὸ διότι, καὶ τὸν αἴτιον γνωρίζουσι. Primo τὸν μετὰ τὸ φυσικὸν. Plato in Gorgia: τέχνην δὲ αὐτὴν ἡ φωμὴ οὖσα, ἀπ' ἐμπειρίας, ὅτι ἀπ ἔχει λόγον ἀθρήσασα, ἐξηῦρεν ἀ ἀφ' ἑαυτῆς, ἀπειρία ἄτης τὸν φύσιν ἔχει, ἄστε τὸν αἰτίαν ἐφάστε μὴ ἔχειν αὐτόν. ἐγὼ δὲ τέχνην ὑ φημὶ, ἂ ἀν μὴ ἄλογον πρᾶγμα.

Nunc igitur ii qui de dicendi arte &c.] Haec est tertia pars, in qua accusat negligentiam superiorum Rhetorum.

Nam solae probationes &c.]

Ὅπερ ἐκ τῶν] Legendum, ἰῶνται, ut & in vetere libro legere memini. Eodem modo corrupta est haec ipsa vox apud Plutarchum in Pelopida, in extremo: ὃ προσέχει τῷ λογισμῷ τὸν ὀργὸν, ἀλλὰ ἀφεὶς τὸν βλάψιν ἀναφλιχθέντος, ἢ τῷ θυμῷ παρεδὸς τὸ ἰᾶσθαι καὶ τὸν ἡμερότητα τῆς πρόξεως. vulgo ὧν male legitur. Idem autem reprehendit & Quintilianus in Rhetoribus aetatis suae.

Criminatio enim & commiseratio &c.] Διαβολὴ non est πάθος: sed pertinet ad judicem ponendum ὁ πάθος.

Itaque si in omnibus observaretur, &c.] Τὰς πόλεις delendum est, quibusdam etiam vetustis libris auctoribus, intelligendumque est ἐφὶ πάσας τὰς πόλεις. quas autem dicat civitates, ignotum est. Lacedaemonios tamen significari suspicor; qui copiam verborum non amabant.

Prohibent extra rem verba facere, ut in Areopago.] Athenaeus lib. 13. Quintil. cap. 15. lib. 2. Lysias φησὶ Σίμωνος· ἔχειν δ' οὐ θαυμαστὸν εἰ τοῦτ' ἐφ' ἑαυτοῦ. ἀλλ' ἐπειδὴ παρ' ἡμῖν ὁ νόμος ἐστὶν ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν, &c. Julius

lis Pollux libro 8. θορυβάζειν δὲ ἐκ ἐξῆν, ὅτε ἀκπάζειεν. Quintilianus: *Athenis ubi actor movere affectus vetabatur.* Noctu judicabant Areopagitae. Lucianus ἐδὲ Ζ εἶπε.

Neque enim oportet judicem distorquere ac depravare.] Quidam libri συστρέφειν. Aristoteles 3 πολιτ. ὁ δικαστὴς ἄρχοντος διαφέρει. Χ 2. Ethic. ὥσπερ οἱ τὰ διεγραμμένα τῶν ξύλων ἐρθοῦντες πρῶτον

Nam id perinde est, ac si quis qua regula usurus est, eam depravet.] Judicem oportet esse μέσον, τῇ ἴσῃ, & quali legem loquentem, &c.

Igitur maxime quidem oportet recte positas leges, &c.] Παρεσκευάσθαι, qua ostendit, in civitate bene instituta oportere omnia, quoad ejus fieri potest, legibus definita esse, ita ut quam paucissima in potestate judicum relinquantur, lex enim nihil ad gratiam facit, nihil odio tribuit, eadem voce cum omnibus loquitur: non ira, non invidia, non misericordia deflectitur a recto: quod hominibus saepe contingit. legem igitur satius est dominari, quam hominem. ὁ γὰρ ἄνθρωπος οὐκ ἀσφαλὴς ἄρχων. ait ipse in Politicis, & in eisdem: περὶ τοῦ δὲ μὴ σῴζεσθαι τὸ πολιτικὸν ἴλως, ἢ μὴ συμφυὲς. τῷ μὲν δὴ νόμῳ τοῦτο οὐχ ὑπάρχει, ψυχὴ δὲ ἀνθρωπίνη ἀνάγκη τοῦτο ἔχειν πᾶσιν. & in eodem libro: ὁ μὲν δὴ τὸν νόμον καλόν ἔρχειν, &c. videtur autem hoc quoque adversus Platonem torquere, qui dixerat, ut medicorum, ita legum multitudinem, signum esse male institutae civitatis.

Primum quidem quoniam unum, &c.] Primum argumentum, non cur plurimam diligentiam in legibus condendis adhiberi velit, ut ait Victorius.

Deinde leges quidem feruntur, &c.] Male Victor. *molestum* reddit ἐξ ὑπογυίου Estque secundum argumentum.

Jam quod maximum est, legislatoris, &c.] Tertium argumentum. συνέρχεται alii libri habent pro συνέρχεσθαι, quod placet. ἀεὶ δὲ, ait Victor. ἐπιλανθάνεσθαι τῆ ἀληθείᾳ. Ego σωφρονεῖς, τῇ ἀφροσύνῃ. ὅτε μηδὲν δύνασθαι χωρὶς ἐκείνου πλεῖσθαι, ἀλλ' ἐπιστρέφειν τῇ περὶ τὸ ἄδικον εὐδὲ ἢ λυπηρὸν Caesar apud Sallustium: *Omnes homines, P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. haud facile animus verum provident, ubi illa officiunt.* Diodotus apud Thucydid. lib. 3. περὶ δὲ ἐπιτιμήσεως ἀμφοῖν ὅτι, οὐχ ὅπως τῇ ἐγγὺς.

Τὸν ὄντα λόγον, &c.] Aristoph. πρόλογος, Isocrates adversus Sophistas, Ego cap. 11. lib. 4. variar. lection.

Ὁ δὲ πᾶς ἀγωνὼν ἐκ ἐστὶν τῶν, ἀλλὰ αὐξῆσαι δεῖ ἐκεῖνον] accurare, excipere.

Iis quae diximus, consequens est, ut percurramus orationes faciendae fidei &c.] Dictum est, unde ducantur enthymemata in unoquoque genere dicendi. quod probandi genus proprie est ἀγωνος. Sequitur, ut dicamus de iis, quae ἄτεχνα vocantur: idque hoc potissimum loco, quia proxime diximus de genere judiciali.

Sunt autem, &c.] Primum notandum est, quod ait, δεῖ τ' ἀτέχνων πραγμάτων. Non enim sunt simpliciter ἄτεχνα, sed origine tantum, tractatione autem vel maxime ἔντεχνα. Ideoque Cicero 2. de oratore ait, eas ab oratore quidem non excogitari, sed cum ad oratorem a causis atque a reis deferantur, ratione tractari; & in Partitionibus non ait ea esse sine arte, sed putari. M. autem Fabius lib. 5. ait, magnam partem forensium contentionum in eis consistere: ut & hic Aristoteles: & ut ipsa per se carere arte, ita summis eloquentiae viribus allevanda esse plerumque & refellenda. Sunt igitur τινὰ μὲν ἄτεχνα, τινὰ δ' ἔντεχνα.

Deinde. (ἴδιον δὲ τοῦ δημηγορικοῦ) Nam neque in ἐπιδεικτικῷ locus eis esse potest, neque in deliberativo, ut paullo infra explicabitur. Tertio observandus numerus. non enim de eo inter omnes convenit. Cicero secundo de oratore haec ponit, tabulas, testimonia, pacta conventa, quaestiones, leges, senatusconsulta, res judicatas, decreta, responsa. Ex his tabulas, & pacta conventa constat ab Aristotele vocari συνθήκας, leges & senatusconsulta νόμους, testimonia, μάρτυρας, quaestiones, βασάνους. Res judicatae referri debent inter exempla, non inter ἄτεχνα. quod & Fabius monet cap. 2. lib. 5. Aut si habent vim legis: ut Jurisconsulti, id quod Princeps cognita causa decrevit, vim legis habere dicunt, tum sane legis nomine comprehendantur. Decreta quoque senatus, aut magistratuum, legis vim habent. L. ult. C. de legib. & constitut. Princ. Responsa aut sunt Deorum, & numerantur inter testimonia, ut suo loco videbimus: aut prudentum, a quibus judici recedere si non licet, fit, ut ipsa quoque vim legis obtinere videantur. In Partitionibus haec omnia uno testimoniorum nomine complectitur, & omittit leges. cetera autem quae enumerat, facile ad haec Aristotelea re-

vo-

vocari queunt. Itaque nos, aliis omissis, hunc optimum & certissimum ducem sequamur.

Primum igitur dicamus de legibus, quomodo tractandae sint, &c.

Πῶς χρηστέον] Non enim inveniendae sunt, ut argumenta. sed inventis utendum ad caussam nostram accommodate.

Καὶ προτρέπουντα, καὶ ἀποτρέπουντα] Atqui modo dixerat, haec omnia propria esse τῶν δικανικῶν. Sed & accusator & defensor interdum cohortatur judices ad sequendum jus scriptum, aut non scriptum, interdum eos ab hoc, aut ab illo avertere & abducere conatur: ut mox videbimus. Hoc igitur vocat προτρέπειν, καὶ ἀποτρέπειν. Alioqui cum statim subjiciat octo locos pro aequitate naturali adversus jus scriptum, & quinque pro jure scripto adversus id quod quis natura aequum esse defenderet, constat, nullum ex iis omnibus locis ad deliberationes pertinere.

Constat enim, si lex scripta, &c.] Ostendi facile potest, hoc praeceptum etiam ad cetera pertinere, ut ad testes, quaestiones, &c. Deinde nomen legis, sive νόμου, apud primae notae scriptores accipi septem modis, nunc doceamus. I Νόμος, opinio. Itaque νόμῳ εἶναι, & φύσει εἶναι opponuntur. Aristoteles primo Ethicorum: Τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια τοιαύτην ἔχει διαφορὰν, καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν τισὶ νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. inde νόμισμα. Idem dicitur κατὰ συνθήκην, ut in libro περὶ ἑρμηνείας. Et ita dicebat Democritus, νόμῳ χρωτὴν εἶναι, καὶ νόμῳ γλυκύ. & quidam ex veteribus, νόμῳ εἶναι πάντα καὶ μηδὲν μᾶλλον εἶναι τοιόνδε ἢ τοιόνδε. II. Lex, quod universus populus. III. Lex, quod pars populi, ut plebiscita. Lex Aquillia. Leges Semproniae. Leges Serviliae. Lex Manilia. IV. Lex omne jus scriptum, ut omnes populi, qui legibus aut moribus reguntur. Horatius: *Mos & lex maculosum edomuit nefas*. Idem: *Res Italas armis tuteris, legibus ornes, Moribus emendes*. V. Νόμος, consuetudo. & νόμιμα, quae in consuetudine posita sunt. Xenophon primo παιδ. εἰ καὶ ἐν Πέρσαις νόμος ἐστὶν, οὕτως συγγενοῖς φιλεῖν. & sic saepissime apud Herodotum. VI. Omne jus sive scriptum, sive non scriptum: ut hoc loco, & in Institutionibus Juris civilis. Τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι. VII. Ratio summa insita in natura, &c. Hanc legem aut Deum esse, aut etiam Diis ipsis imperare dicebant. Plato in Gorgia: Δοκεῖ δέ μοι καὶ Πίνδαρος ἅπερ ἐγὼ λέγω ἐνδείκνυσθαι, ἐν τῷ ᾄσματι, ἐν ᾧ λέγει, ὅτι νόμος ὁ

πάντων βασιλέα θεὸν τε, καὶ ἀνθρώπων. Idem dixerat & Chryſippus principio libri περὶ νόμου, cujus verba citat Paulus de legibus, & apud Euripidem Hecuba: Ἥρᾳ μὲν οὖν δοκεῖ τι καίτοι σοφὸς εἶναι, Ἀλλ' οὐ θεοῖσιν, ἀλλὰ φύσιν κρατεῖν λόγῳ. & Polybus principio libri Γονῆς, qui tribuitur Hippocrati: Νόμῳ πάντα κρατύνει. Τὸν κοινὸν νόμον vocat Ariſtoteles jus naturale ſive gentium, & aequitatem, γεγραμμένον autem jus cujusque populi proprium. Illud apud omnes idem valet. Hoc ita varium eſt, ut admirabile ſit. De varietate illa ſaepe dixi: &, ſi quis plura ſcire avet, legat quae ex Bardeſane Syro retulit Euſebius lib. 6. de praeparat euangelica. Dici hic poſſet & περὶ ἐπιεικείας, & cur jus ſcriptum indigeat correctione.

Et hoc eſſet optimo animo judicare, non id quod ſcriptum eſt, praefracte ſequi.] Καὶ ὅτι τὸ (in aliis τῇ) γεγραμμένῳ τῷ δίκῃ (in aliis hoc amplius, χρωμένου κρίνει) τοῦτ' ἔστι, τὸ μὴ πανταλῶς (in aliis πάντως) χρῆσθαι τοῖς γεγραμμένοις. i. locus adverſus legem ſcriptam. Pollux lib 8. ὁ ἢ ὄμνυ· ἐπὶ τῷ δικαίῳ· οἱ μὲν οὖν νόμοι οὗτοι, κατὰ τοὺς νόμους ψηφιοῦσθαι· οἱ δὲ μὴ οὗτοι, τῇ γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ. Ita & Demoſthenes, cum κατ' Ἀριστογείτονος, tum κατὰ Λεπτίνου. Totum jus praetorium huc pertinet, de quo multa Jurisconſulti, & nos comment. in 5. Ethic. Hinc oritur ſtatus ex ſcripto & ſententia. Atque hoc valet in legibus. Qui nocte cum ferro deprehenſus fuerit, alligetur. Deprehenſus eſt quidam cum annulo ferreo. Liberi parentes alant, aut vinciantur. Quaeritur, num & infans. Peregrinus qui muros conſcenderit, &c. apud Senec. & Fabium. In teſt. lis inter Caponios, & M. Curtium, & 2. de oratore. Atque is noluerat, quod non ſcripſerat. Alii ſcribunt, quod nolunt: ut exemplum Fabii de quinque millibus pondo argenti. In contractibus. Quae lingua nuncupata eſſent, ea tantum ex lege 12. Tab. praeſtabantur. Jurisconſ. interpretati ſunt ex aequo & bono, &c.

Aequitatem ſemper manere] Secundus locus eſt, Ea quae naturalia ſunt, non mutantur, & eadem ſunt apud omnes. 2. & 5. Ethicorum. Scriptae leges ſaepe mutantur.

Unde dictum eſt in Antigone Sophoclis; &c.] Sophoclem μίλτωνα vocarunt. In Epitaphio ipſius quod Dioſcorides edidit: εἰδ' ἐπὶ χερσὶ Κάλλιμος ὧδε πίτνω ἔξοχα δολιχαύλης; Κεῖμαι ἐγὼ Ἀντιγόνῃ σύντροφος, ἀλλὰ δὲ σαυτῷ· Κεῖμι δ' Ἡλιο-

στόμος.

πτερον. ἀμφότερα γὰρ ἄκρον. ubi ait ἀνέμῳ, quia coma tondebatur in luctu. Polynicen vero adversus edictum Creontis sepelierat. Eteocles Polynici regnum restituere nolebat. Polynices Argos ad Adrastum venit. Contendit noctu cum Tydeo, qui & ipse Calydone fugiebat. Venit Adrastus. Aper & leo. Ad bellum proficiscuntur. Praedictio Amphiarai, omnes duces perituros praeter Adrastum. Eriphyle eum prodit. Tiresiae praedictio de Menoeceo Creontis filio. Menoeceus se interficit. Fratres mutuis vulneribus cadunt. Creon regnum suscipit. Edictum. Antigone sepelit fratrem. Ipsa viva defoditur. Aemon Creontis filius gladio, Eurydice Creontis uxor laqueo se exanimat. οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε. Τῶνδ' ἐγὼ οὕτ' ἔμαλλον, ἀνδρὸς οὐδενὸς. *Neque enim hodie jus hoc receptum esse auguror.* Et: *Violare ego has mortalis ullius metu Nunquam forem ausa.* Locus autem integer huc advocandus est: Κρ. σὺ δ' οὖν μοι μῦθον, ἁπλοῦν εἰπὲ καὶ σύντομον. *Tu vero dic mi, verba in pauca contrahens.* ἴσθι τὸ κηρυχθέντα, μὴ πεῖσαι πόλιν; *Ne quisquam id faceret, vetitum edicto noveras.* Ἀντ. ἤδειν· τί δ' οὐκ ἔμελλον; ἐμφανῆ γὰ ἦν. *Nam quidni nosse m?* neme in urbe id nesciit. Κρ. Καὶ δῆτ' ἐτόλμας τοὺς δ' ἐκεῖνου νόμους; *Cur igitur leges ausa migrare es meas?* Ἀντ. οὐ γάρ τι μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε. *Neque enim ista summus Juppiter mi edixerat.* οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν δίκη, *Neque Inferorum Dea familiaris Dice.* οἵ τοῖσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους. *Non illi hisce homines adstrinxerunt legibus.* οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ. *Neque tantum Imperia valere censebam tua.* Κηρύγμασιν, ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν Certas ut illas leges non scriptas Deum. Μίμνειν δύνασθαι θνητὸν ὄντ' ὑπερδραμεῖν. *Posset mortalis quisquam abolere ac tollere.* οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε. *Neque enim illa nunc primum, aut here, sed semper vigent.* ζῇ ταῦτα. κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου 'φάνη. *Nec quisquam dicere quam pridem oria sint, potest.* τούτων ἐγὼ οὐκ ἤμελλον, ἀνδρὸς οὐδενὸς. *Migrare ego mortalis ullius metu.* φρόνημα δοῦσα', ὡς δίκην τίσω θεῶν. *Nunquam forem ausa, ut causam judicibus deis.* δώσουν. ἐπεμάνην γὰ ἐξηύδων, τάλ' ὤ; *Dicendam haberem. ac morituram quidem esse me.* οὐ δὴ μὴ σὺ κηρύξῃς. εἰ δὲ χρὴ νιν. *Noram. quidni? etiamsi tu edixisses nihil.* κεἰδέναι ἐπιστάμην, κεἰ δεῖ με δεῦρο λίαν. *Quodsi ante diem moriar,*

Digitized by Google

rior, in lucro id deputo. ὅστις δὲ εὐ πάσχων, ὡς ἐγὼ νῦν. *Nam quisquis vitam, ut nunc ego, in aerumnis agit.* ζῇ, πᾶς ἄν ἐχὶ κερδανῶν κέρδει φέροι; *Mortem sibi ille, si sapit, in lucro putat.* Idem Sophocles in Oedip. Tyr. οὐ νόμος ἐκφεύγειν ψῆφισθείς, ἀφαιρεῖν δ' αὖθις πανδήμους· ὦ Ὄλυμπε πᾶσι μόνε, ἀλλ' ἐν θνατοῖς φῶτας ἀείρων ἵκεται, ἀλλ' ῥαδίως ποτὶ λαῖφος πτερορυμώσει. Cicero in Milon. *Est enim haec, Judices, non scripta* &c. Jurisconf. *cum ipso hominum genere natum.* Cicero primo de legibus: *Constituendi vero juris ab illa summa lege*, &c.

Et jus verum quoddam esse] Tertius hic locus est: & quartus ibi.

Et judicem esse quasi spectatorem.] Ἀρχιμαγείρων, ὁ δικαστής. Julius Pollux. κυρίως ἡ λίχνου κεφαλὴ τὸ ὑπόγαιον ἀγγεῖον. Etymologicum magnum. *Aerosum aurum* Plinio. l. *creditor*, D. de solutionib. & liberat. *Creditor oblatam a debitore pecuniam, ut alia die accepturus, distulit. mox pecunia, qua illa respublica utebatur, quasi aerosa, jussu Praesidis sublata est.* Accursius, *aerosa*, aere egens. Vel *erosa*, id est, dominabilis & potens per pecuniam quam tenebat. Alii habent *heros resp.* & tunc dic. eodem modo heros, id est, dominans. At Alciatus ineptissime cap. 25. lib. 2. Dispunctionum, ἥρωι legendum putavit.

Et melioris viri esse leges non scriptas sequi &c.] Quintus hic locus, est: Sextus vero locus ibi.

Illud quoque videndum, &c.] Cicero 2. de Inventione: *Tyranno occiso quinque ejus proximos cognatione magistratus necato.* Qui tyrannum occiderit, quam sibi volet rem a magistratu poscito: et magistratus ei concedito. Alexandrum Thebe uxor interfecit. Poscit unicum filium praemii loco. Qui proximus erat tyranno, eum interfecit. aut ipsa sibi lex pugnat, aut pugnat δίκαιον νόμον: tyrannicidis praemia debere. Status autem est ex contrariis legibus.

Exempli causa, lex est, quae pacta conventa] Pacta servabo. Index sit, dolus solus praestetur. In depositio pepigerunt, ut & culpa praestaretur.

Et num ambigua sit,] Ex ambiguo locus septimus. Cicero: *Meretrix coronam auream ne habeto: si habuerit, publica esto.* In testamentis: Heres meus statuam

mihi

mihi ponat in foro auream hastam tenentem. Uxori meae centum pondo quae voluerit, argenti dato.

Et si res quidem, propter quas lex lata est] Octavus locus est. Livius lib. 23. de lege Oppia abroganda, quae lata erat in medio ardore Punici belli: *Ne qua mulier plus semiuncia auri haberet: neu vestimento versicolore uteretur; neu juncto vehiculo, in urbe oppidove, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum caussa, veheretur.* M. & P. Bruti adversus M. Catonem. Orationes contrariae M. Catonis & L. Valerii tribun. pleb. Egregium autem exemplum disputationis adversus scriptum pro aequitate petes ex oratione pro Caecina, & ex 3. Politic. τῇ δικαιοτάτῃ, &c.

Quod si lex scripta pro vobis faciat, tunc, &c.] Primus locus pro lege scripta. & alia declaratio illius γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ. Cicero 1. de Inventione: *Judices, qui ex lege jurati judicatis*, &c.

Et neminem persequi id quod, &c.] Locus secundus. Bonum duobus modis, τὸ ἁπλῶς, καὶ τὸ τινί. Sic & τὸ δίκαιον, καὶ τὸ συμφέρον, τὸ μὲν ἁπλῶς, τὸ δὲ τινί. Ut ergo nemo in consultando quaerit quid sit bonum ἁπλῶς, sed quid sibi: ita nec in judicando istud nescio quid δίκαιον ἁπλῶς: sed id quod justum est legibus nostris.

Et nihil interesse] Tertius locus pro lege scripta.

Et ne in aliis quidem artibus] Quartus locus. videtur aliquo modo huc aptari posse aphorismus Hippocratis e 2. τμημ. Πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον. docet enim, non temere recedendum a praeceptis artis, ut hic non temere a legibus.

Παρασοφίζεσθαι] Ingeniosum velle videri. Victorius aliter, & libri quidam παρὰ τῶν ἰατρῶν habent.

Et hoc est quod dicitur] Quintus locus. Exemplum luculentum disputationis pro legibus scriptis in oratione pro Cluentio.

Ad testes autem quod attinet, &c.] Haec Aristotelea testium tractatio tripartita est. Primum enim tradit, quot sint genera testium: eaque singula illustrat exemplis: deinde tradit communes locos pro testimoniis adversus argumenta: vicissimque pro argumentis adversus testimonia: postremo quae pro singulis testibus, aut adversus singulos testes dici queant, unde petenda sint, indicat.

Te-

Teſtium duplex ratio eſt: &c.] Veteres aut ad praeterita confirmanda valent, aut etiam ad futura. Ad praeterita, nobiles poëtae, & alii ſcriptores, qui manifeſto aliquid dixerint. Etiam ad futura, vetera oracula, ſeu quae quaſi oraculorum loco ſunt, & proverbia. Novi μαρτύρους & συνδίκους, qui ab alterutro litigantium producuntur. Expertes periculi, quorum aliquod dictum extra cauſſam adfertur, quo tamen cauſſa noſtra adjuvetur. Haec igitur primum ex ipſo Ariſtotele audiamus: deinde cetera perſequemur.

Antiquos voco poëtas, &c.] Poëtarum ſententiae habent interdum quaſi teſtimonii auctoritatem. Ergo ſi quis volet probare Graecos fallaces, uti poterit teſtimonio Virgilii: *Ille dolis inſtructus, & arte Pelasga.* Si Ligures: *Vane Ligur, fruſtraque animis elate ſuperbis, Nequicquam patrias tentaſti lubricus artes.* Si quis honoratiſſimum locum in menſa antiquitus contendat fuiſſe medium, ut Romae in medio lecto erat locus regius: — *Aulaeis jam ſe regina ſuperbis, Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.* Si de militum impietate, dicet: *Nulla fides, pietasque viris, qui caſtra ſequuntur.* Si de ſociis regni: *Nulla fides regni ſociis, omnisque poteſtas Impatiens conſortis erit.* Sed & aliorum ſcriptorum illuſtrium teſtimonia prope idem valebunt.

Ut Athenienſes in controverſia de Salamine Homerum teſtem adhibuerunt] Lex, ne quis de Salamine verba faceret. Simulatus furor a Solone. Salamis poëma centum verſuum. Actus ad templum Cereris Coliados. Lacedaemonii arbitri electi. Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγε δυοκαίδεκα νῆας. Στῆσεν δ' ἄγχι νέεσσιν Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες. Usus eſt & oraculis quibusdam veteribus, in quibus Ionia Salamis vocabatur. Plutarch. qui hunc verſum ab ipſo Solone compoſitum dicit. Eadem fere Laërtius, qui Solonem ipſum Salaminium fuiſſe dicit: & ex illa Elegia ponit aliquot verſus. Narrat & Strabo lib 9. Sed adfirmare videtur, hunc verſum Homeri non eſſe. & Megarenſes contra inſeruiſſe alios verſus, quibus Salamina ſuam eſſe contenderent. Multos quoque alios populos Homeri teſtimonio ſtetiſſe, cum de finibus ambigeretur, teſtis eſt Euſtathius. Sed & Philomelus Phocenſis, qui ſacrum bellum concitavit, ut pervinceret, cives ſuos, antiquiſſimis temporibus, oraculo Delphico praefuiſſe, teſtimonio Homeri uſus eſt;

Digitized by Google

est: Αὐτὰρ Φωκέων Ἐχιδίῳ, ἢ Ἐπικρέῳ ἦεν, Οἱ Κυπάρισσον ἔχον Πυθῶνά τε πετρήεντα. Diodorus lib. 16.

Et Tenedii] ἱστορίαν Historia ignota.

Καὶ Κλειφῶν] Alii Κλεοφῶν legunt, alii Κλείφου, vel Λείφου. Cleophontis, oratoris turbulenti, meminit Isocrates de Pace, & Aeschines de Corona.

Adversus Critiam] Critias unus e triginta. Satis bonus poëta. Athenaeus lib. 10. Multi clari poëtae occurrunt domum Critiae. Anacreon, Solon, alii. Plato in Charmide Quomodo ergo Solon, &c. Respond. tanto gravius esse testimonium. Proculus in Timaeum ita citat: Εἰπόμενον Κριτίᾳ ξανθότριχι αὖθις ἐκεῖνον. Οὐ γὰρ ἀκρωτήριόν τινος ἐγκρύφιον. Theocritus id. 7. Ἄμφω τὼ δ' ὕπνῳ συμπότᾳ, ἄμφω ἑνάδω. Tales esse fere septentrionales, ait Aristoteles in problematis.

Ut Themistocles, quod Deus, ut se ligneis moenibus tuerentur, moneret] Ἢ ἐν λιμένι πρεσβεύειν ὡς τῆς Θεμιστοκλείους συμβουλῆς χάριν. Plato in Gorgia. Historiam narrat Herodotus in Polymnia. Thucydides lib. 1 Plutarchus & Aemilius Probus in Themistocle. Justinus lib. 2 Aristophanes: Τεῖχος τεττιγοῦ ξύλινον διδοῖ Διώνυσε ζέλως.

Et proverbia, &c.] Ἐπὶ τῇ αἰ παροιμίᾳ, ἄκαρι ἄκαρι), μορσίμοι ἴσαν Lego, ἢ τὸ ἄκαρι ἄκαρι). Lege proverbium, τρεῖς πάντα πάντα. Cares, Cilices, Cappadoces. *Da mihi testimonium mutuum.* Et Θεόγνιν φίλον ἴσχε, γάπτα δὲ μὴ ἴῃς. Et, *in Care periculum.*

Et ut filios occidat, qui patres occidit] Καὶ τὸ τοὺς ἐκ ἀνατρεῖν, ἢ τοὺς πατέρας. Μίμῳ δὲ πατέρα κτείνας παῖδας κατακλείσας. Philippi Macedonis dictum, & Cyri cum Croeso colloquentis apud Herodotum. Vide quae infra extremo libro secundo notavi, ubi idem versus repetitur.

IN LIBRUM SECUNDUM SCHOLIA.

Etsi ex quo huic muneri praepositus sum, sedulo semper operam dedi, ut eos vobis scriptores proponerem, ex quorum tractatione maximam ad vos utilitatem perventuram putarem; nunquam tamen mihi quidquam suscepisse videor, quod vobis fructuosius fore confiderem; quam hanc, in quam hodie ingredior, explicationem secundi libri *Aristotelis de arte dicendi*. Ita enim judico, non tantum ad bene dicendum, quod ipsa libri pollicetur inscriptio, sed ad vitam bene ac prudenter dirigendam, si quis ex omnibus veterum scriptis optima quaeque seligens, singula cum singulis conferat, nihil hoc libro utilius posse reperiri. Ac ne quis a me fortasis haec dici putet magis ad excitanda vestra studia, & ad faciendam mihi audientiam, quam quod ita se res habeat: quaeso obtestorque vos, ut attente me audiatis, dum & quae superiore libro tractata sunt, brevissime repeto: & hujus summa capita propono: quo facilius ac certius ipsimet judicetis, fucum vobis non fieri: neque me quidquam, quod praestiturus non sim, polliceri. Cum igitur *Rhetoricam* definiisset Aristoteles, *vim videndi quicquid in quaque re accommodatum esset ad fidem orationi faciendam:* eorum quibus id orator consequi posset, duo genera esse dixit, unum eorum quae tota in dicentis artificio posita essent, alterum eorum quae tractarentur quidem ab oratore, sed tamen ipsius ingenio non excogitarentur. Arte sua perficere debet orator, ut ab auditoribus vir bonus habeatur, eisque amicus. non enim fere quisquam ei facile credit, quem aut malitiosum & fallacem, aut sibi parum amicum putat. Et ut in eorum animis aut spem, aut metum, aut iram, aut misericordiam concitet, aut ita, ut uno verbo dicam, eos afficiat, quemadmodum expedire intelligit, ad id quod vult facilius obtinendum; & ut id ipsum quod probare vult, rationibus & argumentis, aut demonstret, aut demonstrare videatur. Ad rem demonstrandam duobus tanquam instrumentis utitur, *Enthymemate* & *Exemplo*. Enthymemata ducuntur ex verisimi-

similibus & ex signis. *Verisimilia* vocat communes quasdam sententias de rebus quae geruntur in vita, aut omnium, aut plurimorum, judicio comprobatas. *Signa* sunt quae aut necesario, aut probabiliter arguunt, ita esse, ut dicimus. *Exemplum* est unius, aut plurium rerum similium collatio, pertinens ad id quod volumus comprobandum. Horum omnium vi atque natura diligenter explicata, tradidit eorum verisimilium, quae in promptu, quasique in numerato habere debet orator, ut ex eis argumenta depromat, duplex esse discrimen. Nam cum dicendi genera plura sint, quaedam ex illis communibus sententiis, quas *verisimilia* vocamus, ejusmodi sunt, ut ex eis in quocunque dicendi genere versetur orator, aliquid sumere liceat: quaedam proprie ad hoc aut illud genus accommodatae. Utrasque earum communi quidem nomine vocabat *locos*: sed tamen illas communiores, ac latius patentes, *locos* potius dici voluit, has restrictiores, & singulorum generum proprias, potius *formas*: aut certe cum hac additione, *locos cujusque generis proprios*. Quos cum priore loco tradere instituisset, prius docendum fuit, quot, quaeque essent praecipua dicendi genera. Tria igitur esse dixit, *Deliberativum*, *Judiciale*, & id quod a Latinis non satis apto vocabulo *Demonstrativum* vocatur. Deliberatione proposita est utilitas: judicia tractanti justitia & aequitas: laudatori honestas. Deliberationum publicarum, eas enim praecipue spectabat, quinque fere genera esse dixit. aut enim deliberari de vectigalibus, aut bello, & pace, aut de custodia regionis, aut de iis, quae importanda vel exportanda sunt, aut de legibus ferendis. Tum admirabili sapientia indicavit, quaecunque cognoscenda sint oratori, ut iis omnibus de rebus graviter, & cum dignitate verba facere possit. Ac quoniam omnis deliberatio, aut ad felicitatem, aut ad aliquam partem felicitatis refertur: tum ipsius felicitatis multas definitiones vulgo receptas exposuit, tum partes quibus ea constare creditur, accurate ac diligenter persecutus est, tum denique tam multos nobis locos tradidit, ex quibus argumenta repetentes, aut simpliciter bonum esse aliquid, aut in comparatione altero melius esse doceamus: ut potius obruisse nos copia, quam quidquam quod ad nos explendos pertineret, omisisse videatur. Po-

ſtremo. quoniam ea oratio optime ac facillime combibitur animis, quae quam maxime ad mores eorum qui audiunt accommodata eſt: docuit nos, quot genera ſint rerumpublicarum, & qui cujusque reipublicae mores, ut eis cognitis effingamus nos, quoad poſſumus, ad eorum ſimilitudinem, quaeque maxime convenient moribus ejus civitatis, in qua dicemus, ea maxime in dicendo ſequamur. Ita abſoluto deliberativo genere, in id, quod demonſtrativum vocatur, ingreſſus eſt; & de honeſtate ac turpitudine, de virtute ac vitio, deque iis etiam quae cum eorum utroque conjuncta ſunt, ita copioſe diſputavit, ut nemini, qui, quae ab eo dicta ſunt, & bene perceperit, & uſu ac meditatione confirmaverit, unquam de talibus dicere volenti deeſe poſſit oratio. Quod autem principio dixerat, enitendum eſſe perſuadere volenti, ut probitatis opinionem ſibi ipſo orationis genere conciliet: id quomodo praeſtari queat, monuit, ex iis ipſis intelligi poſſe. Nam quibus rationibus alteri, iisdem ſibi quoque comparare quisque probitatis opinionem poteſt. Inde ventum eſt ad judiciorum tractationem, quae cum fere tota in juris & injuriae diſtinctione verſetur, principio docuit, quid ſit injuriam facere: & ejus quam attulerat definitionis ſingulas partes ſubtiliſſime perſecutus eſt. Deinde quia fere accidit, ut homines ad imponendam aliis injuriam, aut utilitatis alicujus, aut voluptatis propoſita ſpecie moveantur, & de utilitate in praeceptis deliberativi generis abunde dictum erat: explicandum ſibi putavit, quidnam eſſet voluptas, & quae efficientia voluptatis: & quomodo eorum unoquoque homines ad faciendam injuriam incitentur. Quibus abſolutis, quomodo etiam affecti homines ipſi facile adducantur ad faciendam injuriam, quaeſiit, docuitque, ſi & poſſint, & ſpem celandi, aut, ſi res detecta fuerit, facile evadendi habeant, ita ut, aut ne poenas dent, aut judicii levior poena ſit, quam facti praemium, facile eos ad faciendam injuriam impelli. Tum quomodo quisque ita ſibi de ſe perſuadere poſſit, indicavit. Deinde defendendi rationes tradidit: ut aut neget quis ſe feciſſe, aut non id feciſſe, aut jure feciſſe contendat. Secuta inde diſputatio de aequo & bono, ut qui jure ipſo cauſam ſuam tueri ſe poſſe diffidit, aequitate defendat. In d. comparate de majore & mi

minore injuria: ubi cuncta tradita sunt, quae eo pertinent, ut injuria aliqua major minorve videatur. Subjecit postremo tractationem τῶν ἀτέχνων, quae sunt 5. νόμοι, μάρτυρες, συνθῆκαι, βάσανοι, ὅρκος. Haec summa est primi libri. Nunc quid in secundo agatur, cognoscite. Tria sunt quae fidem conciliant. Argumenta & probationes. Opinio de eo qui dicit, & affectio eorum qui audiunt. De argumentis & probationibus dictum est. De eo qui dicit, tria eos opinari oportet; bonum virum esse, & prudentem, & amicum sibi. Quomodo vir bonus & prudens videri possit, supra dictum est. Amor ac benevolentia, affectio quaedam animi est. Eadem igitur opera exponemus & quomodo ceteros animi motus concitare possimus in audientibus, & quomodo efficere, ut & ipsi nos ament, & nos sibi velle opinentur. Ergo de motibus animorum disserendum est. Sunt autem animorum motus, ut ira, misericordia, lenitas, amor, odium, metus, confidentia, verecundia, inverecundia, gratia, indignatio, invidentia, epichaerecacia, aemulatio, & similia. Horum cujusque tripartita tractatio est. Mores juvenum, senum, ἀκμαζόντων, nobilium, divitum, potentum, fortunatorum. Loci communes, περὶ δυνατοῦ καὶ ἀδυνάτου, περὶ μεγέθους, περὶ τοῦ γιγνόμενα, ἢ μὴ, καὶ ἔσεσθαι, ἢ μὴ περὶ ἐνθυμημάτων κοινῇ, καὶ περὶ παραδειγμάτων. de his prius. Παραδειγμάτων εἴδη δύο. τὰ προγεγενημένα λέγειν, & τὸ εὑρεθέντα ὑπ' αὐτοῦ τοῦ λέγοντος. Hujus duo genera παραβολαὶ καὶ λόγοι. Quando praeponenda exempla, quando subjungenda. περὶ γνωμολογίας. Quid sententia sit, quotque sententiarum genera, & quibus conveniat γνωμολογεῖν. Περὶ ἐνθυμημάτων κοινῇ. Ad copiam, plane cognoscendae omnes partes caussae. Quare necesse est habere magnam copiam propositionum comparatam ad ea quae frequenter incidunt. περὶ δὲ τῶν ἐξ ὑπογυίου, eodem modo quaerere. Enthymema τὸ μὲν δεικτικὸν, τὸ δὲ ἐλεγκτικὸν. Ergo de utroque. Inde de iis quae videntur enthymemata, sed non sunt. Deinde de solutione, quae duplex est, δι' ἀντισυλλογισμοῦ, καὶ δι' ἐνστάσεως. Haec quomodo prosint ad dicendum, & quomodo possint ad prudentiam valere, docet.

IN LIBRUM SECUNDUM SCHOLIA.

Fere enim de iis, & ex iis ducuntur enthymemata, &c.] Περὶ γὰρ τούτων, ἢ ὧν τούτων τὰ ἐνθυμήματα λέγεται ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐστίν. (legendum ἐπιπολῆς) ἰδίᾳ τὰ γὰρ καθ' ἕκαστα λέγεται.

Mentiuntur] ψεύδεται. Ego cap. 14. lib. 8. Var. lect.

Aut enim per imprudentiam] Nam aut non potest, aut non vult. Non potest, quia imprudens. Non vult, aut quia in omnes talis, ut improbus, aut in hunc, ut inimicus.

Motus autem animi] Itaque eadem opera docebimus, & quomodo commovendi sint auditores, & quomodo perficiendum, ut ipsi eis amici videamur. Et sic absoluta erunt omnia artificiosa probandi instrumenta. τὰ μὲν δὴ δεικνύναι, lib. 1. τὰ δὲ τὰ πίστεις δηλοῦν ἐστὶ λόγου, partim lib. 1. partim ὧν τῆς περὶ ἕξ ἐστὶ ἀφορισθὲν ὅπως ἕκαστα δεικνύναι. quod hic agitur.

Motus autem animi] Lib. 2. Ethic. cap. 5. λέγω δὲ πάθη μὲν ἐπιθυμίαν, ὀργὴν, φόβον, θάρσος, φθόνον, χαρὰν, φιλίαν, μῖσος, πόθον, ζῆλον, ἔλεον. ὕλως οἷς ἕπεται ἡδονὴ ἢ λύπη.

Quibus consequens est molestia & voluptas] Non ipsa voluptas & ipsa molestia. Πάθος autem nullus veterum definiit. Πάθος ἐκ αἰτίας τῆς ἀρίστης. Est Boethi Sidonii. Δυνάμεων αἰσθητὴ ἐπὶ φαντασίᾳ ἀγαθῇ, ἢ κακῇ. Non ἐπὶ δόξῃ, aut ὑπολήψει, ut Stoici. In Scholiis in secundum Ethicorum. Veteres Peripatetici nullam eorum definitionem tradiderunt. Vide versionem Feliciani. Nam in Graeco Eustratio longe plurima desiderantur. Voluptas non est πάθος. nam est ἐνέργεια. Ergo & λύπη. Sed utraque sequitur τὸ πάθος. Sequitur autem ἕμφ.

Ut igitur in superioribus] Honesto, utili, justo, & contrariis. Sit igitur ira appetitio cum aegritudine conjuncta, ex specie acceptae injuriae. Stoici: Ira est ἐπιθυμία τιμωρίας ἐξ ἀδόξου φαινομένου ἀδικεῖν ἢ προσήκοντος. ἢ ὀργὴ ἐστὶ ἐπὶ φαινομένῃ ἀδικίᾳ. Hic ipse 7. Ethicorum, ὄρεξις ἐστὶ πλυσίπους. ζέσις ἐστὶ περὶ καρδίαν αἵματος, id est, περὶ ψυχῆς.

Ac definito alicui irasci] Nam αἱ περίξεις sunt τῶν περὶ ἕκαστα.

Quae

Quae melle liquenti ſuavior] Iliad. σ. Ὡς ἔφατ᾽ ἔκ τ᾽ ἄρα τῶν, &c.

Quando igitur negligere eſt] Quid ſit ὀλιγωρία. Confirmatio definitionis τῆς ὀλιγωρίας. Tria ſunt neglectus genera: contemptio, καταφρόνησις, incommodatio, ἀπραγμοσύνη, & contumelia.

Nam & qui contemnit, negligit] Ὀλιγωρεῖ.

Quae enim nihili facienda ducunt] Ἢ ὀλάττων αὐτῶν ἀξίωσις ὑπεροφομένη.

Ea contemnunt] Καταφρονοῦσι.

Et quae nihili ſunt, negligunt] Ὀλιγωροῦσι. ἢ μείζων.

Fructum ullum ex eo percipiat] Terent. *Hoc unum ſcito, me non contumeliae cauſſa feciſſe, ſed amoris.*

Eſt enim contumelia] Quid ſit ὕβρις.

Contumeliae autem proprium eſt] Ἀτιμία, ἀτιμάζων. ὁ ἀτιμάζων ὀλιγωρεῖ. ὁ ὑβρίζων ἀτιμάζει. Ergo & ὑβρίζων ὀλιγωρεῖ. Nam ὁ μαθητὴς ἀξιῶν ἀτιμάζει.

Omni me Atrides plane ſpoliavit honore] Ἠτίμησε, ἀλλ᾽ οὐκ ἔχει λέγειν, αὐτὸς ἀτιμάσας.

Nullius ut pretii, atque incerta ſede vagantem] Ὡσεί τιν᾽ ἄτιμητον μετανάστην.

Regum magna ira potentum eſt] Θυμὸς δὲ μέγας ἐπὶ διοτρεφέϊ βασιλῆϊ. β. at Scholiaſtes, ut Ariſtoteles exponit.

Conceptam tamen iram alta ſub mente recondit] Lib. I. Κρείσσων γὰρ βασιλεύς, &c.

Major etiam ira commovetur] Terentius: *O Dave, itane contemnor abs te? Non mehercule auderet haec facere viduae mulieri, Quae in me fecit.*

Ut Antiphontis Plexippus Meleagro] Althaeae frater, Meleagri avunculus, frater Toxei.

Unde & iis, qui mala nuntiant] Sophocles Antigona: Στέργει γὰρ οὐδὲς ἄγγελον κακῶν ἔπη. Aeſchylus Perſis: Ὦμοι. κακὸν μὲν πρῶτον ἀγγέλλει κακά. Unde εὐαγγέλια dantur bono aliquid nuntiantibus.

Iraſcuntur & iis qui aut audierunt de ipſis] Ut Auguſtus Ovidio iratus fuiſſe dicitur.

Sed & oblivio iram efficit, ut nominum] Itaque nominatim ſalutare gratioſum, ideoque *nomenclatores* adhibebant candidati apud Romanos. Horat.

Et iis qui fatentur] Sit erranti medicina confeſſio.

Qui proſtratos non mordent] Καθίζοντας. Hom. Ὀδυσ. ξ. Ἐξαπίνης δ᾽ Ὀδυσῆα ἴδον κύνες &c. Didymus Scholia-

stes: φυσικὸν βούλημα καὶ ἀπροαίρετον τινὸν τὸ ἡδονῆς ἔχεσθαι καὶ ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι: Ovidius. *Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.* Et Plinius lib. 8. de leonibus.

Aut etiam in voluptate constituti] Εἴωθε δὲ τὸ πάλιον αὖτις ἀεὶ μᾶλλον καὶ δι' ἐλαχίστου ἀποτελούμενον ἀπορρέειν ἐλθεῖν, εἰς ὕβριν τρέπεται. Cleon apud Thucyd. lib. 3.

Tempore enim ira sedatur] Thucydides lib. 3. ait dilationem esse καὶ τοῦ θυμοῦ μέσον. ὁ γὰρ πολὺς τοῦ χρόνου ἀμβλύνει τὴν ὀργὴν ἐπιτίθεται. Euripides: χρόνος μαλάσσει σε. Sic πάντα τὰ πολλά.

Quocirca recte Philocrates] Plutarchus in Pelopida de eo & Epaminonda: ἐπῆλθε μὲν ὁ αὐτὸς εἰς τὸ Δεκτρικὸν Πελοπίδας. διὰ δὲ μέσου ἐκινδύνευσεν ἀμφότερα δ' ἀπελθεῖν. Lysias ὑπὲρ τοῦ Λεωκράτους χρήμ. πεπεισμένοι γὰρ τῆς ὀργῆς αὐτὸν ἀπρόοδον. Demosthenes in epistola ad Athenienses, de reditu suo.

Quare, ii a quibus poenas exigere volumus prius, orationes] Ego cap. 2. lib. 8.

Dixit: me Trojae everſor caecavit Ulixes] Ὀδυσσ. 9. imitatus eum Virg. est 12. Aeneid. *Pallas te hoc vulnere, Pallas Immolat, & poenam scelerato ex sanguine sumit.*

Nunc etenim in terram] Apollo loquitur Iliad. υ.

Iis enim omnibus eadem] Τὸ γοῦν συνέχει. 8. Ethicorum.

Quibus opera vita est] Cato. Cicero: *rusticam vitam parsimoniae, diligentiae, justitiae magistram.* Aristoteles primo oeconomicorum.

Ii praecipue qui agros colunt, maximeque qui suos] Οἱ δὲ μακρὰν καὶ τῆ ἄνω, οἱ αὐτουργοὶ μάλιστα.

Et temperantes] Electra Euripidis.

Multis se negotiis non implicant] Nam curiosus nemo est, quin sit malevolus. Plautus. τὸ ἀπράγμονα.

Et ii in quibus inest dexteritas] Xenophon libro 5. paed. καὶ ὡς ἐσκεπται εἰς σωφροσύνην, &c.

Quales enim eos in alios esse existimant] πῶς ἄλλοι ἀγαθοὺς.

Et nisi sibi ex eodem studio victum quaerant] Τὰ δὲ τῆ αὐτῆ ἐφόμενα πολίμια ἀλλήλοις ζῶα. Aristoteles 8. Ethic.

Amant etiam eos, erga quos ita affecti sunt] Martialis lib. 10. *Cedere de nostris nulli te ditis amicis*, &c.

Ad

Aut a quibus beati haberi] Ζηλῶ σε, γύναι. Principio Iphig. in Aulide aliter vert. qui tamen postea eodem recidit.

Unde fit, ut qui tales sunt] Lib. 12. tanquam simpliciter Vic. Notis. *Nam quisquis.* Antigone apud Sophoclem: κἄσειν δ' ἐγώ. *Illum autem ego.* Θάψω. καλὸν μοι τῦτο πεῖσε μὴ θανεῖν. *Condam. pulchrum est mori, officio hoc dum fungimur.* Φίλη μὲν αὖτε κείσομαι, φίλα μέτα. *Jacebo cara fratre cum caro simul.* Ὅσιον παραβήσομαι, ἐπεὶ πλέων χρόνος. *Sancta usa fraude. Nam & tempus illud longius.* Οἱ δὲ μ' ἀρέσκουσιν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε. *Quo diis probari me inferis fas arbitror.* Ἐκεῖ δὲ αἰεὶ πλείω μένω. *Quam quo superis. semper etenim illic ero.*

Et qui metuendi non sunt] Parens odii metus. Quem metuunt, oderunt. Necesse est timeat multos, quem multi timent.

Et si cum fecisset, aliis non praedicaverit] Martialis lib. 5. *Quae mihi praestiteris, memini,* &c.

Et ira quidem tempore sanari potest.] Sophocles tamen in Oedip. Colo. Θυμῷ δὲ δὴν γῆρας ἴσον, κλαῖε. Θερσαῖον ἡνίοχον δ' ἐδὴν ἄλγος ἄπεπτον. Cicero post reditum ad Quirites: *Odium vel precibus mitigari potest*, &c. Sed Cicero aperte *odium* pro ira posuit. Sic Victorius.

Et illam quidem si multa mala] Ut Ulixes in Ajace: ἐπεικτέον δὴ τὸν Δύσποτον ἡμᾶς κρίνας ὄντα δυσμενῆ.

Et virtus contumelia affecta] Ut Cassius cognomento Chaerea, qui Caligulam interfecit. Vide Suetonium & Tacitum.

Quando autem plerique hominum improbi sunt] Οἱ πολλοὶ χείρονες, proverbium. *multorum more.* Terentius Eunuchi prologo: *si quisquam est qui placere se studeat bonis quam plurimis.* Vide nostras ibi annotationes.

Semper enim captant occasionem] Τιμῶσι καιρὸν, καιροφυλακοῦσι.

Et qui injuriam fecerunt] Tacitus in vita Agricolae: *Proprium humani ingenii est, odisse quem laeseris.*

In potentiores impetum facere] Οἱ τοῖς κρείττοσιν ἐπήμενοι. sic vulgo legitur. sed legendum κρείττοσιν, ut & vetus interpres legit.

Ex iis autem qui injuria affecti sunt] Caesar non ab Antonio, sed a Bruto & Cassio se timere dicebat. Hannibal Fabium, non Marcellum timebat.

Et auxilia aut multa, aut magna] Sic Turnus apud Virgilium: *Non erit auxilio nobis Aetolus*, &c.

Aut si plures sint] Cicero 2. in Catilinam: *Instruite nunc, Quirites, contra has tam praeclaras Catilinae copias vestra praesidia*, &c.

Aut saepe in periculum adducti] Virgilius: *O socii, neque enim ignari sumus*, &c.

Omninoque, si, quae ad Deos pertinent] Xenophon ad finem lib. 1. Κυρ. παιδ. μᾶλλον δ' ὅτι, ἃ πᾶσι τοῖς παισὶ, &c. Cyrus ipse lib. 3. Ἄνδρες, εἰ μὲν θεοὶ, ὡς εἰκὸς μάλιστα φασὶ, &c. Demosthenes in Olynth.: πολὺ γὰρ πολείους ἐροῦμεν ὡς τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσεβείας ἔχειν ὑμᾶς ἐλπίδα, ἢ ἐκείνους.

Sit igitur pudor molestia quaedam] Lib. 4. Ethicorum: Περὶ δὲ αἰδοῦς οὐκ ἔστιν ἀρετὴ ἀλλά τις παθητικὴ λέγειν. πάθει γὰρ μᾶλλον ἔοικεν ἢ ἕξει. ἐκφέρεται γὰρ φόβος τις αἰδώς. Non convenit omni aetati, sed juvenibus tantum, & est ἐπ' αἰσχροῖς. unde non est viri boni Sed tamen Musonius, παῖ, φησὶν, ὁ ἐφεδρεύων χρόνος οὐκέτι μοι δοκεῖ. Et Diogenes: *Macte fili; hic color virtutis est.* Et Cato: *magis sibi placere adolescentes, qui erubescerent, quam qui pallescerent.* Et Terentius: *Erubuit. salva res est.* & Bythias Aristotelis filia, &c. *Optimus juventutis custos pudor.* Cicer. Hesiodus: Αἰδὼς, ἥ τ' ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ' ὀνίνησι. Sed περὶ ἀναισχυντίας singulari commentario Plut.

Et firmitas animi adversus ea ipsa] Ἀπάθεια.

Impudentia autem contemptio quaedam] Caligula nihil sibi magis in suis moribus placere, quam inverecundiam. Sed contrarium Euripides: Ἀλλ' ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων Πειθὼ ἀναιδὴς. Xenophon lib. 1. paed. Cyri, ait, impudentiam esse maximam ducem ad turpitudinem.

Ut abjicere clypeum] Hac de re saepe jam dixi, ut lib. 9. Variarum lect. cap. 2.

Et commiscere corpus cum quibus non oportet] Ut Clodius cum sororibus, ut Gellius Catulli, ut Caligula, ut Ajax Cassandram in templo.

Aut quo loco.] Cic. 2. Philippica: *Tu istis faucibus*, &c.

Aut quo tempore non oportet] Ut si sacra facturus. *Casta placent superis*, ait Tibullus. Et, *Vos quoque abesse procul moneo, discedite ab aris*, &c. Neque enim probanda est Cynicorum impudentia.

Et lucrum facere ex rebus pusillis] Ut Vespasiano ob-

je-

jectum est, quod ex lotio vectigal colligeret. Suetonius, & Juvenalis.

Ut a pauperibus] Ut si quis vectigal exigat ab aniculis, quae lanificio vitam tolerant.

Aut a mortuis] Ut Verrem Cicero fecisse dicit lib. 5. accusation. Itaque reprehenditur Achilles, qui exanimum corpus auro vendidit. quod tamen non inusitatum erat. Itaque Nisus lib. 9. *Sit qui me raptum pugna pretiove redemptum, Mandet humo solita.*

Etiam a mortuo] Ut illa Rufa Catulli: *Saepe quam in sepulchris* &c. Et in Eunucho: *E flamma te cibum capere posse*, &c

Et immodice dolere alieno dolore] Ut qui conducti plorant in funere, & praeficae.

Usque ad aliquem modum] Ut Themistocles aescine fidibus, apud M. Tullium, & Fabium.

Sive invitus ea quis perferat] Itaque Pausanias ob id Philippum interfecit.

Ut amantes] Itaque coluntur formosi. Aristoteles, *majorem vim esse formae quam omnium epistolarum.* Socrates, *exigui temporis tyrannidem.* Carneades, *regnum quod non egeret* συμποσιαρχίαν.

Et pudorem movent quae in oculis sunt] Euripides: Αἰδὼς τ' ἐν ὀφθαλμοῖσι γίγνεται, τίνος.

Libenter in vulgus enuntiant] *Et quodcunque semel chartis illeverit*, &c. Horatius.

Ut derisores, & comoediarum scriptores] Eupolis, Cratinus apud eundem Horatium.

Ut existimarent se cinctos esse corona Graecorum omnium] Isocrates in Panegyrico.

Si prius, quid gratia sit, definierimus] χάρις est & ipsum *beneficium* quod tribuitur: & *gratia* quae pro beneficio accepto habetur Unde est apud Sophoclem, ὁ χάρις ἀντὶ χάριτος. pro beneficio enim habetur gratia.

Qua is qui quid habet] κατ' ἐξ.

Non ut aliquid referat] id est, non ut reddat ei quod ab illo accepit.

Qui gratificatur aliquid propterea perveniat] Ut illud Martialis: *Munera quae tibi dat locupleti, Gaure, senique*, &c. Et lib. 1. epig. 116. *Munera quod senibus*, &c. *Non opis est nostrae.* Virg.

Egere autem dicuntur] Δεῖσθαι οὐκ ἂν οἱ ὀρέξεως, ἢ τούτων μάλιστα οἱ μετὰ λύπης ἢ μὴ γιγνομένης. Non tantum iis, quibus re vera egent, ſed iis etiam quae appetunt.

Propter magnitudinem indigentiae] Iſocrates ad Philippum: Ἀλλὰ μὴν ἐκεῖνό γε φανερὸν, ὅτι πάντες ἂν δέοιντο τούτων πλείστων μενόντων ὄχλοι, ἂν δὲ τῶν συμφορῶν ἐκ πάντων.

Ut is qui in Lyceo floriam dedit] φορμὸν Ariſtophanes. Plato: ἢ φορμὸν ἔχων εἶτα πάσχοις ταῦτα.

Tempore] Sex ſeſtertia ſi ſtatim dediſſes, &c.

Loco] Ut Alexandro galea aquae.

Aut alicui noſtrorum evenire poſſe arbitremur] Sophocles in Ajace: Αθ. Ὁρᾷς, Ὀδυσσεῦ, τὸν θεῶν ἰσχὺν ὅσην; &c. Et Philoctetes Neoptolemo, apud eundem Sophoclem: Χὐ οὗτος; οὐ μὰ τὴν, &c.

Et quibus ſunt parentes, aut liberi, ſunt uxores] Lib. 10. Virg. *At vero vultum vidit morientis*, &c. Turnus in 12. *fuit & tibi talis Anchiſes genitor. Dauni miſerere ſenectae.* Cicero pro Coelio: *Quod cum hujus vobis adoleſcentiam propoſueritis*, &c. At Eunuchi quibus neque liberi, neque uxores ſunt, nulla miſericordia commoventur.

Ut aut ſibi aut ſuis talia] Ut Theſeus Oedipum in Oedip. Coloneo apud Sophoclem.

Itaque etiam divelli ab amicis & familiaribus] Itaque Jurisconſulti ne in ſervis quidem patiuntur liberos divelli a matribus.

Et ſi unde boni] Inachus: *At tibi ego infelix*, &c.

Miſerantur autem & familiares] Ὦ παῖ Κύρε, τὸ μὲν ἀληθὲς δεῖ μείζω κρυπτὸν ἢ ὕπνου ἀναπλεῖσθαι. τὸ δὲ ἕτερον τοῦτο ἄξιον δὲ διακούειν, εἰς ἂν πολλῶν ἢ δέσποινον ἐκπεσὼν, εἰς τοιοῦδε ἀφῖκαι) ἐπὶ γάμους ἀδῶ.

Amaſis filium] Imo Pſammenitus ejus filius. Herodotus in Thalia. Quare Ariſtotelis notandum eſt παραφρονεῖν ἀμαθῶς. Sic 2. Ethicorum in fine ait, Calypſonem dicere apud Homerum, ea quae Ulixes dixit. At Euſtratius, & Victorius lib. 3. Variarum lectionum, Circen eſſe ait. ſic Gellius cap. 8. lib. 15. Ajacem pro Hectore a Cicerone dictum, ſic Agamemnonem pro Ulixe in 2. de divinatione, quod notavit Politianus. Sic Ajax pro Ulixe in eod. 2. de divinatione. Sic in oratore Eupolim

pro

pro Ariſtophane. Sic Plutarchus in Nicia Cleonem pro Agoracrito.

Veſtes eorum qui grave aliquid pertulerunt] Marcus Antonius orator, cum Aquilium defenderet, eum in judicium produxit, & tunicam ejus diloricavit, & adverſas cicatrices oſtendit judicibus. T Labienus in accuſando Rabirio Saturnini imaginem. Alter Antonius veſtem Caeſaris oſtendit populo cruentam, & perfuſam.

Ut jam morientium] Cicero lib 5. epiſt. 12. Ut Epaminondas moriens. Ut Iphigenia Euripidis Sed tamen Plutarchus de Epponia in Erotico: κάστιν τὸ ἀλγεῖν ἰδίᾳ ἢ χαμένων τὸ λυπηρὸν αὐτῆς, ἢ μεγαλήγορον. Tacitus de Vitellio: *Vinctae pone tergum manus*, &c. Expende utrinque cauſas.

Eis indignari oportet] Τὸ νεμεσᾶν intereſt ἢ φθονεῖν. Cicero ad Atticum.

Ut ex his affectibus] Qui poſiti ſunt in dolore ac moleſtia.

Alii etiam affectus] Qui in laetitia indolentiave conſiſtunt.

Nam qui ex bonorum virorum calamitatibus dolorem capit] Quod eſt miſericordis. Qui νεμεσᾷ, dolet indignorum bonis. Ergo dignorum bonis gaudebit, improborum autem malis aut gaudebit, aut certe non dolebit. Miſericors dolet, cum quid mali alicui immerenti obtigit. Ergo ſi malis male ſit, aut gaudebit, aut certe non dolebit.

Nam qui alienis malis jactatur] Ἐπιχαιρεκακῶν.

Nam quae cuique res cum ſit] Itaque ſi quis doleat, bene fieri ac bene eſſe alicui: idem eidem minus bene, aut etiam male eſſe gaudebit.

Non enim ſi quis juſtus] Non enim dicimus quemquam dignum eſſe juſtitia aut fortitudine. Sed propterea dignum eſſe aliis, ut honore, &c.

Unde & illud dictum eſt: Ajacis autem declinabat] Iliados λ. de Hectore, non, ut Majoragius, de Cebrione: Αἴαντος δ' ἀλλοῖα μάχλα Τελαμωνιάδαο. Ζεὺς γὰρ οἱ νεμεσᾷ ὅτ' ἀμείνονι δῶκε μάχεσθαι. Plutarchus ἐν τῷ, πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν.

Ea non conſequuntur] In Gr. συγχώρουσιν. lege, ὁ συγχώρουσι.

Ib-

Idque non ut ne quid eveniat] Vulg. μὴ ἵνα τι. Ego, μὴ ἵνα μή τι.

Et quibus parum abest] Καὶ οἷς μικρὸν ἐλλείπει τὸ μὴ πάντα ὑπάρχειν. Quare inepte Majoragius.

Invidi sunt] Interdum.

Et qui praeter ceteros] Ut Michaël Angelus Bonarotus in pictura, aut statuaria.

Et qui opinionem sapientiae aucupantur] Quasi οἱ δοξόσοφοι.

Ob quae invidetur] Oedipus apud Sophoclem: Ὦ πλοῦτε, καὶ τυραννὶ, &c.

Namque invidere novit & cognatio] Videor apud Euripidem legisse.

Aut mortuis] Ovidius: *Pascitur in vivis livor, & post fata quiescit.* Et Horatius comperit, *invidiam supremo fine domari.*

Ad Columnas Herculis] Abila in Mauritania, Calpe in Hispania.

Nam quomodo affecti dolent] Ἔχοντες, non, ut vulgo, μὴ ἔχοντες, legendum censeo.

Cum tamen eorum capaces sint] Ἐνδεχόμενον αὐτοῖς λαβεῖν. Haec omnia desunt in vulgatis. addenda constat e superioribus, & ex iis quae sequuntur.

Bonos enim viros esse se] Vulgo, ὡς (γὰρ) προσῆκον αὐτοῖς ἀγαθοῖς εἶναι, ὅτι προσήκει (vulgo προσῆκε) τοῖς (ἀγαθοῖς) ἔχουσι (ζηλεῖσι) τὰ τοιαῦτα τῶν ἀγαθῶν. ego deletis vocibus (γὰρ) & (ἀγαθοῖς) legendum censeo.

Explicatum est. Nunc autem] Non tantum nosse se utilissimum est, sed & alios. Nam cum homo sit φύσει πολιτικὸν: neque solus possit vivere: nisi eos norit, quibuscum ipsi vivendum est, primum vivet λυπηρῶς: deinde nunquam se ad eorum studia accommodare poterit: unde saepe incurret in odium. Nescit, cui fidere debeat, cui minus, & quantum cuique credere. Ergo recte Homerus, Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω, de Ulixe. Sed hoc difficile est. oporteret enim diu peregrinari, & in quoque loco diu manere. Si quis igitur regulas γενικῶς traderet, nonne hic optime de hominum genere mereri existimandus esset? At id hoc loco Aristoteles facturus est, medicos imitatus, qui in universum de medicina praecipiunt, non καθ' ἕκαστον, ut ab eodem traditum est primo, τῶν μετὰ τὰ φυσικά.

At

Aetates autem sunt, juventus] Sic Tubero scribit, *Serv. Tullium fecisse*, νέους, *pueros, usque ad annos septendecim, inde ad annum quadragesimum sextum juniores, supra eum annum seniores.* Gell. cap. 28. lib. 10. *Varro usque ad decimum quintum pueros, inde ad trigesimum adolescentes, inde ad quadragesimum quintum juvenes, usque ad sexagesimum seniores, usque ad finem vitae senes.* Hippocrates septem gradus facit, παιδίου, παιδὸς, μειρακίου, νεανίσκου, ἀνδρὸς, πρεσβύτου, γέροντος. Ad 7. ad 14. ad 21. ad 28. ad 49. ad 56. ad finem. Vide Censorinum de die Natali. Solon per hebdomadas aetates hominum versibus sic divisit, qui leguntur apud Philonem lib. de Mundo: Παῖς μὲν ἄνηβος ἐὼν, &c. In tres dividuntur in illo celebri versu: Ἔργα νέων, βουλαὶ δ' ἀνδρῶν, εὐχαὶ δὲ γερόντων. Eo referuntur illi tres Chori Lacedaemoniorum: Ἄμμες ποτ' ἥμες ἄλκιμοι νεανίαι. Ἄμμες δέ γ' ἐσμὲν. ἂν δὲ λῇς, αὐγάσδεο. Ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάρρονες. Plutarchus in Lycurgo.

Juvenes igitur iis moribus sunt] Horatius in arte poëtica: *Tu quid ego, & populus*, &c.

Acriter enim volunt quod volunt, sed non diu volunt] Huc pertinet dictum Caesaris in Brutum.

Sed a lege tantum instituti sunt] Itaque ubi spes est latendi, facile admittunt in se turpia.

Seniores autem, & ii, qui jam defloruerunt] Ibidem Horatius: *Multa senem circumveniunt*, &c.

Sed ex Biantis praecepto] *Scipio negabat ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri*, &c. Haec Cicero in Laelio. Chiloni vero tribuit Gell. lib. 1. cap. 3. *Ita habeas amicum, posse ut fieri inimicum putes.* Alii sic: *Ita fide amico, ne sit inimico locus.* Sophocles in Ajace: Ἐγὼ δ' ἐπίστημαι μὲν ἀρτίως, &c.

Quae etiam eis caussa est loquacitatis] *Senectus est natura loquacior, ne ab omnibus videar eam velle vitiis vindicare.* Cicero in Catone Majore.

Unde & queruli sunt] Morosi, anxii, queruli, difficiles.

Neque jocorum amantes] Contra atque Plato 1. de repub.

A trigesimo] Solone 28. τῇ δὲ τετάρτῃ, &c. ut supra recitavi. Sed parum interest.

Animus autem] Sic septimo Politicorum: κατὰ τὴν τῆς διανοίας ἀκμὴν, &c. Vide Clementem 2. τρώματ. Stellae erran-

errantes 7. ex ἀστελανῶν, septem Pleiades. Ursae ἑπτάφθορος, per quas & aratur, & navigatur. Luna accipit τὰς μετασχηματιμοὺς, septimo quoque die. διχότομος, πανσέληνος, rursus διχότομος. deinde ἀφανίζεται. Quin etiam Seleucus ait, eam septem formas induere: ἀφεγγὴς, μηνοειδὴς, διχότομος, ἀμφίκυρτος, πανσέληνος, ἀμφίκυρτος, διχότομος, μηνοειδὴς. Citatur ex vetere poëta: Ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέος κελαδήσομαι ὕμνους. *Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula.* Lyra olim ἑπτάφθογγος. Septem αἰσθητήρια in capite humano, oculi, aures, nares, os. In morbis critici dies septimus & decimus quartus. Haec ex Hermippo Berytio in libro περὶ ἑβδομάδος. septem diebus orbis conditus, Genesis 1. septem etiam aetatis discrimina, ut Aristoteles hic, & in septimo Politicorum. At circa finem ejusdem septimi ait, εἰ τὸ ταῖς ἑβδομάσι διαιροῦντες τὰς ἡλικίας, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ λέγουσιν οὐ καλῶς. Ergo inconstans Aristoteles? Immo legendum κακῶς. *Solent enim qui*, &c. Horatius: *Fortes creantur fortibus.* Est hoc hominum generi, &c.

Est autem nobilitas] Εὐγένεια, ἐντιμότης προγόνων, ἀρετὴ γένης. 3. Politicorum, ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετὴ, libro quarto, ac libro quinto. Estne in pretio habenda? Pro negante parte. Non quibus quisque natus sit, sed quis ipse sit, considerandum. Socrates in Theaeteto, &c. Ulixes apud Ovidium: *Nam genus, & proavi, & quae non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco.* Juvenalis Satyr. 8. *Stemmata quid faciant?* &c. Et paullo post: *Tota licet veteres exornent* &c. Socrates. Antigonus: ὁ πατραγαθίας, ἀλλ' ἀνδραγαθίας. Sed tamen communis omnium gentium opinio *nobilitati* multum tribuit. Horatius: *Fortes creantur fortibus, & bonis, &c.* Cicero pro Rabirio Post. *Est hoc*, &c. Et paullo infra: *Si quidem non modo in gloria rei militaris* &c. Servus Plautinus in Milite: *Noli minitari. scio crucem futuram mihi sepulcrum. Ibi mei majores sunt siti, pater, avus, proavus, abavus.* Euripides: φεῦ, φεῦ. παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει· Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός. Pater Neronis ex se & Agrippina Neronem tyrannum generavit. Caussae duae, similitudo κράσεως, & educatio. Non est tamen perpetuo verum. Manilius: *Degenerant nati patribus, vincuntque parentes.* Itaque quidam meliores: ut, Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι. Et de Periphete, Ἰλιάδ. ε. Τοῦ γένετ' ἐκ πατρὸς πολὺ χείρονος ἠὲ ἀμείνων. Et de Pompejo,

pejo, &c. Verſus Aeſchyli huc pertinent. Juvenalis: *Plebejae Deciorum animae*, &c. Et paulo poſt: *Malo pater tibi ſit*, &c. Sic obſcuro editi loco Cato Cenſorius, Marius, Cicero, Agrippa. Multo tamen plures degenerant. Παῦροι μὲν ἀγαθοὶ παῖδες. Proverbium: Ἀνδρῶν ἀρίστων τίκτω πήματα. Et citantur quaedam Demoſthenis, quae idem dicunt. Socratis filii ſtupidi. ſic Hippocratis. Ciceronis filius ebrioſus. Germanicus, Caligulae pater, Marcus Commodi. Vide Variarum lib. 4. Ciceronem primo Tuſculanarum, Spartianum in Severo.

Rurſus ex intervallo alios emittit] Ut gens Junia, quae poſt tantum temporis intervallum, emiſit M. Brutum, qui Caeſarem interfecit. Aliud exemplum in gente Junia reperies apud Tacitum lib. 2. ab excesſu Divi Auguſti.

Contumelioſi enim ſunt divites] Τίκτει τοι πλοῦτος ὕβριν. Theognis.

Et ſuperbi] Cicero de lege Agraria: *Campani ſemper ſuperbi*, &c.

Quaſi alia omnia bona poſſideant] Horat. *Omnia pulchris divitiis inſunt.* Idem: *Scilicet uxorem cum dote*, &c.

Salacones] Salaco ſe divitem esſe ſimulabat, cum esſet pauper. Hinc σαλακωνίσαι. Suidas: Σαλακωνία. ἡ ἐπὶ πλεῖον ἀλαζονεία. &c. Heſych. Martialis: *Zoilus aegrotat*, &c. Idem: *Undecies una ſurrexti*, &c. Idem: *Et dolet, & queritur*, &c.

A Simonide] Plato 6. de republica. Ariſtippus ut id dictum confutarit. Plutarchus de Nicia: ἐγὼ δ' οὐκ ἂν οὕτως εὐκηλον, οὐδ' ἀπαθῆ ἄγαν αὐτῷ τὸν σπουδὸν, ἀλλ' ὀλιγάκις πὶ μεμιγμένον.

Earum qui a majoribus traditas] Cicero in Agraria: *Immo vero ſocer magis*, &c.

Per partes] Κατὰ μέρος. vulgo πρὸς.

Superbiores igitur] Περιπεφύκασι δὲ ὑπερηφανίαι πλουσιωτέραις, redundant.

Dictum eſt igitur] Quintilianus lib. 5. milites, ruſtici, ambitioſi, ſuperſtitioſi. Puto eum nimis confiſum esſe memoriae ſuae.

Cum credant] Se diis esſe curae.

Quoniam autem orationis] Τῶν πρώτων λόγων χρῆσις οὐδὲ μικρὰ ἰσχύς.

Si

Si ergo contrarium possibile sit] Ἐγκαθίσαι. Sic γενέσθαι est interdum *fieri*. Vide lib. 8. cap. 8. Variar. lectionum.

Contrariae] Lege cap. 7. lib. 8. Ita liber Basil. Isingrini in prima.

Et si simile possibile est] Cn. Manlius apud Livium lib. 38. *Et illis majoribus nostris cum haud dubiis Gallis*, &c. Et paulo infra: *Nolite existimare, belluas tantum*, &c.

Et si quod difficilius] Ut si ex malis boni, multo magis ex bonis mali. Cerialis apud Tacitum bis lib. 5. ab excessu Neronis: *Pauciores nuper cum pluribus certasse*, &c.

Et si bonum ac pulchrum] Ut si quis neget se posse ad aliquam in literis mediocritatem pervenire: & exemplis propositis doceamus, &c. Exiguis viribus tueri se nemo potest. At Romani magnum & praeclarum imperium exiguis viribus quaesierunt.

Et cujus principium] Ut si hostium vires ejusmodi sunt, ut earum obterendarum principium aliquod capi queat: etiam totae labefactari possunt.

Ut diametros] Nam diametro in se ducta duplatur quadratum, & quadrati duplati radix nulla reperiri potest. Inde sunt illa Horatii: *Dimidium facti qui coepit habet*, &c. Et Hesiodi: Ἀρχὴ δὲ τοι ἥμισυ παντός.

Et cujus finis] Accommodandum est ad dictum Lampidis, τὸ μὲν ὀλίγον χαλεπῶς, τὸ δὲ πολὺν ῥᾳδίως. apud Plutarchum, ἐν τῷ, εἰ γέροντι πολιτευτέον. Sic gloriam parare initio non facile: partam facile augere.

Πρόσχημα] Calcei genus est Polluci & Hesychio. at πρόσχισμα videtur *pars calcei* Aristoteli in problematibus. σμημ. 30. aut certe potius *materia calcei*.

Κεφαλὶς] Ex hoc loco est & ipsa μέρος ὑποδήματος. Sed quae ignoratur. Quod in vulgatis libris legitur, ἢ ὁ χιτών, a quibusdam veteribus abesse testatur Victorius, & plane alienum est. ideo sustulimus.

Possibile est fieri] γενέσθαι. inepte alii, *factum esse*.

Et quorum amor] Sic probat esse aliquod summum bonum primo Ethicorum.

Nemo enim fere impossibilium amore capitur] Nisi stultus.

Et quorum scientiae sunt atque artes] Ut divinandi, ut mutandi metalla.

Etiam

Etiam partes] Exemplum argumenti a partibus. Potest quis adhibito studio, argumenta excogitare: potest ordine collocare: potest idoneo orationis genere complecti. potest igitur orator esse, & contra.

Et si totum genus] Honestis artibus potest aliquis ad opes, & ad honores pervenire. Ergo fieri potest, ut eloquentia fretus, utrumque assequatur.

Et si totum genus est] Melius abest, *totum*, & Victorius testatur abesse a nonnullis. Nulla est ars quae disci non possit. potest igitur & disciplina militaris eodem modo comparari. Ad omnes virtutes adhibito studio perveniri potest. Ergo & ad temperantiam. Licet haec invertere.

Et si alterum eorum] Si quid vendi potest, & emi potest. Non dico, si jure vendi potest, sed si omnino potest. Si ex servis domini fieri possunt: possunt & ex dominis servi. Quicquid disci potest, doceri potest.

Et si sine arte] Multi sine studio diserti sunt: ergo magis adhibito studio. Ipse principio horum librorum.

Unde & ab Agathone] Τὴν ψυχὴν, & συμπόσιον, quo tempore primum Agatho tragoedia vicit. 6. Ethicorum, τούτου μόνου γὰρ τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην. Eum mirabiliter exagitat Aristophanes Thesmophoriazusaes.

Necesse alia quidem a fortuna fieri] Ut in aleae ludo, quid jacias, fortunae permittendum est: quomodo jacto utare, ars docet.

Ab Agathone] Versus ipsius hoc loco: Καὶ μὴν τὰ μὲν γε τῇ τύχῃ πράσσειν, τὰ δὲ Ἡμῖν ἀνάγκη καὶ τύχῃ προγίγνεται. Victorius sic vertit: *Atqui haec fortuna obtinere licet, haec vero nobis necessitate fortunaque accedunt.* Majoragius: *Fortuna quaedam agenda nobis objicit, quaedam simul fert casus, & necessitas.* Quaero, quae sit haec divisio: quaedam fieri fortuna: quaedam necessitate & fortuna simul. Item, quam conjunctionem habeat casus aut fortuna cum necessitate. Postremo, quid haec faciant πρὸς τὸ προκείμενον. Lego, ἀνάγκη καὶ τέχνῃ προσγίγνεται. Necesse est quaedam a fortuna fieri. neque enim quidquam loci humana in eis habet industria. Ut persuadeas, an non, in fortuna quodammodo positum est. At ut bene dicas, in te ipso, & ars ad id melius facien-

dum adhiberi solet. Ea ergo quae a nobis posita sunt; arte adhibita melius fiunt.

Id quod per naturam minus fieri poterat] Ut quod puer decem annorum mulierem, a qua alebatur, gravidam fecit. Hieronymus in epistola ad Vitalem. Vide quaedam apud Augustinum de civitate Dei lib. 14. cap. 24.

Et si factum est id quod postea] Lac habet; ergo concepit.

Et si potuit, & iratus erat] Εἰ δυνατὸν, Victorius. Ego, εἰ ἠδύνατο.

Ea si possunt agunt] Improbi quidem per impotentiam: boni autem, quia quae bona sunt, cupiunt. Et si inibi erat, ut faceret. verisimile est enim, qui jam in eo erat, etiam fecisse. εἰ μὲν φαῦλοι δ' ἀφροσύνῃ, εἰ δ' ἀμείνους, ὅτι τ' ἀγαθῶν ἐπιθυμοῦσι. καὶ οἱ ἔμπαλιν γίνονται καὶ ποιοῦσι. εἰκὸς γὰρ τὸν μέλλοντα καὶ παῖσαι.

Plerumque enim fiunt potius futura, quam non futura] Id est, ea quae jam instant, & de quibus faciendis jam cogitatur.

Ut si fundamentum, domus quoque] Si conscribuntur milites, si copiae comparantur, erit bellum.

Parabola: alterum autem fabulae] Collatio Ciceroni. Sybariticae ἐκ μόνων λεγομένων ζώων. Aesopeae ἐξ ἀλόγων καὶ λεγομένων. Lydiae & Phrygiae & Lybicae ἐκ μόνων ἀλόγων.

Equus pratum solus obtinebat] Horatius epistola 10. lib. 1. *Cervus equum pugna melior*, &c.

Multi victi] Κυνηγέται. Plutarchus, οἱ γέροντα πολεμιστήν.

Fere & conclusiones & principia enthymematum sententiae sunt] Quale illud est, Χρὴ δ' ὑπὸ ἄνδρα δειλὸν ἐν μάχῃ πεσεῖν; ἀνήρ, παῖδας σωτῆρας ἀμφιλείπειν σφοῦς. Hi versus sunt apud Euripidem in Medea.

Totum illud est enthymema, ut] Χωρὶς γὰρ ἄλλου, ὧν ἴχνη ἔστι, &c.

Et illud] Nullus beatus undique est mortalium. Οὐκ ἔστιν, ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ, &c. Philemon: Ἐμοῦ γάρ ἐστι κύριος νῦν ὃς ἀνὴρ, &c. Horatius: *Tu mihi qui imperitas*, &c.

Viro autem bene valere] Ἀνδρὶ δ' ὑγιαίνειν ἄμεινόν ἐστιν, ὡς γ' ἡμῖν δοκεῖ. Trochaicus est. *Optimum est homini valere, ut nostra fert opinio.* Λῷστον δ' ὑγιαίνειν· ὑγιαίνειν μὲν ἄμεινόν ἐστι. τὸ γ δόκιμον. πολὺ γλυκύ. τέλειον γ', τὸ πλουτεῖν ἐὰν

λωμ

λως. Vetus ſcolion apud Platonem in Gorgia. ajunt eſſe Simonidis, aut Epicharmi.

Nemo omnium eſt quem liberum merito voces] Hecubae Euripidis principio Stenoboeae. Ariſtophanes βατράχοις. Stenobaea autem alio nomine Antea. Ἡ γὰρ πφυκὼς ἐθλὰς ὢν ἐκ βίου, Ἢ δυσμενὴς ἂν πλουσίαν ἀροῖ πλάκα.

Non eſt amator quisquis ſemper non amat] Hecubae ſunt Menelaum alloquentis in Troadibus.

Ne ſerva immortalem iram, qui mortalis es] Cicero pro Poſthumo.

Simile eſt hoc quoque, mortalem mortalia] Ὅμοιόν ἐστι τὸ θνητὸν, ὦν ἀθάνατα τὰ θνητὰ φρονεῖν. Reprehendit hoc Ariſtoteles 10. Ethic.

Dicta] Cicero in oratore: *Quanquam omnis locutio oratio eſt, tamen unius oratoris locutio hoc proprie ſignata nomine eſt.* Idem 2. de oratore: *Itaque nonnulli ridiculi*, &c. Haec ſcilicet bona dicta, quae falſa ſint. Nam & *dicta* appellantur proprio jam nomine εὐφήμων ἢ εὐφράνων, &c. Galenus: ὁ Λακωνικὸς τρόπος τὰ βραχύτερα αἰεὶ σοφίζεται. Plato 4. ἰόμεν. Idem Protagora: οἱ γὰρ ἐγκύκλιοι τῶν Λακεδαιμονίων, &c.

Una fuit quondam, &c.] Ovidius. Agaſicles: Horum volo diſcipulus eſſe, quorum & filius. & quomodo quis ſine cuſtodibus tuto imperare poſſit, &c. Agis: Nunquam quaerere Lacedaemonios, quot eſſent hoſtes, ſed ubi eſſent. Videndus Plutarchus.

Ut ne cicadae humi canant] Demetrius Alexandrinus, qui vulgo Phalereus, tribuit Dionyſio. Ariſtoteles 6. de hiſtoria animalium.

Nam qui ad eam aetatem non pervenerit] Μὴ πλησιάσῃ.

In conqueſtione] Catullus in nuptias Pelei & Thetidis: *Quare facta virum multantes vindice poena Eumenides*, &c. *Huc huc adventate, meas audite querelas. Quae ego, vae miſerae*, &c.

Communis Mavors] Et 66. Hecuba Euripidis: Ἀχαιοῖσιν ὑμῶν κοίρανε, ὅστις δημηγόρους ζηλῶν τιμὰς, μεθ' ὑπάσπισιν ἴσχεις.

Exaggeratione] Δυνάμει. Pro patria pugnare, ea demum avis optima ſola eſt. 12. Iliad. Hector. Epaminondas ante pugnam Thebanorum. Philippus Macedo, non Alexandri pater. Livius. Staſini verſus eſt apud Clementem lib. 5. στασίμων, & ſupra lib. 1. extremo attulit Ariſtoteles, *Deſipit occiſo natos qui patre relinquit.*

Dico autem publice probata] Ut quinto Tusculanarum adversus illum, πόχη τε ἀνδρῶν. Plutarchus adversus illum, λαῷ βιώσας. Aristoteles adversus, ἀνατὰ χεὶ ἀνατὸν. Seneca adversus illum, *Beneficia in vulgus cum largiri instituveris, perdenda sunt multa, ut semel ponas bene.*

Multum autem adjumenti adferunt] Τὸ γὰρ μεγάλον ὄχλον μὲ τέρπει.

Longe repetentem] Contra in dialecticis. Ipse 4. Topicorum: πρὸς μὲν γὰρ ἀναγκαίας δεῖ ὁ συλλογισμὸς ἐκ τῶν ἀρχικῶν, ἀλλ' ἀπέχειν ἐν ἀναπάτῃ, οἷον μὴ τὸ ἐναντίον, ἀλλὰ τὸ ἀπεναντίον. In eodem: ὅταν ᾖ λίαν ἀσαφὲς διὰ τὸ αὐτὸς αὐτοῦ εἶναι. Infra: Ἐγὼ δ' ἄκομψον ὡς ὄχλον δῆλον λέγω, &c. *Salamis clarissimae testis victoriae*. primo de officiis. *Ante enim Salaminam ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii tropaei memoriam*. primo Tusculan. Herodotus lib. 8. Plutarchus in Themistocl. Diodorus lib. 11. Ad Marathonem duce Miltiade, a decem millibus *militum*, centum millia peditum, decem millia equitum profligata sunt. Herodotus lib. 6. Datis & Artaphernes. De Heraclidis. Euripides. Isocrates in Panegyrico.

Ita eis videri] Ut ne abducta Briseide tam graviter succenseat. ut ne tantopere cupidus sit ulciscendi Patrocli necem. ut placetur Agamemnoni. ut ne pro Hectoris corpore aurum a Priamo accipiat.

Ipsis omnibus, aut pluribus] Quorum judicio ipsi acquiescunt, syllogismo politico, id est, enthymemate.

Si enim nihil habeas] Adversus sophistas, qui περὶ πλούτου, &c.

Aeginetas, & Potidaeatas] Thucydides libro 2. Diodorus lib. 12. Cicero tertio de officiis.

Ut, de justitia, bonumne sit, an minus] Quomodo apud Platonem in libris de Republica, a Thrasymacho primum & Polo, deinde a Glaucone & Adimanto adversus justitiam disputatur ex iis, quae justitiae insunt, ut eam esse ἀλλότριον μὲν ἀγαθὸν, οἰκεῖον δὲ ζημίαν. & ex iis, quae bono. Bonum prodesse ei, in quo inest, &c.

Brachio faciant] Ἂν τι ἀκριβίστερον, ἂν τι μᾶλλον ἀπτόμενον.

Nam & ratio ipsa pervincit] Καὶ διὰ τὸν λόγον. δῆλον γὰρ ὅτι εὐθύτατον δεικνύει. Ego, καὶ γὰρ διὰ τὸ λόγου, legendum censeo.

Constat, necesse esse] Primo Topicorum ait: τὰ ἔργα δ' ἂν ἀπορήσειεν, &c. Sed ea omnia quodammodo esse

Digitized by Google

προτάσεις. ut αἱρετὸν λέγῃ τὸ καλὸν, τὸ ἡδὺ, τὸ συμφέρον. διαφέρει αἴσθησις ἐπιστήμης, ὡς τὸ ὑγιεινὸν σοῦ ὑγιείας, ἢ δίκτυκὸν σοῦ δικτίου.

Habere selectas propositiones] Περιπάτους. τὸ δικαίως πᾶσι. τὸ τοῖς πλούσιος. τὸ τοῖς σοφοῖς. τὸ ἀνεπτία τοῖς φαινομένοις. αἱ περὶ τέχνην λόγοι. & similia.

Ut laudare &c.] Seneca lib. 2. de ira: *fecit hoc & C. Caesar ille qui victoria civili clementissime usus est.* Is qui eques Romanus triumphavit. Is qui togato decretae sunt supplicationes. Is qui a libera civitate pater patriae vocatus est.

Qui omnes e navibus] Ovid. lib. 12. Metamorphos. Cygnum, Martis filium, interfecit Hercules. Pindarus Olymp. ὠδὴ ι. τρίτη ὁ Κυκνέα μάχαν τε ὑπέρθυμον Ἡρακλέα. At Neptuni filium Achilles. Pindarus de Achille Olymp. ὠδὴ. β. ὃς Ἕκτορ' ὀρφανὸν Τρῳὰς ἄρμοσεν ἀστεφῆ πόνον. Κύκνου δὲ χιονάτῳ πόρε, Λὰς τε παῖδι Αἰθίοπα.

Ut quod fortissimum Trojanorum Hectorem.] Τὸν ἄριστον.

Natu minimus] Pausanias Laconicis.

Unus igitur & primus] Vulgo, εἷς μὲν οὖν τόπος τῆς ἐπιλογῆς, ἢ πρῶτος ἔτος ὁ τοπικός. Lego, εἷς μὲν οὖν τῆς ἐπιλογῆς ἢ πρῶτος ἔτος ὁ τρόπος. τρόπος est in libris quibusdam Basileensibus, in Parisiensibus Wecheli, in libris Victorii. & supra 34. dixerat, πῶς τρόπων δεῖ ζητεῖν, ἢ μὴ ταῦτα τοὺς τόπους. Ergo statim incipit tradere τοὺς τόπους, sive τὰ στοιχεῖα. & τεχνία, ut in Euclide, & Horatius lib. 1. epist. 1. *Restat, ut his ego me ipse regam, solerque elementis.*

Redarguit autem illud] Ἐλεγχος, ἀναφέρεται συλλογισμούς. 2. priorum. Non intelligit autem hic σοφιστικούς. Victorius ait, τὰ ἐλεγκτικὰ semper negando concludere. falso. Ostendamus, &c.

Species igitur utiles & necessariae] Vulgo, σχεδὸν μὲν οὖν ἐμοὶ δοκεῖ ἅπασι τὰ εἴδη τὰ χρησίμων καὶ ἀναγκαίων ἔχειν τινὰ, ὥσπερ εἴρηται. ἐξειλεγμένα δὲ αἱ ἀποδείξεις περὶ ἑκάστου εἶναι, οἷ ἐξ ὧν δεῖ φέρειν τὰ ἐνθυμήματα τόπου περὶ ἑκάστου. Lego, εἰδικῶν παθημάτων. ut in multis & scriptis & impressis libris legitur.

Inspiciendum enim est ei] Fabius lib. 5. frugalitas bonum, luxuria enim malum. Si malorum causa bellum est, erit emendatio pax. Si veniam meretur, qui im-

varum distortis cruribus. Ovidius: *Illa velut conjux*, &c.

Et alia, ut dictum est] Hinc colligit Scholiastes Graecus quiddam deesse.

Stagnum emere & sales] Ἕλος, *stagnum*, ἅλες, *sales*. Erasmus εἴλαιον. & haec est praevaricatio, βλαίσωσις.

Ortos esse dicerent, & qui dicerent eos mori] Ut Hesiodus, & ceteri Theologi, ut Euhemerus. Talis argumentatio Ciceronis pro Milone: *Non potestis hoc facinus*, &c.

Terram, & aquam dare] Persarum reges aquam & terram petebant. Ut Darius ab Indathyrso, rege Scytharum, apud Herodotum Melpomene. Diodorus lib. 11. πήρυκας ἐξέπεμψεν εἰς τὴν Ἑλλάδα, προστάξας εἰς πάσας τὰς πόλεις ἰέναι, καὶ τοὺς Ἕλληνας αἰτῶν ὕδωρ καὶ γῆν. Livius lib. 35.

Ut si cui quis det] Juvenalis: *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.* Caesar primo de Bello Gallico: *Consuesse enim Deos immortales, quo gravius*, &c.

Quod Diomedes Ulixem] Fabula erat de contentione armorum.

Alius ex iis, quae videntur quidem fieri] Locus est vigesimus secundus. Quaedam opiniones interdum temere occupant animos hominum, quae tamen similitudinem veri non habent. exempli causa, certos quosdam homines, qui se a potentum cultu, ac prope a ceterorum hominum commercio segregarunt, tamen ambitiosos esse. Id qui confirmare volet. Quicquid vulgo creditur, aut verum est, aut verisimile. Hoc, & vulgo creditur, & tamen verisimile non est. verum igitur est. Sic Lacedaemonios ambitiosos esse ait 4. Ethicorum, & Plato Diogenis fastum coërcuit.

Egent leges lege] Aequitas.

Et oleae oleo] Στέμφυλα in oleo servabant. Vidi, qui ea ex oleo & aceto in mensa apponerent.

Cur, cum sit Ajace fortior, non tamen talis esse videatur] Fortasse quia cauti ac prudentes audacibus timidi & ignavi videntur.

Nemo enim sponte eligit] Pro Milone, & pro Dejotaro, Cicero.

Leucotheae sacra facere] Ino Cadmi filia Matuta. Plutarchus περὶ δεισιδαιμονίας, & in ἐρωτικῷ. De Aegyptiis & de Osiri alibi. De Ino Ovidius 4. Metamorphoseos.

Ut

Ut in Medea Carcini] Aelianus ad finem lib. 5. de varia historia.

Ars Theodori] Byzantii.

Cum autem in syllogismis eveniat] περὶ φαινομένων ἐνθυμημάτων.

Unus quidem ex ipso dicendi genere] Qui bipartitus est.

Solum enim communis Mercurius vocatur] Κοινὸς Ἑρμῆς. In commune, & Theophrastus in χαρακτῆρι. Vide Turnebum.

Scis triremes in Piraeeo esse] Scis in Piraeeo triremes esse in Sicilia. οἶσθ' οἷλός σ' ὁ τύπος ὃν Πειραῖ τετύφεις ὕστερος ὢν Σικελίᾳ. Quo vidisti hunc percussum, eo percussus est. oculis autem vidisti. Hic canis est pater, & est tuus. ὁρῶντι γάρτοι τῷ ὄψει τὸν μαγάρα. ἴσαν ἐρᾶν τῷ τὸ αἰδοῖόν ἐρᾷν.

Nam Harmodii, & Aristogitonis] Athenaeus lib. 13. Pausanias apud Platonem in Symposio. Harmodius erat, &c. παιδικὰ Aristogitonis, &c. Plato, ἀντερασής. Ipse autem amabat juvenem quendam, & eum sibi adjunxit Hipparchus. ergo eum interfecerunt. At Thucydides, paulo aliter lib. 6

In mures] Herodotus. Cum Arabes & Assyrii invasissent Aegyptios, &c statua regi. Herodotus Euterpe. Gentes quae Trojam incolebant, mures colebant, &c. Unde Apollo Smintheus. Polemo apud Clementem in Protreptico ad gentes.

Aut ad coenam vocari] Sophoclis συνδείπνου. Plutarchus de discrimine adulatoris & amici.

Ut quia simul, aut postea factum sit] Ut qui religionem Christianam causam fuisse calamitatum dixerunt, quos refellit Augustinus, Orosius. Ut qui hodie ex literis Graecis haeresim natam esse calumniantur.

Quod Demades Demosthenis] Sic Aeschines: ἐκ τούτου ἐμοὶ συμβέβηκεν ἐξ ὅτου Δημάδης ἐκεῖνος ἀπὸ τῆς πολιτείας ἐστάλη. Ex hoc autem Aristotelis loco, & aliis, colligit Halicarnasseus epistola ad Ammaeum, omnes prope orationes, propter quas celebratur Demostenes, scriptas fuisse ab eo ante hos libros divulgatos. Cicero 2. Philippica: *Ut igitur in seminibus*, &c.

Bellum excitaretur] Adversus Philippum.

Juste abduxit Alexander Helenam] Euripides Iphigenia in Aulide.

Quod non est] Ut & Agatho dixit. Citatur & ὡς

περὶ ποιητικῆς. Sed ibi non ponit ipsos versus. Hoc Halicarnasseus vocat τὸ κατεπεργότατον τῶν ἐπιχειρημάτων.

Aut ubi: ita & hic] Apud Persas licet filio matrem γαμεῖν. Ergo licet.

Contrario syllogismo adferendo] Ut si quis voluptatem bonum esse, quia ἀτελὸς: bonum esse, quia eam appetunt omnia.

Objectiones autem, &c.] Ἐνστάσεις κυρίως, ὃ ἐν τῇ ὁδῷ ἀντεπάκων τινὶ, ὡς εἰ λέγοι τις, τὸν Οἰδίποδα τοῦ Λαΐου ἐνστάτην γεγονέναι. Scholiastes Sophoclis. 2. ἀναλυτ. ἐνστάσεις ἐξ ἑαυτοῦ. ἐκ τοῦ ἐναντίου. ἐν τοῦ κατὰ δόξαν. ἐξ ἑαυτοῦ. duobus modis. καθόλου καὶ ἐν μέρει.

Non igitur laudandus] Vide tertium Ethicorum Nicomach.

Per signa] Quomodo solvuntur τὰ εἰκότα.

Solvuntur autem & signa] Quomodo σημεῖα.

Eorum autem, quae ab exemplis ducuntur] Quomodo παραδείγματα.

Tecmeria autem, & enthymemata] Quomodo τεκμήρια solvantur.

M. A N

M. A. MURETI

IN PRIMAM CICERONIS TUSCULANAM

SCHOLIA.

M. Cicero, qui praeclare intelligeret homines hominum causa esse natos, neque multum a vita pecudum, eorum distare vitam, qui se se ad ignaviam dantes, nihil industria sua molirentur, nihil navarent, quod emolumento ceteris esset, ita statim a principio aetatis suae animatus fuit, ut, quantum natura ferret, nullam temporis partem ab adjuvandis hominibus sibi vacare pateretur. Itaque quam diu tranquilla, ac quieta frui republica licuit, non forum, non curia illius prudentiam, vocem, auctoritatem desideravit: nullo ille loco, nullo tempore aut amicorum, aut reipublicae temporibus defuit, numquam non ita se gessit, ut manifesto constaret, nihil esse omnino, quod eum ab officio, & ab assidua praestantissimi muneris functione posset abducere. Ubi autem, commutato rerum statu, omnia sunt ad unius conversa dominatum, non ille se tamen, aut angori ac molestiae, aut languori ac desidiae dedit, sed referens se ad eas artes, in quibus cum summo studio evigilasset adolescens, quarum postea tractationem, quasique culturam, graviorum operum procuratione distractus, intermiserat; ejusmodi rationem iniit, qua non suae modo prodesset aetati, verum etiam uberrimos sapientiae suae fructus ad sempiternam posteri temporis memoriam propagaret. Sic igitur illum vitae, quo nullus laudabilior est, confecit orbem, ut ab optimarum artium studiis ad rempublicam profectus, a republica rursus ad easdem illas artes revolveretur, & quarum in sinu educatus erat puer, earum in gremio requiesceret senex. Inde nobis illa tot tam praeclara singularis ingenii monumenta extiterunt: inter quae non postremum locum obtinent hae, quas hoc tempore nobis ad explicandum proposuimus, *Tusculanae disputationes*: de quibus ipse libro 2. de divina-

natione, cum indicem quasi quendam conficeret eorum librorum, quos in Philosophicis, vel scripserat jam, vel scribere deinceps cogitabat, ita loquitur: *Totidem subsecuti libri Tusculanarum* &c. Quibus ex verbis, quae horum librorum materia sit, ὡς ἐν τύπῳ cognosci potest. Nomen autem eis inditum a Tusculano, Ciceronis villa, ubi sermones hi, vel sunt, vel esse finguntur habiti. Quam rationem inscribendi libros quis ante Ciceronem usurpaverit, haud equidem facile dixerim. Sed jam ipsius verba, quantum quidem in nobis erit, subtiliter & accurate consideremus, &c.

De scriptoribus dialogorum κεφαλαιωδῶς. I. Primus ac praecipuus dialogorum auctor, Plato. Zeno quidem Eleates, & Alexanemus quidam ante eum. Sed ipse praecipue excoluit, praecipuamque addidit dignitatem. Unde, &c. Laërtius in Platone. Sic carmen Sapphicum, Archilochium, Anacreontium, &c. II. Scripsere postea dialogos Platonis imitatione plerique philosophi. Nam & Aristotelis, & Theophrasti, & Dicaearchi Peripatetici, & Zenonis, & Chrysippi, & Epicuri, & aliorum dialogi memorantur a veteribus usque ad Plutarchum, cujus extant plurimi & pulcherrimi dialogi, & Lucianum, qui primus dialogos antea graves, & severos, & de rebus seriis conscribi solitos, ad jocos, & ad urbanitatem comicam transtulit: quo nomine ipse se accusari, & absolvi facit in elegantissimo, ac festivissimo dialogo, Δὶς κατηγορουμένῳ. III. Atque ab Aristotele quidem scriptos dialogos, & ex aliis, & ex ipso Cicerone cognoscimus, qui in epistola ad Lentulum ait, tres a se esse libros de oratore in dialogo ac disputatione Aristoteleo more conscriptos. IV. Non tamen eodem plane modo scripserunt dialogos Aristoteles & Theophrastus, quo eos scripserat Plato. Nam Plato quidem, cui omnes dicendi veneres, omnes lepores, omnes festivitates domi, ut ajunt, nascebantur, ubertate quadam, & abundantia orationis, non res tantum ipsas explicat, sed multa etiam extrinsecus adhibet ornamenta, dum & loca describit, & arborem patulis diffusam ramis, & fluvium Ilissum ita frigidum, ut eum Socrates pedibus contingere vereatur: & personarum mores ac ingenia prope comicorum more subjicit oculis, Thrasymachi confidentiam & impudentiam, Hippiae

piae levitatem ac vanitatem, Protagorae arrogantiam & jactationem, & similia. Aristoteles autem & Theophrastus, quamvis homines eloquentissimi, cum tamen sibi suavitatem illam Platonicam deesse sentirent, statim a rebus ipsis exordiebantur, neque illa tentabant, in quibus tanto se Platone inferiores fore videbant. V. Hoc nos Divus Basilius docuit, cujus ex epistola quadam ad Diodorum verba sunt haec: Ἐκεῖνο δὲ πάντως συνιδεῖν ἐν ἀγχίνοια, &c. *De generibus dialogorum.* VI. Ut poëmatum, ita dialogorum genera sunt tria, διηγηματικὸν, δραματικὸν, & id quod ex utroque permixtum est. Primi exemplum esse potest Parmenides, Phaedo, libri πολιτικῶν. Secundi περὶ ῥήτορος, & plerique omnes Platonici. Mixti, Euthydemus. Apud Ciceronem duorum tantum generum exempla sunt, primi, in Academicis, in libris de finibus, de natura deorum, de divinatione, de fato, de oratore, de claris oratoribus, de senectute. Secundi in libro de amicitia, in libris de legibus, in his Tusculanarum libris. De his generibus paulo plura dicentur, cum ad extremam partem prooemii Ciceroniani perventum erit. περὶ δὲ χαρακτῆρος. VII. Demetrius. Περιόδῳ ῥητορικὴ, ἰσωμικὴ, διαλογικὴ. Haec omnium μάλιστα ἀναμίγνυται ἡ ἀπλασία. Exemplum ex princ. πολιτικῶν. Artemon ajebat eundem esse dialogi & epistolae. Demetrius epistolam elaboratiorem, ὁ δὲ μιμᾶται ἀποτετριμμένως, ὁ δὲ γράφειν, ἡ δὲν ἀπέχει πάντως τρόπον τινά. Platonis tamen granditatem loquendi admirantur omnes. Cicero in oratore: *Itaque video visum esse*, &c. Longinus περὶ ὕψους. Certe dialogi Ciceronis elaboratiores sunt, quam epistolae saltem ad Atticum. *De inscriptione Dialogorum.* VIII. Plato fere a re & a persona. Φαίδων, ἢ περὶ ψυχῆς. Λύσις, ἢ περὶ φιλίας. Iterum a re sola. πολιτικῶν. ῥήτωρ. Cicero quoque. Laelius, Cato, Brutus. Sed addit tertiam a loco. Academicae, Tusculanae. Nonnunquam a re sola. De finibus. De divinatione. De natura deorum. De oratore. *Hi quando & ubi scripti sint, quodque eorum argumentum.* IV. Scripti sunt cum resp. jam in unius potestatem redacta esset. In Tusculano, quod ubi fuerit, omnibus notum est, quasi scholas habebat, &c.

Cum defensionum laboribus] Duobus praecipue temporibus Cicero studium suum philosophiae dedit, primum ado-

Digitized by Google

adoleſcens, antequam forum attingeret, aut certe antequam ad rempublicam accederet: neque enim ſapientis ac conſiderati hominis fuiſſet, ad cauſſas forenſes ſine illo inſtrumento accedere, cum rerum copiam ſoli philoſophi ſuppeditent, ex qua niſi efflorefcat oratio, jejunam eſſe eam, ac ſterilem neceſſe eſt. Deinde ſenior, cum jam armis oppreſſa reſpublica jaceret. Itaque & principe Academiae, multum Philone adhuc adoleſcentulus uſus eſt, cum is Mithridatico bello, domo profugiſſet, Romamque venisſet: & Diodotum Stoicum domi ſuae habuit: & operam Poſidonio dedit: & cum jam biennium verſatus in cauſſis, ſeu valetudinis, ut ipſe ait, gratia, ſeu quod ſibi a Sulla, quem defendendo Roſcio laeſerat, metueret, ſecesſiſſet ex urbe, ſex menſes Athenis cum Antiocho, veteris Academiae nobiliſſimo, & prudentiſſimo philoſopho fuit. conſecuta ſunt ea tempora, quibus eum infinitus forenſium rerum labor, & ambitionis occupatio a ſtudio abſtraxit. Judicabat enim, quod poſtea ſcripſit, contra officium eſſe, inveſtigandi veri ſtudio ab agendis rebus abduci: neque injuſtitia vacare cenſebat illos, qui cum haberent a natura inſtrumenta rerum gerendarum, irretiti tamen ea voluptate, quam e rerum contemplatione perciperent, deſererent ſocietatem vitae, ac neque magiſtratus peterent, & eos quos tutari debebant, deſertos eſſe paterentur. Medio igitur aetatis tempore plus in agendo, quam in ſcribendo, ponebat operae, &, ſi quid ſcribebat, forenſes tamen illae, aut ſenatoriae, non philoſophicae litterae erant. Neque tamen ita tum quoque intermittebat ſtudia doctrinae, ut ſe ab illis penitus alienaret. immo vero, quantum temporis ſupererat amicorum, & reipublicae temporibus, tantum ad philoſophorum libros ſtudioſiſſime pervolutandos conferebat quod cum alia multa declarant, tum ſex libri de republica, quos tum ſcripſit, cum reipublicae clavum teneret. ſed cum omnia ſunt ad unius converſa dominatum, tum ſe ipſe duxit ex urbe, & villas ſuas obiens, & in Tuſculano praecipue magnam temporis partem ponens, raro admodum in urbem commeans, dedit ſe ad docendum adoleſcentibus nobiliſſimis, & induſtriam ſuam contulit ad fontes philoſophiae, Latinis hominibus aperiendos.

Di

Defensionum] Cur non & *accusationum?* Nimirum quia defendendis Cicero se civium suorum periculis, quam accusandis, & ad reddendam vitae rationem vocandis improbis, populo commendare maluerat: nec unquam ad accusandum descenderat, nisi coactus. Vide Quintil. lib. 12. cap. 7. Itaque & principio Divinationis in Verrem cum excusare se, tum accusatoris nomen a se amoliri omni studio nititur, omniaque facit, ut non tam accusare Verrem, quam socios defendere videatur; & in Bruto non accusationem illam, sed patrocinium Siciliense nominat: & quantopere abhorreat ab accusando, ipse in oratione pro Roscio Amerino testatur, his verbis: *Nam si mihi liberet accusare*, &c. & notum est judicium ipsius de M. quodam Bruto, in quo, quod accusationem factitasset, magnum dedecus ipsius generi fuisse dicit. Neque non tamen intelligebat, multum etiam reipublicae prodesse eos, qui vim dicendi suam conferrent ad nefarios homines legum ac judiciorum vinculis constringendos. Nam & principio lib. 3. in Verrem, copiosissime in eam sententiam disputat: & in extrema oratione pro Coelio, duas ipsius accusationes, quasi pignora quaedam futurae vitae, ac voluntatis erga rempublicam esse vult; & in ea ipsa, quam modo nominavimus, Rosciana defensione, *Multos*, inquit, *accusatores esse in civitate, utile est, ut metu contineatur audacia.* & paulo infra: *Facile omnes patimur*, &c. Lycurgus quoque in oratione adversus Leocratem praeclare ostendit, quanti publice interfit, esse, qui nomen flagitiosi hominis deferant. Cum enim tria sint, quae reipublicae statum, ipsiusque adeo civitatis felicitatem conservent, legum constitutio, judicum tabellae, & eorum, qui adversus leges deliquerint, accusatio, horum trium priora duo, si tertium absit, nullam omnino vim obtinere. Verba ipsius haec sunt: τρία γάρ ἐστι τὰ μέγιστα, ἃ διαφυλάττει, καὶ διασῴζει δημοκρατίαν &c. Sed hac tota de re, quando suscipienda sit accusatio, quando defensio, consulendus est Cicero lib. 11. de officiis, & M. Fabius cap. 7. lib. 12. Institut. Illud certe liquido constat, laudabiliorem & pleniorem humanitatis esse *defensionem.* Nam defendi interdum sine reprehensione etiam noceris potest, accusari innocens a sciente sine nefario scelere

non

non poteſt. Itaque alterum ſuapte vi ſemper honeſtum eſt; alterum numquam, niſi cum eſt neceſſarium. Ideoque ut illud dicendi genus, quod haberet in ſe laudationem & reprehenſionem, a meliori parte ἐγκωμιαστικὸν dictum eſt: ita eos, qui judicia tractarent, patronos potius, quam accuſatores nominarunt, quippe, ut a Trajano ſcriptum Ulpianus refert, *ſatius eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari*, quod ipſum multis ante ſaeculis docuerat Ariſtoteles, cujus haec ſunt, ὡς ἔστι κρεῖττον προλιπεῖν· ἢ δὲ ἐψηφισμένον ἐστὶ τοῦτο μὴ ἐξεῖναι ἢ ἐξεῖναι ἀναψηφίσασθαι, οἷς δοκεῖ, ἢ μὴ ἐξεῖναι ἀναψηφίσασθαι, οἷς ἀδικεῖ. Ita enim legendum videtur: quamvis in impreſſis libris particula, quae negandi vim habet, deſideratur. neque alienum arbitror, id quoque huic loco ſubtexere: apud veteres receptum fuiſſe, ut, cum aequalis eſſet numerus judicum, qui condemnarent, & qui abſolverent, abſolutio valeret. Plutarchus in Mario: ὁ μὲν οὖν τῶν αὐτῶν ἐμίσουν ὀλίγῳ τὸν Μάριον, ἡ χαλεπὴ δὲ καὶ ὀργίλος τοῖς δημοτικοῖς, τῇ πολιτείᾳ προσάντης οὖσα, ἴσον τῶν ψήφων ἐποίησεν. Oſtendit idem & Cicero pro Cluentio: *In conſilium ituri erant*, inquit, *judices* XXXII. *ſententiis* XVI. *abſolutio confici poterat*. Sed & Ariſtot. eo, quem paulo ſupra judicavi, loco multas cauſſas affert, cur ita fieri debeat, &c.

Laboribus] Magnus eſt enim dicendi labor: neque poteſt oratoris munus, niſi ab homine admodum navo, vigilanti, induſtrio, ſuſtineri. Cicero pro Coelio: *Atque ſcitote, judices, eas cupiditates*, &c.

Senatoriis muneribus] Veniendi in ſenatum, ibique cum ceteris de rebus ad rempublicam pertinentibus deliberandi.

Aut omnino, aut magna ex parte] Hoc dicit, quoniam, etſi raro, nonnunquam tamen, & amicis perielitantibus aderat, & veniebat in ſenatum. quod oſtendunt orationes pro Marcello, pro Ligario, pro Dejot. &c.

Eſſem aliquando liberatus] Animadverte, ut caute loquatur. non enim everſam rempublicam dicit, non ablata judicia, non oppreſſum ſenatum, non ſe impiis armis a republica prohibitum, ut in iis libris, quos Cae-

Digitized by Google

Caesare mortuo, scripsit, sed *aliquando liberatum*, tanquam gravi quodam, & tam molesto onere, ut id & diu prope cupiisse, & obtentum in beneficii loco habere videatur.

Remissa temporibus] Non tantum bellorum civilium tempora intelligit, ut falso Beroaldus opinatus est (quanquam ea quoque) verum etiam totum illud tempus, quo ipse versatus est in republica.

Et cum omnium artium] Diligenter animadvertendum est, quod hic dicitur: *omnium artium*, quae ad rectam vivendi viam pertinent, rationem & disciplinam studio sapientiae contineri. Quod quomodo accipiendum sit, ex iis, quae modo disputaturi sumus, intelligetur.

Studio sapientiae quae philosophia dicitur] Et *sapientiae*, & *philosophiae* nomen, tam varie a veteribus accipitur, ut ea varietas, credo item aliis, mihi quidem certe saepenumero magnam difficultatem, ac molestiam objecerit: quare statui hoc loco de utroque aliquid dicere: si forte mea opera pars aliqua illius difficultatis levari queat. Ac primum σοφίας, sive *sapientiae* nomen consideremus. Quod quidem initio non erat certae ac definitae alicujus virtutis facultatisve nomen, sed ita commune, ut quam quisque artem exquisite praeter ceteros calleret, in ea σοφὸς diceretur, ipsumque σοφίας nomen omnibus, etiam vilissimorum opificum, artibus tribueretur: quod vel ex Platonis Apologia, vel ex Theage constat. Sed & Aristot. lib. 6. ad Nicomach. idem confirmat his verbis: πλὴν ἴσως σοφίαν οὐ ταῖς τέχναις, &c. Atque hoc sensu videlicet, Homerus illud protulit, ἐπεὶ σοφὸς ἄνδρα τέκτον', idemque Iliad. o. fabrum, id est, τεκτονικῆς peritum describens, πᾶσαν σοφίαν ei tribuit; ut & Hesiodus citharoedo Lino. quin etiam ille, cum Margitem suum nullius artis peritum significare vellet, ita hoc expressisse traditur: Τὸν δ' οὔτ' ἄρ' σκάπτειν ἦδει, οὔτ' ἀροῦν, οὔτ' ἄλλως τι σοφόν. πάσης δ' ἀμοίρησεν τέχνης. Et hic de nauta imperito: οὐδὲ τι ναυτιλίης ἐσσοφισμένον. Et Archilochus: Τέλεσσον ἐν ἁλὶ, καὶ κυβερνήτης σοφός. Sed & Xenophon in Hierone cibos exquisitius apparatos ac conditos σοφίσματα vocavit. σοφὸς igitur, aut σοφιστὴς vocabant eos, qui quacunque in re multum operae ac studii ponerent, τοὺς, ut ait Clemens primo στρωμάτων, ἐπὶ ἑνὶ πολυπραγμονοῦντας, ut Eustathius, ἅπασαν τὴν τέχνην: iccircoque Socrates cum

Theaeteto disputans, innuere videtur, τὴν σοφίαν οὐ διαφέρειν τῆς ἐπιστήμης, & discere nihil aliud esse, quam περὶ ὃ μανθάνει τις, σοφώτερον γίνεσθαι. Peculiare autem aliquando hoc nomen Musicorum fuit: eos enim omnium esse eruditissimos putabant. Cicero ipse paulo infra: *Summam eruditionem Graeci sitam esse censebant in nervorum, vocumque cantibus.* Athenaeus lib. 14. Τὸ δὲ ὅλον ἔοικεν ἡ παλαιὰ τῶν Ἑλλήνων σοφία, &c. Jam vero apud antiquos musici iidem erant & poëtae. Cicero 3. de Oratore: *Namque haec duo musici, qui erant quondam iidem poëtae, machinati ad voluptatem sunt versum, atque cantum.* Cum ergo musici σοφοὶ, sive σοφιστὴ dicerentur, poëtae quoque eodem nominis honore afficiebantur. Laërtius lib. 1. Οἱ δὲ σοφοὶ καὶ σοφιστὴ, &c. Atque hinc videlicet Ἀνακρέων ὁ σοφὸς in Phaedro, & poëtae in Lyside *sapientiae patres ac duces*, & a Cicerone in Miloniana, *homines sapientissimi* nominantur. sed de his alius erit dicendi locus in librum 6. Ethic. Σοφοὺς etiam vocabant callidos & astutos; quomodo Euripides mulieres ad machinanda mala *sapientissimas* esse dicit. *sapientes* etiam vocabant eos, qui condendarum legum, gubernandarumque civitatum rationem tenerent; cujusmodi sapientiam apud Platonem expetit Theages. sed hanc Aristoteli *sapientiam* potius appellari placet: *sapientes* enim rectius vocari censet illos, qui in rebus divinis, & in iis, quae in obscuritate naturae latent, contemplandis occupati sunt: quales Anaxagoras, & Thales Milesius fuerunt. Quoniam autem rhetores contendebant, artem suam eam esse, qua regerentur civitates, sibique πολιτικῶν nomen vindicabant, factum, ut ipsis quoque *sapientum* appellatio tribueretur. Itaque in divinis libris *sapientiae* nomine saepe eloquentiam significari videmus. Stoici sapientem eum describebant, qui neque fuit, neque esse omnino potest: qui nihil opinaretur, nunquam commoveretur animo, nulla in re falleretur, nullam non optime teneret artem: solus rex, solus liber, solus dives, solus formosus esset: coacervabant alia ejusdem generis plurima παραλογήματα, ut risus captare potius, quam serio loqui, viderentur. Omnino autem sapientiae professio hoc suscipere ac polliceri videtur, qui cum sapiens sit, nihil nescire, sed omnium rerum perfectam cognitionem animo inclusam tenere: ut verissime dictum sit a Socrate, aliisque veteribus, solum Deum esse

esse sapientem. nam si sapientia, ut eam primum Stoici, & jam alii definierunt, *est divinarum humanarumque rerum, & causarum, quibus illae inter se continentur, scientia*: in quem tandem illa, praeterquam in Deum, cadit? Aristoteles in iis libris, quos inscripsit τὰ μετὰ τὰ φυσικά, *sapientiam* vocat eam scientiam, quae primas rerum causas, primaque principia considerat: quaeque non in hujus, aut illius generis, sed in ejus quod est, ea ratione qua est, cognitione ac contemplatione versatur. Cum autem ἐν τῇ σοφίᾳ contineantur τὰ ἐν μέρει: & scientia illa consideret τὸ πάντων καθολικώτατον, nempe τὸ ὂν ᾗ ὄν· ἐπιπλᾶς, οὐ δὲ ᾗ ἕν τόδε, non absurde dici potest, sub ea ceteras omnes, quae ἕν τι partem aliquam tractant, contineri. Illud addamus, σοφίαν dictam videri quasi ἐπιφάνειαν τινα: propterea quod ea tradat quae sub τῇ ἀνωτάτῳ φύσει ἐπιφαίνεται, καὶ φαίνεται, etsi obscura nobis propter humanae mentis imbecillitatem: cujus notationis auctor est Joannes Philoponus Grammaticus in priorem librum de demonstratione. Explicata autem vi τῆς σοφίας, facilior erit τῆς φιλοσοφίας explicatio. consueverunt enim Graeci eos, qui rei cujuspiam studio tenentur, ea ipsa ex re φιλοτιμίτας nominare, ut φιλοφίλους, φιλοδίξους, φιλοχρημάτους, *studiosos amicorum, honoris, & pecuniae*. sic igitur etiam φιλοσόφους dixerunt eos, qui sapientiae studiosi essent; & φιλοσοφίαν eam animi affectionem. cum autem σοφίαν, ut dixi, vocarent accuratam cujuscunque artis intelligentiam: *philosophari* etiam dicebant eos, qui aliqua in re plurimum operae, ac studii ponerent, eamque diligenter commentarentur. Citantur haec a grammaticis ex Menandro: φιλοσοφῶ γάρ, ὅπως ἡδέως ἐρῶσι τοῦ γάμου. Sed hujus significationis exempla, & a Budaeo in Commentariis multa congesta sunt; & alia non difficulter congeri possunt. Ipsum igitur *philosophiae* nomen nihil proprie aliud significat, quam ardorem quendam animi ad veram & solidam rerum cognitionem pervenire cupientis. Itaque praeclare in Convivio Socrates, neque sapientes, neque indoctos philosophari ait: illos enim pervenisse jam ad sapientiam; hos ne cupere quidem pervenire: philosophos igitur medium quoddam genus esse inter sapientes, & expertes disciplinae. nemo enim aut id quod jam possidet, concupiscit, aut id, quod, quale sit, nescit. Receptum est tamen consuetudine, ut, quo-

niam perfecta ſapientia in Deum modo conveniret, philoſophiae nomen de ea ſapientia, quae in hominem caderet, diceretur: praecipue poſteaquam Pythagoras in illo cum Phliaſio ſermone, ſapientem ſe eſſe negavit, *philoſophum*, id eſt, ſapientiae ſtudioſum, profeſſus eſt. jamque philoſophiam definiri videas γνῶσιν θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων: quae verius ſapientiae finitio eſt: & γνῶσιν δὲ λέγειν τὸ ὄντως ἐπιστήμην εἶναι, id eſt, λέγειν δὲ περὶ ὄντως, quae definitio eſt illius ſapientiae, qua de agit Ariſtoteles ἐν τοῖς μετὰ τὰ φυσικά. traduntur & aliae finitiones, quae non ita multum ad hoc inſtitutum pertinent. *Philoſophiam* autem duobus modis dividunt. alii enim tripartitam faciunt, ut ejus unam partem eſſe dicant, quae in rebus expetendis, & fugiendis, alteram, quae in obſcuritate naturae, tertiam, quae in diſſerendi ſubtilitate verſetur: quas etiam Graecis vocabulis appellant τὸ ἠθικόν, τὸ φυσικόν, τὸ λογικόν: alii duas tantum in partes diſtribuunt, τὸ θεωρητικὸν, καὶ τὸ πρακτικόν, id eſt, eam quae ad cognitionem, & eam quae ad actionem dirigatur. quae poſterior diviſio, cum partium numero aſtrictior, contractiorque ſit, vi tamen & facultate latius patet. Priorem Cicero ad Platonem, & ad Platonis auditores refert: Plutarchus eam a Stoicis primum proditam, Ariſtotelem autem & Theophraſtum, & alios veteres ea, quam poſteriore loco poſuimus, uſos eſſe tradit. Omnino illa nusquam, ut opinor, neque apud Platonem, neque Ariſtotelem legitur: ſed tamen & a Platonis ſententia non abhorret: & apud Ariſtotelem in Topicis ejusmodi quaedam eſt problematum diviſio, ex qua haec quoque philoſophiae partem manaſſe veriſimile videri poteſt. Verba ipſa Ariſtotelis adſcribam: ἔστι δὲ μέρη τῶν προβλημάτων χρήσιμον εἰδέναι οὐδὲν ἧττον τὸ ἰδιολογεῖσθαι ἢ φυσιολογεῖν, πάντων μὲν οὖν τὸ ἰδίᾳ ἐπισκοπεῖν, ἢ ὅ. ὅτι δὲ οὐδὲν ἧττον τὸ εἰδέναι μέρος εἶναι, πάντων ὁ τοῦτο ἀγνοῶν εἰδέναι, ἢ ὅ. ὅτι δὲ οὐκοῦν μᾶλλον οὐκοῦν οὐδὲν ἧττον τοῦτο. συνεχὲς δὲ ἐν οἷς ποιεῖ τὸ ποιεῖν. neque tamen ullo pacto eorum ſententiae acceſſerim, qui eam ab Ariſtotele traditam putant: primum quod ex Ammonio facile cognoſcitur, Peripateticos diſſerendi facultatem in philoſophiae partibus numerandam non cenſuiſſe. deinde quod non Plutarchus modo, verum etiam Laërtius in Zenone aperte confirmat, Stoicos primos illius partitionis auctores fuiſſe. undecunque autem ea fluxerit, qui eam tanquam veram recipiunt, iis fas non eſt dicere,

omnium artium ſcientiam philoſophiae ambitu contineri. non tantum enim turba illa ſordidarum ac illiberalium artium, quas exercent ii, qui opifices dicuntur, excludetur ab hoc numero, verum etiam illa ipſa ſcientiarum omnium ſuprema, quae in rerum divinarum contemplatione verſatur, philoſophiae pars non erit, ne illae quidem, quae mathematicae nominantur, niſi forte includere eas ὑπὸ τὸ φυσικὸν aliquis vellet: quod hominis eſſet parum acuti, parumque intelligentis, ac plane conſtat veteres in ea fuiſſe ſententia, ut eas philoſophiae partes eſſe non judicarent. Si quidem & Plato imbutos eſſe eis adoleſcentes volebat, antequam ad philoſophiam accederent: & Diogenes eas *ancillas philoſophiae* vocabat: & Cicero cum aliis locis, tum apertiſſime lib. 1. de Oratore, eas a philoſophia ſeparat. Verba ipſius haec ſunt: *At haec ne philoſophi quidem ipſi*, &c. Hoc quoque loco multas artes a philoſophia ſegregat, & in illis has ipſas, de quibus agimus: neque vero ait, abſolute omnes artes ſtudio ſapientiae contineri: ſed eas tantum, quae ad rectam vivendi viam pertinent. At, qui illam alteram partitionem ſequuntur, εἰς τὸ θεωρητικὸν καὶ εἰς τὸ πρακτικὸν, ii omnes omnino bonas artes ad philoſophiam referunt. nulla eſt enim earum, quae non aut cognitionem ſibi proponant, aut actionem: ſi modo actionis nomine paulo latius ſumpto etiam τῷ ποιητῷ, id eſt, *operis alicujus molitionem & effectionem intelligas*: quod fieri & ſolet, & poteſt. nam & mathematicas quidem, & ſupremam illam, quae divina conſiderat, ſapientiam, ὑπὸ τὸ θεωρητικὸν includunt, cum tres illius partes faciant, τὸ φυσιολογικὸν, τὸ θεολογικὸν, καὶ τὸ μαθηματικόν. una eſt, quae in controverſiam vocatur, diſſerendi facultas, quam ajunt a Platone & partem, & inſtrumentum, ab Ariſtotele inſtrumentum tantum, non etiam partem, philoſophiae putari; de quo quidem ipſi viderint. eſt enim vetus, & magnis exagitata doctiſſimorum hominum diſſenſionibus, quaeſtio, quae tamen ſatis facile explicari videtur poſſe, ſi quis initio conſtituat, quid philoſophiae nomine accipi velit. Hanc igitur partitionem ſequentes, licet dicere, omnes bonas artes in aliqua philoſophiae parte poni. neque tamen dicemus, nihil dicere eum, qui ſe philoſophum dici velit: quem errorem confutat & Plato in Amatoribus, & Dion Chryſoſtomus in oratiuncula,

quam de philosopho scripsit: sed philosophum definemus eum, qui, ut est in I. de Orat. studeat omnium rerum divinarum atque humanarum vim, naturam, causasque nosse, & omnem bene vivendi rationem tenere & persequi.

Non quia philosophia] Occupatio est. poterat enim aliquis objicere, supervacaneum esse hunc laborem, quod philosophia satis e Graecis & literis & doctoribus percipi posset. Huic ita respondet, voluisse se eam Romanis hominibus familiarem fieri, ut ab eis pertractata, incrementi aliquid ex ipsorum ingeniis acciperet. Semper enim Romanos, quae a Graecis acceperant, feeisse meliora.

Omnia nostros] Praeclare Cicero de suorum hominum ingeniis sentit. sed haec tam magnifica ipsorum commendatio, quam vera sit, alii judicent. Etsi enim mihi quidem longe aliter videtur, nolim tamen litem facere meam.

Quae quidem digna statuissent] Callide, ut, si quid in tanta optimarum artium, & varietate, & obscuritate, aut non viderint, aut assequi non potuerint, neglexisse videantur.

Nam mores & instituta vitae] Tota bene vivendi ratio, tribus fere partibus continetur, compositione primum & conformatione morum, tum gubernatione rei familiaris, postremo rectione reip. Atque inde illa est divisio ejus philosophiae, quae cernitur in agendo, qua eam tribuunt εἰς τὸν ἴδιον, εἰς τὸ οἰκονομικὸν, καὶ εἰς τὸ πολιτικόν. Cum autem duo sint reipub. tempora, unum pacis, alterum belli, & legibus in civitate opus est, & armis, quo & legum sanctitas armorum praesidio muniatur, & armorum licentia legum vinculis cohibeatur. His igitur omnibus Romanos Graecis superiores fuisse dicit, sive ea per se invenerint, sive accepta ab illis meliora fecerint. Leges quidem eos a Graecis accepisse, notum est.

Mores & instituta vitae] Ἐκ παραλλήλου dictum accipio. *Instituterum* autem nomine paulo infra aliud significat.

Et melius tuemur & lautius] Illud ad moderationem vitae, hoc ad munditiam & elegantiam referetur. Nam Graecorum partim molles erant, ut Jones, partim sordidi, ut Lacones.

Digitized by Google

Et institutis & legibus] *Instituta* sunt consuetudines illae, quae legum vim habent, quae Romae cujusmodi fuerint, e secundo libro Valerii discere est: *leges* autem, quae scripto continentur. Sex autem fere modis *legis* nomen apud veteres usurpatum esse annotavi. I. Interdum pro pacto, & conditione. Terentius: — *Ea lege atque omine.* Cicero ad Atticum: *Ea lege exierat.* II. Interdum pro mente divina. & hoc sensu Pindarus, & eum secutus Chrysippus in lib. de legibus, *legem omnium rerum reginam*. hanc Stoici, ut Cicero 1. de leg. interpretatur, definiunt *rationem summam insitam in natura, imperantem justa, prohibentemque contraria.* III. Est cum legis nomine omne jus, & scriptum, & non scriptum, continetur, ut, cum dicimus, τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι. IV. Est cum haud ita late patet hoc nomen, sed tantum jus scriptum significat, ut hoc loco. sic & Cajus Jurisconsultus nomen legis accepit, lib. 1. Institutionum his verbis: *Omnes populi, qui legibus, & moribus reguntur.* V. Romae autem ea demum lex proprie dicebatur, quam senatorius aliquis magistratus rogaverat: nam quae plebs, rogantibus tribunis, qui magistratus antiquissimis temporibus senatorius non erat, sciverat, ea plebiscita dicebantur, & distinguebantur a legibus. Lucanus: — *leges & plebiscita coactae.* VI. Legis tamen nomen etiam pro *plebiscito* accipi videas, ut, cum leges Sempronias, Servilias, aliasque ejusdem generis dicimus. sic apud Ciceronem, *lex Manilia*, apud Jurisconsultos, *lex Aquillia.* Nam illa ad hoc institutum pertinere vix puto, leges dici cujusque artis praecepta, ut Grammaticorum, Dialecticorumve leges. sic autem accipitur hoc nomen apud Platonem in Minoë. & νόμον dici pro consuetudine, ac moribus; unde νομίζεται Graecis idem est, quod Latinis *assolet*, *comparatum est.* Euripides: Πυλῶν πάροιθεν δ' οὐχ ὁρῶ Πηγαῖά θ', ὡς νομίζεται, Τε χέρνιβ' ἐπὶ φθιτῶν πύλαις. Et in eadem fabula: Ὑμοῖς δὲ τὴν θανοῦσαν, ὡς νομίζεται, Προσείπατ' ἐξιοῦσαν ὑστάτην ὁδόν. Et Andromacha: Οἴμοι, καθ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται, &c. Sunt & sui Musicorum νόμοι, de quibus hoc loco dicere non necesse est.

Melioribus temperaverunt & institutis, & legibus] Crassus lib. 1. de oratore: *Percipietis etiam illam ex cognitione juris laetitiam*, &c. Haec Crassus. ac sane

leges Graecorum non admodum accurate scriptas fuisse, vel Aristoteles indicat, qui sub finem primi minoris τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, multa in eis fabulosa & puerilia inesse dicit. At contra duodecim tabularum libellus, si Ciceroni credimus, omnes philosophiae fontes continebat.

Quid loquar de re militari] De hac virtute ita ipse in defensione Murenae: *Ac nimirum (dicendum est enim, quod sentio) rei militaris*, &c.

Cum virtute] Cujus exempla in historiis ubique sunt obvia.

Disciplina] De qua vide Valerium cap. 11. lib. 11. extat & de ea titulus integer lib. 49. Pandectarum; & notum est ex historiis, quanta severitate neglectam eam violatamque sanxerint.

Jam illa quae natura] Quamvis a natura non insunt virtutes, ab ea tamen insunt virtutum semina: eaque aliarum virtutum in aliis gentibus, & frequentiora, & illustriora, pro caeli, & pro temperationis corporum varietate cernuntur.

Non litteris] Οὐ γὰρ διδακτὸν ἡ ἀρετὴ. etsi Plutarcho aliter videtur.

Quae enim tanta gravitas] *Gravitas* est in rebus non temere suscipiendis: *constantia* in eis, quas semel susceperis, ad exitum perducendis; *magnitudo animi* in periculorum, pecuniae, rerum denique humanarum contemptione: *probitas* in nemine violando: *fides* in conservatione pactorum. gravitati levitas, constantiae inconstantia, animi magnitudini pusillus & angustus animus, probitati improbitas, fidei perfidia opponitur. harum autem omnium laudum exempla in Romanis historiis creberrima.

Si quidem Homerus fuit] Gellius lib. III. super aetate Homeri non consentitur: *Alii Homerum, quam Hesiodum*, &c. Idem libro 17. cap. ult. *De Homero, & Hesiodo, inter omnes fere*, &c. Cajus Vellejus Paterculus Hesiodum CXX. fere annis Homero inferiorem facit. apud Eusebium in Chronicis variae admodum referuntur, discrepantesque sententiae. Solinus Homerum anno CCLXXII. post Ilium captum, CLX. ante urbem conditam, Agrippa Silvio Tiberini F. Albae regnante, humanis rebus excessisse ait: inter eum autem & Hesiodum, qui

in

in auſpiciis olympiadis primae obierit, CXXXVIII. annos interfuiſſe. Herodotus in vita Homeri, Homerum annis poſt Troica tempora CLXVIII. fuiſſe dicit. At Plutarchus, χρόνους δὲ, inquit, αὐτὸν φασὶ τοῖς χρόνοις, &c. Idemque aliquanto poſt: ὅστις δὲ τὸ τῆς γένεως αὐτοῦ ἀξιόπιστον, &c. Cato apud Ciceronem de ſenectute Homerum Heſiodo multis ſaeculis antiquiorem ſibi videri ait; Joannis Tzetzae de Heſiodo ſub principium commentariorum, quos in eum ſcripſit, verba ſunt: Συνηκμακέναι δὲ αὐτὸν οἱ μὲν Ὁμήρῳ φασὶ, &c. Herodotus tamen ipſe videtur eorum opinionem adjuvare, qui eos iisdem temporibus vixiſſe cenſent, his verbis, quae in Euterpe leguntur: Ἡσίοδον δὲ καὶ Ὅμηρον ἡλικίην πρεσβυτέρους ἑπτὰ καὶ δέκα μοῦνα πρὸ ἐμεῦ γενέσθαι λέγω, καὶ οὐ πλέω. Et epigramma, quo ſe Heſiodus victoriam de Homero retuliſſe profitetur: Ἡσίοδος Μούσῃσι Ἑλικωνίοισι τόδ' ἄειδεν, Ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι φῶτα Ὅμηρον. Cujus victoriae ipſe quoque meminit his verſibus: Ἐνθάδε μοι τὸν ἐπ' ἄθλα, &c. Sed in eum locum rurſus exagitat Tzetzes eos, qui certamen illud ad divinum Homerum referunt. Ergo haec quidem relinquamus in medio: illud modo teneamus, omnium conſenſu verum eſſe, quod hoc loco Cicero dicit, & Homerum, & Heſiodum ante urbem conditam floruiſſe.

Archilochus] Hunc Herodotus in Clione ait fuiſſe iis temporibus, quibus Gyges, interfecto Candaule, regno Lydiae potitus eſt, id eſt, XX. Olympiade. Vide Plinium. Urbis autem fundamenta a Romulo jacta anno primo ſeptimae Olympiadis, Dionyſius, & Solinus affirmant. Itaque praeclare inter eos convenit. At Archilochum Cornelius Nepos, Tullo Hoſtilio regnante, claruiſſe dicit.

Annis enim fere DX.] Illud, *fere*, eo addidit, quod jam tum inter ſcriptores de numero annorum non conveniret. Nam hic ipſe annus Plinio eſt DXIV. in lapidibus Capitolinis DXIII. Apud Livium propter librorum jacturam, nulla prorſus horum Conſulum mentio eſt. Joachimum autem Germanum hoc loco ſimilitudo nominum & R. antiquitatis ignoratio fefellit. Cato in libro de ſenectute: *Vidi etiam ſenem Livium, qui cum ſeptem annis ante, quam ego natus ſum, fabulam docuiſſet, Centhone, Tuditanoque Coſ. usque ad adoleſcentiam meam proceſſit aetate.* Cicero in Bruto: *Atque hic Livius, qui primus fabulam* &c. Ex his Ciceronis verbis hoc quoque loco legendum cenſeo DXIV. non autem DX. Gellius tamen

men libro 17. innuere videtur, hunc annum esse DX. aut potius DIX. idemque G. Naevium ait fabulas dedisse, anno ab V. C. DXI. quod si est, omnino hic annus DXIV. esse non potest. Ego plane hanc difficultatem inextricabilem esse duco. nam & erroris inscitiaeque damnare veteres scriptores, iis in rebus, quarum tum recentior erat memoria, modesti esse hominis non videtur, & tamen fieri nullo modo potest, ut non eorum multi insigniter errasse dicantur. haec igitur aliorum studio relinquamus.

Qui fuit major natu] Quomodo tandem Ennius major natu, quam Naevius? Nam Ennium multa ex Naevio sumpsisse, Cicero ipse testatur in Bruto. Gellius autem fabulas Naevium dedisse ait, cum Ennius adhuc anniculus esset, omninoque res ipsa loquitur, Naevium esse Ennio antiquiorem. Sed haec fortassis Ciceronis incuria fuerit, quem multis ex locis constat, multa saepe in his rebus non satis considerate tradidisse.

Quanquam est in Originibus] Idem quarto horum librorum: *Gravissimus auctor in Originibus*, &c. et in Bruto: *Utinam extarent illa carmina*, &c.

Honorem tamen] Idem declarant verba Catonis ex carmine de moribus.

Poëticae artis honos non erat] Si quis in ea re studebat, aut sese ad convivia applicabat, grassator vocabatur.

Oratio Catonis] Suspicor eam orationem fuisse, qua Ser. Galbam oppugnavit. eum enim Fulvii defendebant.

Ennium] Cicero pro Archia: *Jam vero ille, qui cum Aetolis*, &c.

Fabio] Q. Fabius aedem Salutis pinxit, qui ob id *Pictor* cognominatus est.

Polycletos] Aut *Polygnotos* legendum, aut Cicero memoria lapsus est.

Honos alit artes] Conversum id est ex 8. libro Platonis de republ. ut recte Germanus interpres annotavit.

Summam eruditionem, &c.] Ita ut ἀμούσους vocarent *indoctos*, & *musices* nomine omnem doctrinam liberalem complecterentur. Aristophanes: Ἀλλ' ὦ ἀγαθ' οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι, Πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μὲν τοι κακὴ κακῶς.

Epaminondas] Aemilius Probus in ipsius vita: *Scimus enim musicen*, &c. et paulo infra: *Eruditus autem sic*, &c.

The

Themistocles] Narrat hoc & Fabius Quintil. lib. 1. instit. orator.

Terminavimus modum] id est, nihil in eis artibus subtilius quaesivimus.

Nam Galbam, Africanum] Vide Ciceronem in Bruto.

Illustranda & excitanda] Duo duobus reddidit: dixerat enim, eam jacuisse, & nullum habuisse lumen litterarum Latinarum.

Ut si occupati] Videtur respexisse ad id quod in Originibus scripserat Cato, *magnorum virorum non minus otii, quam negotii rationem extare oportere.*

In quo eo magis] Amafanium & Rabirium, & ejusdem generis alios notat, qui Epicuream philosophiam Latinis litteris divulgaverant.

Oratoriae laudi] Omnes veteres libri, *oratoriae laudis*: idque fortasse verius sit: ut se *oratoriae*, id est, rhetoricae laudis aliquid industria sua attulisse dicat. M. Fabius lib. 2. *Rhetoricen in Latinam transferentes, tum oratoriam, tum oratricem nominaverunt.*

Summo ingenio, scientiae copia] Duas voces sine conjunctione posuit, ut in Antonium: *summa cum dignitate, constantia, ad ea quae quaesita erant respondebat.* et in eundem: *Tamen eorum ora, sermones, qui ex eo numero in urbe relicti sunt.* et in epistola ad Appium: *Quoque plura virtutis, industriae ornamenta in te sunt.*

Isocratis rhetoris] In quem detorquebat versum e vetere tragoedia: Αἰχρὸν σιωπᾶν, βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν. ita ut diceret: Αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ἰσοκράτη δ' ἐᾶν λέγειν. Meminit Quintilianus lib. 3. institutionum, & ipse lib. 3. de Oratore.

Operam dedimus] A quibusdam veteribus libris abest vox, *operam*; & fortasse sine vitio tolli possit.

Scholas] Ita vocat disputationes, & quosdam quasi communes locos. ego autem hanc vocem eo sensu apud Plutarchum reperi, apud vetustiores Graecos nondum reperire potui.

Malum mihi] Hujus dialogi summa est, mortem malum non esse; idque probatur hoc modo. Aut intereunt animi, aut etiam separati a corporibus vivunt. nihil tertium. neutro autem horum modorum mors malum est. mors igitur non est malum. Primum illud disjunctum, tanquam certum, atque indubitatum ponitur ac sumitur. ad assumptionem autem probandam, argumenta haec afferuntur,

Digitized by Google

runtur. ſi animi intereunt, ſenſus omnis morte deletur: quique moriuntur, omnino deſinunt eſſe ac malum eſſe nihil poteſt non ſentienti, multoque minus ei qui omnino non eſt. Poſito igitur, interire animos, efficitur, ut ne ſit mors malum. Quodſi animus morte non interit, ſed tantum ex illo quaſi ergaſtulo corporis liberatur: nempe ſimul atque ſolutus eſt, in caelum evolat: non enim ad inferos deprimitur: cum inania, & fabuloſa ſint, inquit Cicero, quaecunque de inferis vulgo narrantur. nimirum igitur hac ratione mors, non modo e malorum numero eximenda eſt, verum etiam magni, atque excellentis boni loco habenda: cum moleſtiis, quibus in hac vita fortunatiſſimus quisque plurimis confligatur, finem afferat, animos vero tollat in caelum, ſempiterna illic felicitate fruituros. Hanc poſteriorem partem magis amplexari videtur Cicero, ideoque ad animorum immortalitatem probandam multa argumenta congerit partim propria, & habentia ſpeciem διαλεκτικῶν, partim communia & dialectica. Nam inferos quidem, & ſupplicia poſt mortem, nihil aliud eſſe, quam vanas imperitae multitudinis formidines, ſuo quaſi jure ſumit, & ſibi credi poſtulat. Sed profecto, niſi alia nobis firmiora, & veriora argumenta ſuppeterent, quibus confirmaremur, & ad deſpiciendam, & aequo pacatoque animo expectandam mortem adduceremur: non magnam nobis haec omnia timoris, ac miſeriae levationem afferre poſſent. a divinis igitur litteris hujus mali, ut ceterorum omnium, medicinam petere neceſſe habemus, & afflictas conſternatasque mentes aſſidua divini ſermonis meditatione erigere ac reficere. id eſt enim unum ex omnibus pharmacum Παντὸς τ', ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἀπάντων. In philoſophorum quidem arculis, & narthecciis quam nihil inſit ejuſmodi, res ipſa ſatis ſuperque indicabit.

Malum mihi videtur eſſe mors] Idem videbatur ingenioſiſſimae & elegantiſſimae mulieri Sapphoni, quae id etiam Deorum immortalium judicio confirmabat: illi enim, niſi mortem malum quoddam eſſe judicaſſent, nunquam profecto ea carere voluiſſent. hoc ipſius argumentum refertur ab Ariſtotele lib. 2. de arte dicendi. Idem C. Moecenati: qui nullum cruciatum corporis, nullam imbecillitatem, nullam deformitatem deprecabatur, dum vitam modo ac ſpiritum retinere poſſet. Verſus ipſius, quibus

Digitized by Google

id animi sui votum complexus erat, apud Senecam, sed nonnihil depravati, leguntur: quos a me emendatos subjiciam: *Debilem facito manu, Debilem pede, coxa: Tuber astrue gibberum: Lubricos quate dentes. Vita dum superest, bene est. Hanc mihi, vel acutam, Si das, fustineo crucem.* Idem Iphigeniae, quae in Euripidis fabulis ita loquitur: κοὐκ ἐγὼ μὲν δὴ, ἃ δ' ἐχθρὸν θανεῖν. πρῶτα μὲν ζῆν κέρδιστον, ἔπειτα τοῖς φίλοις. Idem denique ipsi rerum omnium parenti naturae, quae omnibus animalibus eum sensum ingenuit, ut vitam suam omni ope tueantur, interitum autem, & omnia quae videntur interitum allatura, refugiant. ac profecto, si quod ab omnibus expetitur, bonum est, cum vitae diuturnitatem, ac, si fieri posset, immortalitatem expetant omnes, negari non potest, & eam bonum esse, & mortem e contrario malum. nam mortem nemo unquam per se, ac suapte vi expetiit; sed tantum πρὸς συμβεβηκός, quod aliquid aut facere, aut pati nollet. quodsi fas fuisset, & illa quae vel molesta, vel turpia erant, vitare, & conservare vitam, nunquam se quisquam sponte opposuisset ad mortem. qui autem vitam contempsisse dicuntur, eo contemnebant, quod necessario viderent fore, ut eam aliquando amitterent, stultum autem ducerent, magno studio retinere id, quod aliquando tamen amittendum esset: non quia eam bonam & expetendam putarent. de hominibus loquor verae, id est, Christianae religionis, expertibus. nam eorum qui quondam illam sanxerant suo sanguine, nostrumque adeo omnium longe alia causa est. quanquam si quis harum rerum veritatem exigere ad illam ipsam religionem nostram velit, is quoque mortem malum esse fateatur, necesse est, cum sit poena peccati, neque tantum in injustis hominibus, verum etiam in justis. Sed ut injusti etiam rebus bonis male, sic justi morte, quae mala est, bene utuntur atque haec ita disputantur a D. Aurelio Augustino lib. 13. de civit. Dei.

Malum mihi videtur] Ceteris in dialogis solet initio, & eos qui colloquuntur, nominare, & de ipsis aliquid dicere, & occasionem aliquam collocutionis illius exponere. hic nihil simile fieri videmus. litteras autem A. & M. quibus personae notantur, varie exponunt. alii *Marcum & Atticum*, alii *magistrum & auditorem*, alii aliter. quae mihi omnia insulsissima, & ineptissima videntur. Itaque si mei judicii res esset, libenter eas e libris omnibus tollerem, &, ut in plerisque vetustis codicibus fa-

factum video, colloquentium sermones, interjectis tantum exiguis & inanibus spatiis distinguerem. Ceterum de ratione disputandi, quae hic tenetur, vide quiddam principio lib. 2. de finibus.

Iisne qui mortui sunt] Perducit eum, quem contra disserit, ad concedenda multa falsa & absurda: ut iis postea reprehensis, tollatur id, ex quo illa quasi derivata sunt; nam ex quo quae consequuntur, falsa sunt, ipsum quoque non falsum esse non potest. Respicit autem hoc loco sine dubio ad illud celebratum, & decantatum, & ἀδηλητηρίωτον argumentum Prodici, cujus meminit Socrates apud Xenocratem in Axiocho (ejus enim Dialogus ille, non Platonis videtur) his verbis: Ἥκιστα δέ σοι ὡς ὁ Πρόδικος λέγοι, &c. quam conclusionem, ut apeam & rotundam, alii quoque philosophi certatim arripuerunt; ut Epicurus, de quo Laërtius, συνάδει δὲ ὁ τῷ κορυφαίῳ, μᾶλλον δὲ αὐτὸς ἐκεῖνος ὁ δόγμασιν, &c. Et paulo infra: τὸ φοβερώτατον τῶν κακῶν, &c.

Utrisque] Absurdissime responsum, ab eo praesertim, qui paulo post dicturus esset, mortuos omnino non esse.

Miserum igitur] Conclusio sumpta e Stoicorum praeceptis, qui negabant, quicquam malum esse, quod miseros non efficeret. *Miserum* autem hoc loco non eodem modo accipiendum est, ut statim, cum ait, *omnes miseros esse*. Sed idem valet, quod efficiens miseriae.

Moriendum est enim omnibus] Euripides: Θνητοῖς ἅπασι τοῦτο κοὐδὲν ἀρσίλεπτον.

Centum millibus annorum] Non videtur, cum ita loquatur, putare, mundum coepisse ab ullo temporis principatu. ejus autem sententiae Aristotelem fuisse constat. sed & Platonem, (quod admirabilius videatur) locupletes & idonei auctores idem sensisse confirmant. Et Plinius, *Mundum*, inquit, *& hoc, quod alio nomine caelum appellare libuit, cujus circumflexu teguntur cuncta, numen esse credi par est, aeternum, immensum, neque genitum, neque interiturum unquam.* Sacerdos quidam Aegyptius in Timaeo dicitur Soloni confirmasse, res urbis suae octo millibus annorum gestas sacris Aegyptiorum litteris contineri.

Cerberus] Hic Orci canis ab Homero quidem nusquam nominatur; sed eum alii poëtae *Cerberum* vocant, quem dicunt habere tria capita, caudam draconis, & in humeris capita serpentium. Sunt, qui dicant, eum non esse

id

id est, *Plutonis*, sed Ἀϊδωνέως canem fuisse: quem quod Hercules Eurysthei jussu eripuerit, iccirco Cerberum ab inferis extraxisse dicatur. Quidam ἀλληγορικῶς ebrietatem Cerberi nomine significari putant; quod τὸ κέαρ, id est, animum βαρύνει. Hesiodus quinquaginta ei capita affingit: Κέρβερον ὠμηστὴν, Ἀΐδεω κύνα χαλκεόφωνον, Πεντηκοντακάρηνον, ἀναιδέα τε κράτερόν τε. Ex ejus spuma extitisse aconitum, narrat Dionysius de situ orbis.

Tantalus] De hoc Ulysses Homericus: Καὶ μὴν Τάνταλον εἰσῶδον, &c. Pindarus in Olympiis ait, si quem unquam mortalium dii magnis honoribus affecerint, eum Tantalum fuisse, sed eum nequivisse concoquere magnam felicitatem suam. itaque superbiae caussa detrusum ad inferos, ibi quatuor suppliciis affici: quod perpetuo stare cogatur, quod esuriat, sitiat, & imminentis capiti metu lapidis torqueatur: idque quod nectar & ambrosiam diis surreptam cum hominibus compotoribus suis communicaverit.

Quid sit] Veterum alii corporeos esse animos, alii corpore vacantes crediderunt. qui corporeos, partim putarunt animum esse partem aliquam corporis ipsius animati, partim unum aliquod de simplicissimis corporibus, animam esse dixerunt. Qui partem corporis animati, alii cor, alii sanguinem suffusum cordi, alii cerebrum esse dixerunt, quorum sententias primum consideremus, de aliis postea ordine disputandum erit.

De opinione eorum, qui cor animum esse dicebant. Qui cor animum esse dicebant, movebantur, ut verisimile est, usitata loquendi consuetudine, qua *cor* pro *animo* ab omnibus nationibus dicitur. poterunt etiam niti hoc argumento. *Principium vitae est animus. Cor est principium vitae. Cor igitur est animus.* Prima illa sumptio certa, & explorata per se videtur. Secunda probatur auctoritate ac testimonio Aristotelis: cujus verba sunt e libro tertio de partibus animalium: *In corde principium vitae, omnisque motus, & sensus esse censemus.* Plinius quoque lib. 11. cap. 37. *Cor*, inquit, *animalibus ceteris in medio pectore est, homini tantum infra laevam papillam, turbinato mucrone in priora eminens. Piscibus solis ad os spectat. hoc primum nascentibus formari in utero tradunt; deinde cerebrum: sicut tardissime oculos. Sed hos primum emori, cor novissime. huic praecipuus calor.*

Cetera desiderantur.

M. AN-

M. A. MURETI

IN CICERONIS OFFICIA

SCHOLIA

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

Quo tempore scripti sint hi libri. Incepit eos scribere, mortuo Caesare, cum solus Consul esset Antonius. epist. 13. lib. 5. ad Attic. sed absolvit, Hirtio, & Pansa Coss. paulo ante mortem suam, ut cognoscitur e lib. 16. earundem epistolarum. *De inscriptione.* Officium est id quod quemque facere decet. Graeci καθῆκον vocant, & de eo plerique Stoici libros scripserunt. Citatur Chrysippus a Plutarcho in 6. περὶ καθήκοντος. & in 7. in comment. de Stoicorum contrariet. Scripsit & Cleanthes libros tres, teste Laërtio. Panaetius, quem praecipue secutus est Cicero, item tres. Citatur & Posidonius περὶ καθήκοντος ab eodem Plutar. & a Cic. 16. ad Attic. Sed & Seneca in epistolis citat librum Bruti περὶ καθήκοντος. S. Ambrosius Ciceronem imitatus, tres libros eadem de re scripsit. De officio, & officioso nugatur Egnatius, ex loco Senecae in praefatione quarta declamationum de Aterio. Super hac inscriptione duo in dubium vocata sunt. Unum, ecquid καθῆκον recte diceretur *officium*. alterum, cur *de officiis*, non *de officio*. Cicero: *Quod de inscriptione quaeris, non dubito, quin τὸ καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior de officiis*. & in alia epistola: *Sed ut aliud ex alio: mihi non est dubium, quin quod Graeci καθῆκον*, &c. Ratio dubitandi erat: *Ego omni officio, ac potius pietate*, &c. & similia. Nomen καθήκοντος inductum a Zenone, de quo alibi. *De numero.* Cicero ipse ait pleniorem videri. Sic *de finibus* maluit, quam *de fine*. caussam explica. Calcagninus contra. & adfert haec argumenta, quod non ad aliquarum personarum officia se obstringat, sed de hominis officio universe disserat. Id falsum est. Ipse libentius *de situ terrae*, quam *de situ terrarum* diceret. Inepte faceret. *De imperatoris officio*, non *impe-*

ratorum. non eadem ratio. Eodem modo reprehendit inscriptionem *de finibus*, sed aeque male. Chrysip. quoque scripserat περὶ κατορθωμάτων. Similes ineptiae legulejorum, cur *de judiciis*, non *de judicio*. Et ajunt, quia de criminali agitur, & civili. Inepte. nam cur non & *de justitia & juribus*? Cur *de pactis*, cur *de transactionibus*, *de pignoribus vel hypothecis*. Quibus modis pignus vel hypotheca solvantur, in jus vocati ut eant, &c. Si quis in jus vocatus non ierit. Cur *de verborum obligationibus*? Stulta haec sunt. De his libris Plinius in praefatione: *Quae volumina ejus ediscenda, non modo in manibus habenda quae sint, nosti.*

IN LIBRUM PRIMUM.

Quanquam te, Marce fili] Etsi videri possum in silvam, ut ajunt, ligna ferre, qui hoc tempore haec ad te, tamen, &c.

Annum jam] Statim enim, interfecto Caesare, eum Athenas miserat.

Cratippum] Cic. filius ad Tironem lib. 16. ad famil. *Cratippo me scito*, &c. Secundo horum librorum ait, eum *esse iis simillimum, qui ista praeclara pepererunt*. & in Timaeo, *Peripateticorum omnium, quos quidem ipse audiverit, suo judicio facile principem*. Plut. Κικέρων Κρατίππῳ τῷ Περιπατητικῷ διεπράξατο &c. Mitylenaeus autem erat Cratippus.

Idque Athenis] Quas vocabant Ἑλλάδος μουσεῖον, Ἑλλάδος Ἑλλάδα. Athen. Isocrates. Plato. Aristides. Eas Cicero 1. de Oratore, *omnium doctrinarum inventrices* vocat. *Ibi esse domicilium studiorum*, 3. de orat. & in Oratore, *Atheniensium semper fuisse prudens sincerumque judicium, ut nihil audire possent nisi incorruptum, & elegans*. & in libro de fato: *Athenis tenue caelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis. Itaque pingues Thebani, & valentes*. Conjungit autem tria, doctorem, tempus, locum. Hippocrates ἐν νόμῳ· ὁκοῖον ἡ γῦ τῶν ἐν τῇ γῇ &c.

Altera exemplis] Quinctil. lib. 2. *In omnibus fere minus valent praecepta, quam experimenta*. Socrates in Phaedro: συγγίνωσκε δή μοι, ὦ ἄριστε. φιλομαθὴς γάρ εἰμι. τὰ μὲν

ἐν χορείᾳ τῇ τῶν Μούσῃ ἀδὺν μὲ ἦλιν ἀδάμενον. οἱ δ' ἐν τῷ ἄστει ἄδηρεμον.

Cum Graecis Latina conjunxi] Graece enim omnes artes tum tradebantur, ut in principio Partitionum.

Neque id in philosophia solum] In qua videri malebat excellere, quam in dicendi facultate. Plutarch.

In dicendi exercitatione feci] Apollonii Molonis filii dictum, ex Plutarcho huc referendum est.

Non multum a Peripateticis disidentia] Estne verum, non multum Stoicos a Peripat. disidere? Varia apud Ciceronem leguntur 1. de Natura Deor. Cotta loquitur: Antiocho Stoici cum Peripateticis re convenire videntur, verbis discrepare. sed statim Balbus, esse inter eos non verborum parvam, sed rerum permagnam dissensionem. Et in eodem, *Quam vellem* (inquit idem Cotta) *ut ii ad Stoicos* &c. De Finibus Cicero loquitur de Zenone: *Hic loquebatur aliter atque omnes: sentiebat idem, quod ceteri.* De Finibus Piso loquitur: *Restant Stoici: qui cum a Peripateticis & Academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res secuti sunt.* De Finibus Piso: *Stoici restant. hi quidem non unam aliquam*, &c. Cato 3. de Finibus: *Mihi autem nihil tam perspicuum* &c. Lib. 4. idem: *An parum disserui, non verbis Stoicos a Peripateticis, sed universa re & tota sententia dissentire?* Cicero autem multa contra disputat. Stoici videri volebant dissentire. Peripatetici, qui tum erant, contra. Causa est explicanda. Quid verum est? Discrepant longissime in omnibus partibus philosophiae. In logicis. Aristoteles 3. figuras syll. & paucos singulorum modos. Chrysippus formas syllogismorum millies mille, & eo amplius. Sed id refutavit Hipparchus, qui ostendit, ex ajentibus esse tantum millia formarum, & mille quadraginta novem ex negantibus. τεσσάκοντα μίαι μυριάδες, id est, *trecenta decem millia, nongenta quinquaginta duas.* Pari stultitia, ac Xenocrates, qui iniit rationem, quot possent fieri syllabae. & reperisse dicitur μυριάδας ἑκατὸν δέκα, καὶ μυριάσιν μυρίαις. Plutarchus lib. 18. συμποσιακῶν. Stoici tales syllogismos admittebant, & vocabant διαφορήσεις. *Si dies est, dies est. dies autem est. igitur dies est.* & hos διαφόρους περαίνοντας. *Aut dies est, aut lucet. at dies est, lucet igitur.* quae Peripatetici rident. In physicis.

ficis. Naturam esse ignem. Stoici, aërem frigidissimum esse. Cic. 2. de natura Deor. *Ipse vero aër qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris.* Animi permotiones non esse in bestiis. Sed quasi sidera ali vaporibus. Animos non semper manere post mortem, diu tamen. Qualitates esse corpora. Virtutes autem, quidam eorum, esse animalia. In Ethicis. De fine bonorum. De bonis. De affectibus. De paritate peccatorum, &c.

Qui jam illis fere aequarunt se] Multos enim brevi tempore ediderat; ut e principio Topicorum appareret.

Vis enim dicendi] τὸ δεινὸν.

Demetrius Phalereus] Demetrium omnium, qui mollius, ac remissius dicendi genus sectati sunt, politissimum sibi videri, dicit Antonius lib. 2. de orat. & in Bruto: *Phalereus succesit eis*, &c. et ibidem: *Illud etiam quaero, Phalereus*, &c. In oratore de mediocri genere orationis loquens: *Huic omnia dicendi ornamenta*, &c. et paulo post: *Haec frequentat Phalereus maxime: suntque dulcissima.* et statim: *Latae, eruditaeque disputationes*, &c. 3. de legib. *Post a Theophrasto Phalereus*, &c. Dicendum hic de fuga ejus in Aegyptum ad Ptolemaeum Soterem, a quo regiae bibliothecae praefectus est. Statuae ejus amplius trecentae, in matulas conflatae. Strabo lib. 9. De aspide ad corpus admota: Cicero pro Rabirio perduellionis reo. De eo in his ipsis libris plura dicentur.

Theophrasti] Qui, cum Tyrtamus initio diceretur, a divinitate loquendi nomen invenit; ut in Oratore Cicer. & in Bruto: *Quis Aristotele nervosior? Theophrasto dulcior?*

Equidem & Platonem] Quidnam? te Graecis ingenio, aut doctrina superiorem putas? Immo, illos non tam non potuisse, quam noluisse, dicendum est. De Platone in Oratore: *Non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor, & magister Plato.* In eodem: *Longe omnium quicunque scripserunt, aut locuti sunt, & copia extitit, & gravitate princeps Plato.* 3. de Oratore: *Plato non linguae solum, verum etiam animi, ac virtutis magister.* In Bruto: *Quis enim uberior in dicendo, Platone? Jovem ipsum ajunt, si Graece loquatur, sic loqui.* In Tusculano: *Quid igitur? Num eloquentia Platonem*

superare possumus? De opt. gen. orat. de Thucydide loquitur: *At loquitur pulchre. Num melius, quam Plato?* Cum Lysia contendit in Phaedro. In Menexeno, in Convivio, in Phaedone quanta dicendi vis? Quid in Apologia? etsi Seneca aliter. Hermogenes panegyricae orationis optimum exemplum esse ait. Et Demosth. si illa, quae a Platone didicerat, &c. In Bruto: *Lectitavisse Platonem studiose*, &c. Alcinous id confirmat in libro de Decretis Platonis, & ponit verba, quibus Demosthenes accusabat Heracleodorum: οὐκ αἰσχύνῃ, παιδίων τροπηφορούντων τῷ λόγῳ, ὦ πλάτωνος ἀκροατά; Plutarchus quoque in vita Demosthenis citat Hermippum, qui ait, se incidisse in commentarios, in quibus erat, Δημοσθένην συνεσχολακέναι πλάτωνι. De Aristotele. Nervosum esse, χρυσῆ ῥέοντα ποταμόν. *aureum dicendi flumen* Ciceroni in topic. Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit. In Orat. *Armavit, & illustravit doctrinam illam omnem: rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit.* In Topicis: *Non modo rebus iis, quae ab Aristotele dictae, & inventae sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia, tum suavitate.* In Oratore: *Quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus, vel inveniendis, vel judicandis acrior Aristotele fuit? quis porro Isocrati est adversatus infensius?* De inventione, & 2. de oratore mirifice eum laudat. Dionysius Halicarn. ζηλωτὴν δὲ ὁ Δημοσθένης εἶχε μιμησόμενος τὸν ἐκείνου ἐρμαϊκὸν δεινότητος, ἢ τὴν συμφορᾶς, ἢ τὴν ἰδίως ἢ συλλογισθῆναι. τοῦτο γὰρ ἐν μάλιστα τοῦτον τῶν ἀνδρῶν λαβεῖν. De Isocrate: Meri principes ex ejus ludo prodierunt. officina eloquentiae. locus e Phaedro. Cicero eum mirifice laudat, Bruto dissentiente. Aemulatio inter eum, & Aristotelem fuit. Ut e multis locis Ciceronis constat, quos citavi, 1. Tusculana, & 3. de orat. & e Quintiliano in praef. lib. 3. Hic tamen lego, *contempsit alterius*, & expono, *studium.*

Omnis de officio duplex est, &c.] Cur non statim definit *officium*? Quia cum officiorum non unum genus sit, una communis officii definitio tradi non potest. Prius ergo docendum fuit, de quo genere officiorum disputaturus esset, quam officium definiretur. certi autem officii, antequam in propositam disputationem ingrediatur, definitionem tradet, ut paulo ante faciendum esse praecepit. Sed quia duplex est quaestio, id est, ratio quae-

rea-

rendi, ac disputandi de officio, ideo prius admonet, utram in his libris sequi, ac tenere decreverit. Unum igitur genus disputationis est δογματικὸν, quod pertinet ad finem bonorum, id est, ut ait Seneca, *ad constitutionem summi boni:* ut cum docetur, nihil esse bonum, nisi quod honestum: nihil malum, nisi quod vitiosum: omnia, minima, maxima divino consilio, ac providentia administrari: mundum hunc civitatem quandam esse Deorum hominumque communem: omnes homines ita inter se natura esse conjunctos, quasi unius corporis membra: liberos a Deo creatos, ac genitos esse animos nostros: quare nefas esse eos a nobis rebus externis, ut opibus, honoribus, corpori in servitutem addici: curanda nobis esse, quae in nobis sunt, quae extra nos, negligenda. In nobis esse opinionem, impetum, appetitionem, declinationem, uno verbo, quaecunque opera nostra sunt: extra nos, possessiones, honores, imperia, corpus ipsum. Quae in nobis sint, ea natura libera esse, neque prohiberi posse, neque impediri: quae extra nos, imbecilla, servilia, aliena. Haec, & similia vocabant Stoici δόγματα, id est, ut Seneca interpretatur, *scita, decreta, placita philosophiae.* Tale autem disputationum genus Cicero hoc loco ait, ad finem bonorum, id est, ad veram, ac perfectam summi boni cognitionem, & intelligentiam pertinere.

Alterum quod positum est] Alterum genus esse ait, quod positum est in praeceptis, quibus in omnes partes, vitae usus conformari possit. Hoc genus Graeci, ut est apud Senecam, παραινετικὸν vocant, in quo μεγάλως docetur, quid patriae, quid parentibus, quid liberis, quid amicis praestare debeamus. Ad haec duo genera Posidonius addebat χαρακτηριστικὸν, quos etiam jocans Seneca, publicanorum verbo διαιρετικὸς vocari posse ait, id est, virtutum, ac vitiorum, & hominum qui eis praediti sunt, descriptiones. & tales sunt ii, qui Theophrasti nomen praeferunt, χαρακτῆρες. Hos quoque Seneca fatetur ex usu esse. Quia enim facilius omnia notamus, & animadvertimus in aliis, quam in nobis, prodest, spectare illas imagines, ex quibus, aut aliquid in nos transferamus, aut demus operam, ne tales simus, quales ii, quos aut contemnimus, aut aversamur. In hunc usum comparatae sunt Comoediae & Tragoediae, quibus spectandis

vulgarium animi vitiorum deformitatem, & virtutum pulchritudinem quoquo modo videri possent. certe enim, qui in Aulularia spectat Euclionem, facile videt, quae sit avari hominis stultitia, quae infelicitas. Qui in Adelphis Micionem, & Demeam, plumbeus sit, nisi animadvertat in regendis liberis, & nimia indulgentia, & nimia severitate peccari. Sic qui in Tragoedia fidem, & constantiam, qua inter se Orestes, & Pylades amarunt, videt, tum ex eo perspicit, quid sit veri amici officium, tum ipse ad ejusdem laudis cupiditatem incitatur. Qui tyrannum conquerentem audit, se non auri, sed amicorum inopia interire, sapientior fit illius exemplo; & discit, quanti faciendi sint veri, ac fideles amici, & quanto studio comparandi. Hujus 3. generis, quod χαρακτηριστικὸν vocemus licet, Cicer. hoc loco non meminit: sed illa tantum duo ponit notiora & celebriora: quorum unum δογματικὸν, alterum παραινετικὸν dicitur. Deinde prioris illius generis exempla ponit his verbis: *Superioris generis*, id est, ϛ δογματικοῦ, *exempla sunt: Omniane officia perfecta sint. nunquid officium aliud alio majus sit: & quae sint generis ejusdem.* Quibus in verbis subvereor equidem, ne insit aliquid vitii. Nunquam enim legi disputatum esse a Stoicis, *omniane officia perfecta sint* ac ne videntur quidem, si sibi constare, ac consentire vellent, constantiae autem in dogmatis suis laus eis vel praecipua tribui solet, ea de re disputare potuisse. Certe enim ita ab ipsis traditur, officium aliud perfectum esse, quod κατόρθωμα, aliud inchoatum, & imperfectum, quod generis nomine καθῆκον vocant. Ut igitur, si quis cum poneret, animal aliud esse rationis capax, aliud rationis expers, si quaerere vellet, omniane animalia rationis capacia essent, merito irrideretur: ita Stoici cum hoc in ipsis doctrinae suae principiis ponant, officium aliud perfectum esse, aliud imperfectum, non videntur posse hanc quaestionem tractare, *omniane officia perfecta sint.* Suspicor igitur, pro, *perfecta*, legendum, *paria.* Fuit enim haec disputatio in Stoicorum scholis decantata: *Num paria essent omnia officia, an unum alio majus.* Sed dicet aliquis, non haec jam duo exempla fore, sed unicum. Idem enim est quaerere, *num omnia officia sint paria, & num eorum aliud sit alio majus.* Cui respondeo, putare me, id ipsum corrumpendo loco causam dedisse, cum

cum vererentur homines nimis superstitiosi, ne Cicero bis idem dicere videretur. est enim hoc unicum problema, *Num paria sint omnia officia, an aliud alio majus.* At Cicero non *exemplum*, sed *exempla* dicit, ut plura proposuisse videatur. Imo vero ait, hoc problema, & quae sunt generis ejusdem, esse exempla ejus generis, quod pertinet ad finem bonorum, quod διγματικὸν vocari diximus. Omnia igitur officia perfecta, id est, omnes actiones cum virtute conjunctas pares esse dicebant. Omnes enim virtutes aequales esse: ideoque aequalia etiam earum ἐπιτελήματα, id est, actiones, quae ex eis enascerentur Laërtius in Zenone: ἁρέσκει τε αὐτοῖς ἴσα εἶναι, &c. Cicero in Paradoxis: *quod semper unum, & idem est*, &c. Seneca epist. 72. *Virtus non potest major, aut minor fieri. Unius staturae est.* et in eadem: *Non intenditur virtus* &c. Plut. Στοϊκ. ἐναντ. ait, Crysippum tradere, μίαν πρᾶξιν κρείττω, ἢ ἀμαρτίαν ἁμαρτίας, ὑπερβάλλουσαν εἶναι, μίαν ἀρετὴν ἀρετῆς, ἢ κατόρθωσιν κατορθώσεως. et alibi: neque magnum προκόπτειν εἶναι ἀνδρείας δίχα μοίρας ἀσκηθῆναι, atque perferre ea, quae pertulit Regulus: ἀνέχεσθαι σωφρόνως ἀνωμοτίους γεγώς, & a formosissima virgine: audire sine perturbatione animi, tria non esse quatuor, & eum, qui nuntiet, patriam ab hostibus captam teneri. Dicamus breviter, quo sensu haec non tam absurda sint, quam videntur, &c. Et tamen non erat res plane inter omnes Stoicos sine controversia. Nam & Heraclides Stoicus, neque peccata, neque recte facta paria esse, dicebat: & ipse Chrysippus fatebatur, τὰς ἁμαρτὰς αὐξάνεσθαι.

De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio] Absoluto loco de sapientia, & prudentia, transit ad secundam partem honestatis, quae pertinet ad tuendam, & conservandam hominum societatem. cujus partes duas esse dicit, justitiam, & liberalitatem. justitia nemini suum eripit. liberalitas etiam de suo aliis sponte largitur. justitia nemini nocet. liberalitas sponte aliis prodest. Bipertita igitur haec disputatio futura est. Primum enim de *justitia* dicetur, deinde de *liberalitate*: in justitia ait virtutis splendorem esse maximum, convenienter ei quod apud Arist. legitur, διὰ ἔπαινον, ὅτι ἀγαθοὶ ἅπαντες ὑπομονητικοὶ εἰσιν. & ex ea bonos viros nominari. πᾶς γὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς, κύριε, δικαιοσύνη ἐστί. ait Theognis. Ciceroniana justitiae tractatio novem partibus continetur. I. Primum enim tradit quatuor justitiae

munera. 1. Nemini nocere, nisi injuria lacesſitum. 2. Communibus uti pro communibus, privatis, ut ſuis. 3. Communes utilitates in medium adferre. 4. Fidem ſervare. II. Secundo docet, duo injuſtitiae genera eſſe. 1. Alteri injuriam facere. 2. Cum alterum tueri poſſis, praetermittere illius defenſionem. III. Tertio exponit, quibus causſis adducantur homines ad faciendam injuriam: & ait duas eſſe, metum, & cupiditatem, ut divitiarum, aut honoris. IV. Quarto, cum injuriae quaedam cogitato, & conſulto fiant, quaedam ſubita quadam animi permotione, illas graviores, has leviores eſſe oſtendit. V. Quinto diſputat de praetermiſſione alienae defenſionis, & ut ſupra expoſuerat causſas faciendae injuriae: ita explicat causſas, propter quas aliena defenſio praetermitti ſolet. enumerat autem quinque 1. Fugam inimicitiarum. 2. Fugam laboris. 3. Fugam ſumptus. 4. Inertiam. 5. Sua ſtudia, & ſuas occupationes. Et addit pauca quaedam eodem pertinentia. VI. Sexto declarat copioſius quartum illud praeceptum de fide ſervanda, & oſtendit, incidere quaedam tempora, cum id facere non oporteat. VII. Septimo exponit, qui modus eſſe debeat ultionis: idque, ut primum illud, quod antea poſuit, juſtitiae munus melius intelligatur. VIII. Octavo, quia ex publicis injuriis oriuntur bella, docet, quae ſint juſtae causſae bellorum, & quae jura, etiam adverſus hoſtes ſervanda ſint. IX. Nono, cum injuriae fiant aliquando aperta vi, aliquando per fraudem, & ſimulationem, docet, utrum turpius, & bono viro indignius haberi debeat. Inde tranſit ad liberalitatem. De primo munere juſtitiae.

Sed juſtitiae primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi lacesſitus injuria] Hoc eſt primum praeceptum juſtitiae: nemini nocere: cui tamen additur exceptio, ut, qui injuria lacesſitus eſt, is juſte ei, a quo lacesſitus eſt, vicisſim nocere poſſe videatur. de quorum utroque dicendum eſt. Ac primum notandum eſt, hoc non tantum vere, ſed etiam praeclare dictum eſſe: primum juſtitiae munus eſſe, ne cui quis noceat. Cum enim *juſtitia* bonum quiddam ſit, & boni ea vis, ac natura ſit, ſemper prodeſſe, nunquam nocere, ut a me in 2. Platonis de Repub. disputatum eſt, neceſſario efficitur, *juſtum* nemini nocere. Itaque Deus, qui ſumme juſtus eſt, aut ipſa potius ſumma juſtitia, nunquam nocet, ſed *ſemper*, etiam cum

eum ulciscitur, prodest. Quae statim subjicitur exceptio, difficiliores explicatus habet, de qua accurate disserendum videtur. est enim celeberrima quaestio, & valde ad instituendae vitae rationem pertinens: *Num viro bono liceat, ei, a quo injuria lacessitus, vicissim nocere* De ea igitur Peripateticorum more in utramque partem disputabo: ad extremum autem, quid mihi tenendum videatur, aperiam. I. Ac primum videntur multa dici posse, cur ultio sui bono viro permittenda sit. Nam quod jure naturali permittitur, justum est. At vindictam natura ipsa permittere, & ad eam impellere videtur. Justum igitur est, acceptam injuriam vindicare. Hujus syllogismi posterius lemma putatur confirmari a Cicerone in Miloniana, a Jurisconsultis in l. *ut vim. de justitia, & jure*, & aliis similibus locis. II. Item videntur Pythagorei ita jus ipsum definiisse, si, quod alii quisque fecisset, idem & ipse pateretur. Εἴ κε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο. & vulgatum est illud, *Ab alio expectes, alteri quod feceris.* III. Aristoteles ipse manifesto hoc docet lib. 1. de arte dicendi, ubi enumerans ea quae pulchra, & honesta sunt, inter ea ponit id quoque, ut quis inimicos ulciscatur potius, quam eis conciliari se ac placari sinat. Nam & justum est, inquit, quod acceperis, reddere: & fortis viri, non cedere, neque committere, ut inferior esse videatur. καὶ τὸ τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι μᾶλλον ἢ καταλλάττεσθαι. τό, τε γὰρ ἀνταποδιδόναι δίκαιον. τὸ δὲ δίκαιον καλόν. καὶ ἀνδρεῖον, τὸ μὴ ἡττᾶσθαι. IV. Abjecti ac pusilli animi esse videtur praetermittere ultionem. patitur enim se impune contemni. cum injuriae non fere fieri soleant, nisi iis qui contemnuntur, ut peregrinis, ut pueris, ut viduis mulieribus. Sic amica illa Luciano Thessala mulier, monens eum, ut caveret, ne qua injuria afficeretur, ab ea apud quam tum diversabatur, ostendit, eum accommodatum esse ad accipiendam injuriam, cum sit peregrinus, πρᾶγμα εὐκαταφρόνητον. & senex Terentianus de servo: *Non, ita me di ament, auderet facere haec viduae mulieri, quae in me fecit.* & Horatius: *An si quis atro dente me petiverit, Inultus ut flebo puer?* & Achilles ob injuriam sibi factam ab Agamemnone, habitum se ait ab eo, ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην. V. Quo magni, & honorati viri gloriantur, magnum, & gloriosum est. Atqui Scipio Africanus gloriari solitus dicitur, se neque beneficio, neque injuria a quoquam superatum esse. atque hoc etiam

sepulchro ejus inscriptum putatur duobus versibus Ennianis: *Hic est ille situs, cui nemo civi, neque hostis, Reddere pro factis quiit operae pretium.* Haec, & talia suadere videntur, non praetermittendam esse ultionem. Sed & in contrarium adferri multa possunt. I. Nam ut laudantur qui acceptorum beneficiorum perpetuo memores sunt: ita contra qui injuriarum memoriam facile deponunt. Itaque hoc egregie a Cicerone ad Caesarem dictum est: *qui nihil oblivisci soles, nisi injurias.* & hoc ab Aristotele ponitur inter ea, quae in magnanimo insunt, eum non esse μνησίκακον. οὐ γὰρ μεγαλοψύχου τὸ ἀπομνημονεύειν, ἄλλως τε καὶ κακά, ἀλλὰ μᾶλλον παρορᾶν. II. Et Socrates quaerentibus amicis, cur quendam, a quo injuriam acceperat, non ulcisceretur, *An ego*, inquit, *si me mulus, aut asinus calce percussisset, eum in judicium vocarem?* III. Ac laudantur, qui etiam beneficium pro injuria reddunt. Ut Lycurgus Alcandro. vide Plutarchum. IV. Antigono regi duo milites ex ipsius exercitu noctu in lutosa, & salebrosa via impediti maledicebant, maleque precabantur Prope aderat ignotus ipse: & eos nullo negotio ulcisci poterat. Sed eos quibuscunque modis potuit, adjuvare coepit, donec ex illa aspera, & molesta via evasissent. Tum placide & comiter, *Ite*, inquit, *& Antigono quidem, ut libet, maledicite. Sed ei bene precamini, qui vos adjuvit.* V Philippus ut se gesserit erga Democharem parrhesiastem, vide apud Senecam. VI. Plato in Critone: Οὐδαμῶς ἄρα δεῖ ἀδικεῖν, &c. VII. Itaque Lactantius hunc ipsum Ciceronis locum reprehendens lib. 6. Inst. *O quam simplicem*, inquit, *veramque sententiam*, &c. VIII. In sacris litteris manifesto jubemur contra facere: ac pro malo bonum reddere. Conclusio: *Vir bonus nunquam quidquam facere debet, ne lacessitus quidem, ut noceat alteri: potest tamen factam sibi injuriam interdum sine vitio ulcisci.* Quod ut intelligatur, videndum est, quot quaeque sint causae, quibus ad ultionem homines incitari soleant: itemque quibus de causis ultionem praetermittant. Omnes igitur qui ulcisci se volunt, aut sua causa id faciunt, aut aliena. Sua, tribus modis. Aut enim ut sibi expleant animum reponendo dolore ei, a quo laesi sunt, quasi facilius laturi dolorem suum, si ei quoque, qui eum attulit, male esse viderint: aut ex ultione commodum sibi, & emolumentum aliquod quaerunt: ut si, cum tu mihi centum per injuriam

juriam abſtuleris, ego quoque totidem a te auferre cupiam, aut etiam poenae nomine aliquanto amplius: aut ſibi cavere in poſterum, ac proſpicere volunt, meruentes, ne in contemptum adducantur, neve aut ab eo ipſo qui laeſit, aut ab aliis, quaſi per ludibrium alias injurias accipiant. Scitum enim eſt illud: *Veterem ſerendo injuriam irritas novam.* Aliena autem cauſſa ulciſci ſe ſtudent duobus modis. Aut enim ejus ipſius cauſſa, qui laeſit, ut ei quaſi medeantur, eumque modeſtiorem efficiant: aut etiam reipub. cauſſa: ut ejus quem ulciſci volunt exemplo coërceantur alii, & ab injuria abſterreantur, ſitque, ut Juriſconſulti loquuntur, *poena unius, metus multorum.* Ita Deum peccata hominum ulciſci dixerat Chryſippus lib. 1. de juſtitia, ἵνα τῶν πονηρῶν κολαζομένων οἱ λοιποὶ σωφρονίζωνται τοῖς γεγονόσι, ἄγλον ἐπιχειρῶσι τοιοῦτόν τι ποιεῖν. Praetermitti autem ſolet ultio ob unam, aut plures ex quinque cauſſis. Quidam enim mentis vitio, quod ſtupidi hebetesque ſint, ſenſum injuriae non habent: eoque non curant ulciſci, quod ne ſentiant quidem, quam animi adfectionem Ariſtoteles ἀναισθησίαν vocat. Alii ab ultione abſtinent metu, & conſcientia imbecillitatis ſuae: ne, dum acceptam injuriam exequi volunt, alias provocent. Thucydides lib. 4. in oratione Hermocratis. Parent igitur praecepto illi Homerico: Μηδ' ἤτορ ἴει ἐξ ἐσθλοῦ σὸν ἀμείνονι φωτὶ μάχασθαι. & ita affectus eſt is, qui pugnis contuſus in Terentiana fabula dicit, *accipiendam & mutſitandam eſſe adoleſcentium injuriam.* Alii magnitudine quadam, & excelſitate animi, & contemptu eorum, a quibus laeſi ſunt; cum ſe longe ſupra omnem injuriam poſitos putant: aut certe eos, a quibus profecta injuria eſt, indignos, a quibus poenae exigantur, aut de quibus ipſi cogitent. Phocionem accepimus, cum ad populum verba faceret, ab improbo quodam interpellatum fuiſſe, qui etiam in media concione, multa in eum probra, & maledicta congeſſit. Tacuit interea Phocio, & eum ita audiit, quaſi res nihil ad ſe pertineret. Cum ille conviciandi finem, aut laſſitudine, aut ſatietate feciſſet, interruptam orationem contexens Phocio, *De equitatu*, inquit, *& gravioris armaturae militibus dixi, quae viſa ſunt. Nunc de peditatu & velitibus quid cenſeam, audite.* Deinde perſequutus eſt ea, quae dicere inſtituerat. Non potuit apertius oſtendere, quod ille alter diceret, ſua nihil intereſſe. Non-

nun-

nunquam etiam, quod amamus eum, a quo facta nobis injuria est, de ea ulciscenda non laboramus: ut qui levibus, ac libidinosis amoribus dediti sunt, multas meretricum injurias, ac contumelias devorant, neque de illis ulciscendis ullam suscipiunt cogitationem. sunt postremo, qui, ut praecepto divino pareant, condonant injurias: neque id tantum: sed etiam iis, a quibus laesi sunt, bene facere, ac bene precari solent.

Miserrima est omnino ambitio, honorumque contentio, de qua praeclare apud eundem est Platonem, similiter facere eos qui inter se contenderent (lib. vetus, *contendant*) *uter potius remp. administret, ut si nautae certarent, quis potissimum gubernaret*] Miserrimam esse ambitionem, ex eo intelligi potest, quod, quae duae res in vita plurimum habent suavitatis, & sapientissimo cuique in prima commendatione semper fuerunt, iis utrisque ambitio spoliat suos, libertate, & tranquillitate animi. *Nam* si qui uni domino paret, servus est, quid eum putamus, qui multitudini servire cogitur? qui dignos, nobiles, abjectos, notos, ignotos, salutare, appellare, prensare, eorum omnium vultus, nutus, gestus observare necesse habet, eisque saepenumero servilem in modum blandiri, atque adulari; quos, si eo morbo careret, ne congressu quidem satis dignos suo duceret? *Si fortunatum*, ait Horatius, *species & gratia praestat*, &c. Quid tali homine miserius? quam autem necesse est, sollicito eum atque anxio animo vivere, qui, cum multitudinis ingenia tam varia, tamque multiplicia sint, satagit tamen, & laborat, ut apud omnes gratiosus sit, ut se omnibus probet ac venditet, & in levissimam etiam levissimorum hominum offensionem incurrere mortis instar putat? Hunc sordibus, illum cultu ne offendat, veretur: huic ne nimium severus, illi ne nimium dissolutus videatur, timet: hunc muneribus, illum fictis laudibus inescare studet; omnium stultitiam ferre, omnium ineptias obducere, ac devorare cogitur: nunquam apertus, nunquam simplex, nunquam suus: ut aliquando aliis imperare possit, omnibus interea serviens. Quae vero stultitia est, incertam potentiam certa servitute mercari?

De qua praeclare] Plato lib. 6. de Republ. comparatione quadam utentem Socratem facit, qua doceat, cur veri philosophi, cum ad regendas civitates omnium apti-

aptissimi sint, aut soli potius apti, vulgo tamen ad id munus obeundum uni ex omnibus minime apti esse videantur. Ait autem, id ex eo evenire, quod in civitatibus ut quisque quo jure, quaque injuria deturbare alios ab honoribus, & imperiis, eaque ipse arripere, atque occupare maxime potest, ita maxime navus, & industrius, & ad res gerendas idoneus haberi solet; cum veri philosophi, qui ab omni ambitione remotissimi sunt, quia nihil unquam tale conantur, sed in studiis cognitionis, & scientiae acquiescunt, ignavi, & desides, & ab administratione reipub. alieni existimentur. Idem autem eventurum ait homini gubernandae navis perito, & intelligenti, si ea versetur in navi, in qua vectores ita insaniant, ut inter se contendant, quis potissimum gubernare debeat, & ut quisque depellere alios a gubernaculis, eaque ipse occupare potuerit, ita eum plurimi faciant, eique navis gubernandae curam optime committi putent.

Idemque praecipit, ut eos adversarios existimemus, &c.] Longe aliud est, judicio & sententia, aliud, voluntate, atque animo disfidere. Nam etiam in sententiarum dissimilitudine ac discrepantia, animorum tamen conjunctio servari potest: neque unquam boni viri quemquam quod a se dissentiret, propterea in inimici loco habendum existimarunt. Evertendam Karthaginem Cato, conservandam Scipio Nasica censebat. Num igitur eos inimico inter se fuisse animo credimus? Stultorum & imperitorum ista consuetudo est: qui, quoniam, ut ait Comicus, *nisi quod ipsi faciunt, nihil recte fieri putant*, iccirco a se ne levissimis quidem in rebus dissentientes ferunt.

Qualis fuit inter P. Afr.] Africanum minorem dicit, & Q. Metellum Macedonicum, summos viros: de quorum dissensione ita in Laelio: *Ab amicitia Q. Pompeji*, &c. & Valerius lib. 4. cap. 1. *Acerrime*, inquit, *cum Scipione Africano Macedonicus*, &c. Idem filios suos monuit, ut funebri ejus lecto humeros subjicerent. atque huic exequiarum, illum honorem vocis adjecit: *non fore, ut postea id officium*, &c. Eadem fere Plin. lib. 7. cap. 44.

Nec vero audiendi, qui graviter irascendum inimicis putant] Multi in ea sententia & sunt, & fuerunt, ut putarent, fortitudinis, & magni atque elati animi comitem esse iracundiam: quod sentire videtur & Plato 2. νομ. 7. ubi

ubi ait, vix posse quenquam ἀνδρεῖον esse, quin idem sit ὀργιλος, χαλεπος, ἄγριος. Sed hoc dictum Platonis reprehendit Aristot. 8. Polit. ἔτι γὰρ, inquit, ἀνάγκη τοὺς ἀνδρείους ζώους, ὅτ' ἐπὶ τὸ θηρίον ἰόντι μὴ φοβεῖσθαι τοὺς ἀγριωτάτους, ἀλλὰ πρόθυμον τοῖς ἐμφανέσιν, ἢ λιποψύχους εἶναι. Ipsemet tamen lib. 1. Rhetor. cupiditatem ulciscendi, quae eadem est & ira, viris fortibus ait esse attributam. Sed Cicero, quod verius est, negat viri fortis, & magnanimi esse graviter inimico irasci: contraque nihil esse hujusmodi virorum tam proprium, quam placabilitatem & clementiam. Quod & Aristoteles probat lib. 4. Ethicorum, ubi magnanimum negat esse μνησίκακον: qua de re etiam in superioribus aliquid dictum est.

- *In liberis vero populis*] Qui liberos populos regunt, jurique dicendo praesunt, perpetuo cogitare debent, se in illo honoris, ac dignitatis gradu constitutos esse, ut omnium querelas patienter audiant, ut omnium jura cognoscant, ut lites dijudicent, ac componant, ut suum cuique tribuant. Itaque faciles omnibus aditus ad eos esse debent: neque ulla esse occupatio tanta, quae eos impediat, ab iis qui querelas suas perferre ad eos volunt, audiendis Qua de re ita Cic. in oratione pro Murena: *Sapiens praetor offensionem vitae aequabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi.* & in epist. ad Q. Fratrem: *Adjungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia.* Et alibi in eadem epistola admonet eum, ut se facilem in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis admittendisque praebeat. Scitum est quod de Philippo, Alexandri magni patre, traditur, a quo cum peteret anicula quaedam, ut causam quandam suam cognosceret: negasseque ille, sibi vacare: *Ne vacet igitur*, inquit illa, *regnare, si non vacat audire.* Etsi autem qui ad eos adeunt, tempus ad eam rem opportunum captare debent, si quis tamen aut rusticitate, aut cogente necessitate, aut casu aliquo, parum in tempore ad eos venerit, non est iracunde ac superbe rejiciendus, ac repellendus: sed aut audiendus sic quoque, si fieri potest: aut certe placide ac leniter commonefaciendus, ut tempus aliud commodius capiat: esse alios quoque, quibus consulendum sit: & aequum esse ipsis quoque rectoribus aliquam diei partem ad curanda corpora, & ad animi quie-

tem

tem relaxationemque concedi. Eademque comitas adhibenda est adversus eos quoque, qui quaedam interdum parum prudenter rogant: ut non aspere cum eis agamus, neque eos acerbe, ac contumelioſe repellamus: sed efficiamus, ut ipsi intelligant, planeque videant, inverecundam esse petitionem suam, neque sibi nos, salva ratione officii, obsequi posse. Valde amicus erat Themistocli poëta Simonides. Cum igitur in magistratu esset Themistocles, & Simonides fretus ea, quae sibi cum illo erat, familiaritate, injustum quiddam ab eo peteret: *Neque tu*, inquit Themistocles, *bonus poëta fueris, neque ego bonus praetor, si utervis nostrum quidquam adversus leges fecerit.* Hoc Graece aliquanto dicitur suavius; quod ejus gentis lingua, & leges, quibus civitas temperatur, & quaedam poëtarum cantilenae, eodem nomine vocantur. Sed ille neque aspere objurgavit Simonidem, neque iracunde eum a se repulit: sed eo est genere orationis usus, ut cum ei, quod petebat, negaret, aequum tamen eum a se placatumque dimitteret. Quae exempla qui sequentur, & dignitatem retinebunt, & vitabunt eam, quam Cicero *inutilem, & odiosam* esse ait *morositatem. Altitudo autem animi*, non est hoc loco excelsitas, aut elatio, sed βαθύτης, ut cum *altitudinem puteorum* dicimus, qua praeditum hominem βαθύφρονα Graeci vocant, qui non statim detegit omnes animi sui motus, neque eos in promptu habet, sed abdit ac tegit, cum opus est: qualem esse Pompejum ipse alicubi dicit in epistolis ad Atticum: & qualem Tiberium Augustum fuisse historiae loquuntur.

Et tamen ita probanda est mansuetudo] Ut morositas odium, ita nimia facilitas contemptum parit. utraque igitur vitanda iis, qui cum imperio sunt: & adhibenda moderata severitas: quae si absit, omnis magistratuum auctoritas obsolescit, quae certissima pestis est civitatum. Quoniam enim magistratus legum custodes sunt, aut ipsi potius vivae ac spirantes leges, cum magistratus contemnuntur, perinde est, ac si leges contemnerentur. Videndum igitur, ut & ab odio severitatem comitas vindicet, & a contemptu severitas comitatem.

Omnis autem & animadversio] Qui in castigando contumelioſus est, ostendit, se libidine potius, & iracun-

cundia, quam juſtitiae ſtudio duci. Vide Nonium, & Gellium lib. 6. cap. 14.

Cavendum eſt etiam, ne major poena, quam culpa ſit] Contra enim, legum interpretatione, ut ajunt Juriſconſulti, molliendae ſunt poenae potius, quam exaſperandae.

Et ne iisdem de causſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem] Leges enim omnibus aequae eſſe debent, neque quidquam indignius, quam eadem flagitia in aliis diſſimulari, in aliis vindicari.

Prohibenda autem maxime eſt ira in puniendo] Cupiditas modum non novit. & quaecunque cupide facimus, immodici in eis, atque immoderati ſumus. eſt autem *ira*, ut in ſecundo de anima traditur, *cupiditas ultionis*. Quare quicunque ad repoſcendam poenam iratus accedit, modum tenere non poteſt. eſt igitur magni, & ſapientis viri, aut omnino non iraſci, aut, quod fortaſſe majus eſt, iram vincere ac cohibere, neque quidquam ulciſcendi cauſſa facere, donec ille irae tumor reſederit, impetus conſtiterit, ardor refrixerit. Ἄνευ δ' ὀργῆς ἐγχείρει ἄνδρι πιεῖν, τοῦ δ' ὕπερ λάβοις ἂν ἐμπρησμόν, ait Menander. Itaque laudatur Plato, qui ſervo cuidam ſuo iratus, *Tu vero*, inquit, *gratias Diis agito, quod ego iratus ſim. poenas enim a te exigerem, niſi iratus eſſem.* & Xenocrati, qui tum praeſens aderat, *quaeſo*, inquit, *tu hunc verberato. me enim, cum iratus ſim, id facere non decet.* Eadem fere narrantur de Archyta Tarentino, qui, ut eſt apud Ciceronem 4. Tuſcul. Iam. cum villico factus eſſet iratior, *quomodo te*, inquit, *accepiſſem, niſi iratus eſſem?* Sed & de Platone ipſo ejusdem generis alia. Quod ſervo iratus, ſublata manu, quaſi eum percuſſurus, diu eodem in ſtatu conſtiterit, cumque rogaretur, cur id faceret: *A me ipſo*, inquit, *exigo iracundiae meae poenas.* & quod adoleſcens quidam, qui diu apud eum vixerat, cum domum rediiſſet, vidiſſetque aliquando iratum matri patrem: *Apud Platonem*, inquit, *nihil unquam tale vidi.* Dandam autem irae moram, dum relangueſcat, neque praecipitandum, quod illa ſuaſerit, eleganter docuit Athenodorus Stoicus, qui Octaviani Auguſti temporibus fuit. Cum enim Auguſtum facile, ac celeriter iraſci videret, monuit eum,

ut

Digitized by Google

ut quoties iraſceretur, antequam quidquam imperaret, recitaret Graecarum litterarum nomina: illo quamvis exiguo temporis intervallo judicans fore, ut irae impetus, vel frangeretur, vel certe remitteretur. Sextus Aurelius Victor in Theodoſio. ſapientiſſime itaque decrevit ſenatus temporibus Tiberii, ne de iis, qui capitis damnati eſſent, ſupplicium ante decimum diem ſumeretur. Cujus ſenatusconſulti meminit Tacitus lib. 3. Dio lib. 47. Suetonius in Tiberio. Seneca in lib. de Tranquillitate vitae. Sidonius Apollinaris epiſt. 7. lib. 1. Quod temporis ſpatium optimus Imperator Theodoſius ad triginta dies prorogavit: cum ob ingentem quandam ſtragem ipſius juſſu Theſſalonicae factam a ſanctiſſimo & fortiſſimo Epiſcopo, Ambroſio Eccleſiae foribus excluſus, neque niſi poſt actam, ex veteri eccleſiaſtica conſuetudine, publicam poenitentiam, ad ſacrorum myſteriorum communionem admiſſus eſſet. Hiſtoria eſt apud Theodoretum lib. V. cap. 17. & Sozomenum lib. VII. cap. 24. & extat ipſa Theodoſii conſtitutio, l. *ſi vindicari.* C. de poenis.

Inter nimium & parum] Hinc diſcamus, quomodo Latine exprimi poſſit, quod Ariſtoteles ait, τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον.

Quae placet Peripateticis, & recte placet] Mediocria enim, & moderata omnia, ut corpori, ſic etiam animo proſunt, immoderata utrumque corrumpunt, & ideo tantopere laudatum eſt a veteribus τὸ μηδὲν ἄγαν. & illud Heſiodeum, μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. a quo non abludit illud Horatianum: *Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.* Videndus Ariſtoteles lib. II. Ethic.

Modo ne laudarent, &c.] Reprehendit Peripateticos, quod *iracundiam* laudent, & a natura utiliter datam dicant: in quo multa conſideranda ſunt. primum quid ſit *iracundia*, & quomodo ab ira differat. 2. Verumne ſit, iracundiam a Peripateticis laudari. 3. Quid inter Peripateticos & Stoicos hac in re non conveniat, & num merito Peripatetici a Stoicis reprehendantur. Seneca igitur lib. 1. de ira cap. 4. ait, inter *iram* & *iracundiam*, idem intereſſe, quod inter *ebrium* & *ebrioſum*, inter *timentem* & *timidum*. Iratus poteſt eſſe non iracundus. Iracundus poteſt aliquando iratus non eſſe. Ira igitur eſt ὀργὴ,

iracundia ὀργιλότης. Haec etiam Claudius Caesar distinxit edicto, de quo ita Suet. *Irae atque iracundiae conscius sibi, utrumque excusavit edicto, distinxitque, pollicitus alteram quidem brevem & innoxiam, alteram non injustam fore.* *Iracundiam* tamen Latini interdum pro *ira* dicunt. Plautus Asinaria: *Non herele te praevideram. quaeso ne vitio vertas. Ita iracundia obstitit oculis.* & Terent. *Vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.* Nunc videamus, num Peripatetici iracundiam laudent. Aristoteles 2. Eth. ἔτι ἡ πρὸς ὀργὴν ὑπερβολὴ, &c. & in 4. καὶ τὸ ὀργίλον εἶδος, ut τὸν ἀκροχόλους, τὸν πικρὸν, τὸν χαλεπὸν, ut vitiosas recenset. ergo Aristoteles iracundiam non laudat. Citantur & haec ex eodem: ὁ γὰρ ὀργὴν, ὅτι τῷ ὠργῆ διήγειρεν πρόσωπον, &c. & hoc, ὥσπερ ὁ κύων ἐνεδίετον, &c. et rursus: ὁ θυμὸς ἐν πάθος ἡγεῖται, &c. ergo ipse quidem eam non laudat. Hoc tamen eis Cicero saepe objicit, ut hic, & IV. Tusc. ubi ita scribit: *Quid? quod iidem Peripatetici*, &c. Haec ex aliorum Peripateticorum commentariis Cicero, ut videtur, hauserat. Et tamen vituperant Peripatetici ὀργιλίαν, & Aristoteles ipse ait, τὸ θυμὸν τῇ εὐβουλίᾳ συπεργεῖν. Neque aliter Plato, qui & 2. Polit. ait, omnem ἀνδρίαν ἄνευ θυμοῦ. & 5. de legibus: θυμοειδῆ μὲν χρὴ, inquit, πάντα ἄνδρα εἶναι. & Graeci proverbio ajunt, *qui irasci nescias, eum mente etiam carere.* At Stoici, & Lycurgus, Thracum rex, &c. & tamen de vocibus tantum videntur litigare. nam si ira est semper πάθος ἄλογον, recte eam vituperant: sin potest ratione dirigi, & est interdum ὀργὴ τις ἐγείρουσα τὴν ψυχὴν πρὸς τὴν εὐβουλίαν, merito commendari potest. neque eradicanda, sed moderanda est. Itaque Horatius cum dixisset, *ira furor brevis est*, addit, *qui non moderabitur irae*, &c. non dicit qui non extinguit, sed qui non moderabitur. Vere tamen Cicero, optandum, ut magistratus sint legum similes, &c.

At etiam in rebus prosperis] Horat. *Aequam memento rebus in arduis.* Idem: *Rebus angustis animosus atque*, &c. Idem: *Sperat angustis, metuit secundis, Alteram sortem bene praeparatum pectus.* Idem: *Quem res plus nimio delectavere secundae, Adversae quatient.* Gobryas apud Xenophontem lib. 8. paedias: Δοκεῖ μέγας, ὦ Κῦρε, χαλεπώτερον εἶναι, &c. Cato in oratione pro Rhodiensibus apud Gellium: *Adversae res se domant*, &c. Horatius:

Re-

Bene ferre magnam diſce fortunam. & Pindarus ait, Tantalum non potuiſſe περιπίψαι τ μέγαν ὄλβον. & mimus eſt Publii Syri: *Fortuna nimium quos fovet ſtultos facit.* Ovidius: *Non facile eſt aequa commoda mente pati.* Ariſtoteles VII. Politic. cap. 15. ἀνδρείως μὲν οὖν ἔχ περιπρέπας, &c. Idem lib. 4. Eth. ἄνδρ δ ἀριστῆς ἐ ῥᾴδιον φέρειν ἐμμελῶς τὰ δυσχήματα. Plutarchus de diſcrimine adulatoris & amici: ἀλίγοι γάρ εἰσιν οἱς μὴ τ δυσχῶν παρεγένετο τὸ φρονεῖν. Homerus: Τίπτέ τοι ἦρ ὄβρι, ὅταν περὶ ὄλβῳ ἴωσιν. Vide cap. 15. lib. 5. noſtrarum var. lect.

Praeclaraque eſt aequabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus] Haec de Socrate Xanthippe praedicabat. III. Tuſcul. Seneca 18. epiſt. *Si tamen exemplum deſideratis*, &c Plinius cap. 19. lib. 7. *Socratem clarum ſapientia eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato.* Solinus cap. 4. *Inter alia Socratis magna, praeclarum illud eſt, quod in eodem vultus tenore etiam adverſis interpellantibus perſtitit.* Gellius cap. 1. lib. 2. *Inter labores voluntarios, & exercitia corporis ad fortuitas patientiae vices firmandi* (ſic enim lego) *id quoque accepimus Socratem facere inſuevisſe*, &c. *Quam rem, cum Phavorinus de fortitudine ejus viri ut pleraque diſſerens attigiſſet, παιδικὴ, inquit, ἐξ ἀλίου εἰς ἅλιον ἐτάσαι ἀνεμβίασ τ πρίωνος.* Idem & Laërtius in ejus vita.

IN LIBRUM TERTIUM.

Tandem aliquando, auditores, intermiſſa ſtudiorum noſtrorum curricula repetenda ſunt, animique diuturna jam quiete recreati ac refecti, ad illas nobiles exercitationes, quibus ad ſapientiam, & ad dicendi copiam excoluntur, denuo conferendi. Juvat ad ſolitos labores redire: juvat hanc adoleſcentium optimis artibus deditorum coronam intueri: juvat quotidie aliquid ex me promere, quo veſtri iſti honeſtiſſimi vobisque dignisſimi conatus adjuvari poſſe videantur. Quid enim, per Deum immortalem, facere aut praeſtare melius, aut in quo induſtriam meam exercere fructuoſius poſſum? An agricolae, cum ſegetem a ſe conſitam, herbeſcentem, culmisque ſe geniculatis paulatim humo tollentem, cum ſua manu depactas arbores ſuecreſcentes, ſeque primo vere

in florem inducnes vident, afficiuntur intimis ſenſibus & incredibilem quandam animo percipiunt voluptatem: ego, cum ingenia veſtra ingenuarum artium praeceptis & me conſita, majores quotidie ad virtutem, & ad veram ac ſolidam gloriam progreſſus facere videam, idem mihi faciendum non putem? Sed vobis quoque, auditores, etiam atque etiam videndum eſt, ne ullam occaſionem diſcendi amittatis, ne optimam, & ad ſtudia aptiſſimam aetatis partem, in qua nunc eſtis, inutiliter conſumatis, neve exiſtimetis, poſſe magnam doctrinae copiam ſine magnis laboribus comparari. Ego quidem a me nihil deſiderari patiar eorum, quae mei muneris ſunt: neque committam, ut, ſi qui ex vobis, quod nolim, ſuorum opinioni atque expectationi minus cumulate reſponderint, ulla in me ejus rei culpa haerere videatur. Nullo vobis loco, nullo tempore deero: ſtudiaque veſtra non otio tantum meo, ſed & negotio & occupationibus anteponam. Vos quoque acuite atque excitate induſtriam meam diligentia veſtra: oſtendite, eos labores, qui veſtra cauſa capiuntur, vobis gratos, & acceptos eſſe. Qui ingenio valent, videant, ne per ſocordiam illud ſibi perire patiantur: qui tardiores ſunt, tarditatem aſſiduitate ac diligentia corrigant: qui ſe usque huc, & modeſtos, & bene moratos, & diſcendi cupidos perpetuo praeſtiterunt, dent operam, ut aliquid potius ad eas laudes quotidie adjungant, quam quidquam ex eis deterant. Si qui antehac aut juvenili quadam licentia proterviores, aut minus ad rem ſuam attenti fuerunt, ſi vel hoc ipſo anno, quo major quaedam gravitas ac ſeveritas morum a nobis omnibus poſtulari videtur, vel hac anni parte, quae piorum omnium animis majorem quandam religionem incutere conſuevit, vel exemplo meliorum commoti, vel etiam tumultuandi ſine cauſſa, & hic perturbandi omnia ſatietate jam ac taedio capti, aut adjungant ſe nobis comites praeclariſſimi ac fructuoſiſſimi conſilii atque inſtituti, aut aequos ſe ſaltem ac placidos ſpectatores praebeant, neque ſibi pro ludo atque oblectamento habeant alienae induſtriae curſum ſine ullo ſuo emolumento impedire. Nunc ad Ciceronem audiendum veniamus: ne, cum is liber, quem explicare ingredimur, de utilitate diſſerat, ejusque per-

Digitized by Google

sequendae vias commonstret, nos in ipso ejus vestibulo horam nobis ad docendum constitutam inutilibus verbis consumpsisse dicamur.

P. Scipionem] Hoc prooemio caussam reddit, cur se ad philosophiam Latinis litteris mandandam contulerit. eo autem id fecisse dicit, quod, oppressa repub. cum ruri plerumque ageret, solusque viveret, nihil judicarit melius, aut ad consumendum otium, aut ad se a taedio & molestia sollicitudinis vindicandum. Deinde hanc partem philosophiae, in qua officii praecepta traduntur, praecipue commendat filio, eumque & ad illam diligenter cognoscendam cohortatur, & admonet, quantam expectationem sustineat, cui non respondere sine summa turpitudine non possit. exorditur autem a nobili quodam dicto Africani superioris, cui subjicit modestam quandam sui cum Africano comparationem.

Africanus] Quod Carthaginem, Romani imperii aemulam, populo Romano tributum pendere coëgisset. quando autem inimici aut amici testimonium valere debeat, docet Aristoteles 1. Rhet.

Cato, qui fuit fere ejus aequalis] Natu tamen grandior Scipio, ut qui duobus & viginti annis consul fuerit, antequam eundem magistratum adipisceretur Cato, & Scipionis procos. in Hispania Cato quaestor fuit. Ac mirum videri possit, quidquam a Catone scriptum, quod ad laudem superioris Africani pertineret, cujus eum magnitudinem allatrare solitum, & ei inimicissimum fuisse, lib. 38. scribit Livius quod confirmat & Gellius cap. 18. lib. 4. Inimicitiarum caussae ex Plutarcho in vita Catonis facile intelliguntur. Unde petendas censeo.

Nunquam se minus otiosum] Hoc ita effert Plutarchus in Apophtheg. Σκιπίων ὁ πρεσβύτερος τὴν λπὸ τῶν στρατειῶν καὶ τῆς πολιτείας σχολὴν ἐν γράμμασι διατριβὴν ποιούμενος, ἔλεγεν, ἡπότε σχολάζοι πλείονα πράττειν. Verisimile est autem, hoc a Catone haud longe a principio originum relatum fuisse, ubi etiam illud posuerat, quod refert Cicero pro Plancio, *clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem existere oportere*. Quae autem hic laus Africano superiori tribuitur, eandem fere tribuit Paterculus juniori, de quo ita scribit: *Neque quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit: semperque aut belli, aut pacis serviit artibus. sem-*

per inter arma ac ſtudia verſatus, aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuit. Cicero quoque de ſe idem ſaepenumero praedicat, ut pro Plancio: *Sed quid ego dicam de occupatis meis temporibus*, &c. & pro Archia: *Quare quis tandem me reprehendat*, &c. & 1. Tuſculanarum: *Si occupati profecimus civibus noſtris, profimus etiam, ſi poſſumus, otioſi.* Magni igitur & ſapientes viri ne tum quidem otioſi ſunt, cum otioſi videntur. at contra ſtulti & inſipientes, tum quoque nihil agunt, cum vel maxime videntur occupati. Multi ſunt, quos cum videas huc illuc curſitantes, ſemper properantes, ſemper anhelantes, modo ſuis, modo alienis negotiis impeditos, nihil eis eſſe occupatius credas. At ſi recte rationem ineas, otioſos eſſe atque ignavos judicabis. Nam quae pars in homine praecipua eſt, ea in illis quaſi torpore quodam ac veterno oppreſſa perpetuas ferias agit. Nihil magnum ac ſublime cogitant: nunquam animum ad caeleſtia attollunt: nihil aeternum atque immortale intuentur: mentem, qua nihil celerius eſt aut vegetius, per inertiam ac deſidiam torpeſcere patiuntur. At ſapiens, cum a turba ſeceſſit, cum occluſis foribus vindicavit ſe ſibi, cum ab arbitris, & ab interpellatoribus liber alto ac pingui otio frui videtur, tum maxime humana divinaque omnia mente, ac cogitatione percurrit, & praeclaris ſeque dignis occupationibus involutus, ea ſemper meditatur & tractat, quae non uni aut alteri, ſed omnibus, neque iis modo qui nunc ſunt, ſed etiam poſteris, proſint. Neque vero tunc ſolus eſt, qui omnis aevi optimos, ac ſapientiſſimos quosque intuens, & aliorum facta dictaque in memoriam revocans, aliorum libros pervolutans, non minus eorum virtute ac ſapientia fruitur, quam ſi vivorum, ac ſpirantium ſermonibus interesſet. Non igitur magnificentius quam verius dici poteſt, tales viros nunquam minus otioſos eſſe, quam cum otioſi, nunquam minus ſolos, quam cum ſoli videntur.

Secum loqui] Hoc quidem & magnorum virorum, & nihili hominum commune eſt, ut in ſolitudine ſecum loquantur. Itaque graviter Crates, qui, cum adoleſcentulum quendam ſecreto ambulantem interrogaſſet, quid ageret: isque reſpondiſſet, *ſe ſecum loqui*: *Vide*, inquit, *ne cum homine improbo loquaris.* Narrat Seneca lib. 1. epiſtolarum. Sed id Scipioni diligenter cautum, ac proviſum erat.

Otium

Otium & solitudo] Inertibus enim obrepit somnus in otio & solitudine. recteque apud Plautum Murrina: *Nam ubi domi sola sum, sopor manus calvitur.* At magni viri tum maxime ad praeclaras cogitationes animum intendunt.

Rura peragrantes saepe soli sumus] Errabat enim circum villulas suas, ut quodam loco ad Atticum scribit: & congressum hominum fugiebat: atque interea totus erat in litteris. In hac solitudine, ait ipse lib. 12. ad Atticum, *careo omnium colloquio*, &c.

Non solum ex malis] Aristoteles 2. Ethic. ἐπεὶ οὖν τοῦ μέσου τυχεῖν ἄκρως χαλεπὸν, τὸ δεύτερον, φασὶ, πλοῦν, τὰ ἐλάχιστα λεπτέον τῶν κακῶν. & 1. Rhet. τὴν τοῦ ἐλάττονος κακοῦ, ἀντὶ τοῦ μείζονος λῆψιν αἱρετὸν εἶναι. & 5. Eth. τὸ μεῖον κακὸν ἀγαθὸν πως εἶναι δοκεῖ.

Sed etiam excerpere] Apud Xenophontem Cyrus: τοῦ νοῦν ἔχοντός ἐστι καὶ ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν ὠφελεῖσθαι. Vide Plutarchi libellum, πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελεῖτο. Statim autem granditatem quandam & dignitatem orationi adfert nomen ipsum *Africani*. *P.* inquit, *Scipionem, eum, cujus imaginem S. P. Q. R. in templo Capitolino in ipsa cella Jovis optimi max. consecravit.* Valer. lib. 8. *Eum, qui propter eximiam virtutem Jove genitus credebatur.* Idem lib. 2. *Eum, ad quem in Liternina villa se continentes praedonum duces prope adorandum venerant.* Et talis tamen ac tantus vir exulavit, & in exilio mortuus est, ut intelligamus, ea, quae in vita acerbissima habentur, divino permissu, clarissimis interdum, ac praestantissimis viris evenire.

M. A. MURETI

IN

M. T. CICERONIS

LIBROS QUINQUE

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

SCHOLIA.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

Prothesis ex titulo constat. Est autem utilissima quaestio. Nam τὸ τέλος est quo movemur ad agendum. Et ut quisque vere aut secus judicat περὶ τοῦ τέλους, ita aut vir bonus evadit, aut contra. Qui enim voluptatem, &c. qui honorem, qui opes, &c. Hoc optime expressit Horatius epist. 6. lib. 1. *Vis recte vivere?* &c. Deinde: *Si res sola potest*, &c. & statim: *Si fortunatum species*, &c. Addit: *Si bene qui coenat*, &c. Postremo: *Si, Mimnermus uti censet, sine amore jocisque*, &c. Nam ipsius quidem finis appetitio, est infinita. ait Aristoteles 1. Politicorum. Itaque vera cognitio τοῦ τέλους πρὸς ὅλον τὸν βίον μεγίστην ἔχει ῥοπήν. ait Aristoteles 1. Ethic. Scripti sunt, ut pleraque philosophica, temporibus bellorum civilium. hi quidem quo tempore Caesar IV. Cos. sine collega, bellum in Hispania adversus Cn. Pompeji libros gerebat. Ad Brutum, auctore & suasore Attico. Ita enim lib. 13. epistola: *Valde me momorderunt*, &c. Quos loquentes & cur, induxerit, ita exponit alia epistola: *Ita confeci quinque libros*, &c. Attico eos multo ante dederat, quam Bruto. Itaque in alia epistola, *Dic mihi*, inquit, *placetne tibi?* &c. 2 de Divinat. *Cumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum & malorum, perpurgatus est is locus a nobis V. libris*, &c. ἀνακεκαθαρμένος Plato 1. νόμ. Fuit autem de summo bono mira inter veteres

teres dissensio. Eudoxus voluptatem. Idem Aristippus & Cyrenaici. Idem Epicurus, sed alio sensu. At Hieronymus idem re, sed alio nomine ἀοχλησίαν. Diodorus eandem, sed cum honestate conjunctam. Stoicorum Zeno, vivere ex virtute. Cleanthes, vivere convenienter naturae. Aristoteles & Aristo ἀδιαφορίαν. Herillus scientiam. Lycus Peripateticus verum gaudium animi. Leucimus gaudere honestis. Anaxagoras theoriam. Heracletus εὐαρέστησιν. Pythagoras scientiam perfectionis virtutum animi. Democritus εὐθυμίαν sive εὐεστώ. Hecataeus αὐτάρκειαν. Idem Xenocratis auditor, Polemo. Diotimus τὴν παντέλειαν τῶν ἀγαθῶν. cujus sententiam S. Augustinus, &c. Metrodorus, &c: Videndus Clemens lib. 2. Strom. Sed hic Cicero tres praecipuas complexus est. Nam 1. libro, &c. 2. autem, &c. Ut magis intelligamus, quae tum fuerint tenebrae, quae caecitas, & tanto majorem gratiam debeamus Deo, &c. *Suave mari magno*. Cur *de finibus*, non *de fine*, ut Zeno? Nomen ipsum τέλους sumpserunt ab Homero Ὀδυσ. 1. Οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι, &c. Sed cur addidit Cicero, *malorum*? Certe enim Graeci nunquam dixerunt τέλος κακῶν. Et ipsum nomen τέλους adsignificat bonum. Nam τὸ τέλος τελειοῖ. Malum autem non perficit. Itaque mors κατὰ μεταφορὰν vocatur τέλος. & sic τέλειος κλέπτης, aut sycophanta, ut bonus. Aristoteles δ' τῶν μετὰ τὰ φυσ. & 2. Phys. irridet poëtam, qui dixerat, Ἔχει τελευτὴν ὅπερ οὕνεκ' ἐγένετο. βούλεται γὰρ, inquit, οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον. Item τέλος & τὸ οὗ ἕνεκα idem. At mali caussa nemo quamvis malus facit. Bonum enim expetunt omnia. Et malum nullo modo potest habere rationem finis. Neque unquam voluntas fertur ad malum, ut malum. Sed fortasse *finem malorum* dixit, non quem spectent, & ad quod omnia referant mali, sed, quo nihil pejus sit. At ne id quidem fieri potest. Quodcunque enim malum proposueris, id addito alio pejus & deterius fiet. (Doce exemplis) Nisi forte malum unum tantum dixeris, ut Stoici vitium. Sed tunc inepte dixeris summum aut maximum malum, aut finem malorum. Nam haec nisi in comparatione non dicuntur. Comparatio autem non nisi inter plura. An ut felicitas bonorum omnium cumulus, ita finis malorum erit omnium malorum cumulata complexio? At non potest. Bona quidem conspirare possunt,

ſed non mala. Quia bonum οἰκεῖον & ſui, & ejus in quo eſt. Malum ἀλλότριον & aliorum, & ſui. Itaque omnes virtutes poſſunt eſſe in aliquo. immo vero qui habet unam, &c. At longe aliud in vitiis. Sed finis malorum ſive ſummum malum dicitur: quod tale eſt, ut χεῖρον deterius ſit alio quolibet per ſe ſumpto: aut etiam aliis omnibus coacervatis: dummodo hoc unum non ſit in illo acervo.

IN LIBRUM I.

Non eram neſcius] Hac praefatione M. Tullius iis, qui ipſius induſtriam quoquo modo reprehendere potuiſſent, omnem aditum praecludere meditatur. proponit autem quatuor praecipuas reprehenſiones, easque ordine refutat.

Non eram neſcius] Generalis propoſitio.

Quae ſummis ingen.] τὸ περίεργον attentionem ſibi a rerum praeſtantia colligit.

Mandaremus] Ego & tu. Nam Brutus quoque in hanc exercitationem ſtudioſe incumbebat. Liber ejus de Virtute cum alibi, tum hoc ipſo in prooemio a Cicerone laudatur. Veteres grammatici citant librum ejusdem de officio, ſive περὶ καθήκοντος, ut eum vocat Seneca lib. 14. epiſtolarum. Cic. autem 11. Acad. *Brutus quidem*, inquit, *noſter, excellens omni genere laudis, ſic philoſophiam Latinis litteris perſequitur, nihil ut iisdem de rebus Graeca deſideres.*

Nam quibusdam] Prima reprehenſio. Non eſt philoſophandum. Porro qui philoſophiam univerſam vituperarunt, multi olim extiterunt. Si quidem & Callicles apud Platonem in Gorgia, longa eam accurataque oratione exagitat, cum eam ludis puerilibus comparet, qui puerilem quidem aetatem non dedeceant, viris autem ſint admodum indecori: affirmetque, qui ejus ſtudio ſe dedant, ſtupidos in omni actione, rerum humanarum imperitos, omninoque reip. inutiles effici: ut verberibus etiam plagisque coërcendos eſſe dicat, ſi qui eam corroborata jam & confirmata aetate ſectentur. & notum eſt, in vetere comoedia quae adverſus philoſophos, quam multa, quamque flagitioſa dicantur. Athenienſis quidem civitas, quam non amaverit philoſophos, alter-

oſtendit ipſa, quae philoſophiae parentem morte multavit. Gellius cap. 11. lib. 15. Romae autem, C. Fannio Strabone, & M. Valerio Meſſala Coſſ. Senatusconſultum factum eſt, quo philoſophis & rhetoribus urbe interdiceretur. Quin & poſterioribus ſaeculis, imperante Domitiano, rurſum Senatuſconſulto ſunt non ex urbe tantum, verum etiam ex tota Italia expulſi. quo tempore Epictetum philoſophum, hominem ſanctiſſimum, ex urbe decesſiſſe accepimus. M. Catonem, eum, qui Cenſorius uſurpatur, prodit Plutarchus τῇ φιλοσοφίᾳ ὅλως ἐφηκιχρωσίνω, ut etiam Socratem, Iſocratemque, hunc quidem aculeatis dictis, illum etiam maledictis inceſſeret. M. Tullius II. Acad. 2. *Sunt*, inquit, *multi, qui omnino Graecas non ament litteras; plures, qui philoſophiam.* Idem V. Tuſculanarum: *At philoſophia quidem, tantum abeſt, ut perinde ac de hominum eſt vita merita, laudetur, ut a multis etiam vituperetur.* Id veriſimile eſt contigiſſe vitio eorum, qui, cum ſe philoſophos profiterentur, flagitiis omnibus inquinati erant, pravasque opiniones diſſeminabant. imperiti autem, ut ſaepe fit, quod hominum proprium erat, id in rem ipſam tranſtulerunt. re vera enim philoſophia ſatis pro ſua dignitate laudari non poteſt. vereque ſcripſit Plato, nihil eſſe hominum generi a diis immortalibus datum philoſophia majus aut praeclarius. itaque & P. Africanus, vir clariſſimus, in illa nobili legatione, quam ante cenſuram obiit, unum ſibi Panaetium philoſophum comitem eſſe voluit: & Pompejus tanti Poſidonium fecit, ut, cum Proconſul Athenis eſſet, in aedes ejus ingreſſurus, fores de more a lictore percuti vetuerit; faſcesque januae ſummiſerit is, cui ſe oriens occidensque ſummiſerat. Sed non hoc loco propoſitum id nobis eſt, ut laudemus philoſophiam.

Et iis quidem non admodum indoctis] Quod admirabilius eſt. nam ab indoctis quidem eam vituperari, haud ſane novum eſſet.

Non admodum] Non omnino. Sic alicubi Pythagoram *nihil admodum ſcripſiſſe* dicit.

Quidam autem] Secunda reprehenſio. ut philoſophandum ſit, tamen non eſt tam accurate philoſophandum. eo pertinet illud quod ait Neoptolemus apud Ennium, quodque ſibi placere ait Antonius lib. 2. de Oratore:

Phi-

Digitized by Google

Philosophandum est, sed paucis: nam omnino haud placet.

Erunt etiam] Tertia. ut & philosophandum sit, & accurate philosophandum; tamen Latino sermone id fieri non oportet.

Postremo] Quarta. alienum est a Ciceronis dignitate de philosophia scribere. Sophistarum sunt ista, non hominis consularis, & omnibus maximis honoribus in rep. functi.

Contra quos omnes] Proponit, se contra eos omnes dicturum. mox tamen corrigit se, & omittit primam partem, quod ei alio loco satisfecerit

Eo libro] Sic 2. de Divinat. *Cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius.* & 2. Tusculanarum: *Nos autem universae philosophiae vituperatoribus respondimus in Hortensio.* & in 3. *Quanquam de universa philosophia, quantopere & expetenda, & colenda esset, satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio.* meminit & aliis locis. Ejus libri nobis hominum vel negligentia, vel improbitas nihil fere praeter nomen & desiderium reliquit.

Defensa & collaudata] Iis duobus postea opponit, *accusata & vituperata.*

Ab Hortensio] Hortensium abhorruisse a philosophia, vel hinc colligi potest. Solet enim Cicero in dialogis ad eorum sensum, quos loquentes facit, cujusque orationem accommodare. apertius etiam idem indicat libro 2. Academicarum 16. his verbis: *Tune, cum tantis laudibus philosophiam extuleris, Hortensiumque nostrum dissentientem commoveris*, &c. Neque sane mirum est, pistrinario illi philosophiam parum probatam fuisse. Lege, quae de eo narrat Macrobius lib. 3. Saturnaliorum. non quaeres, cur ejusmodi homini philosophia sorduerit.

Veritus, ne movere] Noveram studia hominum, cum eos illo libro ad philosophiae cognitionem inflammaveram. Ergo si nihil postea de philosophia scripsissem, dedissem eis sermonem, quasi movere ipsos atque excitare possem; retinere non possem. ea fuit causa, cur plura suscepserim.

Qui autem] Refutatio secundae reprehensionis, quae quinque argumentis continetur. hunc autem locum tractat etiam in praefatione secundi Tusculanarum.

Difficilem] Primum argumentum ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου. Animus semel incitatus ad philosophiam, coërceri non potest. frustra igitur ea in re moderatio desideratur.

Ad

Admisſum] Incitatum. metaphora ab equis: in qua perſiſtit etiam, cum addit, *coërceri ac reprimi.*

Juſtioribus utamur illis] Juſtiores in nos ſint illi.

Rebus infinitis] Secundum argumentum. Rebus infinitis & eo melioribus, quo majores ſunt, non eſt conſtituendus modus. Ejusmodi autem eſt philoſophia. ejus igitur ſtudio modum ſtatui non oportet.

Sive enim] Tertium argumentum: idque ex genere eorum, quae Graeci vocant dilemmata; in quibus, duobus poſitis, utrum receperis, ſemper id quod volumus, efficitur. Explicari autem poteſt hoc modo. Aut poteſt ad ſapientiam perveniri, aut non poteſt. ſi poteſt; non debemus tamen eam adepti ceſſare a ſtudio, imo vero frui tanto illo bono, quod nobis labore & ſtudio paravimus. Sin non poteſt; tamen qui ſemel ejus ſtudio ſe dediderit, duae cauſſae ſunt, cur illud perpetuo urgere debeat. Prima, quod modus quaerendi veri nullus eſt, donec inveneris: Secunda, quod, cum id, quod quaeritur, pulcherrimum ſit, turpe eſt in eo quaerendo defatigari. itaque utrovis modo illud efficitur, ut ſuſceptum ſapientiae ſtudium numquam poſtea remitti oporteat.

Etenim ſi delectamur] Quartum: atque hoc quoque dilemma eſt Aut delectamur, cum ſcribimus; aut laboramus. ſi delectamur; non debent iſti oblectationi noſtrae invidere: ſin laboramus; non debent ita eſſe curioſi, ut alienae induſtriae modum a ſe ſtatui poſtulent.

Nam ut Terentianus] Quintum, a diſſimilitudine. non eadem eſt cauſſa Chremis illius Terentiani, & iſtorum. nam ille humane facit, qui novum vicinum ab illiberali labore deterreat: hi curioſe, qui nos a labore nobis minime injucundo abducere moliantur.

Denique] Vel hinc intelligi licet, peccare eos, qui illud, *denique*, apud Terentium connectunt cum inſequentibus hoc modo: *Fodere, aut arare, aut aliquid ferre. denique Nullum remittis tempus.* Terminant enim ſuperiorem illam verborum comprehenſionem, ut ſaepe alibi.

Curioſi] Hujus verbi vim notavimus in commentariis, quibus Catullum interpretati ſumus.

Iis igitur] Tertiam reprehenſionem refutare aggreditur.

In quibus] Primum argumentum a comparatione. Delectant nos, quae poëtae noſtri a Graecis accepta Latine proferunt: ergo delectare debent etiam ea, quae a Grae-

Digitized by Google

a Graecis philosophis accepta Latinis litteris commendantur. Propositionem illustrat & alieno testimonio, & suo. Varronem autem unum de iis fuisse, quibus non placebat philosophiam Latine explicari, discet ex 1. Academicarum, ubi locus hic in utramque partem perelegan-ter a Cicerone tractatur.

Cur in gravissimis] Idem argumentum tractat sub initium 1. Academ.

Ad verbum] Qualem Heautontimorumenon suam fuisse ait Terentius: *Ex integra Graeca integram comoediam Hodie fam acturus Heautontimorumenon*. & in Adelphis: *Verbum de verbo extulit.*

Ennii Medeam] Conversam ex Euripide.

Antiopam Pacuvii] Ennii sororis filii, etiam pictura clari. Plin. lib. 35. cap. 4. de Antiopa Persius Sat. 1. *Sunt quos Pacuviusque & verrucosa moretur Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.* In Bruto: *Caecilium & Pacuvium male locutos videmus: Pacuvio nitor defuit.* Quintilianus lib. 10. *Pacuvii veternum* Tacitus. Cicero in Oratore, *omnes apud eum ornatos elaboratosque versus fuisse.* Pacuvius anno ab urbe 614. fabulam docuit. Accius in Bruto, iisdem aedilibus, ait, se & Pacuvium docuisse fabulam, cum ille 80. ipso 30. annos natus esset. Hinc Gellius lib. 13. cap. 2. & lib. 17. cap. 21.

Caecilii] Ep. 3. lib. 7. ad Att.

Ferreum scriptorem] Ipse *poetam durissimum* vocat lib. 14. ad Atticum, epistola antepenultima.

At, utinam ne] Lego, *An, utinam ne.* Versus autem Ennii sunt: *Utinam ne in nemore Pelio securibus Caesa accidisset abiegna ad terram trabes. Neve in. n. in. ex. Coe. q. n. n.* &c. Euripides vero: Εἰθ' ὄφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπλῶσαι σκάφος.

Posidonium] In Hortensio: *Vidi in dolore pedagrae, vel omnium maximum Stoicorum Posidonium, nihilo ipsum, quam Nicomachum Tyrium hospitem meum, fortiorem.* 2. de Natura deor. *Quodsi in Scythiam*, &c.

Quid Epicurei] Ex Ammonio in Categorias. 1. Philosophorum disciplinae, vel nomen habent ἀπὸ τῆς αἱρετικῆς, ut Platonici. 2. Vel a patria ipsius, ut Cyrenaici, Megarici (ab Euclid. 3. Vel a loco ubi versantur, ut Academici, a Xenocrate, Stoici, a Zenone. 4. Vel a judicio, quod philoso-

losophando sequebantur, ut ὀφεκτικοί. 5. Vel a genere vitae, ut Cynici, quorum dux Antisthenes. 6. Vel a fine philosophiae, ut ἡδονικοὶ οἱ Ἐπικούρειοι. 7. Vel ab evento quopiam, ut Peripatetici.

Sed id neque feci adhuc] Verterat tamen adolescens aliquot Platonis dialogos.

Nec vero] Locus hic intelligendus est ex his, quae scripta sunt in 2. de Oratore: *Nam ut C. Lucilius, homo doctus & perurbanus, dicere solebat* &c.

Albutius] In Bruto: *Doctus etiam Graecis*, &c. Meminit in 5. Tusculan. Eundem Scaevola illis versibus illusit, *Quam lepide lexus compostae*, &c. 3. de oratore, & in orator.

Praesidium (φυλακήν)] Quasi stationem in qua me populus Rom. pro rep. excubare voluit.

Quis alienum putet] *Quid al. putem, l. v. Alienum dignitatis.* Sic Sallustius, *aliena consilii* 37.

A L. Torquato] filio L. Manlii Torquati, qui consul fuit cum L. Aurelio Cotta, altero anno ante Ciceronem consulem. Hic bis accusavit P. Syllam, semel ambitus, & condemnavit, deinde majestatis, quod Catilinariae conjurationis particeps fuisset. qua in causa Syllam Cicero defendit.

Homine o. d. erudito] De eodem Cicero in Bruto: *erant in eo plurimae litterae*, &c. Hortensius tamen eum in causa Syllae ἄμουσον, ἀγροδίαιτον, ἀπρόσιτον vocavit. Gellius lib. 1.

C. *Triarius*] Hic ipse est, de quo in Bruto: *Me quidem delectabat etiam Triarii in illa aetate plena litteratae senectutis oratio. quanta severitas in vultu, quantum pondus in verbis, quam nihil non consideratum exibat ex ore.* in quo errat Seba. Corradus, qui, quod *plena senectutis* fuisse dicitur illius oratio, senem ex eo significari putat: ideoque non esse eundem, qui hic adolescens vocetur. Cum re vera hoc Cicero, tanquam admirabile proponat, fuisse Triarii in illa aetate, nempe in adolescentia, *plenam senectutis*, id est, senilis gravitatis orationem.

In Cumanum] Cujus villae meminit & initio lib. 1. Acad.

Eum, quem ego] Ita effuse laudabant Epicurum, qui ab eo erant. Vide Lucretium principio lib. 3. & lib. 5.

Platonis] Ita praedicabat Cicero περὶ τῶν Πλάτωνος διαλέγων, ὡς τοῦ Διὸς, οἱ λόγῳ χρῆσθαι πέφυκεν, οὕτω διαλεγομένου.

Ari-

Aristoteles] Vide lib. 2. Academ. *Veniet flumen orationis aureum fundens Aristoteles*, &c. & principio Topicorum.

Theophrasti] Qui a divinitate loquendi nomen invenit in Oratore.

Neglexerit] Unde Cicero in Bruto, Epicureorum, ait, esse minime aptum ad dicendum genus.

Et dicit plane] Ἔφη δὲ αὐτὸς, ὡς ἡδὺ σὺ τὸ εὖ ῥητορεύειν, οὐδὲ ἀξιοῦ μᾶλλον ἕνα ἢ σοφίζεσθαι ἀπαντῶν. Laërtius.

Phaedrum] Eo scne Athenis usus est. libro primo de nat. deor. *Nihil eo elegantius, nihil humanius fuisse* dicit. epistola 1. lib. 13. fam. ait, *eum sibi, antequam Philonem cognosset, valde ut philosophum, postea tamen, ut virum bonum, & suavem, & officiosum probatum fuisse.*

Zenonem] Epicureum, de quo Cotta ita loquitur lib. 1. de nat. deor. *Zenonem, quem Philo noster*, &c. & in eodem libro: *Zeno quidem non eos solum*, &c. Zenonem *acutissimum* vocat lib. 3. Tusc.

Cum Attico] Atticus enim Epicureus fuit, ut ex lib. 5. cognosces. Unde ep. 19. lib. 5. *condiscipulos ipsius* Epicureos vocat. Vide etiam primo de legib. 154.

Phaedrum autem] Atticus eum *suum* vocat 1. de legib. Vide 1. lib. 5. horum libr. sub initium.

Principio, inquam] Totam Epicuri philosophiam convellere ac labefactare incipit. Est autem philosophandi ratio triplex, ut Cicero cum aliis multis locis, tum 5. in Academ. lib. 1. ostendit, una quae in rerum naturalium obscuritate posita est, altera quae in disserendi subtilitate, tertia, quae de vita & moribus disserit. quam divisionem primum traditam esse a Stoicis, confirmat Plutarch. καὶ ἐρεσώσαν τοῖς φιλοσόφοις. quarum partium qui ordo esset, varie fuerunt veterum sententiae. Boëthus Sidonius a physicis incipiendum esse censebat. at illius praeceptor Andronicus Rhodius a logicis, alii quidem ab ethicis: ut refert Ammonius principio commentarii in Categor. Cicero hic Boëthi confirmare sententiam videtur. aliis tamen locis alium ordinem tenet.

Alienus] Ut qui aliunde, nempe a Democrito, sumat omnia. Ut autem haec tota Epicuri physica intelligatur, sciendum est, primos Leucippum, & Democritum, ipsius

ipsius sodalem, statuisse duo principia rerum, solidum sive plenum, & inane: quorum illud dicebant esse *ens* (opinabantur enim πᾶν τὸ ὂν εἶναι σῶμα, Arist. 4. Physic. unde dicebant, vacuum esse in quo nihil esset) hoc vero *non ens*, itaque *ens* & *non ens* aeque esse ajebant: res autem alias ab aliis differre tribus modis, figura, ordine, & situ. idque confirmabant exemplo sumpto a litteris. A enim ab N, figura differre. NA ab AN, ordine. Z ab N, situ. Haec ex Arist. 1. μετὰ φυσ. Solidi nomine intelligebant atomos: quas infinitas esse, & ferri per infinitum inane, earumque adhaesionibus & copulationibus omnia fieri, ut est apud Laërtium in eorum vita. Atomis autem duo dicebat accidere Democritus, magnitudinem & figuram: quibus Epicurus postea addidit τὸ βάρος, nam illi quidem nullam dicebant in atomis esse gravitatem, ut diserte admonet Alexander. Plutarch.

Corpora individua propter soliditatem] Hinc intelligi potest, errasse eos, qui atomos ex eo vocatas putant, quod nulla essent magnitudine, ideoque dividi non possent. Nam primum magnitudinem eis tribuebat Democritus, ut dictum est: tum etiam figuram: alias enim rotundas esse, ut eas, ex quibus constaret animus, alias hamatas, & uncinatas, alias leves, alias asperas. figura autem nisi in magnitudine esse non potest. atomi ergo dicebantur, quod ea essent duritia, ut secari, penetrarique non possent. ἀπαθῆ, ait Laërtius in Democrito, καὶ ἀναλλοίωτα διὰ τὴν στερρότητα. Plutarchus autem, καὶ εἴρηται, inquit, ἄτομος, οὐχ ὅτι ὅσον ὀλαχίστη, ἀλλ' ὅτι οὐ δεύεται τμηθῆναι, ἀπαθὴς οὖσα, καὶ ἀμέτοχος κενοῦ. Lucret. lib. 1. *Sunt igitur solida & sine inani corpora prima.* & paulo post: *Haec neque dissolvi*, &c.

Corpora indiv. propter soliditatem] Hanc vocem Cicero ipse finxit. Plut.

Infinito inani] Lucretius: *Spatium sine fine modoque*, &c. Vellejus in 1. de nat. deor. *Ut Tragici poëtae, cum explicare*, &c. Dicebat igitur Epicurus, τὸ πᾶν ἄπειρον εἶναι καὶ πλήθει, καὶ μεγέθει πλήθει μὲν τῶν σωμάτων, μεγέθει δὲ, τοῦ κενοῦ. Laërtius. Vide Lactant. de ira Dei, cap. 10. ubi de mundi ortu & rerum natura disputans, fuse explicat ac rejicit hanc ex atomis mundi originem.

Non fere labitur] Id est, non fere aberrat a sententia Democriti.

Cum in rerum natura duo quaerenda sint] Materia videlicet, & vis quae quicque efficit. nam cum quatuor sint genera caussarum, materia, forma, efficiens, & finis: materia & efficiens quodam modo ceteris priores videntur. idque in rebus, quae artificio constant, facile videri potest. nam antequam domus sit, [illegible] necesse est materiam, ex qua illa fiat, itemque architectum. & in rerum natura poëtae dicunt, primum fuisse chaos, & mentem, quae illud disponeret. Τῶν δὲ πρῶτον φιλοσοφησάντων οἱ πλεῖστοι τὰς ἐκ ὕλης οἴδε μόνον ᾠήθησαν ἀρχὰς εἶναι πάντων. 1. Metaph.

Ad lineam] Κατὰ στάθμην.

Nunquam fere] Duae enim lineae parallelae, etiamsi producantur in infinitum, nunquam se mutuo attingent.

Declinare] Hunc motum vocabat κατὰ παρέγκλισιν. Vide Lucretium 61.

Quo nihil turpius] Τὸ ἓν enim dividitur εἰς ἄπειρον, καὶ ἀπειρίαν. nihil ergo eorum quae sunt per se, sine caussa fit: at eorum quae κατὰ συμβεβηκὸς, caussa nulla est. Vide Aristotelem 6. τῶν μετὰ τὰ φυσικά.

Minimum] corpus videlicet, cum corpus sit de genere continuorum. continuum autem est, quod infinite dividi potest, ut docetur 3. Phys. Neque vero totum continuum potest ex indivisibilibus constare, ut docuit Aristot. 6. Phys. Itaque neque maximus numerus, neque minima magnitudo dari potest. datur tamen maximum corpus, ut primum mobile, & minimus numerus, ut binarius. Corpus enim infinitum est potentia divisionis per partes ejus proportionis, sed non ejusdem quantitatis: mundus autem infinitus potentia additionis. Dupliciter autem quaeri potest, possitne dari aliquod minimum corpus? aut enim consideratur corpus, ut aliquid naturale: & tunc dabile est minimum corpus. Verbi caussa, aliquis homo quo nullus esse potest minor: & aliqua arbor, qua nulla minor. aut consideratur ut quantitas continua. & sic non datur minimum corpus. omnis enim quantitas continua divisibilis est in semper divisibilia.

Magnus] Anaximander dicebat, τὸ ἥλιον ἴσον τῇ γῇ, τὸ δὲ κύκλιν αὐτοῦ ἑπτὰ καὶ εἰκοσιπλασίονα τῆς γῆς. Anaxagoras,

πλ-

πολλαπλασίονα Πελοποννήσου. Heraclitus, εὖρος ποδὸς ἀνθρωπείου. Epicurus, ἡλίκος φαίνεται. ἢ πολλῷ ἐλάττονα, ἢ πολλῷ μείζονα. Plutarchus lib. 2. περὶ τῶν ἀρεσκόντων. Galenus περὶ φιλοσ. ἱστορ. *Eratosthenes in libro dimensionum ita scribit: Mensura terrae vicies septies multiplicata solis mensuram efficit. Posidonius multo majorem esse ait, aut majorem terra.* Macrobius lib. 1. de som. Scip. Vide Lucretium lib. 5.

Imagines] Δημόκριτος, καὶ Ἐπίκουρος κατ' εἰδώλων εἴσκρισιν οἴονται τὸ ὁρᾶν συμβαίνειν. Galenus, & Plutar. lib. 4. & Lucretius lib. 4. Vide etiam Alexandrum περὶ ψυχῆς.

Eum Torquatum] Q. Claudius Quadrigarius, cujus verba, quibus hanc historiam retulit in litteras, leguntur apud Gellium cap. 13. lib. 9. putavit hoc contigisse anno ab V. C. 386. M. Furio Camillo quintum dictatore: ut testis est Livius lib. 6. extremo. ipse autem lib. 7. Livius decem haud minus post annos. idem tamen narrat, id factum C. Sulpitio & C. Licinio Calvo coss. dictatore T. Quintio Penno, id est, sex annis posterius. Considera per otium.

Quid L. Torquatus] Lego, *T. Torquatus*, ex lapidibus Capitolinis, e Valerio lib. 5. cap. 8. e lib. 54. epit. Livii.

Omne animal simul atque natum, &c.] Primum argumentum Epicuri, pro voluptate. Id quod, duce natura, omnia animalia appetunt, summum bonum est. Voluptas autem ejusmodi est. igitur est & summum bonum. Taurus philosophus, ut est apud Gellium lib. 9. cap. 5. dicere solebat, ἡδονὴ τέλος, δόγμα πόρνης. De hoc argumento haec apud Laërtium reperio: ἀποδείξει δὲ χρῆται, &c.

Omni dolore detracto] In epistola ad Menoeceum: ὅταν οὖν λέγομεν ἡδονὴν τέλος, &c. Plato in Philebo aeque errare ait eos qui confundunt ἡδονὴν καὶ ἀλυπίαν, atque si id quod neque aurum, neque argentum est, eorum alterutrum esse dicerent. Idem ostendit nono de repub. Aristoteles verius, neque illam permotionem sensuum esse voluptatem, nisi κατὰ συμβεβ. neque ἀλυπίαν. & cum alibi, tum in 3. Topicorum aperte distinguit ἡδονὴν & ἀλυπίαν. ἐνέργεια τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστος.

Quibusdam medium videtur] Aristoteles in 10. Ethic. οὐδεὶς συνεχῶς ἥδεται ἢ κάμνει. στάντα γὰρ ἀνθρώπεια ἀδυνατεῖ συνεχῶς ἐνεργεῖν.

Epic. medium esse] Μεταξὺ. Plutarchus περὶ Στωϊκῶν ἐνάντιωμ. Τόνδε νέον Χρύσιππον Ἀριστοκρέων ἀνέθεκε, Τῶν Ἀκαδημιακῶν στραγγαλίδων κοπίδα.

Statua est in Ceramico] De hac statua vide Laërtium: ἦν δὲ καὶ τὸ σωμάτιον εὐτελὴς, &c.

Quod melius sit] *Quo melius sit.*

Splendoris nomine capti] Leg. *splendore nominis capti.*

Ut enim medicorum scientia, &c.] Διὰ δὲ τὴν ἡδονὴν καὶ τὰς τέχνας αἱρεῖσθαι οὐ δι' αὐτὰς, ὥσπερ τὴν ἰατρικὴν διὰ τὴν ὑγίειαν.

Quae, &c. qui unum genus posuit earum cupiditatum] Ἀναλογιστέον δὲ, ὡς τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν ἀναγκαῖαι, &c. Τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν, εὐπόριστόν ἐστι. τὸ δὲ κενὸν, δυσπόριστον. De cyriis doxis: Τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν ἐστι φυσικαὶ, καὶ ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ, καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι. αἱ δὲ οὔτε φυσικαὶ, οὔτε ἀναγκαῖαι, ἀλλὰ παρὰ κενὴν δόξαν γινόμεναι. Multo meliorem divisionem cupiditatum, id est, elegantiorem, sed eadem fere sententia, vide apud Aristotelem sub finem 3. Ethic. τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μὲν κοιναὶ δοκοῦσιν εἶναι, αἱ δ' ἴδιοι καὶ ἐπίθετοι. tres naturales, cibi, potus, ἀφρ. Plato 8. de repub. alias necessarias, alias non necessarias illas, quas non possumus ἀποστρέψαι, καὶ ὅσαι ἀποτελούμεναι ὠφελοῦσιν ἡμᾶς, &c. Ἐκ κυρίων δοξῶν. ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος, καὶ ὥρισται, καὶ εὐπόριστός ἐστιν. ὁ δὲ τῶν κενῶν δοξῶν εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει. Epicurus: *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper. Si ad opinionem, nunquam dives. Exiguum natura desiderat: opinio immensum. Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia ubi desinant, non habent. nullus enim terminus falso est.* Seneca lib. 2. epist.

Temperantiam quidem p. s. expetendam] Ἐγκράτειαν dicit, non σωφροσύνην.

Sed stare etiam oportet, &c.] Ὁ ἐγκρατὴς ἐμμενετικὸς τῷ λογισμῷ. ὁ δὲ ἀκρατὴς ἐκστατικὸς τοῦ λογισμοῦ. Arist. 7. Ethic.

Nec patientia] καρτέρησις.

Industria] φιλοπονία.

Mortis metu omnis ger. vitae] Lucr. lib. 3. *Est metus ille foras*, &c.

Maximos morte finiri] Quaeris quo jaceas, &c. Tu quidem ut es lecto sopitus, sic eris, aevi quod superest c. p. d. aegris.

Nunquam nocent cuiquam] Contra quam dicebant qui eam

eam vocabant εἰκαίαν ζημίαν. Vide Victorium, Aristotelem, Platonem, Lactantium.

Natura depravata desiderat] Illud *depravata*, scriptum erat in margine; quo significaretur depravata esse, quae statim sequuntur. Inde per errorem translatum est in contextum. Lambinus, *non depravata.*

Quemadmodum temeritas & libido, &c.] Lamb. Ego, *At quemadmodum tem. & lib. & ign. semper animum excruciant, & f. sol. turbulentaeque sunt: sic improbitas cujus in mente consedit, hoc ipso quod adest, ne turbulenta sit, non potest fieri. Si vero malita*, &c.

Temeritas] Quae adversatur sapientiae, sive temper.

Et ignavia] Quae fortitudini.

Plerumque improborum] Tuta fortasse aliquando fuit injustitia, secura nunquam.

Ipsi te indicarunt] Ut Besus, de quo Plutarchus ἐν τῷ περὶ θεῶν. Sic Ibyci interfectores. Plutarchus de Garrulitate. Qui Chalcioeci Minervae templum compilarant. Idem.

Hominum sibi contra] Leg. *sibi centra hominum*, &c. Non opibus hominum, sed conscientiam hominum.

Deorum tamen horrent] Numen.

Etiam tamen in quibusdam] Leg. *& tamen*, &c.

Nulla pravda] Ut ligna non extingunt ignem.

Quae nos vocet ad se] Ex eo enim dicitur, τὸ καλὸν πόθεν τὸ καλὸν ἐρᾷς ἐς ὦτα.

Nam corpore nihil n. praesens, &c.] Τῷ γὰρ σώματι τὸ παρὸν χαῖρον, &c. Laert.

Non posse jucunde vivi, nisi sap.] Κυρ. δόξ. Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως, οὐδὲ τοῦ ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως. Τὸ ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ καλῶς οὐ πάντων ἐστὶν, ἀλλὰ μόνων τῶν ἡδέων. Plutar. Οὐκ ἔστιν ἡδὺ ζῆν ἐὰν μὴ ἡδὺ, κατ' Ἐπίκ.

Gustare partem ullam liquidae voluptatis] Lucret. *neque ullam Esse voluptatem puram liquidamque relinquit.*

Et liberae potest.] Ἄλυπον ἔστιν ἡδονὴν ἀπολαμβάνειν μὴ ἀλόγιστον εἶναι. Aristoteles, βέλτιον τι καὶ κυριώτερον ἡδονῆς ἐνόησεν.

Qui animos exedunt] Homerus: ἐν θυμὸν κατέδων. Virgilius: *Est mollis flamma medullas.* Pythagor. τὸν καρδίαν μὴ ἐσθίειν.

Et cum stultorum vitam] Suave mari magno.

Epicurus quod exiguam dicunt fore.] Laërtius 568. Ἐπίκουρος σοφὸς γέγονε καθ' ὑπερβολήν. καὶ ἦν μόνος ὃς αὐτοδίδακτος ὁ λογισμὸς ἔφασκε, καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον διατριβὰς, καὶ διαδοχάς.

Quod videamus esse finitum] Ὁ μὲν πρῶτος χρόνος ἴσην ἔχει τὴν ἰδιότητα τῷ ὑποκειμένῳ. Laërt. 569. Aristoteles 1. Ethic. ait, candidius non esse τὸ πολυχρόνιον λόγῳ τοῦ ἐφημέρου.

In physicis quidem tam plurimum posuit] L. v. *In physicis quidem quam plurimum posuit. ea scientia*, &c. De physicis praeter epistolas & compendia scripsit libros 37.

Verborum vis] Nam verba non hominum instituto, sed natura constare dicebat.

Levamur superstitione] Lucretius: *Hunc igitur terrorem animi*, &c.

Horribiles existunt saepe formidines] Lucr. *Nam veluti pueri trepidant*, &c.

Tria vix amicorum paria] Cicero de amicitia: *Ex omnibus saeculis vix tria aut quatuor nominantur amicorum paria.*

Profectus a Theseo] Theseus & Pirithous, Achilles & Patroclus, Orestes, & Pylades. & haec ipsa enumerat Eustratius in 10. Ethic. Οἱ δὲ φίλοι ποιοῦσι τὸ πλῆθος, ὡς μηδὲ ἂν πάλιν ἄλλους μυρίους δύνασθαι. Laërtius.

IN LIBRUM II.

Hic eum uterque me intueretur] Forte melius, *intueretur.*

Scholam] Disputationes, quibus, perpetua oratione, una aliqua de re philosophi in coetu hominum explicabant, *scholae* dicebantur. Cicer. 1. Tuscul. *dierum quinque scholas, ut Graeci appellant, in totidem libros contuli.* Idem lib. 3. *Separatim autem certae scholae sunt de exilio, de interitu patriae*, &c. Plutarchus: τὰ ἀναγνώσματα μετὰ σχολῆς καὶ τῶν ἀκόντων, ἃ Νικάνωρ ἀπέγραψατο.

Sophistae] Sophistarum nomen primis temporibus honestissimum fuit. idem enim sapientes erat, & sophistae. Laërt. lib. 1. Οἱ δὲ σοφισταὶ τὴν ἐπωνυμίαν, &c. Et Aristoteles, ut scribit auctor Etymologici, septem illos sapien-

pientes, *ſophiſtas* vocat. Plato quoque comicus, in fabula, cui titulus eſt Sophiſtae, Bacchylidem poëtam inter ſophiſtas numerat: ut eſt apud Suidam. omninoque omnes in quacunque arte eruditos, ſophiſtas vocabant. praecipue autem muſicos hoc afficiebant nomine; ut teſtantur cum alii, tum Athenaeus lib. 14. deinde coepit nomen illud in eos uſurpari, qui accepta mercede, philoſophiam aut eloquentiam docerent; quaſi caupones quidam, ut Socrates loquitur, ciborum, quibus animus aleretur. itaque parum honorificum habebatur appellari ſophiſtam; ut ex Platonis Protagora non obſcure cognoſcitur. Fl. Philoſtratus, veterem ſophiſticen nihil aliud fuiſſe ait, quam μισθαρνικὴν φιλοσοφίαν.

Gorgias] De hoc Philoſtratus: Σικελία Γοργίαν ἐν Λαρίσσῃ, &c. Vixit centum & octo annos integra valetudine, integris ſenſibus: quod & idem ſcriptor prodit, & Cicero de ſenectute. Quod autem hic Cicero narrat, id ita Philoſtratus narrat, & ipſe de ſe apud Platonem: παρελθὼν δὲ ὁ Θ. ἐς τὸ Ἀθηναίων θέατρον, ἐθαύμασεν οἷος ἐπῆν, καὶ ἐβράβευσε, &c. Suidas eum CIX. annos vixiſſe ait, & C. minas ab unoquoque auditorum exegiſſe. Huic aurea ſtatua viventi in Apollinis Pythii templo poſita eſt, ut narrat idem Philoſtratus. Extat ejus oratio, meo quidem animo, valde polita de Helenae laudibus.

Arceſilas] Princeps mediae Academiae. Laërtius. Cicero 1. de legibus: *Perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam hanc ab Arceſila & Carneade recentem exoremus, ut ſileat.* Vide ſupra 5. (lib. 11. Acad. *Ut in optima rep. Ti. Gracchus, qui otium perturbaret, ſic Arceſilas, qui conſtitutam philoſophiam everteret*, &c.)

Cum in rebus ſingulis inſiſtas, &c.] 1. Πολιτ. ἐν μὲν τούτοις, ὦ Δ' ἐγώ, ἀπηκριβάσαντες λέγομεν, &c.

Ut inter quos diſceritur] De officiis lib. 1. melius autem in Bruto non multo longe ab initio: *Et quoniam in omnibus*, &c. In Phaedro: περὶ παντὸς, ὦ παῖ, μία δέχεται μέθοδος καλῶς βουλεύεσθαι. εἰδέναι δεῖ περὶ ἃ ἂν ἡ ἡ βουλή.

Quamvis multa cujusque modi rapiat] Sic Virgil. 1. Ecl. *Et rapidum Cretae veniemus Oaxen. Atque illam in p. p. rapit alveus amnis.*

Ea res agatur] *Qua de re agatur.* Lamb. *Illaſce oves, qua de re agitur, ſanas recte eſſe.* Varro lib. 2.

de re rust. Cicero pro Mur. *Neque quicquam tam anguste scriptum est, quo ego non possim, Qua de re agitur, addere.* Idem in Bruto: *Qua de re agitur autem*, &c. Idem in Topicis: *Sed quae ex statu contentio*, &c.

Probavit Epicurus] In epist. ad Hermodorum.

Quo omnia quae r. f. referrentur] Meliori ordine Aristoteles: εἰ δ' αἱρετὰ πλείονα, ἕν τι τῶν ἄλλων ἀγαθῶν. nam si illo ordine ponas, quo Cicero, posterius redundat.

Bonum ipsum etiam quid esset] Bonum definiri non potest. dicitur enim ἐπ' ἐλάττω πολλῶν. ut ait Aristoteles primo Μετὰ τὰ φυσικά. neque definitio haec est, Bonum est aut id quod natura appetendum est, aut quod prod. &c. tum aliis de causis, tum quia particula *aut*, non ingreditur veram finitionem: ut docet praeter alios Magentinus in primum τῶν ἠθικῶν. In hac autem enumeratione omnino videre est aliquid redundare. nam *juvare*, aut significat prodesse, aut delectare. si prodesse, *frustra* additur, *quod juvaret*, cum antecesserit, *quod prodesset*: si delectare, frustra additur, *quod liberet*. & alioqui notum est boni tripertitam esse divisionem, ut aliud sit honestum, aliud utile, aliud jucundum. idem tamen bonum potest esse & honestum, & utile, & jucundum, ut virtus. quae etiam a D. Thoma numeratur inter utilia. Nisi utilia definias ea, quibus & bene & male uti possumus, aut, &c. quae nullo modo expetantur propter se, sed tantum propter aliud. nam hoc modo virtus in utilibus non erit. at si utile est, quicquid prodest, virtus quoque utilis dici potest. Cum haec ita commiscentur, boni divisio in honestum, jucundum, & utile, non est generis in species. nam species non commiscentur, ut docet Porph. *Ex virtute agere honestum est. Est & utile, ut ad devinciendos caritate civium animos, ad famam, &c. Est & jucundum. nam alioqui ne honestum quidem esset.*

Eumque qui crebro dicat, &c. *quae vis subjecta*, &c.] In epistola ad Herodotum, πρῶτον μὲν ἔφη, inquit, τὰ ὀνόματα τῶν φθόγγων, ὦ Ἡρόδοτε, δεῖν εἰλῆφθαι.

Hoc non, &c. *optimum*] Sic lib. 4. accusationis: Illa non optima, *quod cum ad Halunteum venisset*, & in Verr. orat. 6.

Quippe qui testificaretur] Verba ipsius referuntur a Cicerone 2. Tuscul.

Varietas enim Latinum verb.] Vide *varia vestis* in Eunucho.

Cincinnatum illum] Livius lib. 3.

De Pelasgis omnibus] Id est, de rusticis. notat Victorius cap. 10. lib. 1.

Non pereruditos] Erasmus in Adagio, *More Romano*, legit hic, *non semper eruditos*, inepte, ut solet.

Quod Graece, quam declarat] Quod Gr. ἡδονὴ.

Interpunge] Et ille apud Trabeam, voluptatem, animi nimiam laetitiam dicit, &c. Eandem, quam ille Caecilianus, qui omnibus laetitiis laetum, &c. *Tanta laetitia auctus sum, ut niti vix possim*, &c.

Ut Heraclitus] Ut Heraclitus ἐκ προαιρέσεως. Cicero 1. de nat. deor. *Nec tu me celas, ut Pythagoras*, &c. Idem lib. 2. *Omnia vestri, Balbe*, &c. Eundem 2. de divinat. valde obscurum esse dicit. Lucretius lib. 1. *Heraclitus init*, &c. Suidas: Ἡράκλειτος, Ἐφέσιος, φυσικὸς, ὃς ἐπικλήθη σκοτεινὸς. &c. & in dictione, Δηλίου κολυμβητοῦ· τοῦτο, &c. & paulo post. (Laërtius etiam narrat in vita Socratis) Σωκράτει δόντος τοῦ Βυρίπιδου, &c. Timon eum αἰνικτὴν & κυκητὴν vocabat. Laërtius in ejus vita. Epicurus quoque κυκητὴν. Idem.

Σκοτεινὸς] *Heraclitus cognomento qui perhibetur Quia de natura nimis obscure memoravit.* Forte ex aliquo Lucretii libro eorum, qui desiderantur.

Timaeo Platonis] Ἐξ ἀνάγκης.

Quasi testificarere] Sic, *testificatur iste se stitisse*, &c. pro Quintio.

Oculorum, inquit Plato, est enim sen. ac.] Plato in Phaedro: ὄψις γὰρ ἡμῖν ἐξυπάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται. δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας. Cic. 1. de officiis.

Quod illa callida est] *Quod ita call. est* v. l.

Qui cum in tenebris] Cic. 3. de offic. *Haec nonne est turpe dubitare*, &c.

L. Tubulo putas dicere.]

Cui Tubuli nomen odio non est?] 1. de nat. deor. *Tubulus si Lucius unquam, si Lupus*, &c. Et de nat. deor. 3. repetit superiora Tubuli de pecunia capta ob

rem judicandam. De Tubulo, vide in ad Attic. & commentarium Pauli Manutii.

Cepit pecunias, &c.] Julia repetundarum tenentur, qui, cum aliquam potestatem haberent, pecuniam ob judicandum, vel non judicandum, decernendumve acceperint. L. 3. ff. ad L. Jul. rep. Vide & l. 7. ff. eodem. Tum autem tenebantur l. Sempronia, ut colligitur ex oratione pro Cluentio. Vide quae notavi in orationem pro Cluent.

Inter sicarios] Vide l. *solet.* ff. de op. prov.

Cn. Scipioni] Cn. Caepioni.

Q. Pompejus, &c.] Q. Pompejus, cum esset consul cum Cn. Servilio Caepione anno ab V. C. 613. in Hispaniam profectus, *Thermestinos*, ut Livius lib. 54. videtur scripsisse, quam *Termantini* ab App. vocantur, subegit. deinde, non semel a Numantinis cum fuisset victus, veritus, ne postea Romae accusaretur, clam cum illis de pace coepit agere. Illi vero legatos ad eum de pace miserunt, quibus ille palam dicebat, pacem aliter fieri non posse, nisi populi Rom. fidei se ipsos committerent, quod aliter populi Rom. dignitas minueretur. Clam tum foedus fecit, ut illi obsides, & fugitivos darent, ac argenti 30. talenta solverent. Quae omnia cum fecissent illi, ac jam M. Popilius Laenas successor venisset, ille jam metu belli, praesentia successoris liberatus, inficiatus est, quicquid fecerat. Quare ipse & Numantini Popilio Romam ad senatum sunt rejecti, ut Appianus in Hispanico scribit. Romae vero, quod refert Paterculus, *Pompejum gratia impunitum fecerunt. Ille enim deprecante accepta lex non est.* ut est in 3. de offic. E Contado.

Primum qui animi conscientiam non] Sed *primum* v. l. ap. Animadverte autem, quod cum dixerit, *primum*, ut videatur alia deinde additurus: omisit postea ut obscurus, & nihil subjungit.

Esse versutum] *Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur: Callidos autem, quorum tangens manus opere, sic animus usu concalluit.* 3. de nat. deor.

L. Voconia provenire] Id. est, non plus quadrante. Dio lib. 56.

Se-

Setilius] Sextilius.

Est enim effectrix multarum, &c.] Aristot. 1. πολιτικῶν· ὅσοι δὲ καὶ τοῦ ἀν ζῆν ἐπιβάλλονται, &c.

Transfer idem ad modestiam] *Modestiam*, *moderationem*, *temperantiam*, *frugalitatem*, Cicero dicit eam, quam Graeci σωφροσύνην vocant, ut ipse testatur 3. Tuscul. *ejus*, ut ibidem ait, *videtur esse proprium*, *motus animi appetentis regere*, *& sedare*; *semperque adversantem libidini*, *moderatam in omni re servare constantiam*. Demetrius Phalereus, τοὺς νέους, ἔφη, δεῖν ἐπὶ μὲν τῆς οἰκίας τοὺς γονεῖς αἰδεῖσθαι, ἐν δὲ ταῖς ὁδοῖς τοὺς ἀπαντῶντας, ἐν δὲ ταῖς ἐρημίαις ἑαυτούς. Laërtius. Cyrus dicebat, τοὺς μὲν αἰδημόνους τὰ ἐν τῇ φανερῷ αἰσχρὰ φεύγειν, τοὺς δὲ σώφρονας καὶ τὰ ἐν τῇ ἀφανεῖ. Xenophon lib. 8. Cyri Paed.

Ejus collega P. Decius] Coss. enim una fuerunt T. Manlius III. & P. Decius Mus. Livius lib. 8. De Decio 1. Tuscul. *quae quidem* (de morte loquitur) *si timeretur*, *non L. Brutus* &c. & 1. de Divin. *At vero P Decius ille Q. filius*, &c. Meminit & sub principium orationis pro Rabirio Postumo.

L. Thorius Balbus] Multi cupidi sunt voluptatum: sed non satis intelligentes, quibus eas ex rebus petere oporteat. alii cum & earum cupidi sint, neque non intelligant, unde petere eas debeant, sumptus perferre non possunt propter rei familiaris angustias. at L. Thorius & cupidus erat, & intelligens, & copiosus.

Tabulae, &c.] Aug. lib. 5. de civit. Dei, cap. 20. *Solent philosophi*, &c.

Orata] Plinius cap. 55. lib. 9. *Murenarum vivaria privatim*, &c. & cap. 4. *Ostrearum vivaria primus* &c.

Quid enim mereri velis jam] *Quid enim mereas*, *ut Epicureus esse desinas?* 1. de nat. deor.

Si tibi erit visum, *aliquid de majoribus tuis*, *& de te ipso dices*] Cicer. 2. Agraria: *Est hoc in more positum* &c.

Quid autem est amare, *ex quo nomen amicitiae*] *Amor enim*, *ex quo amicitia est nominata*, *princeps est ad benevolentiam conjungendam*. in Laelio.

Ut Pythagoreus ille] *Damonem & Pythiam Pythagoreos ferunt*, &c. Cic. 3. de officiis. Valer. lib. 4. cap. 7.

Aut Pylades cum sis, &c.] In Laelio: *Qui clamores tota cavea?* &c. Infra lib. 5. 140. *Qui clamores vulgi*, *atque*

atque imperitorum, &c. *Cum autem exitus* (id est, nex affertur. puto legendum, *exitium*) *ab utroque datur conturbato, errantique regi: ambos ergo una vivere precamur*, &c.

Si nulla charitas erit, quae faciat amicitiam ipsam] 1. de nat. deor. sub finem: *Nulla vobis est charitas naturalis inter bonos* &c.

Quam si tua sint Puteolis gramina] Lege *quam tua sint Puteolis gramaria*. Vide cap. 20. lib. 7. Var. lect. nostrarum. P. Victorius c. 16. lib. 6. dicit nihil mutandum.

Idque Socratem qui, &c.] Xenophon lib. 1. ἀπομνημ. ἐπεὶ μὲν γὰρ πονεῖν ἐκεῖνος, ὅσον ἄλλος ἔσθιε. ἐς ἐπὶ τόσον ἦν περιεκτικὸς ὥστε τῇ ἐπιθυμίᾳ ἐκράτει ὥστε μὴ ἐλάττω ἐσθίειν. Cicero 5. Tuscul. *Socratem ferunt cum usque ad vesperum*, &c.

Loquitur ut Frugi ille Piso] Cicero pro Fontejo: *Extat oratio hominis, ut opinio mea fert*, &c.

In nasturtio illo quo v. Persas] Cicero 5. Tuscul. *Persarum a Xenoph. victus exponitur, quos negat ad panem quicquam adhibere, praeter nasturtium.* Xenoph. 1. ἀνάβ. φέρεται δὲ σίτου μὲν, &c. & paulo post: ὄψον δὲ τούτοις ἰχθύες, &c.

In Syracusanis moenibus] Plato epist. 7. ἐλθόντα δέ με, ὁ τυράννου λεγόμενος, &c. Cicero 5. Tuscul. *Est praeclara epistola Platonis*, &c. Themistius εἰς συστατ. οὗτος φιλοσοφ. συμπεπλεύκει μὲν τῷ Σικελικῷ πολέμῳ. Idem in epitaphio in patrem: τεθάπτεται πολεμήσας Σικελικὸν, οὐκ ἐν ἄλλῳ, ἢ ἐν Συρακούσαις.

Cn. Octavium M. filium] In Bruto: *Cn. Sicinius cum tribunus plebis*, &c. Narrat & Fabius lib. 11. cap. 3. Hic in Cilicia proconsul decessit. Plutarch. in Lucullo. Meminit & alterius Octavii in Tusculan. ubi ait, *Cinnam ei, cum collega esset in consul. caput praecidi jussisse.*

Nec tamen miser esse, quia summum, &c.] De Epicuro 2. Tuscul. *quamvis idem forticulum se* &c. Stranguria laboravit & Socrates. Plato in epistola ad Laodamantem: σὺ δὲ Σωκράτης μὲν ἐν πρὶ ἀθάνατον τὸν τῆς στραγγουρίας

Non ego jam Epaminondae] Cic. 2. Tuscul. *Num tum ingemuisse Epaminondam*, &c. In epistola ad Luccejum (lib. 5. fam. ep. 12.) *Quem enim nostrum ille*

Digitized by Google

mortens &c. Epaminondae mors est apud Xenophon. lib. 7. Ἑλλήν. Sed illic nihil tale memoratur. De eo Justinus libr. 6. *Neque ab hoc vitae proposito* &c. Aemilius Probus, cetera prope eadem: ceterum de clypeo nihil. Epaminondas Polymnidis filius. Strabo lib. 9. Μαντίνειαν μὲν οὖν ἐποίησεν ἔνδοξον Ἐπαμινώνδας, τῇ δευτέρᾳ νικήσας μάχῃ Λακεδαιμονίους, ἐν ᾗ καὶ αὐτὸς ἐτελεύτα. Interfecit Epaminondam Gryllus, Xenophontis filius. Pausan. lib. 9. Paulo aliter quam ceteri narrat illius mortem Pausan. lib. 8.

Non Leonidae] De Leonida, vide 1. Tuscul. Pausan. lib. 3. Meminit Aemilius Probus in vita Themistoclis.

Trecentosque eos] *Sexcentos* fuisse dicit Justinus lib. 2.

Mortem nihil ad nos pertinere] In epistola ad Menoeceum: συνέθιζε δὲ ἐν τῷ νομίζειν &c. Κυρ. δόξ. ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ. τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Gellius cap. 8. lib. 2.

Hoc ipsum elegantius poni, meliusque potuit] Alexander in primum Topicorum sub principium.

Quotannis mense Gamelione] Τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ τοῦ Γαμηλιῶνος.

Vicesimo die lunae] ταῖς εἰκάσι. Plinius cap. 2. lib. 35. *Et vultus Epicuri per cubicula gestant ac circumferunt secum. Natali ejus vicesima luna sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, quas icadas vocant ii maxime, qui se ne viventes quidem nosci volunt.* λαθὲ βιώσας

Nisi cum multa annorum intercesserint millia] 2. de nat deor. annus fere vertens. 15000. Macrobius lib. 2. de som. Scip. Tacitus de claris oratoribus sic ex Ciceronis Hortensio habet: *Nam si, sicut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus* &c. Vide & Aelianum de varia historia, lib. 10.

Nunc totum illud concludi sic licet, &c.] Syllogismus ex mixtione necessarii & contingentis. Omnis sapiens, necessario beatus est. Omnem sapientem esse in dolore contingit. Aliquem igitur in dolore esse beatum necesse est. Nullus qui in summo malo est, beatus est, idque necessario. Aliquis, qui est in dolore, beatus est, idque necessario. Ergo aliquis, qui est in dolore, non est in summo malo, idque necessario. sicque dolor non est summum malum.

In

Id palude] Minturnensi, ubi tamen repertus est, & traditus in custodiam magistratui Minturnensi. Sexies jam consul fuerat. Pugnaverat adversus Cimbros, & Teutones, adversus Mithridatem, adversus Iugurtham.

Sardanapali epigramma] Epitaphium Sardanapali apud Athenaeum lib. 8. Ἐδ εἰδὼς ὅτι θνητὸς &c. Vide apud Laertium in Cratete hos versus eleganter immutatos hoc modo: Ταῦτ' ἔχω, ὅσ' ἔφαγον καὶ ἐφρόντισα, καὶ μετὰ Μοισῶν ἔρσε' ἁβρὰ, καὶ Ἀφρο καὶ ἄλλα τερπνὰ ἔπαφα. Callimachus: Καὶ ἐγὼ τὰ μὲν ἔσσα, &c. Quos olim sic vertimus: *Nam quae & ego nitidae cupiti, flavisque capillis Serta olim assyrio sparsa liquore dedi, Et bona in ingratum congessi plurima ventrem: Cuncta sed in ventos illa abiere leves. Servarunt solae commissa fideliter aures, Corporis hoc ima est parte reperta fides.* Cicero in Tusculanis lib. 5. *Ex quo Sardanapali*, &c. Graece extat hoc epitaphium lib. ult. affectionum Graecarum. Vide Athenaeum lib. 12. Justinum lib. 1. Strabon. lib. 14. Stephan. de urbib. Suidas: Σαρδανάπαλος, Ἀνανδυάξης παῖς, &c. ἴσθι, πῖν, παῖζε, ἴθι, εὖ εἰδὼς &c. Stephan addit, ἐς τ' ἄπαλόν σὺν ἄθυρε. Idem Suidas. Vide Victorium Variarum lectionum, lib. 25. cap. 17. de inscript. sepulchri Sardanapali, quod Aristoteli displicuerit.

De Calatino] De Atilio Calatino. Anno CCCCXCV. A. Atilius Calatinus Enna, Drepano, Lilybaeo hostilia praesidia dejecit, Panormum cepit, totamque Siciliam pervagatus, paucis navibus magnam hostium classem duce Amilcare superavit.

IN LIBRUM III.

Voluptatem] Similis fictio in epistola ad Appium, libro 3. fam. ep. 1. *Si ipsa resp. tibi narrare posset*, &c.

Novis rebus] Id est, nunquam, ante nos, Latino sermone tractatis.

Et Dialectici & Physici] Dialecticos & Physicos a philosophis Cicero separat, philosophorum nomine eos demum, qui vitae praecepta tradunt, intelligens.

Zeno quoque eorum princeps] Zeno Citticus advena quidam & ignobilis verborum opifex. In Bruto vocat Stoicos *verborum architectos*.

In optimo genere philosophiae] Acade. Plutarch. & supra

Digitized by Google

supra Acad. 1. *Brutus quidem noster excellens*, &c. & in Bruto.

Zenonis est, inquam, hoc Stoici] Stoici dicebant, τὸ ῥητορικὸν ἐπιστήμην εἶναι ἐν τῷ λέγειν περὶ τοῦ καθ' ὁδὸν λόγου. τὸν δὲ διαλεκτικὸν, ἐπιστήμην ἐν ἕξει διαλόγῳ περὶ τοῦ ἐρωτᾶσθαι, καὶ ἀποκρίνεσθαι λόγου. Laërt. in Zenone. Cic. in oratore: *Zeno quidem ille*, &c.

Nolim enim mihi fingere asotos, &c.] Asotorum genera duo. quidem sordidi, & ingluvici modo dediti, nullo judicio, nulla elegantia, ut ait Satyrus ὁ μὲν ἀσὲ χαμαιπήρων· πολλοὶ δὲ τῆς ἐδίας ἐπιθυμίας, &c. Talem Cic. describit Pisonem his verbis: *Luxuriam autem nolite hanc cogitare*, &c. Talem Antonium: *Nihil erat clausum, nihil obsignatum*, &c. Talis & ille, qui apud P. Rutilium Lupum describitur a Lycone: *Num simul atque ex primis horis diei*, &c.

Argentum Corinthium odrilicium] Antiquus codex hoc amplius, *aes, aut deliacum*. approbo. *Odrilicium* autem, nam ita scribitur in veteribus, corruptum est ex eo quod sequitur, *aedificium*. itaque delendum est. nam re vera in vetere ita legitur: *argentum, Corinthium aes, aut Deliacum, odrificium, locus ipse, hos ego*, &c. ut legendum videatur: *dedificium, locus ipse. hos ego*, &c. Vide lib. 6. cap. ult. Variarum lectionum nostrarum. De Deliaco autem aere, Plinius cap. 2. lib. 34. *Antiquissima aeris gloria Deliaco fuit*. De Corinthio aere nos lib. 3. Var. lect. cap. 5.

Laelius, eo dictus est sapiens] Tres apud Romanos affecti sunt cognomine sapientis, M. Cato senior, L. Acilius, & C. Laelius. Cic. in Laelio: *Unum te sapientem & appellant*, &c. Horatius Satyr. 1. lib. 2. *Virtus Scipiadae*, &c. Scipio histrio, Laelius poëta. Plutar. in Polit. Sapientis cognomen invenit Laelius, quia cum Tib. Gracchi partes adversus optimates tueri coepisset, discordiam civitatis metuens ab incepto destitit. Plut. in Gracchis. P. Sempronius à Juris civilis intelligentia vocatus est Sophos. l. 2. de orig. jur.

O lapathe, ut factere necesse est, cognitus cui sis] *Factere, qui sis.* Lapathus rumex ejus genus ovalis. Dioscorides. Crebra ejus mentio in frugalitate. Varro: *Hanc eandem voluptatem consequi tagim lapatho & ptisana possum. Mollit alvum.* Horat. Epod. ode 2. *Aut herba*

herba, lapathi prata amantis, & gravi Malvae salubres corpori. Idem Sat. 4. lib. 2. *Si dura morabitur alvus, Mitulus & lapathi brevis herba.* inde nomen.

Cui] Qui. *Qui non risere parentes. In quo Laelius clamores sophos ille solebat &. C. g. ex or. nostros.* Festus: *Ingluvies a guia dicta*, &c.

Illudque vere] Lambinus, *illeque*. Alciatus, lib. 9. παρεργ. cap. 4. citat ex poëtis quaedam, quibus *illudque* defenderetur. Ennius: *O domus antiqua quam dispari nunc dominaris.* Plautus: *Postquam est morte captus Plautus, Comoedia luget*: Martialis: *Sardonychas, smaragdos, adamantas, jaspidas una Portat in articulo Stella, Severe, meus.*

O Publi, gurges Galloni es homo miser, inquit] *Gallonii* meminit Cic. pro Quintio, & Horat. in Satyr. 2. lib. 2. *Gallonis praeconis erat acipensere mensa infamis.* Cicero pro Q. *Gallonii & sumptum & quaestum sequi maluerat.* Quidam Q. Fabius Gurges a devorato patrimonio vocatus est.

In isto] Scilicet, in bene coenando, sic paulo infra: *cum praesertim in eo studium omne consumeret.*

Squilla] Pinna. de qua Cicer. 2. de nat. deor. *Pinna vero, sic enim Graece* &c. & 3. horum librorum: *At illa quae in concha* &c. Chrysippus lib. 5. περὶ τῶν ἰδίων, ut videre est apud Athen. lib. 3. ὁ πίννα, ἢ ὁ πινοτήρης &c. Plinius quoque cap. 42. lib. 9. & Oppianus lib. 2. idem prodiderunt. Ego cap. 10. lib. 5. variarum lect. Saepe id narrat Chrysippus. Plutar. in comm. utra sint prudentiora τὰ χερσαῖα, ἢ τὰ ἔνυδρα· ὃν ἐν τῷ ἐν πλάτωνι ἐξεταλόσσιος Χρυσίππου μίλλω πινοτήρης, ὃν ἡ φύσις ἐπὶ ἁλὶ καὶ ἰδίᾳ σοφίᾳ ἔχει. Qui tamen historiam piscium curiosius consectati sunt, totum hoc fabulosum esse prodiderunt.

Acipensere cum decumano] *Acipenser*, piscis olim in primis nobilis fuit ex Macrob. lib. 3. Satur. cap. 16. Cicero de fato: *Cum esset apud se ad Liternum Scipio*, &c. Plin. lib. 9. cap. 17. *Apud antiquos piscium nobilissimus* &c. Parasitus apud Plautum in Baccharia: *Quis est mortalis tanta fortuna adfectus*, &c. *Sammonicus Serenus, qui temporibus Severi fuit, ad principem scribens: Plinius, ut scitis*, &c. Ex Macrob. 2. Saturn. cap. 12. Athen. lib. 7. Ἀπίων ὁ γραμματικὸς ἐν τῇ εἰς τὴν Ἀπίωνος ἔνστασιν τὸ ἔλεπτον μελίμετον φησὶν εἶναι τὸν

ἀκανθώδης. Elops, facer piscis vocatus, rarus inventu creditur, in profundo Pamphylio capitur. Sed tamen etiam inde non nisi vix admodum raro. quodsi capiatur, coronis ob secundam piscationem sese non modo piscatores ornant, sed & piscatoria navigia sertis redimiri curant, & plausu & tibiarum sono praedam testantes, ad terram navem applicant. Aelianus lib. 11. cap. 21. *Elopem* tamen *Rhodium* commendat Varro apud Gellium lib. 7. cap. 16. Columella, *elopem profundo Pamphylio nec alio pasci.* lib. 8. cap. 16. Ovidius: *Et pretiosus elops n. inc. undis.* Idem: *Tuq. peregr. acipenser. n. undis.* Athenaeus: Ἀρχέστρατος δὲ ὁ τὸν αὐτὸν Σαρδανοπύλην ζήσας βίον, φησὶ τῷ ἐν Ῥόδῳ γαλεῷ λίχνον, τὸν αὐτὸν εἶναι ἡγούμενος τῷ παρὰ Ῥωμαίοις μὲν αὐλῶν τῷ σφυραίνῃ εἰς τὸ δόκιμα ἀποφέρουσιν, ἰσοφαρίζοντι δὲ τῷ φυρίτῃ αὐτὸν, κυλίστρῳ δὲ ἀκανθώδης. Mirum est quod de squamis versis ad os. Natare in quamlibet partem omnium piscium commune est. At Athenaeus numerat eum inter cartilagineos, & ait esse oblongo rostro, triangulari figura corporis. Unde homines eruditissimi colligunt, eum esse *staurionem.* Salvianus *staurionem.* Vide Rondeletum de piscibus lib. 14. cap. 9.

Cum decumano] Festus.

Libenter coenare] Sic Cato de re rustica cap. 156. *Si voles in convivio multum bibere, coenareque libenter*, &c. Ennius apud Gellium cap. 4. lib. 12. *qui cum bene saepe libenter mensam sermonesque suos*, &c. Vide & Donatum in illud ex Eunucho, *bene libenter victitas*, inquit, bonorum ciborum edax es. Horatius lib. 2. Sat. 2. *Bene erat, non piscibus urbe petitis, Sed pullo atque hoedo.* Est & exemplum apud Plautum in Casina.

Quomodo autem philosophus loquitur] Interpunge: *Quomodo autem, philosophus, loquitur?*

Tria genera cupiditatum] De hac divisione vide Ciceronem 5. Tusculanarum. & Athenaeum lib. 12. (252.) ubi docet, eam fluxisse a Platone. Divisio illa Epicuri talis erat, qualis esset, si quis ita divideret: Corpus aliud est animatum & sentiens, aliud animatum non sentiens, aliud neque animatum, neque sentiens: cum praestet dicere, aliud animatum, aliud inanimatum. deinde animatum aliud sentiens, aliud non sentiens. Divisio cupiditatum apud Aristotelem 3. Ethicar. (cap. 9.)

De ratione dividendi vide illa fine dubio praeclara, quae disputat Ammonius in illam divisionem τῶν ὄντων τὰ μὲν καθ' αὑτὰ, &c.

Quia dolori non voluptas contraria est] Disputat hic, utrum plura possint esse uni contraria. Item, si unum recipiat magis & minus, utrum necesse sit & alterum, &c. non est autem. nam vide rectum obliquum. sed tamen rectum & obliquum non sunt contraria secundum regulam Ammonii. nihil enim est medium. Δύσις. Si appetunt voluptatem stabilem, volunt salutem suam, & hoc concedimus: si moventem, ut Epicurei dicunt, sequetur, nullam voluptatem esse fugiendam, & simul aliam voluptatem a natura expeti, & in alia esse summum bonum.

Nec enim figura corporis, &c.] De figura corporis humani disputaverat in 4. de rep. Scipio. Unde ipse 1. de legibus: *Hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris quos legistis, expressit Scipio.* de eodem latius in 2. de nat. deor. Cic. 1. de legibus: *Ipsum autem hominem eadem natura*, &c. Ovid. Met. 1. *Pronaque cum spectent animalia*, &c. Silius: *Cui ratio, & magnae caelestia*, &c. Cicero 2. de nat. deor. *Qui primum eos humi excitatos*, &c.

Ennius] Ennius, ut suspicor, Hecuba, exprimens illud Euripidis: Κεῖνος ἀλβιώτατος, ὅστις μήτ' ἄρρεν' ἔσχεν μήτε παῖδ' ἔσχεν.

Nimium b. est, cui nil mali est] Ita legendum est.

Nisi statuerit nihil esse, quo interfit, aut differat] Seneca: *Quod bonum est, bonos facit*, &c. Vide eundem: *Quicunque beatum esse se constituit, unum esse bonum putet, quod honestum est.* & aliquanto post: *Cetera opinione bona sunt, & nomen quidem habere commune cum veris: proprietas in illis boni non est. Itaque commoda tenentur, &, ut lingua nostra utar, producta.* Idem.

Quod est bonum, omne laudabile est: quod autem, &c.] Plutarchus: Καὶ μὴν ὃ τῆς περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι λόγος, &c. Tusculan. (lib. 5.) *atque etiam omne bonum laudabile est*: &c. & paulo infra: *Etenim quidquid est quod bonum sit*, &c.

Quod non negari nullo modo, &c.] Dolor non est malum.

Si-

Atque iſte vir altus & excellens, &c.] Sapiens ſibi confidere debet Plutarch. Χρώτατος ὁ τελείου εἶναι φύσεως ὁ τῆς ἀρετῆς, &c. Eſt & quoddam in 5 Tuſcul.

Quod autem, &c.] Si ſapientia eſt ſummum bonum, quomodo ſummum bonum eſſe poteſt, ſapienter vivere? nam ut artificioſe facere, eſt ἐπιστημονικὸν τῆς ipſius artis: ſic ſapienter vivere, videtur ἐπιστημονικὸν τῆς ipſius ſapientiae. Reſpondet, non ita eſſe. imo in hoc diſſimilem eſſe ſapientiam ceterarum artium, &c. (Adſcribam (*) hoc loco Mureti diſputationem ſuper hac ipſa re, in ejus adverſariis inventam; videlicet, An motus praeſtantior ſit quiete.) Saepe ac multum hoc, cum adoleſcens in philoſophiae ſtudia incumberem, mecum in animo cogitavi; motusne, an quietis naturam praeſtantiorem dici oporteret. nam cum intelligerem finem, ad quem cetera referuntur, iis quae ad ipſum referuntur, praeſtantiorem eſſe; motum non omnem ad quietem aliquam, tanquam ad finem referri: facile adducebar in eam ſententiam, ut quietem motione omni praeſtantiorem arbitrarer. Magis etiam in eo confirmabar, cum in vitam actionesque hominum intuens, animadvertebam, eas maximam partem ita compoſitas eſſe, ut non alio, quam ad quietem atque otium ſpectare ac pertinere videantur. Etenim, ut a minimis progrediamur ad maxima, ſi de vilisſimarum artium opificibus ſciſcitere, quid ſit, cur ſe ipſi perpetuis propemodum laboribus torqueant, cur ante lucem evigilent, cur interdiu nullam, quantum in ipſis eſt, exercendi ac defatigandi ſui faciant intermiſſionem, cur in multam usque noctem labores ſaepenumero producant ſuos; non fere aliud reſpondebunt, quam, ut Horatii verbis utar, *hac mente laborem ſeſe ferre, ſenes ut in otia tuta recedant.* Quid? ipſos rectores, ac moderatores civitatum ſi quis interroget, quonam conſilia omnia ac cogitationes referant ſuas? Nihil ſe, ut opinor, aliud, quam quietem ac tranquillitatem publicam ſpectare dicent. Quin & e privatis hominibus eorum ſortem beatisſimam ducimus, quibus ſecuro, ac nullis interrupto laboribus otio frui licet: & hanc praeclariſſimam civitatem iccirco omnium, quae in orbe ſunt, felicisſimam judicamus, quod cum ceterae omnes vehementisſimis bellorum motibus agitentur; ea modo pars orbis, quam Venetorum reſp.

(*) Nota Editoris Ingolſtadienſis.

resp. imperio suo complexa est, communium calamitatum expers, placidissime composita conquiescat. Quies igitur labori ac motui anteponenda est: si quidem ipsa per se ac suapte vi expetitur: ad eam vero consequendam cetera omnia diriguntur. In eam sententiam pronus ac propensus ferebar; parumque jam aberat, quin, me disceptatore atque arbitro, lis pro quiete adversus motionem daretur; cum, ut Achillem Homerica Pallas, ita me ratio revocatum, & velut apprehensum crinibus, insistere coëgit, Hesiodium illud identidem insusurrans: Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. Cave, inquit, prius de controversia statuas, quam, quid utrinque dici possit, audiveris. Rationis igitur admonitu, collegi ipse me, eumque rem totam de integro accuratius recogitare coepissem; primum illud animadverti, motum ἐντελέχειαν quandam esse & ἐνέργειαν, ut ex definitione illius cognosci potest: quietem vero nihil aliud, quam στέρησιν, id est, ut ipse quoque Cicero loquitur, *privationem*. quanto igitur τὰ ἐντελῶς ἔχοντα τοῖς ἀτελέσι, τὰ ἐνεργοῦντα τοῖς ἀέργοις, τὰ ὄντα τοῖς μὴ οὖσιν antecellunt, tanto esse motum quiete praestantiorem. Ulterius etiam mentis acumine progrediens, cognoscebam, in tota rerum universitate nihil omnino esse ab omni prorsus motu remotum. etenim quicquid est, aut movet, ut Deus, ut mentes illae divinae superorum orbium agitatrices; aut & movet, & movetur, ut naturalia omnia; aut motui substernitur, ut locus; aut motum metitur, ut tempus. in illis autem primis corporibus, quorum commistione, quae infra lunam sunt, cetera omnia generantur; ut quodque maximam ad movendum vim habet, ita nobilissimum judicatur. Sed & animata ab inanimis non alia re, quam hac se ipsa movendi facultate dirimuntur.

IN LIBRUM IV.

Totam philosophiam tres in partes diviserunt] Diogenes Laërtius hujus divisionis Zenonem primum auctorem fuisse dicit. Plutarchus lib. 1. de placitis philosophorum testatur, eam esse Stoicorum: Aristotelem vero & Theophrastum, & ceteros aliter divisisse, nempe εἰς τὸ θεωρητικὸν, καὶ τὸ πρακτικόν.

Peripateticis Academicisque] Qui Speusippum, Academici; qui Aristotelem sectabantur, Peripatetici dicti sunt.

Re

Re consentientes, vocabulis differebant] Supra lib. 2. Academ. non longe a primo: *Aliter* (Plato) *quia reliquit perfectissimam*, &c.

Nova verba finguni] Contra praeceptum Aristotelis 2. Topicorum, etiam, ni fallor, lib. 6. ubi reprehendit haec in Platone, ἐφρύσκιον ἀντὶ τοῦ ἐφηλιάσεως, ψυχώσεις ἀντὶ φλεγμονῆς, ἐπιστροφὴς ἀντὶ μοίλυ.

Apte ac rotunde: quippe habes] Sic lib. 5. sub finem: *Quem hunc appellas, Zeno? beatum, inquit. etiam beatissimum? quippe, inquit.*

Illi egregie tradiderunt, hi omnino ne attigerunt quidem] Victorius in Castig. Ovid. 3. met. *Quid faciat? repetatne domum & regalia tecta, An lateat silvis? pudor hoc, timor impedit illud.* Ita enim legitur in veteribus, quanquam in recentioribus aliter scribitur.

Zeno id dixit esse ignem] Laërt. Δοκεῖ δ' αὐτοῖς, τὸν μὲν φύσιν εἶναι πῦρ τεχνικὸν, ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν. (Quod Cicero) 11. de nat. deor. (sic expressit) *Zeno igitur ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum, ad gignendum progredientem via.* & 1. Tuscul. 15. *Zenoni Stoico animus ignis videtur.*

Ampulla, aut strigilis accedat] Victorius. Ampulla, vasculum vinarium e corio. Plautus Rudent. act. 3. sc. 4. *Ni erat tam sincerum*, &c. Gestabatur a Cynico, mendicisque. In Persa ac. 1. sc. 3. *Cynicum esse egentem*, &c.

IN LIBRUM V.

Cum audivissem Antiochum] Antiochum Ascaloniten, quem Plutarchus, ut hominem eruditissimum, ingeniosissimum, eloquentissimum, veteris Academiae illis temporibus principem, in Lucullo commendat. Hic scripsit librum ad Q. Lucilium Balbum, quo contendebat, Stoicos cum Peripateticis re concinere, verbis discrepare. Cic. 1. de nat. deor. ubi eum Balbus ipse *hominem inprimis acutum* vocat. Cicero autem 2. Acad. de Lucullo loquens, *Cum autem*, inquit, *e philosophis ingenio*, &c. Antiochi frater Aristus fuit, homo ipse quoque in philosophia eruditus.

Ptolemaeium] A Ptolemaeo, Lagi filio, conditum. Pausanias in Atticis.

Digitized by Google

Cum M. Piſone] *M. Piſo quicquid habuit, habuit ex diſciplina, maximeque ex omnibus, qui ante fuerunt, Graecis litteris eruditus fuit.* in Bruto, ubi vide Corradum.

A Dipylo] Porta ea velut in ore urbis poſita, major aliquanto patentiorque, quam ceterae, eſt: & intra eam, extraque latae ſunt viae: & extra limes mille ferme paſſus in Academiae gymnaſium ferens. Livius lib. 31.

Stadia] 4. digiti, palmus. 4. palmi, pes. 5. pedes, paſſus. 6. pedes, orgyia. 100. pedes, plethrum. 100. orgyiae (Herodotus) ſive ſex plethra (Suidas) ſive 600. pedes (Gellius & Suidas) ſtadium. Plin. tamen 625. rectius, ut puto. habet enim 125. paſſus, cum octo ſtadia efficiant milliarium, quod habet mille paſſus.

Staſeam Neapolitanum] De quo in primo de oratore: *Eſt enim apud M. Piſonem adoleſcentem* &c. & infra: *Quia memini Staſeam Neapolitanum, doctorem illum tuum*, &c.

Theophraſti de beata vita liber] Supra lib. 1. Academ. *Theophraſtus autem, vir & oratione ſuavis*, &c. Vide infra.

Strato, Phyſicum] Supra eodem loco lib. 1. Acad. *Nam Strato ejus auditor*, &c.

Propagabat tamen vitam] Un. Seneca 228. Inde illud Maecenatis turpiſſimum votum, quo & debilitatem non recuſat, & deformitatem, & noviſſime acutam crucem, dummodo inter haec mala ſpiritus prorogetur. *Debilem facito manum*, &c.

Ut apud Attium] De Philoctete, Attii tragoedia, Varro lib. 6. de ling. Lat.

Pennarumque contextu] *Pinnarumque*, &c. Fam. lib. 7. ep. ult. *Quod haec pennigero, non armigero in corpore*. &c. ubi vide Scholia Manutii.

In Archimede] Plut. in Marcello. Liv. lib 24. & 25.

Ariſtophanem, &c.] Ariſtoph. & Cleanthis lucerna.

Quid de Pythagora] Pythagoras in Aegyptum ad Chaldaeos, in Creta cum Epimenide, in Idaeum deſcendit antrum: in Aegypto quoque adyta ingreſſus eſt.

Quid de Platone] Plato Cyrenen in Africa, ubi audivit Theodorum mathem. in Italiam ad Pythagoreos, in Aegyptum ad ſacerdotes. decreverat & Magis Perſarum congredi, ſed impeditus eſt bellis.

Aud

Digitized by Google

Aut Democrito] Democritus in Aegyptum, in Persidem ad rubrum mare, in Indiam ad Gymnosophistas, in Aethiopiam.

Cn. Aufidio] *Cn. Aufidius praetorius, & in senatu sententiam dicebat, nec amicis deliberantibus deerat, & Graecam scribebat historiam, & vivebat in litteris.*

Ne quietem sempiternam] Etenim vita ipsa est ἐν τῷ ἐνεργεῖν. Aristot. 9. Ethic.

Endymionis somnum] Plinius lib. 2. cap. 9. Interpres Apollonii lib. 4. Ἐνδυμίωνος ὕπνον καθεύδεις. ἐπὶ τῶν ὑπνηλῶν λέγεται ἡ παροιμία, διὰ τὸ τὸν Ἐνδυμίωνα ὕπνου ἐρασθῆναι, καὶ ἔτι καθεύδειν, καὶ σὺν αὐτῷ αἶναί φασι. Suidas. Didymus in 5. Odysseae ait, Tithonum Laomedontis filium, Priami fratrem, Aurorae maritum fuisse. Endymionem autem concubuisse cum Luna, idque ita ἀλληγορεῖσθαι. Endymionem quidem venatorem eximium fuisse, qui totos dies venaretur, totas noctes dormiret. ideoque dictum dormire cum Luna. Tithonum Astrologum praestantem, qui totas noctes vigilaret, sub auroram vero, cum astra amplius contemplari non posset, dormire inciperet. inde dictum συνευνῆσθαι τῇ ἠῷ. Cicero 1. Tuscul. *Endymion vero, si fabulas* &c.

Aut quaerere quempiam ludum] Aristot. 7. Eth. ait, corporeas voluptates maxime requiri ὑπὸ τῶν μὴ δυναμένων ἄλλαις χαίρειν. Vide etiam lib. 10. Eth.

Honoribus imperiisque adipiscendis] Magistratuum quidam sunt honores modo, sed sine imperio, ut censurae: quidam cum imperio, ut consulatus, praetura. Tribunos etiam imperium non habuisse, testatur Plutarch. in problem. Qui imperium habebant, creabantur binis comitiis, centuriatis primo, deinde curiatis. ceteris centuriata lex sat erat, ut est in secunda Agraria.

Omnium enim rerum principia parva sunt, &c.] Cujuslibet numeri principium est unitas: magnitudinis punctum, saltem secundum Mathematicos. Maxima flumina a perexiguis fontibus manant. gravissimis incendiis parva saepe scintillula principium praebet. e parvis principiis lites, discordiae, seditiones. e grano uno seges amplissima: parva principia magnarum arborum, e tenui surculo arbor procerissima enascitur. item magnorum vitiorum. unde dictum, *principiis obsta*. & Persius: *Venienti occurrite morbo*. Artium omnium parva fuere prin-

cipia. imperiorum etiam & rerump. Ariſtot. περὶ ζώων γενέσ. lib. 1. 361. in Aldinis veteribus: αἱ γὰρ ἀρχαὶ μεγάλα ἔοικε ῥοπὴν ποιεῖσθαι, τῇ δυνάμει μεγάλαι οὖσαι. Idem 1. de caelo 92. ἡ ἀρχὴ, δυνάμει μείζων ἢ μεγέθει. διόπερ τὸ εἰς ἀρχὴν μικρὸν, εἰς τὴν πλάστιγγα τοσοῦτον παραμύνεται. Idem 1. Μετεωρολ. de principiis loquens, σπουδαῖον, inquit, ὅπως ὁρμηθῶμεν ἀρχῆθεν. μεγάλην γὰρ ἴσχυσε ῥοπὴν εἰς τὰ ἑπόμενα. δοκεῖ γὰρ πλέον ἢ τὸ ἥμισυ εἶναι τὸ παντὶ οὗτος ὁ ἀρχὴ, ᾧ τοσοῦτον ἐμφανὴς γένηται ἐν αὐτῷ τὸ ζητούμενον. Horat. *Dimidium facti, qui coepit, habet.* Ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς, hemiſtichium Heſiod. Ariſt. 5. Polit. ᾗ δὲ ἀρχὴ λέγεται ἥμισυ εἶναι παντός. Plato lib. 6. de legib. ait eſſe πλέον ἢ ἥμισυ. Plutarch. in lib. de audiendis poëtis citat verſus Sophoclis; quibus ait uniuſcujusque operis eventum a principio pendere. Plato 2. de Rep. ἐκεῖνο οἶδα, ὅτι ἀρχὴ παντὸς ἄρχου, &c. Idem in Cratylo: δεῖ δὴ περὶ τῆς ἀρχῆς παντὸς διαγράφοντα παντὶ ἀνδρὶ τὸν τοῦ λόγου εἶναι, ᾗ τῷ ποιοῦντι σκέψιν, εἴτ' ἀρθῆς, εἴτε μὴ, ὑπάρχει.

Ita definitur a Stoicis] In Lucullo 6. *Cum enim ita negaret quicquam eſſe*, &c.

Quae Theophraſtus de fort.] In libro περὶ εὐδαιμονίας, ut eum vocat Athenaeus lib. 13. ut autem Cicero convertit lib. 5. Tuſcul. *de vita beata.* Vide ſupra. primo autem Tuſcul. ita ſcribit: *Quid? tu in eo ſitam vitam beatam putas?* ubi eſt in Graeco Platonis in Gorgia: τί δέ; ἐν τούτῳ πᾶσα ἡ εὐδαιμονία ἐστὶν;

Q. Metellus] Macedonicus. Vellejus lib. poſt. *Vis ullius gentis, aetatis, ordinis*, &c. Paulo aliter Plinius cap. 44. libr. 7. & Valerius cap. 1. lib. 7.

Omnis auctoritas philoſophiae, &c.] *Nam cum ea cauſſa impulerit eos*, &c. Cic. 5. Tuſcul.

Cur ad ceteros Pythagoreos] Laërtius in Pythagor. ſub finem: Τελευτῶσι δ' αὐτοῦ τῶν Πυθαγορείων διαφέρει τὰ περὶ Χαλκιδέας μὲν Θράσων, ᾧ Φάντων ὁ Φλιάσιος, ᾧ Ἐχεκράτης, &c.

Ethecratem] Leg. *Echecratem.* Echecrates in Phaedone loquens inducitur.

Qui vere, falſone, quaereremus] *Qui (vere, falſone, quaeremus*, &c.) Vide Victorium Var. lect. lib. 15. cap. 9.

Ea eſſe beata non poteſt] *Hoc nomen beati longe lateque patet*, &c.

Terram mihi crede, ea lanx, &c.] *Quaero, quam vim habeat libra* &c. Tuſcul. 5.

Stoi-

Semper enim ex eo, &c. tota res appellatur] *Antiochus dicebat, ex majore parte plerasque res nominari, etiamſi qua pars abeſſet.* Tuſculan. quaeſt. Anaxagoras dicebat, omnia nominari ab eo, cujus in ipſis plurimum eſſet. Ariſtoteles 1. Phyſic. Aethiops niger, etiamſi habet dentes albos, & contra, &c. Sic Medici cholericos, phlegmaticos, &c. Acervum tritici dicemus etiam, licet in eodem ſint tria grana hordei.

Quem ſemel ait in vita riſiſſe Lucilius] Plinius cap. 19. lib. 7. Eraſmus in Adag. *ſimilem habent labra lactucam.* Solinus cap. 4. Pomponius Atticus dicitur nunquam mentitus eſſe. *Antonia Druſi nunquam expuit. Pomponius poëta nunquam ructavit. Quidam populi in Aethiopia nunquam ſomniant.* Plinius.

Cum ab Orete] L. *Oroete. Orete* Victor.

Stoicus licet minime] Eodem argumento utitur in Tuſculanis lib. 5. Leg. *Steici ſcilicet. Minime: ſed iſti*, &c. Sic Heauton. *Minime: ſed erat hic anus*, &c.

Digitized by Google

M. A. MURETI

IN

CICERONEM

PRO DEJOTARO

SCHOLIA.

Socrates apud Platonem in Timaeo natura comparatum esse ait, ut, qui pulchras animalium formas alicubi periti artificis manu aut sculptas, aut pictas viderunt, aut etiam animalia ipsa, viva quidem, sed quiescentia, mirabili quodam studio teneantur spectandi eadem moventia se, & aliquid eorum, quae ipsorum naturae consentanea sunt, obeuntia. Ideoque se post illam copiosissimam & eruditissimam de perfecta rep. disputationem, quam decem libris Plato complexus est, sibi plene satisfactum non putare, nisi vivam quodammodo eandem remp. videat, & praecepta, quibus eam ipsemet informaverat, exsequentem. Idem vobis quoque usu venire, facile adducor, ut credam: ut, cum superioribus mensibus multa eloquentiae praecepta cognoveritis, eloquentiamque ipsam aut quasi depictam, aut quasi quiescentem intuiti sitis, eandem nunc vivam ac spirantem, & praeclara illa, quae ex Aristotele audistis, exercentem spectare cupiatis. Faciam igitur, quantum quidem vires meae ferent, id quod & velle vos, & merito velle arbitror: &, antequam aggrediar ad explicandum secundum ejusdem philosophi librum de arte dicendi, eorum quae pervolutando libro primo didicimus specimen vobis aliquod in hac brevi Ciceronis oratione exhibebo: ut tanto postea avidiores & alacriores ad ea quae reliqua sunt, cognoscenda veniatis. Sed quia, ut eas regiones in quibus versamur, & eos homines quibuscum vivimus, ita ea loca eosque homines, de quibus quotidie audimus, nosse jucundum est: principio quaedam de Gallograecia, in qua regnavit Dejo-

Digitized by Google

jotarus: tum de ipso Dejotaro nonnulla dicam, quae neque ipsa per se cognitu indigna sint, & quasi facem praeferant nobis ad hanc orationem facilius intelligendam.

Galatia igitur, quae alio nomine Gallograecia vocatur, Asiae regio est, Phrygiae, Bithyniae, & Armeniae minori contermina: dicta ex eo, quod illam antiquissimis temporibus, Tectosages, & alii quidam Galliae populi, pulsis indigenis, occuparunt. Ita enim apud Suidam legimus. Cum tanta hominum multitudo excrevisset in Gallia, ut regio ipsa, quamvis ferax, vix eis alendis sufficitura videretur, trecenta Gallorum millia in Asiam venisse, & sedes posuisse ea in parte, quae ex ipsis Galatia, aut Gallograecia vocata est. Qua de re verba haec sunt Lactantii libro tertio ad Probum: *Galli antiquitus a candore corporis Galatae nuncupabantur: & Sibylla siccos appellat. Quod significare voluit poeta, cum ait: Galli per dumos aderant, arcemque tenebant, Defensi tenebris, & dono noctis opacae. Aurea caesaries ollis atque aurea vestis. Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla Auro innectuntur: cum posset dicere candida. Hinc utique Gallia provincia, in quam Galli aliquando venientes, cum Graecis se miscuerunt. Unde primum ea regio Gallograecia, post Galatia nominata est.* S. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis: *Galatia provincia Asiae, a Gallis vocabulum trahens, qui in auxilium a rege Bithyniae evocati, regnum cum eo, parta victoria, diviserunt. sicque deinde Graecis admixti, primo Gallograeci, post Galatae sunt appellati. Eorum metropolis est Ancyra.* Temporibus S. Hieron. non Graece, sed Trevirorum lingua adhuc loquebantur, post tantum temporis intervallum, adhuc ipso vocis sono testantes originem suam. Cum, quo duce profecti sunt, alii Brennum, alii Leonem, Strabo Leonorium vocat. Qui & ipse lib. 12. iisdem narratis, ait eam olim divisam fuisse in 4. tetrarchias, inde in tres, in duas. totam tandem cessisse Dejotaro. ac postremo in provinciae formam redactam esse. Sed Hirtius, eam occupatam fuisse a Dejotaro, aliis tetrarchis id injuria fieri querentibus. De quo ipso Dejotaro tempus est pauca dicendi. Adjuverat imperatores R. toto vitae suae tempore in iis bellis, quae R. in Asia gesserant. & ipse vicissim a R. rex ex tetrarcha factus, & magna parte regni auctus fuerat. Donaverat etiam

etiam ei sive Pompejus, sive Senatus, Armeniam minorem, & multa decreta honorificentissima in eum facta erant. Auctor tum idem Strabo lib. 12. tum Cicero, cujus haec sunt ad finem hujus orationis: *Quae enim fortuna*, &c. Eundem in orat. de haruſp. reſponſ. *ſaepe a Senatu, regali nomine dignum exiſtimatum, clariſſimorum imperatorum teſtimoniis ornatum eſſe* dicit. In hac ipſa: *Habebatur autem non ſolum terrarches nobilis, ſed etiam opt. paterfamil. & diligentiſſimus agricola, & pecuarius.* (Nota hoc ad locum Salluſtii, & *bonum agricolam, bonumque colonum*. & laudes agric. apud Plinium, & de Ageſilao quae apud Xenophontem.) De eo, de haruſp. reſp. *quem unum habemus in orbe terrarum fideliſſimum huic imperio, atque amantiſſimum noſtri nominis regem*. & Philip. 11. *Dejotari regis, & patris, & filii*, &c. Inter cetera autem Pompejum in Mithridatico bello egregie adjuverat: & ob id ab eo Armeniae minoris regno donatus erat. Eutrop. lib. 6. Fuit peritiſſimus auſpiciorum. Nihil niſi auſpicato gerebat. Itaque revocatus aquilae volatu, cubiculum noctu corruit. 1. de Divin. Adjuvit Pompejum in bello civili, & ipſe in pugna Pharſalica praeſens fuit. in hac or. & Hirtius, & alii. Caeſarem eodem tempore & hoſtem & hoſpitem vidit. 1. de Divin. Cumque ob id a Caeſare & pecunia & parte regni multatus eſſet, negabat tamen ſe auſpiciorum, quae ſibi ad Pompejum proficiſcenti facta eſſent, poenitere. Ibidem. Ignovit tamen ei Caeſar, cum Pharnaci ignoſcere noluerit. Hirtius. & ei partem dedit eorum, quae Pharnaci abſtulerat. Dejotarus, mortuo Caeſare, ſua recuperavit, ſecunda Philippica. Adjuvit Brutum, cum Caſſium noluiſſet, extreme (*) ſenex. *Dio* libro quadrageſimo ſeptimo. Dictum ipſius in Craſſum adverſus Parthos proficiſcentem. Plutarchus in Craſſo.

Crudelitas in filios. Plutarchus Στοιχ. ἰθικ. Ego cap. pen. lib. 8. Variarum lect. Item in Caſtorem Saocondarium, generum, & in filiam ſuam. Strabo libro 12. Accuſatus eſt a nepote, quod Caeſarem domi ſuae interficere voluiſſet. Defenderunt Cicero & Brutus.

(*) Forte ſcripſit, *extrema ſenectute*. *Extreme* quidem non eſt forma Latina.

FINIS TOMI TERTII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google